# REVERENDI PATRIS D. IOANNIS HOF-MEISTERI, COMMENTARIA *IN MARCVM ET LVCAM EVANGELISTAS.*

Nunc primum in lucem edita.




LOVANII,


Excudebat vidua Seruatij Saſſeni, ſumptibus hæredum Arnoldi Byrckmanni. Anno M. D. LXII.

Cum priuilegio Cæſareæ Maieſt. ad decennium, & Regis Hiſpaniarum ad annos quatuor.

Regio priuilegio cautum eſt, Ne quis præter viduam Seruatij Saſſeni, hæc V. Patris D. Ioannis Hofmeiſteri in Marcum & Lucam commentaria, excudat aut excudi procuret. Præuaricatori confiſcatio iſtiuſmodi librorum, & grauis mulcta pecuniaria in pœnam conſtituta: iuxta literas Bruxellis datas Nouēbris. 16. Anno. 1561. Signat.

I. de Perre.

# REVERENDI PATRIS D. IO. HOFMEISTERI IN MARCVM

## PRAEFATIO.

NON SVMVS sicut plurimi adulterantes verbũ Dei, sed ex synceritate, sicut ex Deo, coram Deo in CHRISTO loquimur. 2.Corint. 2. Paulus aposto- [2.Cor.2] lus, neque ab homine, neque per hominem, sed per [Gal.1] IESVM CHRISTVM, in defensionem sui, contra maleuolos & obtrectatores suos, hæc verba scripsit, quibus & semet ipsum defendit, & pios ecclesiastas sui officij admonet. Hic etenim Paulus, à CHRISTO ad apostolatum vocatus, quàm strenuè suũ ministerium impleuerit, obscurũ non est. Cursus illius prædicationis erat ab Hierosolymis vsq; in Hispaniam. Nec illi suffecerat Euange- [Rom.15] lium prædicare, nisi & purè prædicaret & gratis. Quamuis enim Dominus sic ordinauerat, vt qui Euangelium prædicarent, de Euan- [1.Cor.9] gelio & viuerent: noluit tamen pius Apostolus hac libertate vti, vt sic etiam quæstus opinionem fugere posset. Non illum remorantur [2.Cor.11] vlla pericula, vel aquæ vel ignis, vel falsorum fratrum, & alia quæ alibi enumerat; non vincula, non carceres. Vnde hæc ad Timo- [2.Tim.2] theum dicebat: Memor esto dominum IESVM CHRISTVM resurrexisse à mortuis ex semine Dauid, secũdum Euangelium meũ, in quo laboro vsq; ad vincula, quasi malè operans. Sed verbũ Dei non est alligatum. Adiunge his, quòd Euangelium suum validissi- [Act.14] mis probabat exemplis, iam mortuos suscitans, iam dæmones eij- [Act.16] [Act.13] ciens, serpentes tollens: breuiter, tanta pollebat sanctitate, vt vel [Act.19] sudariola eius omnes morbos tollere possent. Et vir tam pius, sedu- lus, sanctus, & innocens, non potest effugere calumniatorum insidias & blasphemias. Vbique à pseudoprophetis, ab angelis sathanæ tra- [2.Cor.11] ducitur, quasi desit veritati, quasi quidam de Paulo sentirent supra id quod erat. Aduersus ergo illorum impias calumnias maximè se tutatur Apostolus, ne fides derogetur suæ prædicationi, & hoc mul-

tis & exemplis & verbis. Sed nobis satis sit testimonij illa sententia, quam præfiximus huic prologo, sic habēs: Non sumus, inquit, sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed ex synceritate, sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur. Vult dicere Apostolus: Multi quidem vbique sunt Ecclesiastæ, qui se pollicentur veritatem vbique & in omnibus prædicare, cùm verè nihil aliud faciant, quàm quòd adulterant verbum Dei, hoc est, verbo veritatis falsa quædam miscent. Quare hoc? Quia non ex Deo loquuntur, sed somnia sua, & ficta mendacia loquuntur, plus fidentes scientiæ suæ, quàm Deo. Neq; cogitant, quòd coram Deo loquuntur, cuius oculos & aures effugere non possunt, sed tantùm coram hominibus loquuntur, hoc est, hominibus loquuntur placentia: si hos beneuolos sibi reddere possunt, iam existimant se pensum absoluisse. Neque in gloriam Christi prædicant, sed suam gloriam conantur hinc stabilire. Sic agunt pseudoprophetæ, vult dicere Apostolus, qui nos traducunt & calumniãtur. Sed immeritò nobis obtrectant. Non enim sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei, non falsa veris occulimus, sed ex synceritate animus noster omnis malitiæ & doli nescius est. Ex Deo loquimur, vnde omnia nos accepisse, & accepturos confidimus. Et coram Deo loquimur, non cupientes hominibus placere, sed Deo. Et in Christo loquimur, hoc est, nihil aliud prædicamus, quàm vt fides & gloria Christi propagetur. His verbis, quemadmodum diximus, non tam se defendit Apostolus, quàm cæteros Ecclesiastes sui admonet officii. Multi profectò prædicant verbum Dei, sed adulterant, & multa falsa immiscent, neque ex synceritate loquuntur, cùm cor habeant malitia & dolo plenum. Nec ex Deo loquuntur, quum potius prædicent quod ratio dictat, quàm quod spiritus Dei suggerit, quod sacræ docent literæ: neque coram Deo loquuntur. Sed ait aliquis: Quomodo oculos & aures Dei effugient? Respondeo, Apostolum loqui vulgatissimo modo. Exempli gratia. Si quis coram patribus Senatoribus apparet, & technis quibusdam conatur subuertere veritatem, tunc ferè huic hunc in modum respondetur: Hic existimat se fungos & stipites habere auditores. Ita & Paulus ait: Non loquuntur coram Deo, hoc est, non recordantur, se minimè posse effugere illius oculos, sed tantum sic conantur hominibus imponere. Et in suis prædicationibus, non gloriam Christi quærunt, sed propriam, & quæstum,

2.Cor.2

Adulterantes verbum Dei.

Gal.1

quæstum,& magnæ scientiæ opinionem. Sed quorsum hæc? ait aliquis. Responsum in promptu est. Vt intelligatis, Non omnes prædicare Euangelium, qui hoc ipsum iactant: sed multos esse, qui illud ipsum adulterant, & pestilentissimas hæreses, sacro Euangelio tutari conantur. Facile est multos adducere sacræ scripturæ locos: sed qua ratione hoc ipsum fiat, qua dexteritate item, hoc probè considerandum est. Quandoquidem autem non est omnium probare spiritus, vtrum ex Deo sint, hoc omnibus consultùm volo, vt non patiantur se circumferri omni vento doctrinæ, ad noua quædam somnia, hoc vnico dicto admoniti, quia credimus vnam sanctam catholicam Ecclesiam, quo quidem articulo omnes omnium seculorum hæreses deprehenduntur, & iugulantur. Quicquid enim iam noui est, vel singulare, ad catholicam Ecclesiam non potest pertinere, quia Ecclesia non singularis est, sed vniuersalis: Et hæc catholica Ecclesia tam certa est, vt nullius singularis hominis doctrinam accipiat vel probet, quantacunque vel scientia, vel sanctitate polleat. Si Augustinus aliquid singulare dixerit, quod sibi cum aliis non est in sensu commune, sed repugnans, anathema sit. Si Origenes propria dicit, quemadmodum multa quidem habet, non subleuat eum sanctitas, non admirabilis cruditio, non indefessum in Ecclesia ædificanda studium. Cyprianus doctor & martyr verè pius, si quid noui, quid singularis habet, in hoc non admittitur: cæteris autem, quæ cum reliquis sanctis viris communia habet, subscribit Ecclesia. Cæterùm vt & hoc admoneam, Nulla est iam hæresis, quæ non habuerit suos propugnatores ante multa secula; sed quia singulares habuerunt autores, qui Ecclesiæ præiudicare voluerunt, anathemate percussi sunt. Breuiter, quicquid singularitate quadam se venditat, quantumuis eximiæ pietatis speciem habeat, ad Ecclesiam sanctam catholicam pertinere non potest. Huius rei quàm diligentissimè admonitos nos esse voluerunt Apostoli, qui etsi bases fuerint Ecclesiæ, nihil tamen vel ipsi in rebus arduis, aut nouis (non consulta Ecclesia, & prius iusto habito concilio) diffinierunt. Ita Petrus ilicò post ascensionem Domini, Mathiæ Apostoli electionem ad Ecclesiam retulit. Et simili modo, cùm murmur Græcorum aduersus Hebræos ortum esset, habito Ecclesiæ concilio, electi sunt septem Diaconi, qui

Eph. 4

Obser.

Obser.

Act. 1

Act. 6

 & mini-

& ministrarent mensis. Item Paulus, postquam multis Gentibus praedicauerat, iuxta spiritus reuelationem, ascendit Hierosolymam, & suum Euangelium cum Apostolis contulit, quo maioris autoritatis foret, & ne in vacuum cucurrisset. Possum multa in hanc rem adducere, quae prudens praetereo. Proinde quia enarraturus sum vobis Euangelium Marci, hoc ipsum vobis de me persuasum velim, me nihil dicturum, quod non ad Ecclesiam vniuersalem, id est, sanctam, & catholicam referri possit, Quam vtinam à periculis haereticorum eripiat, qui eam redemit, & sanctificauit, IESVS CHRISTVS Dominus noster.

Galat. 2

AMEN.

# IN SACROSANCTVM IESV CHRISTI DOMINI NOSTRI EVAN- *GELIVM SECVNDVM MARCVM, V. P. IOANNIS HOFMEISTERII ENARRATIONES.*

INITIVM *Euãgelij Iesu Christi filij Dei.* Quandoquidem enarraturus Euangeliũ Matthæi, multis qdẽ præfati sumus, ostendentes quid discriminis sit inter Legis & Euangelij tempora: deinde quæ ratio scribendi Euangelia. Cur item non plures quàm quatuor Euangelistæ accepti essent ab Ecclesia catholica, cùm constet omnibus, præter Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem, plures etiam Euangelia scripsisse, aut potius, vt Lucæ vtamur verbis, conatos verius scribere, quàm scripsisse: quum illis ipsis verus dictator euangelij defuerit. Adiunxeramus etiam, quare multa communiter, & multa singuli propria scripserint: quomodo item, si in aliquo discordes viderentur, reconciliari possent. Hoc igitur nobis vnicum restat dicere, quænam fuerit causa qua Marcus compulsus scripserit hoc euãgelium, quod Dei beneficio ac fauore enarraturi sumus. Hanc rem historiæ succinctissimè tradunt, & quidem his verbis. Cùm Romanæ vrbi clarũ veri Dei lumen, prædicante B. Petro Apostolo, fuisset exortum, adeò verbũ veritatis vniuersorum mentes placido illustrabat auditu, vt quotidie audientibus eum nulla vnquam satietas fieret. Vnde neq; auditio sola eis sufficit, sed Marcum discipulũ eius omnibus precibus obsecrantes orant, vt ea quæ ille verbo prædicabat, ad perpetuam eorũ commonitionem habendam scripturæ traderet, quo domi forisque in huiusce modi verbi meditationibus permanerent: Nec prius ab obsecrando desistunt, quàm quæ orauerant impetrarent. Petrus verò, vt per spiritum sanctum religioso se spoliatum comperit furto, delectatus est, & fidem eorum deuotionémque per hæc considerans, factum confirmauit, & in perpetuum legendam scripturam ecclesijs tradidit. Huius rei testimonium dant boni & docti viri Clemens & Papias, authore Hieronymo. Hic autem Marcus tam charus fuit diuò Petro, vt non dubitaret, hic illum filium vocare, in priore epistola dicens: Salutat vos Marcus filius meus. Quod profecto in nõ vulgatem laudem Marco cedit. Adiungam & hoc, quòd videtur Marcus etiam assectator Pauli apostoli fuisse, & consobrinus Barnabæ, vocatus alio nomine Ioãnes, sicut & Matthæus alio nomine Leui dictus est. Hoc si à vero non est alienum, habuit certè Hierosolymis matrem commotãtem, & eam quidem fidelissimam: quod ex duodecimo Actionum apostolicarum cognoscitur, vbi sic habetur de Petro à potestate Herodis per angelum liberato: Consideránsque venit ad domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus, vbi erant multi congregati & orantes. & cætera. Porrò Marcus, Eusebio teste, assumpto euangelio quod ipse confecerat, perrexit in Aegyptum, & primum Alexandriæ Christum annuncians, constituit ecclesiam, tanta doctrina, & vitæ innocentia, vt omnes sectatores Christi, ad exemplum sui cogeret. Ferunt & de ipso, quòd sibi pollicem amputauerit, vt sic sacer-

Marginal notes: Lucæ. 1. — Qua ratiõe euãgelium scripserit Marcus. — Eusebi9 lib. 2. ca. 15. — Petrus Romæ. — Autoritas euãg. Marci. — Vide eccles. hist. lib. 3. ca. 39. de Marco Euãg. — 1. Pet. 5. — Colos. 4. — Act. 12. — Ex diuo Hieron. — Obseru.

dotio reprobus haberetur, quod certe exemplum nostro seculo nigro cygno rarius est. Verùm quod manibus deerat, vitæ sanctitas resarcijt, & inuitus in episcopum Alexandrinū consecratus est: quem quidem episcopatum,& Euāgelica prædicatione,& sanguinis effusione decorauit. His ergo præmissis, accedamus ad verborum euangelicorum contextum, quem,diuina nobis opitulante gratia, & piè,& breuiter elucidabimus.

Marcus episcopus.

*[Initium Euāgelij Iesu Christi filij Dei.]*

His verbis, quasi præfatur, summam operis & instituti ostendens: & sicut scriptores ferè solent, beneuolentiam captat, vt attentum reddat auditorem. Summa totius negotij est, quod nobis Euangelium Iesu Christi filij Dei descripturus est, Quod euangelium,quod bonum nuncium. Nimirum vt natus sit, vixerit, docuerit, miraculis se *aliquid supra hominem esse declarauerit,supplicium tandem pertulerit, & à mortuis resurrexerit,suisque mandata euangelij prædicandi dederit, iterúmque se tandem in cælum receperit. Hæc,inquam, nobis descripturus est Marcus noster, non quidem omnia quæ vel docuerit vel fecerit Christus, hoc enim impossibile esse Ioannes docuit, sed tantum ea quæ nos scire bonum atque necessarium est. Vnde & Euangelista noster citra præiudiciū Ioannis dicere posset: Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc: Hæc autem scripta sunt, vt credatis quia Iesus Christus est filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius. Igitur non superflua, sed necessaria tantum scripsit Marcus noster, ea scilicet, quæ nobis fidem faciunt Christum filium esse Dei,quod primis etiam verbis testatur. Et obserua quomodo attentum faciat auditorem, cùm promittit Euangelium, non de Mose, Abraham, Isaac, Iacob, aut de Iudicibus vel Regibus Israëlitarum, non de aliquo eximio huius mundi principe, sed de Iesu Christo filio Dei. Iam quandoquidem omnes nouarum rerum studiosi sumus, hunc nostrum Euangelistam attentè audiamus. Verè enim & noua & felix annunciatio est quam Marcus promittit. Hanc enim, iuxta Christi testificationem, multi prophetæ & reges audire voluerunt,& non audierunt. Qui verò non dicerem nouam annunciationem de Iesu Christo filio Dei? Quis vnquam talia audiuit? His enim verbis promittit Euangelista euangelium de eo qui verus sit homo,& verus Dei filius, ad hoc & seruator: Iesus enim saluatorem significat, sicut rationem huius nominis reddens Angelus dicebat: Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Christus autem, hoc est vnctus, dicitur, quod in hominem regem vel sacerdotem quadrare tantum potest. Quòd autem Christus rex sit, Matthæus in principio sui euangelij abundè testatur, cùm filium Abrahæ & Dauidis fuisse conuincit. Testatur hoc ipsum & Angelus apud Lucam in hæc verba: Dabit illi dominus Deus sedem Dauid patris sui, & regnabit in domo Iacob in æternum. Quòd porrò sacerdos sit, Propheta ante multa secula prædixerat: Tu es sacerdos, inquiens, in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Et Apostolus ad Hæbræos scribens: Hic, Christum puta, eo quòd maneat in æternum, perpetuum habet sacerdotium. Talis enim decebat, vt nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus,& excelsior cælis factus: verè sic Paulus. Quomodo enim in ipsum Christum quadraret Iesu, hoc est,saluatoris nomen, nisi excelsior cælis esset factus. Sed ad ordinē, & vide, quàm plura & mirāda pau-

Summa euāgelij totius. *longè. Ioan.20 Luc.10. Iesus. Matt.1. Christ. Luc.1. Psal.109 Hæb.7.

paucissimis complexus est Marcus noster. In vnico nobis promitrit, filium Dei, filium hominis, regem, sacerdotem, & seruatorem. Filium Dei, qui solus nouerat qua ratione placari poterat pater cælestis. Filium hominis, qui morte sua (Deus enim mori non potuit) nos redimeret. Regem, cuius regnum non est de hoc mundo, qui & tyrannidem satanæ propulsare poterat. Sacerdotem, qui semetipsum agnum immaculatum pro totius mundi peccatis in cruce obtulit. Seruatorem, è cuius potestate nemo nos eripere poterit. Filium ergo Dei timeamus: filium hominis amemus: regi obediamus: sacerdoti nostra peccata confiteamur: seruatori, nos totos dedamus. Sed hæc omnia in processu pluribus disputabuntur. Obseruandum etiam, qua ratio ne statim ab initio impias opiniones hæreticorum propulsat, tàm eorum qui Christum filium Dei negãt, quàm qui verum hominem negant. Hæretici alterum negant, sed Christiani vtrunque fatentur, & nisi fateantur, saluari non possunt. Quómodo enim mortem subiret Deus? Mori etenim non potest qui nunquàm natus est. Aut quomodo homo Deo satisfaceret? Oportebat enim vt esset pontifex sanctus, &c. qui non habebat necesse orare pro se, &c. Vtrunque ergo cum Marco nostro fatemur, filium Dei, & filium hominis, cum Ioanne dicentes: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Omnia per ipsum facta sunt, &c. Et deinde. Verbum caro factum est, & *habitabit in nobis.

Filius Dei. Hominis filius. Rex. Sacerdos. Seruator. Hæretici. Io. 1. *habitauit.

*Sicut scriptum est in prophetis: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuã, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto, parate viam domini, rectas facite semitas eius. Fuit in deserto Ioannes baptista, &c.*

Euangelista noster, quæ Matthæus longo sermone de genealogia Christi, de Magorum muneribus, de infanticidio, de introitu siue fuga Christi in Aegyptum, & exitu inde habet, omnino silentio præterit. Natiuitatem item Christi, ortum & progressum Ioannis baptistæ, copiosè à Luca narrata, tacet, in omnibus breuitati studens. Vnde illis omnibus omissis, sic ordi tur suam narrationem. Sicut scriptum est in prophetis. Ecce ego mitto angelum, & cæt. Vox clamantis in deserto, &c. Fuit in deserto Ioannes baptizans, & cæt. Altera prophetia est apud propheram Malachiam, altera verò apud Esaiam. Vnde obseruandum est, statim ab initio, quòd nihil scripturus est Euangelista, quod non veteris testamenti scriptura longè antè testata fuerit. Prophetæ ergo prædixerunt, quòd Christus citra præcursorem venturus non sit, qui quidem præcursor, non à semetipso venturus sit, sed à Deo Optimo Maximo mittetur, & ob muneris dignitatem ipsumque officium, non homo sed angelus dici debeat. Ipse enim præparaturus est viam ante faciem domini Iesu Christi. Alter prophetiæ locus dicit. Vbi nam locorum habitabit præcursor? non in aulis regum, non in medio summorum sacerdotum, Scribarum, aut Pharisæorum, non in medio populi, sed in deserto. Quid faciet in deserto? Nunquid ipsi studium erit, texere fiscellam iunco, vel vimine, piscem fallere, scrutari nidos, certare palæstra, & cæt? Non: sed clamabit in deserto, Parate viam domini, rectas facite semitas eius. Angelum porrò Ioannem dicimus, & præcursorem, quod vulgò, ni fallor, Furier, appellant. Et quia iubet parare viam domini, & rectas facere semitas eius: docere vult, vt in occursum Christi, & ad recipiendũ eum, quàm honorificentissimè omnia parent, sicut solent

Matt. 2. Luca. Malachia. 3. Esa. 40. Angelus Io. In deserto. Iudaicos sacerdotes dicit auaros & durę ceruicis hoies, in circũcisis corde & oculis. Vox clamantis.

qui expectatum diu charúmque principem excipere volunt. Viam ei hi modis omnibus expediunt, commodámque reddunt, quicquid editum est deducunt, quod depressum attollunt, flexuosa dirigunt, salebrásque omnes submouent. Nec hoc opere contenti, sed quicquid existimant offendere dominum, amouent: quicquid illi principi placere nouerunt, in medium statuunt. Omnia autem eò diligentiùs, quo maius lucrum à principe expectant. Sic & diuus Ioannes iubet parare domino viam, & rectas facere semitas, hoc est, quàm diligentissimè nos disponere ad dignè suscipiendum tam clarissimum principem & regem cælorum & terræ, cuius regnum, regnũ omnium seculorum: cuius potestas, potestas æterna: in cuius ditione omnia sunt posita: cui nemo resistere potest. Omnipotens enim nomen eius. Probè igitur considerandum, ne filij huius seculi prudentiores sint filijs lucis. Quod quidem fieri certò constat, si maiori studio nos præparemus ad honestè suscipiendum hominem, quãtumuis magnum principem, quàm ad suscipiendum Dominum dominantium. Nec est vt pluribus interrogare velis, quibus honoribus illum suscipere debeas. Parum refert, etiam si fueris pannosus & asper, & in tuguriolo, nescio quo, habites. Declina à malo & fac bonum. Dilige dominum, & mandata eius serua, nec diu desiderabis eum, sed in momento vim suam & potentiam exeret. Hoc enim promisit dicens. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum: & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Sed de his satis: iam audiemus vocem in deserto.

Psal.144 Dan.7. Hebr.13. Exo.15. Luc.16. Psal.33. Eccl.12. Io.14.

*Fuit ergo Ioannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.*

Ioannem hic intellige, non filium Zebedæi, sed filium Zachariæ & Elizabethæ: hic fuit in deserto iuxta prophetæ vaticinium, & baptizabat & prædicabat baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum, intellige, quam à Christo accepturi erant. Baptismus enim Ioannis non habebat remissionem peccatorum, sed tantùm pœnitentiam peccatorũ. Longè enim aliud conferebat baptismus Christi, quàm Ioannis: qua de re non ita multò post dicemus. Non erat ille Ioannes lux, sicut alius Euangelista habet, quæ illuminaret omnem hominem venientem in hunc mundum, sed erat nuncius lucis mox exorituræ. Non erat ille medicus qui tolleret peccata, darétque sanitatem, sed tantum admonuit homines, vt agnoscerent mores, esse enim in proximo, qui solus liberare possit à peccatis. Non erat ille sponsus, sed antambulo sponsi, qui cunctos expergefaceret, vt venienti occurrerent: Non erat dies, sed aurora diem proximè præcedens. Angelus siue nunciùs erat, non rex qui nuncium ablegare solet. Præcursor, non dominus. Vnde & sibi domini autoritatem vendicare *erubuit. Diximus ergo, baptismum Ioannis ad pœnitentiam quidem fuisse, non autem ad remissionem peccatorum, nisi quantum præparatio potest. Sed dicet aliquis: Quid opus erat præcursore & prænuncio? Respondemus, ideò Ioannem præmissum ante domini prædicationem, ne fortè subitò veniens Christus, & dicens se filium Dei, propter ipsam magnam & terribilem indicationem rei ipsius, magis se incredibiliorem faceret, & magis abominandum potiùs, quàm audiendum. Si enim Ioannes prædicauit persona cognitus, genere non ignotus, erat enim filius Zachariæ sacerdotis, & conuersatione mirabilis, tamen infideles Iudæi non acquieuerunt credere Christo per illum: quantò magis non

Baptismus Io. Io.1. Io.1. *noluit Quare Io. præmissus.

erant credituri, si nulla ante eum denunciatio præcessisset? Nam quātumuis fuerit persona laudabilis, in sua causa non potest esse testis idoneus. Sequitur continenter.

*Et egrediebatur ad eum omnis Iudea regio & Hierosolymitæ vniuersi, & baptizabantur ab illo in Iordanis flumine, confitentes peccata sua.*

Iam effectum prædicationis Ioannis Marcus describit, & oportunè quidem. Iam enim dixit, Fuit Ioannes in deserto baptizans. Vnde ne quis rogaret: Quem igitur baptizauit, semetipsum more Pharisæorum quibus frequens erat baptismus? An ne gentiles à Ioanne baptizati sunt? Horum nihil ait Marcus, sed egrediebatur ad eum omnis Iudæa regio, & Hierosolymitæ vniuersi, & baptizabantur ab eo. Vbi? In Iordanis flumine. Qua causa? Confitentes, inquit, peccata sua. Verè enim hoc ipso facto, confitebantur peccata sua, ostendentes semetipsos sibi displicere. Lucas rem sic effert, inquiens. Et interrogabant eum turbæ dicētes. Quid ergo faciemus? Respondens autem dicebat illis. Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas, similiter faciat. Venerunt autem & publicani vt baptizarentur, & dixerunt ad illum. Magister quid faciemus? At ille dixit ad eos. Nihil ampliùs, quàm qđ constitutum est vobis faciatis. Interrogabant autem eum & milites, dicentes. Quid faciemus & nos? Et ait illis. Neminem concutiatis neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendijs vestris. Hactenus Lucas. De confessione enim cuius vsus iam est in ecclesia, cùm nondum claues datæ erant, nulla fit mentio. Neque tamen negauerim & aliquem confessionis vsum fuisse apud Iudæos ante Christi aduentum, quòd legenti veteris testamenti scripturas apertū erit. Iosue.vij.ait Iosua ad Acham. Fili mi, da gloriam Deo Israel, atque confitere, & indica mihi quid feceris, & ne abscondas. Respondit Achas, & dixit. Verè ego peccaui domino Deo Israel, & sic & sic feci. Numerorum quinto etiam vestigium quoddam confessionis inuenire est, sed hac de re in Matthæo nostro copiosius disputauimus. Hoc tamen interim observandum, quod & mos ille adhuc viget, quo adulti baptizandi, priusquàm baptizentur, cōfitentur actus suos. Iuxta quod Act.xix. dicitur. Multi credentium veniebant confitentes & annunciantes actus suos. Et cap.ij. ait Petrus: Pœnitentiam agite & baptizetur vnusquisqꝫ vestrū. De infantibus porrò alia ratio est.

Lucæ.3.

Confessio peccatorū.

Iosue.7.

Num.5.

Obser.

*Et erat Ioannes vestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos eius, & locustas & mel syluestre edebat.*

Interspargit Euangelista prosopographiam, id est, descriptionē personæ diui Ioannis: describit autem eum à vestitu & cibo quo vsus est, & à prædicatione (quam paulò post audiemus.) [Vestitus erat de pilis camelorum.]

Nere solent in Palæstina pilos camelorum, sicut docti testantur, & ijs terris quæ hoc genere animalis abundāt. Sicut etiam apud nos ex rudioribus, vilioribus, asperioribúsqꝫ lanis, incultiores pannos efficiunt. Neque enim arbitramur Ioannem prorsus peregrina veste vsum, sed ex illis incultioribus, asperioribúsque lanis vestitum habebat confectum. Non integra pelle vestitus erat, vt in pictura repræsentari solent: neque enim dicit Euangelista, Ioannem habere vestimentum de pelle, sed de pilis camelorum. Et Christus de Ioanne: Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt. Addit Marcus. [Et erat illi circa lumbos zona pellicea.] Vt de Helia legitur, quòd vir pilosus esset, & zona pellicea accinctus renibus: vt intelligas & hunc & illum in omni

Pili camelorum.

Matth.11.

4.Reg.1.

vestium genere luxum, non quæsis se. Apparet enim in zonis aliquem fuisse illis gentibus luxum, sicut & nostro tempore mulieres zonis magno pretio emptis luxuriantur, ab hac ergo luxuria alienum fuisse Baptistam Marcus docere vult. Quod item adiunctum est Ioannem locustas & mel sylvestre edisse, miram illius parcimoniā restatur, quū scilicet omnes omnium ciborum delicias vitauerit: vnde & non in domibus regum, sed in desertis locis habitare elegerat. Porrò sicut vnicuique regioni suus mos est, ita & singulæ nationes ferè singulos habent cibos, quos aliæ nationes aut nō frequenter, aut omnino non edunt. Sic quòd Ioānes locustis & melle sylvestri vescitur, ad terram Palæstinam referri debet, & nihil absurdi erit. Vescuntur Itali cibis quos Germani abominantur. Sed ne longiùs, quàm necessum est, se extēdat oratio, cætera prosequemur. De potu nihil habet Marcus, sed ex Angeli prophetia intelligimus, ipsum mera aqua vsum. Sic enim, inter cætera, de Ioanne testatur nondum nato, Vinum & siceram non bibet. Summa austeritate vitæ & parcimonia victus, repræsentabat suam prædicationem, nihil auditoribus præscribens, quod non ipse prius fecerat. Sic interim admonens futuros prædicatores, vt summæ humilitatis & modestiæ præberēt ex se exemplum, & non sibi plus nimio indulgentes, in alios sæueri dictatores essent. Hoc enim Pharisæorum est, non Euangelistarum: sicut apud Matth. xxiij.ca. apertum est. Sic enim ait de Pharisæis: Alligant onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, ipsi autem digito suo nolunt ea mouere. Neque inibi silet, quàm diuersa fuerit horum vita à Ioannis instituto: qua de re aliàs.

Zona.

Lucæ.1.

Obser.

Matth. 23.

*Et prædicabat dicens: Venit fortior me post me, cuius non sum dignus procūbens soluere corrigiam calciamentorum eius. Ego baptizaui vos aqua, ille verò baptizabit vos spiritu sancto.*

Rectè de Ioanne alibi dicitur. Ille erat lucerna ardens & lucens, quandoquidem non minus vitæ innocentia, quàm sana doctrina prædicaret, atque populum ad veram pœnitentiam perduceret. Porrò si locum hunc penitius introspicias, inuenies quàm verè dictū sit vulgatissimo prouerbio: Gloria fugientem sequitur, ambientem abominatur. Audi Marcum. [Et prædicabat dicens. Venit fortior me post me, &c.] Qua ratione, qua consequentia hoc dicit, Lucas nobis luce clariùs ostendit dicens. Existimante autem populo & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne fortè ipse esset Christus, respondit Ioannes. Ego quidem aqua baptizo vos: Veniet autem fortior me post me, &c. Iam rem intelligimus. Ipse Baptista sua sanctimonia, sua vitæ innocentia, tantā autoritatem & gloriam sibi pepererat apud Iudæos, vt plerique suspicarentur eum esse Messiam. Ille verò tametsi vir esset Deo gratissimus, plurimisque diuinis dotibus præditus, tamen intelligens quantum scelus esset, hominem sibi vendicare gloriam Dei, aut hominem in homine salutis præsidium collocare, palàm apud omnes prædicabar dicens. Venit fortior me post me, cuius nō sum dignus procumbens soluere corrigiam calciamentorum eius. Ac si diceret. Non sum is, quem vos me esse suspicamini: Venit fortior me post me, cuius in minimis ministrare non sum dignus. Opus artificem commendabit, cui plus confert, alteri præponendus erit. Iam ego baptizaui vos aqua, nimirum sic tantum præparans vos ad pœnitētiam. Ille, vbi prodierit, baptizabit vos spiritu sancto, cuius occulta vis sanctificat omnia. Vides quomodo pius præcursor non patitur domini gloriam in se transferri, manifestissimo argumento demōstrans vter

Ioan.5.

Luc.3.

Opus spiritus sancti, inuisibilis doctoris.

vtri

vtri præstet, cum ipse, Ioannem puta, tantũ aqua baptizet, ille verò spiritu sancto. Ioannes in pœnitentiam, Christus in remissionem peccatorũ. Et hoc est quod supra diximus, baptismũ Christi longè plus conferre, quàm Baptismum Ioannis, cum, iuxta Doctorum sententiã, Baptistæ baptismus neque Sacramentum fuerit, neque remissionem peccatorum contulerit, sed pœnitentiã docuerit, peccatúmque ostenderit. Baptismus autẽ Christi, hoc est, quo vniuersalis Ecclesia baptizat, Christi sanguine imbutus, vim quandam habet imbibitam, qua in suscipientis anima remissionem operatur & gratiam. Hoc ex verbis diui Petri comprobatur, qui in Actis dicit ad eos qui concionantem audierãt: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorũ, & accipietis donum spiritus sancti. Tam necessarius autem est iste baptismus, vt certa & cõmunis sit Ecclesiæ catholicæ sententia, neminẽ ab inuulgato euãgelio, absque baptismi munere, remissionẽ & salutem consequi, nisi temporis angustia baptismũ non expectet. Ea sententia roboratur his domini verbis, Nisi quis renat⁹ fuerit ex aqua & spiritusancto nõ potest introire regnum Dei. Eò pertinet quòd Apostoli etiam eos baptizauerint, qui ante baptismum, gratiam Dei & spiritum sanctum acceperant. Adhuc enim prædicante Petro apud Cornelium, cecidit spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum. Tunc respondit Petrus. Nũquid aquã qs prohibere potest, vt non baptizentur hi qui spiritũ sanctum acceperunt sicut & nos? Et iussit eos baptizari in nomine domini Iesu Christi. &c. Porrò qui absque baptismi munere salui creduntur, hos subleuat necessitatis articulus. Scimus item non tantùm baptismum fluminis, sed flaminis & sanguinis. Porrò citra martyrium quis saluari potest, citra baptismum non item. De infantium conditione, qui absque baptismi munere vitam finiunt, in commentariis nostris super Matthæum diximus, de Anãbaptistis item, & de pædobaptismo. Iam vnicum illud addere placet, imò admonere necessarium visum est, vt hoc sacramentum maiore deuotione celebremus, & frequentius in memoriam reuocemus. Quæ enim dementia est ludum arbitrari hoc, in quo omnis nostra salus consistit? Aut quæ imprudentia est iterum submittere colla iugo immitissimi tyranni satanæ? Sed non ità multò post, exemplo Christi docebimur, quid post baptismum nobis faciendum restat.

*Baptismus Christi & Ecclesiæ.* — *Act. 2.* — *Bapt. necessitas.* — *Ioan. 3.* — *Act. 10.* — *Necessitatis articulus.* — *Obser.*

*Et factum est in diebus illis venit Iesus à Nazareth Galileæ, & baptizatus est à Ioãne in Iordane. Et statim ascendẽs de aqua, vidit cælos apertos, & spiritum sanctum tanquàm columbam descendentem & manentem in ipso, & vox facta est de cælis: Tu es filius meus dilectus, in te complacui.*

Ex Lucæ Euãgelio apparet Christũ suscepisse baptismum Ioãnis circa annum suæ ætatis tricesimũ: porrò Matthæus habet quomodo Ioannes noluerit Christum baptizare, donec plenius instrueretur à Christo, quia ipsum oportebat sic implere omnem iustitiã. Neque quis miretur Christum suscepisse baptismum Ioannis, qui pœnitentiæ baptismus erat. Quomodo enim dedignaretur se in pœnitentium ordinẽ dare, qui inter iniquos reputatus est, iuxta veterẽ Prophetiã. Hoc tamen fatemur, Christo qui peccatũ non fecit, nec dolus in eius ore inuentus est, baptismum nihil contulisse, sed Ioannĩ & nobis plurimum profuisse. Hinc Ioannes dicit, Ego debeo baptizari à te, & tu venis ad me? Quia igitur Christus baptizatus est baptismate Ioannis, ostendit non fuisse contẽnendum illius baptismum, neque temerè à Ioanne vsur-

*Esaiæ. 53. 1. Pet. 2.* — *Notanda cõditio baptizationis Christi.*

vsurpatum. Quantum autem nos attinet, suo sanctissimo corpore, Christus aquas sanctificauit, & aquæ vim regeneratiuam contulit, vt qui postea immergeretur inuocato nomine Trinitatis, à peccatis purgaretur. Sicut ergo aqua sordes corporis abluit, ita baptismus maculas animæ sordésque vitiorum emundando abstergit, vt homo qui per peccatum vetus erat, per gratiam baptismi renouetur. Eò pertinet quòd Ananias Paulo dicebat, ipso Actorum.xxij. referente. Exurge & baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine ipsius. Cæterùm addit Marcus, quòd Christo ascendente de aqua, Ioannes viderit cælos apertos, & Spiritum sanctum tanquàm columbam descendentem & manentem in ipso Christo, audiuerit item vocem paternam, de cœlis super Christum, Tu es filius meus dilectus, in te complacui. Hæc omnia facta sunt primò, vt essent vera testimonia, vter vtrum præcederet, Christus ne Ioannem, an diuersum, Tanta enim erat autoritas Ioannis apud populum, vt ipsum longe præferrent Christo. Hinc Ioannes dicebat omnibus & manifestissimè fatebatur, se non esse Christum, non Heliam, non Prophetam illum qui expectabatur, sed vocem clamantis in deserto. Item digito ostendebat Christum dicens, Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Et hic: Venit fortior me post me, & cæt. Et apud Ioannem Euangelistam, accedunt ad Baptistam sui discipuli dicentes. Rabbi qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad cum: Respondit Ioannes, Non potest accipere homo quicquàm, nisi fuerit ei datum de cœlo. Ipsi vos testimonium mihi perhibetis, quòd dixerim, Non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum. Postremò in vinculis positus, cum adhuc indignè de Christo sentirent illius discipuli, ablegat illos ad Christum, vt re ipsa videant & experiantur, vter vtri præstet, &cæt. Sic quæ in baptismo facta esse Marcus memorat, principio eò faciunt vt eo certius agnoscamus Christum, ipsumque vt filium Dei amplectamur & audiamus. Secundò hæc ad doctrinam nostram scripta sunt, vt sciamus quid de baptismo nobis promittere debeamus. Omnia siquidem quæ in Christi baptismo facta sunt visibiliter, inuisibiliter in nostro baptismo sunt. Verè enim ad inuocationem Trinitatis adest ipsa Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, Spiritus sanctificat, Filius abluit, Pater saluat & beatificat. Et verè suscepto baptismo ad nos verba patris cœlestis referuntur, non ad aures corporis, sed mentis. Tu es filius meus dilectus, in te mihi complacui. In baptismo certè pignus hæreditatis nostræ accipimus, Spiritum nimirum sanctum qui testimonium dat conscientiæ nostræ, quia sumus filij Dei & hæredes, hæredes inquam Dei, cohæredes autem Christi. Qui verò non essemus filij Dei dilecti, cum omnis inimicitiæ causa iam sublata sit, peccatum nimirum, quod in baptismo ablutum est? Hinc etiam aperiuntur nobis cœlorum ianuæ, quas nobis peccatum obserarat. Nec tibi incredibilia hæc videantur, eò quod sunt inuisibilia. Maior debet nobis esse perfectio, post Christi ascensionem, post apostolorũ prædicationes, post martyrũ denique sanguinem, quàm vt nobis necessè sit visibilibus signis. Naaman ille Syrus, etiam non putabat Iordanis aqua posse ablui lepram, sed quod

Murmur ob gratiam prohibetur hic.

Notetur Reconciliatio mundi saluandi.

4.Reg.5.

quod non crediderat, re ipsa verum esse expertus est. Natatoria Syloæ ad Christi iussum, cæco nato oculos aperit. Piscina probatica, ad motionem angelicam omnes omnium hominum morbos tollit. Postremò Marath fons amarissimus erat, misit in eum Moyses lignum, & dulcis est factus. Summa si attenderis tãtum ad eum qui sacramento baptismatis adest, nihil tibi impossibile videbitur. Adest sanctissima & ineffabilis trinitas. Vnde & Apostolis dictum est, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit, &c. Cum igitur res sic se habeat, probè vigilandum est, ne ex dilecto filio Dei, miserrimus & maledictus filius, imò seruus & mancipium satanæ fias. Sequentia audite.

Ioan.7. Ioan.6. Exod.15 Crede̅ti omne verbum possibile. Fides verò sit conformis verbo Dei.

*Et statim Spiritus expulit eũ in desertũ: Et erat in deserto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & tentatur à satana: eratque cum bestijs, & angeli ministrabant ei.*

Hic videris quàm breuissimè & cõpendio quodam omnia quasi digitulo tantũ demonstrata. Ipsi enim scitis quàm prolixè, pulcherrimo tamen ordine, hunc Christi de satana triumphũ depinxerit Matthæus. Quibus armis, qua occasione Christus aggressus à satana, quibus item tormentis aduersarij vim propulsauerit. Hæc in Matthæo etiam fusius tractata sunt. Hoc satis visum est Marco admonete, quod Christus à spiritu sancto in desertum actus fuerit. Sic enim & Christus post dicebat. Non veni vt faciam voluntatẽ meam, sed voluntatem eius qui misit me patris. Hoc eò refero, quòd Christus non carne propria, quæ requiem semper desiderat, motus sit ad ineundũ cum satana certamen, sed spiritu sancto. Admonuit item Marcus quãdiu ipse Christus in deserto fuerit, in eo inquam deserto vbi non confluebat multitudo populi, sed grex ingens bestiarum. Et vide, Christus tutus est à bestijs, ab hominibus, ab angelis ipsi ministratur, à solo dæmone tentatur. Et hæc omnia, quemadmodum & superiora ad doctrinam nostri scripta esse intelligimus. Iesus enim in se exprimebat, quid à nobis fieri vellet, & quid baptismi sacramentũ sequeretẽ, nihil.s. nisi acris tentatio. Quando enim aptiores sumus ad certamen, nisi cum aduersario debilitatæ sunt vires, & arma nostra adhuc noua & polita? In baptismi autem sacramento vires aduersariorum minuuntur, cacodæmon sua potestate exuitur, sic vt nos quidem inuitè oppugnare possit, sed non nisi volentes expugnare. Et in eodem regenerationis lauacro infirmitas nostra, hoc est, peccatum amouetur, & per gratiam spiritus vires augentur. Et probè obseruа, quia Christus ab hominibus quidem & bestiis tutus est, sed cum satana congredi necessum habet. Sic possibile nobis est, aliquid conspectum & hominum & bestiarum fugere, sed vt effugias tentationem satanæ impossibile est. Neque enim minus aggressus est Euam in Paradyso, quàm Caym extra Paradysum. Non est locus tam altus, tam arctus, tam inuius, quin penetrare possit. Difficile recedit, & dum recedere cogitur non diu inducias dat. Fingit quidem aliquando se victũ, sed vt incautum opprimat: Et si solus expugnare non potest, assumit secum septem alios spiritus nequiores se. Neque vno dolo vtitur, sed mille, vnde & milleartifex dicitur: Sed quomodo propulsandus est? Vide Christum certantem, abstinentia, sicut Marcus habet, & oratione, sicut Lucas docet. Nam est quoddam dæmoniorum genus quod solo ieiunio & oratione propulsari potest. Et spiritus immundus in aridis locis non inuenit requiem. Habes deinde ministros & commilitones an-

Ioan.6. Contra scãdalũ crucis. Gen.3. Matt.12 Matt.17 Heb.3.

angelos qui iuxta Paulum omnes sunt administratorii spiritus, in ministeriũ missi propter eos, qui hæreditatẽ capient salutis. Obserua postremò, ne tuapte sponte, imò temerè, te præcipites in periculũ, sed in illud spiritu sancto ductus fortiter pugna, & fac tibi promittas non ante fore finẽ pugnæ quàm vitæ.

Obser.

Deus nouit suos eripere ex tentatione.

*Postquàm autem traditus est Ioannes, venit Iesus in Galilæam, prædicans Euangelium regni Dei, & dicens, Quoniam impletum est tempus, & appropinquauit regnum Dei. Pœnitemini & credite Euangelio.*

Historiã decollationis Marcus cap. vi. sequenti copiosè prosequetur, vbi & copiosiora dicemus: Hoc tamen, quantum ad historiam attinet, obseruandum est, quòd Marcus quemadmodum & Matthæus, ea, quæ Christus primo anno post susceptum baptismũ operatus est, omnino præterit, tantum ea describens quæ post incarcerationem Ioannis à Christo gesta sunt. Porrò, ne omnino hanc historiam intactam prætereamus, visum est & hoc admonitiõe dignũ, quod tamẽ nemini nõ manifestũ est, scilicet, nos nõ tantũ vexari ab infesto satana, sed etiã ab hominibus, quomodocunque tandem illud fit, æquo animo ferendum est. Cũ igitur pius ille Præcursor in carcerem proiectus fuerat, ne euangelij prædicatio rursum oblitteretur, venit Iesus in Galilæam, prædicans euangelium regni Dei, dicens. Impletum est tempus, & appropinquat regnum Dei: Quod tempus impletum est? Hoc de quo dicit Apostolus, At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum in hunc mundum, factũ ex muliere, factũ sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Hoc impletum est tempus, in quo visum est Deo lapsum primi hominis reparare, & mundo se benignum & reconciliatum ostendere. Impletum est tempus inquam, impleti sunt dies, quos multi reges & Prophetæ videre & audire desiderarunt. Et appropinquauit regnum cælorum, proximius quàm antea vnquã. Iam enim filius Dei, factus fuerat filius hominis, iam aderat agnus Dei, qui tolleret peccatum mundi, iam inter mortales morabatur, qui mediator futurus erat in breui, inter Deum & homines. Iam iuxta prophetarũ petitiones, & dirupecrat & inclinauerat filius Dei cælos & descenderat. Iam propè erat regnum, vt hi quibus Paradysus denegatus fuerat, intrare possent, sed quibus appropinquat regnũ cælorũ, aut quibus debetur? His minirum qui obtemperaturi sunt Christo dicenti, Pœnitemini & credite Euangelio. Vnde & Paulus ad Hebræos scribens ait, de Christo, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ. Qui ergo pœnitentiam agent, & Euangelio fidem habebunt, ijs in proximo est regnum Dei. Vide ergo quàm diuersa est quorundam rabularum prædicatio, à prædicatione Christi. Illi postremam tantum partem proponunt suis auditoribus, dicentes. Euangelio tantum crede & saluus eris, & appropinquabit regnũ Dei: Christus verò adiungit, præmittitque, Pœnitemini, resipiscite, transmẽtamini, pudeat vos pristinæ vitæ & nouam instituite, & credite Euãgelio, tam felici & læto nuntio. Pœnitemini inquam, & credite, quia pœnitentibus regnum cælorum debetur. Et hic certè obserua quid sola illa & toties nobis obiecta fides possit, scilicet parum, nisi innocentia vitæ accesserit, quæ certè magis propriæ charitatis opus est, quàm fidei. Porrò crede omnem rem se sic habere, quemadmodum Euãgelium vbique docet, & simili admonitioni post hac non relinquetur locus.

Gal. 4.

Benignitas Dei.

Luc. 10.

Ioan. 1.

Innocentia refulgit. Esa. 64. Psal. 143

Heb. 5.

Quibus Christus factus causa salutis.

Obser.

Obser.

*Et præteriens secus mare Galileæ vidit Simonem & Andream fratrem eius,*

mitten

*mittentes retia sua in mare (erant enim piscatores) & dixit eis Iesus. Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Et protinus relictis retibus, secuti sunt eum. Et progressus inde pusillum, vidit Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius, & ipsos componentes retia in naui, & statim vocauit illos. Et relicto patre suo Zebedæo in naui, cum mercenarijs, secuti sunt eum.*

Quo tẽpore Christus hos quatuor discipulos vocauerit, ex alijs Euangelistis clarum est. Apparet & ex Euangelio Ioannis discipulos illos, maximè autẽ Petrum & Andream, fuisse discipulos & sectatores Ioãnis Baptistæ: Sed hæc citra incõmodũ præterire possumus. Hoc tantum hic obseruandũ est, quòd ante multiplicem miraculorum operationem discipulos sibi seligit, vt nihil eos lateat, nec verborũ Christi, neque operum, vt postmodum fiducialiter dicere possint. Nõ possimus enim nos quæ vidimus & audiuimus nõ loqui. Deinde quod ait, vidit eos, & corporaliter & spiritualiter intelligendum est, nõ enim ad facies solũ, sed & ad corda eorũ respiciebat. Et elegit eos nõ quasi Apostolos, sed quia Apostoli poterant fieri. Vnde ait, Faciam vos fieri piscatores hominum, non ait, Quia piscatores hominũ iam estis, eligo vos, sed faciam vt quod iam non estis, postea efficiamini. Sicut artifex, si viderit gemmas preciosas, & non dolatas, eligit illas non quod sint sed quod fieri possint: habẽs enim scientiam artis, bonum incompositum non contemnit. Sic & Christus rudes piscatorum animos reformauit, vt post hac possẽt piscari homines. Sed hac de re in cap.iiij. Matth. plura diximus. Nihil enim minus facit hic locus, quàm patrocinarij putidis & idiotis Anabaptistis. Quod item piscatores elegit in Apostolos non malè conuenit, cum & alibi regnum cælorum sagenæ missæ in mare, comparare non dubitet. Et pulchra profectò collatione, Nam sicut qui retia iactat in aquã, nescit quos pisces comprehensurus est, sed quos ei Deus transmiserit, illi intrant in retia, Sic & doctor, quando diuini sermonis retia super populum iactat, nescit qui sunt accessuri ad Iesum, sed quoscunque Deus excitauerit, illi adhærent doctrinæ. Ergo quemadmodum in piscatione labor solus requiritur piscandi, Deus autem transmittit capturam, Sic in doctore nihil requiritur nisi instantia doctrinæ: Populum autem non corrigit homo, sed Deus. Et vide quàm efficax sit sermo Christi, qui dicens sola hæc verba, Venite post me faciam vos fieri piscatores hominum, statim relictis, reti, naui, patre item, bini fratres Christum sequuntur. Qua in re vides quales Christus amet discipulos, nimirum eos, qui ipsi omnia quantumuis chara postponunt, siue sit propriæ carnis voluntas, siue huius mundi voluptates, siue parentes, vel alij amici atque affines. Vnde & alibi videns turbam copiosam sequentem, ait, Si quis venit ad me, & nõ relinquit patrem suum vel matrẽ suã, vxorem, liberos item atque fratres, adhuc autem & animam suam, nõ potest meus esse discipulus. Obseruandum item quod Christus non sine causa binos fratres & binos collegerit principio, sed certè voluit hoc facto docere, nullos aptiores esse euangelij præcones, quàm eos qui fraterna charitate cõcordes essent. Hoc quàm verum sit, non longa argumentatione opus est, sed res ipsa clamat, ne dicam quod & nostro maximo malo experti sumus. Quis enim nobis hanc miserrimam quam nunc patimur, tragœdiam peperit, nisi liuor edax, & extincta ecclesiastarum charitas, cum alter alteri ne latum quidem vnguem cedere vult? Obedientissimus & constãtissimus Simon Petrus, nusquam videtur, nec virilis Andreas, qui se murum ponat pro domo

Ioan.1.

Act.4.

Quod iam quis non est, potest fieri. Virtutẽ spiritus sancti negare hæreticũ est. Sunt enĩ 12. horæ diei. Anabaptistæ.

Matt.13.

Regnũ cælorũ quare reticulo cõparet.

Laborandum est, reliqua Deo cõmittẽda.

Potẽtia verbi diuini.

Quales discipulos amat domin9

Luc. 14.

Quare binos & binos.

Petrus. Iere.1. Andreas. Murus aheneus.

Iacobus domo Dei. Desideramus & Iacobos, qui hujus mūdi delicias, fauorē, potestatē & diuitias, forti animo calcare possēt. Pro Ioannes gratioso itē Ioanne, plures habemus qui magis vafricie pollent, q̄ gratia Dei. Sicut igitur piscatores sunt, ita & pisces, cū neque Ecclesiastes neque auditor, suo fungatur numere. Obser. Postremò nō temerè factū est, quòd Christus elegerit Iudæos potius q̄ gentiles, sed hoc factū ita credim⁹, vt Iudæis incredulis nō relinqueretur excusandi vllus locus: Sed de his iā satis. Quomodo parētes relinquēdi vel contemnendi sunt, alibi dicetur.

*Et ingrediuntur Capharnaū: & statim Sabbatis ingressus in Synagogā, docebat eos. Et stupebāt super doctrina eius, erat enim docēs eos quasi potestatē habens, et non sicut Scribæ.*

Longū illum sermonē, quem dn̄s in Matt.5. mōte habuit, à Matthæo descriptū, Marcus omnino silētio præterit. Et ex Luca Luc.4. intelligim⁹, q̄ ante ingressū ciuitatis Capharnaū, pri⁹ docuerit, & oīm oculos in se cōuerterit in synagoga Nazareth, vbi & illi dicebāt, nónne hic est fili⁹ fabri? &c. & paucis interpositis sermonibus, duxerūt Christū extra ciuitatē in supercilium mōtis, vt præcipitarēt eum, Iesus aūt trāsiēs per mediū illorū ibat. Et deinde ingressus est Capharnaū, & hic statim aggressus est Euangelistæ munus. Nā sabbato ingressus synagogā docebat eos publicitus. Talis aūt erat in docēdo, vt oēs auditores verterenē in stuporē. Audiuerant antea Scribas & Pharisæos docētes, sed horum doctrina mirè frigebat, doctrinæ Christi collata. Scribæ enim tantū interpretes erāt legis, quam miris technis corrūpebant, Christus autem dominus legis, quā & dexterrimè interpretabatur & implebat, non semel dicens, Audistis quia dictum est antiquis: Ego autē dico vobis. Matt.5. Obser. Obseruandū ergo hic primum venit, quomodo Sabathū feriandū & sanctificādum sit, cū Dominus sabathis in synagogis docet. nō autem potest docere nisi habeat auditores. Obseruandū deinde, quomodo verus ecclesiastes animos hominum mouere possit, vt & libentissimè audiant, & quod audierunt fidelissimè opere cōpleāt. Obser. Nō enim potest fieri, vt ignis nō calefaciat, aut nix nō sit frigida. Quomodo item dare potest spiritum sanctū quis, qui à spiritu sancto derelictus est. Non mihi iam sermo est, de Hæreticis concionatoribus, sed de his qui verā pietatem docent, sed ipsi à pietate alieni sunt, Et qui nō ipsi amant, quod aliis præscribunt. Vnde & iam paulò ante diximus, quales piscatores sunt tales & capiunt pisces. Nec est vt quis impietatem suam excusare aut velit aut possit, impietate vitæ cōcionatoris. Nam & domin⁹ alibi dicit, Quæ dicunt facite, secundum aurē opera eorum nolite facere. Quod de his dictum est, qui cum ipsi sint impij, piè tamen docent. Possum ex abundanti addere longè terribilius, quòd etiā his qui decipiuntur ab hæreticis per blandos sermones, aut speciē pietatis, parum remanet excusationis. Quare hoc? Quia iustum est, vt is, qui auertit aures suas à veritate, per mendacium decipiatur. Quando Rex Achab non patitur veracem Michæam, tūc meritò decipitur ab ijs prophetis qui habent spiritum mendacē in ore suo. Et quando populus Samuelē mitissimum respuit, meritò tyrannidi Saulis subijcitur. Regnare facit hominem hypocritam, ait Iob, propter peccata populi.

Spiritus sanctus suos dereliquit aliquando vt imbecillitatem humanā agnoscāt & soli Deo fidere discant.

Matt.23

Mala species est auertenda.

3.Re.22.

Iob.34.

*Et erat in Synagoga eorū homo in spiritu immundo, et exclamauit dicēs: Quid nobis et tibi Iesu Nazarene? Venisti perdere nos? Scio quod sis sanctus Dei. Et cōminatus est ei Iesus dicens, Obmutesce & exi de homine. Et discerpens eum spiritus immundus, & exclamans voce magna, exijt ab eo. Et mirati sunt omnes, ita vt cōquirerēt inter se dicentes, Quidnam est hoc? Quæ nam doctrina hæc noua? Quis*

*na? Quia in potestate spiritibus immundis imperat & obediunt ei.*

Non est vllus locus extra cælum, in quod non conetur satanas sese ingerere. Nullus tam sanctus, quem non audeat aggredi. In paradyso certè non defuit, cum illius inuidia, iuxta Sapientem, mors intrauerit, in vniuersum orbē terrarū. Et nō ita longè antea audiuim⁹, quomodo tētauerit Christū. Et alibi apud Matthæum dn̄s dicit, Vbi duo vel tres cōgregati fuerint in noīe meo, ibi & in medio eorū sum ego. Sed hic videm⁹, quod vbi multus fuerit populus ad audiendū Dei verbū, & Christus ipse ecclesiastes aderat, tamē nō defuisse satanā, immundū illū spm̄: Non em̄ libenter abest, vbi tormēta contra ipsum fabricāt, qđ in Euāgelica prædicatiōe fit. Vnde & alibi in Parabola dn̄s dicit. Omnis q audit verbū regni & nō intelligit, venit malus & tollit quod seminatum est in corde eius. Caueat ergo vnusquisq; sibi, ne locū det diabolo, sed cū maxima attētione Christi sermones audiat. Secūdò dæmoniacus hic figurā gerit eorū, q verbis ecclesiastis vtcūq; attacti statim respōsant, indignū arbitrātes, si qs scelera ipsorū p merito accuset, Nec verenē cū diabolo dicere, Quid nobis rei tecū est, Iesu Nazarene? Venisti perdere nos? Quid nobis cū Euangelio tuo? Nō in aliud ascēdisti suggestū, nisi vt nos traducas? &c. Hæc quidē videnē hoīes loqui, sed re vera diaboli voces sunt. Obserua deinde, quod Christus statim in principio ostendit, qua nam causa venerit, nimirum vt de satana triumpharet, eiúsque regnum destrueret. Sed qua ratione non passus est Christus spiritum immundum vera loqui? Quia scilicet nondum erat tempus vt astrueretur illius ore Christi diuinitas in carne latens. Et quia volebat ostendere, quales ipse postularet præcones, certè pios, & mundos, non eos qui omnium vitiorū immunditia polluti essent. Deinde ne populus veniret in persuasionē, quòd & diabolus posset vera dicere, & postea à mendace seducerenē. Nā etiā si vera prædicat satan, nō audiēdus est, quia ab ipso oīa ad deceptionē fiunt. Postremò sic cum magno eiulatu exiēs ab hoīe, magis testatus est, Christū suum dn̄m esse, q̄ inulta confessione. Cum igitur sic lux cum tenebris, reparator cum perditore, Christus cum Belial certaret, & aduersarius Christo coactus est cedere, mirati sunt omnes, ita vt cōquirerent inter se dicētes, Quid nam est hoc? Quæ nam doctrina hæc noua? Quia in potestate spiritibus immundis imperat & obediunt. Nihil tale legimus vnquam à prophetis esse factum, vt simplici verbo propellerent dæmonia. Neque hic magicis precibus, aut prolixa ad Deū flagitatione, aut alioqui magno negotio profligat impios spiritus, sed ceu dominus ac victor eorum, nudo verbo imperat illis, & volentes nolentes obediunt ei. Facile est imperare spiritui im mūdo, sed vt exeat, hoc opus hic labor est. Vnde & in Apostolorum actis legimus, quòd septem filij Scæuæ, principis sacerdotum, venerint atque dixerint spiritibus immundis, hoc est dæmoniacis, Adiuro vos per Iesum, quē Paulus prædicat. Respondens autē spiritus nequam dixit illis: Iesum noui, & Paulū scio, vos autē qui estis? Et insiliēs in eos homo, in quo erat dæmonium pessimum, & dominatus amborum inualuit contra eos, ita vt nudi & vulnerati effugerent. Cæterùm quod populus hic dicit præ admiratione. Quænam doctrina hæc noua? Non est, vt Lutherani pro se dictum existimēt, aut hac lege suā hæresim defendere velint: Neq; em̄ ideò doctrina Christi noua erat, qa populo noua videbaē, sed verè vetus erat, quandoquidē Christus oīa & fecerit & docuerit juxta Mosen & Prophetas. Neq; ideò damnatur doctrina vlla, quia noua est, (nihil enim vetus est, quin nouum fuerit olim) sed

Insidiæ & techinæ mali gni spūs & inuidentia. Sap. 2. Matt. 18

Matt. 13

Obser.

Obser.

Quare nō pas sus satha nā loqui

De diuinatiōe dæmonū vide Tert. in Apolo. cap. 22. pag. 655

Act. 19.

Obseru. De doctrina Lutherana.

ideo damnatur quia impia est, & singularis. Veterique doctrinæ catholicæ aduersa. Adde, quod aliud est Christũ filium Dei nouã doctrinã proponere, & hoiem immundũ, nouum & inauditũ dogma ceu oraculũ quoddam mundo obtrudere. Et quandoquidẽ suum dogma negãt esse nouũ, assentiri cogor, & reipsa nouũ nõ est, cũ nihil hacten⁹, vel Lutherani vel sacramẽtarij, vel Anabaptistæ proposuerint, quod nõ dãnatos Hæreticos ante multa secula, authores habuerit, quemadmodũ hoc ipsum in cap. Matth. ix. Abunde ostendimus. Sed ad sequẽtia animaduertite.

Lutheranorũ dogma non nouũ, quomodo.

*Et processit rumor statim in omnem regionem Galilææ.*

Scilicet quomodo dæmoniacũ illũ vnico verbo curârit, & quòd spiritus immundus testimoniũ dedisset, Christũ sanctum illum esse Dei. Neque enim accẽdunt lucernã & ponũt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Nec potest ciuitas abscõdi supra montem posita. Et in Psalmis est, Emittit eloquiũ suũ terræ, velociter currit sermo eius.

Matt. 5.

Psal. 147

*Et protinus egredientes de Synagoga, venerunt in domum Simonis & Andreæ cum Iacobo & Ioanne. Decumbebat autem socrus Simonis febricitans, & statim dicunt ei de illa. Et accedens eleuauit eam apprehensa manu eius & continuò dimisit eam febris.*

Fugit auram popularem.

Quod protinus egreditur synagogam, ostendere voluit se non ambire applausum & gloriam hominũ, in perpetrãdis miraculis: Longè aliter faciẽs quàm quidam qui aliquod egregiũ facinus operati, non statim foro cedunt, sed omnibus sua egregia facta ostentãt. Porrò, cum egressus esset Iesus, nõ diu versatur in publico, sed statim ingreditur cum quatuor discipulis suis, in domum Simonis, nimirum ibi cibum cũ discipulis sumpturus. Ipse enim dominus nullam propriã domũ habebat, sicut alibi dicit, Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet. Ingressus ergo domũ Simonis, admonent eum discipuli, quod socrus Simonis, materfamiliâs decumberet & detineretur febribus, sanaret ergo illã. Et accedens Iesus, apprehẽsa manu eius eleuauit eam, & statim dimisit eam febris, sic vt iuxta Matthæi & Lucæ Euãgelium, omnino pristinæ sanitati restitueretur, nullásque reliquias pristinæ infirmitatis sentiret, verùm surgens ministraret Iesu & discipulis eius. Et vide dæmoniacum nõ tangit, sed vnico verbo spiritum immundum eijcit: Socrũ autem Simonis, manu apprehendit, & iuxta alios Euangelistas, stans super eam imperat febri vt relinquat bonam mulierem. Sic in minimis miraculis maiori vtitur circũstantia, pluribus item ceremonijs, vt ita loquar, sed in maximis omnia simplicissimè agit, vt videas eum non semper facere quantum possit, sed quantum velit. Adiunge his quod pro dæmoniaco nemo rogat, pro socru aũt Petri, discipuli intercedunt.

Matt. 8.

Luc. 4.

*Vespere autẽ facto cum occidisset Sol, afferebãt ad eũ omnes malè habẽtes, et dæmonia habentes, et erat omnis ciuitas congregata ad ianuã. Et curauit multos qui vexabantur varijs languoribus, et dæmonia multa eijciebat, & non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum.*

Et in principio huius capitis dixim⁹ Euangelistas nõ omnia & singula Christi opera descripsisse, sed multò verius nobis tantũ gustũ aliquẽ dedisse. Præsens aũt historia demõstrat, Christũ nullo tẽpore credẽtib⁹ succursurũ. Nõ enĩ arbitramur Euãgeliographũ, frustra Chronographia vsum, cum dicit. Vespera iã facta, quãdo sol occidisset, quasi diceret, an nõ adfabilis, an nõ benignus heros Christ⁹, q eo tẽpore, quo nemo nõ laborũ ptæsus, domi suæ se quieti tradit, à laboribus supsedet, hoĩbus operã suã impendere non grauat, id est, quod

Vespere

nos

nos certè cõsolari debet. Nam quoties
quoties fiducia vera Christi opẽ implo
rauerim⁹, opẽ eius nos sensuros hic do
cemur. Tũ quãdo etiã in extremis affli
ctionib⁹ versamur, adeò vt iã vespera
sit, oẽs de nobis, de salutéq; nostra des-
sperent, tũ tandẽ Christus solet suã ex-
erere potestatẽ. Deinde hic cõsidera ba

Baiulorũ fides & charitas.

iulorũ & fidẽ & charitatẽ. Fidem, quod
credunt Christum oẽs posse & velle sa
nare: charitatẽ, quòd oẽs male habẽtes
ad Christum ferre nõ dubitant. Porrò,
vt baiulorũ hic fides ostendit̃, ita etiam
valetudinariorũ fides magna declarat̃.
Nam cui verisimile videri potest. Va-
letudinarios passutos fuisse, se ad Chri
stum perduci, nisi firma fiducia, se eius
ope, morbis defuncturos credidissẽt. Si

Mysticè

hic mysticum sensum etiã admittimus.
Vespera, siue solis occubitus, passionẽ
mortẽq; significat illius, q dixit: Quàm

Ioan. 9.

diu sum in mundo, lux sum mundi. Et
sole occidẽte, plures dæmoniaci quàm
ante, plures sanant̃ ægroti: Quia qui
tẽporaliter in carne viuens paucos Iu-
dæorũ docuit, calcato regno mortis,
omnibus per orbẽ gentibus, fidei salu-
tisq; dona transmisit. Quare Christus
de se testificari dæmones nõ passus fuè
rit, iã paulò ante dictum est, scilicet vt
doceret nos, ne crederemus eis, etiam si

Act. 16

vera dicant. Inde & Paulus prohibuit
spiritum Pythonicũ dicẽtem. Homines
illos esse seruos Dei altissimi. Adiungã
& hoc quod ad historiæ fidem attinet,
scilicet quod non absq; causa addiderit

Quare vespere adducti infirmi.

Marcus, adductos sole occiduo infir-
mos, sed quia putabant Pharisaico ani
mo, nõ licere culpiã sanare die sabba-
ti, & eius gratia expectabãt vsq; ad oc-
casum: Qua de re & alibi.

*Et diluculo valde surgẽs, egressus abijt
in desertũ locum, ibiq; orabat: Et prosecu
tus est eũ Simon, & qui cum illo erãt: Et
cũ inuenissent eum, dixerunt ei. Quia om
nes quærunt te, Et ait illis. Eamus in pro-
ximos vicos & ciuitates, vt & ibi prædi
cem: ad hoc enim veni. Et erat prædicans
in synagogis eorum in omni Galilea, &
dæmonia eijciens.*

Non opus quidẽ est, vt pluribus in-
terrogemus quare nam dominus egres
sus sit tam mane in desertũ locum, cum
Marcus dicit eũ ibi orasse, hoc est, patri

Gratiarũ actio etiã oratio est. Si nõ habemus, oramus & accipiamus, si habemus gratias agimus pro eo quod habem⁹

cœlesti gratias, pro more suo egisse. Ne
que enim solum oramus cũ aliquid à
Deo petimus, sed etiam cum ei gratias
ꝓ susceptis beneficijs agimus. Et magis
credẽdũ est, quòd Christ⁹ nobis exẽplo
esse voluerit sua oratione, quàm q ipsi
vlla petitiõe opus fuerit. Docuit ergo,
vt si quid beneficij in ꝓximos nostros
cõtulerimus, non inde extollamur, sed
multò magis Deo, q nobis benefaciẽdi
gratiã dedit, gratias agamus. Nullus au

Locus oratiõi aptus. Desertũ

tem locus orationi diuinisq; laudibus
magis aptus est, q̃ desertus. In deserto
porro est, nõ tantùm, qui in abdito ali-
quo loco est, sed qui à voluptatibus hu
ius mundi & prauis cogitationibus li-
ber est. Sequit̃ quod & discipuli & vul-

Quærẽdus dominus. Cur noluerit repetere Capharnaum.

gus eũ quæsierint, hoc & nos admonet,
ne vnquàm libenter patiamur nos à
Christo auelli. Quod noluit reuerti in
Capernaũ ea potest esse causa, ne incre-
duli multa videntes miracula postea
atrocius punirentur. Postremò testa-
tur Christus se non venisse, vt Iudæos
à Romanorum iugo eximeret, sed vt
eis Euangelium regni cœlistis prædi-
caret.

*Et venit ad eum leprosus deprecãs eũ,
& genuflexo dicit: Si vis potes me mun-
dare: Iesus autẽ misertus eius extẽdit ma
num suã, et tangens eum ait illi: Volo, mũ
dare. Et cum dixisset, statim discessit ab
èo lepra, & mundatus est. Et cõminatus
est ei, statimq; eiecit illũ, & dicit illi. Vi-
de nemini dixeris. Sed vade ostẽde te prin
cipi sacerdotũ, et offer pro emũdatiõe tua
quæ præcepit Moyses in testimoniũ illis.*

Tam multa de hoc miraculo in Mat
thæo nr̃o dixim⁹, vt pigeat iã pluribus
tractare, tã pulchra aũt hic omnia sunt,

vt non possum his posthabitis præterire. Quantum ergo ad historiæ ordinem attinet, Matthæus subindicare videtur, quod leprosus hic occurrerit Iesu cum post longum illum sermonem in monte habitum de monte descendisset. Omninò enim prudens fuit ille leprosus, qui sermonem domini noluit imprudens interrumpere, neque se vulgo contra legis præscriptum adiungere. Sed expectans sermonis finem, & deinde oportunitatem nactus, genu flexo deprecatur Christum, dicens, Si vis potes me mundare. De potestate non dubitat, sed de voluntate. Omnia siquidem potest Deus, sed non omnia vult. Ei autem subest cum voluerit posse: & nos nobismetipsis persuadere debemus Deum nihil aliud velle, quam quod nouit nobis prodesse. Vnde non imprudenter, neque temerè nos & nostra omnia Dei committimus voluntati potius quàm potestati. Nouerant & tres illi pueri Deum quidem posse ipsos de camino ignis liberare, sed an vellet nesciebant. Dicunt itaque, ecce Deus noster quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis ô rex liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi rex, quia deos tuos non colimus, & statuam auream quam erexisti non adoramus. Hactenus recensuimus verba puerorum, & vide quia non dicunt, vult Deus nos liberare, sed potest. Neque dicunt, si non poterit, sed si noluerit, &c. Et tali ratione intelligenda sunt verba leprosi: Domine, si vis potes me mundare. Quod autem Christus leprosum tangit ideò fit, vt ostendat se super legem esse, neque posse coinquinari tactu lepræ. Nam non aliis prohibitum est tangere leprosos, quam iis qui tactu immundi fieri possunt. Quod dicit Christum eiecisse illum, ostendit, quòd vi quasi illum à se repulerit. Nam locus subindicat, quòd leprosus videns carnem suam mundam, voluerit statim adhærere Christo. Hoc nolebat Christus, sed iussit vt ostendens se sacerdoti legi satisfaceret, iuxta Mosi præscriptum. Quod sequitur paucis absoluemus.

Quando leprosus curatus sit.

Sap. 12.

Dan. 3.

Quare tangit Christus leprosum

*At ille egressus cœpit prædicare, et diffamare sermonem, ita vt iam non posset manifestè introire in ciuitatem, sed foris in desertis locis esse: & conueniebant ad eum vndique.*

Vulgatissima est apud doctos sententia, Gloria fugientem sequitur, ambientem fugit. Christus à se repulit eum quem à lepra mundauerat, ne videatur ambire laudem, & sibi maximè ex hoc facto placere, sed leprosus ille pergens, nimirum postquam se ostenderat sacerdoti, & hoc vbique spargit in vulgus, vt vndique ad eum confluerent homines. Dicet hic quispiam, Duo iussus est hic leprosus, vt & sacerdoti sese offerret, & hoc factum non euulgaret, quur ergo in altero præstitit quod erat iussus, in altero neglexit domini præceptum? Quoniam alterum pertinebat ad confirmandam miraculi certitudinem, vt sacerdos ignarus, à quo sanatus esset, pronunciaret de perfecta sanitate per Iesum restituta, qui fortasse calumniaturus fuisset Iesu beneficium, si priusquam pronunciaret, autor beneficii fuisset cognitus. Sed confirmato per sacerdotis sententiam miraculo, ad Dei gloriam pertinebat diuulgare. Quare igitur Iesus iussit sileri, quod voluit diuulgari? Nimirum vt nos admoneret, ex benefactis nostris, quæ Deus operatur per nos, non esse quærendam gloriam apud homines, quæ ea speciosior sequatur fugitantem: Magni animi est, sic dare beneficium, vt ab eo cui das, nolis tibi gratias agi, contentus iuuisse proximum. Cæterùm hoc maiore studio prædicari debet apud omnesque beneficio adiutus est: Nam ex Catone pueris hæc præscribuntur: Officium alterius multis narrare memento. Tu si fortè cui benefeceris ipse sileto. Neque igitur putandum est, quasi leprosus ille contempserit Dei iussa, sed immensa lætitia de sanitate reddita, & impotens quidam amor erga salutis autorem, non patiebatur illum silere. Quid autem est consequutum ex huius hominis prædicatione? Tanta de Iesu nata est omnium hominum opinio, vt iam ob turbam affluentium non posset palam ingredi ciuitatem, quemadmodum consueuerat,

Quæstio

Quare iussit dominus leprosum silere.

sed cogerẽ, vitatis vrbibus, in desertis locis versari. Sed ne lõgius quàm par est his immorer, præstat huic pri mo capiti finem imponere. Ad vlteriora comitetur nos Iesus Christus Dei filius. Amen.

## CAPVT SECVNDVM.

*Et iterũ intrauit Capharnaũ post dies aliquot, et auditũ est quòd esset in domo, et confestim conueniebant multi, ita ut non caperent neq; ad ianuam, & loquebatur eis verbum.*

Nescio qua ratione multitudo Capernaitarũ tam auida est, audiendi verbi Christi, an bono zelo, an nouitate quadã illecta (nam vulgus ferè semper nouis capitũ.) Neque enĩ sequentia probè testãtur de ipsis, cũ Christus alibi dicat. Et tu Capernaũ, nũquid in cœlum exaltaberis? vsq; in infernũ descendes. qa si in Sodomis factæ fuissẽt virtutes quæ factæ sunt in te, fortè mansissent vsq; in hanc diẽ. Verùm dico tibi quia terræ Sodomorũ remissius erit in die iudicij q̃ tibi. Ex his ergo apparet non ex amore Christi aut ipsius verborũ ita confluxisse, sed magis nouitati studentes, aut tantũ huc respexerũt vt minus haberent infirmorũ, animarum salutẽ omnino negligentes. Nã inuenies in Euangelio, q tantum Christũ videre desiderant, vt noui aliquid ab ipso fieri videant. & hac ratione diu desiderauerat Herodes ipsum videre. Alij sequuntur vt ab infirmitate corporis tantùm liberentur, hoc animo videntur ingrati illi nouem leprosi accessisse. Inuenies qui gratuitò cibari à Christo, eundẽ comitantẽ, aut sequũtur. His dicit Christus, Amen amen dico vobis quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. Minor numerus est eorũ qui vero animo accedant, nimirum vt sit mens sana in corpore sano. Hinc est vt Christus nũc alium vult discipulum, alium nõ vult. Exempli gratia. Accedit quidam adolescens dicẽs, Magister sequar te quocũ que ieris: Hunc non vult Christus, sed dicit, Vulpes foueas habẽt, & volucres cæli nidos. &c. Alio dicit sequere me, cum autẽ ille recusat dicẽs, Dimitte vt prius sepeliam parentes meos. Audit à domino. Dimitte mortui sepeliant mortuos suos, tu autẽ vade & annũcia regnũ cælorum. Adijciã & aliud ex Lucæ Euãgelio, quòd cũ turba multa quã pauerat esset cum Iesu, ait illis. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Et Lucæ. xiiij. Ibant turbæ multæ cum Iesu, & conuersus dixit ad illos, Si quis venit ad me & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, &c. adhuc autem & animã suã, nõ potest meus es discipulus. Qua si diceret. Non omnis qui me sequitur pedibus corporis, verè meus est discipulus. Nemo igitur se mihi iungat, nisi paratus ad eadẽ, ad quæ ego propero, Omnibus humanis affectibus renunciet oportet, qui volet perpetuus meus esse discipulus, &c. In tãta igitur animorum diuersitate quid certi de Capernaitis dicere possumus? maximè autẽ propter sequentem domini comminationem, quam supra posuimus. Verùm quocunq; tandẽ animo Capernaitæ ad Iesum sic agmine quodã confluxerint, siue bono animo, quem postea mutauerint, siue diuersa ratione, nostrũ erit bono & pio studio confluere vbi Christi verbum esse agnouerimus. Et vtinã in nostris cõcionibus tam frequẽs esset multitudo auditorũ, vt ne vestibulum quidem capere posset. Sed hac de re in multis alijs locis copiosius.

*Et venerunt ad eũ ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur. Et cũ nõ possent offerre eũ illi præ turba, nudauerũt tectũ vbi erat, et patefaciẽtes submiserũt grabatũ in quo paralyticus iacebat.*

Hæc confirmant illa verba Marci, quibus iã dixerat, cõgregati sunt adeò multi vbi Iesus erat in domo, vt iã nõ cape-

Matt. 11. Quæ es vsq; in cœlũ exaltata, vsq; ad inferos detrahæris. Luc. 13. Luc. 17. Ioan. 6. Matt. 8. Luc. 9. Luc. 14. Obiect.

caperent eos, nec illa loca quæ erãt circa ianuam. Huic certe iam conuenit, quòd ait quatuor baiulos non tantum inuenisse spatium, vt possint paralyticum ad Christũ inferre, sed coacti sunt, ascẽdere tectum, & detegulare tegulas, vt sic cõmodè submitterent debilẽ ad pedes Iesu. Proinde hic animaduertendum, ardens eorum, qui laborantẽ afferebant, iuuãdi ipsum studium, quod ni mirum prodiderunt, tectũ facile adeò nudãtes & perfodientes. Sic sane si pro salute fratrum æterna singuli essemus soliciti, vt hi pro recuperãda tantũ corporali, quantò minus esset malorum morũ, & plus pietatis atq; iustitiæ? Modò nec pro nobis nec pro aliis, vt sanctè & beatè viuamus, satis soliciti sumus. Nec iam iuuat hãc rẽ pro merito exaggerare: Sed finem miraculi audite.

Obser.

*Cùm autẽ vidisset Iesus fidẽ illorũ, ait paralytico, Fili dimittũtur tibi peccata tua.*

Fides baiulorũ.

Qualem fidem habuerint baiuli obscurum non est, cũ omnem mouent lapidem, donec paralyticum ad pedes domini submittant. Quòd si nõ credidissent dñm posse salutẽ conferre infirmo, operi huic pepercissent. Neq; tamẽ fuit omnino perfecta fides eorum, qui non crediderunt absentẽ absenti posse subuenire. Huiusmodi fidem etiam habebat ille cui Dominus dicebat, Nisi signa & prodigia videritis non creditis: Sed longe perfectiorem centurio ille dicens, Domine non sum dignus vt intres sub tectũ meũ, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Habet enĩ fides gradus suos donec perueniat ad suã perfectionẽ. Vnde quidam dicebãt dño, Adauge nobis fidẽ. cæterum quẽadmodum in superioribus Dñs respiciens ad intercessionẽ discipulorũ, sanauit socrũ Petri, ita & hoc loci respiciẽs fidẽ & intercessionẽ baiulorum, ait paralytico. Fili dimittuntur tibi peccata tua. Quib⁹ certè verbis subindicat, oĩs morbi causam fuisse peccatũ, quo remisso recederet etiã infirmitas. Neq; tamen est, vt existimes oẽs morbos, hãc vnicã habere causam, hoc est, puenire ex peccatis nostris. Sũt enĩ aliæ plures causæ quas enumerare nõ possum⁹ breuiter. Quis enĩ sanctissimũ Iob existimet tã ineffabilibus afflictionib⁹ peccata luisse? Quid referam afflictiones Noe, Abraã, Loth, Isaac, & Iacob, quorũ Deũ se dominus dici voluit? Sed tamen impijs & peccatorib⁹ minatur dñs pestẽ, gladiũ, & famẽ: Vnde nõ temerè pnunciandũ est, qua causa quis hoc vel illud patiaẽ: Porrò, si tu in aliquã aduersitatem incideris, cogitare poteris, te tua luere peccata, & nõ peccabis. Alios autẽ relinquito Deo iudici: Est tñ ponere tẽpus aut locus, vbi proximorum aduersitatẽs peccatis acceptũ ferre possimus, vt cũ impatiẽtes infirmos pio aĩo castigamus dicentes: vt quid sic contra Deũ murmuras? Peiora cõmeritus es: cur nõ patiẽter feras? Sic enĩ Deo placuit tua peccata restinguere. Nunqd cõtendes cũ Deo, quod mauult te tẽporalibus afflictionibus punire, q̃ æternis cruciatibus reseruare? &c. His verbis si quis pio animo vtaẽ, nõ temerè iudicat, in occasionẽ sumit vt prosit Domino. Temerarius autẽ iudex non vult prodesse proximo, sed ipsi incommodare.

Ioan. 4. Matt. 8. Luc. 17. Morbi ex peccato. Obser.

*Erãt autẽ quidã ibi de scribis, dicẽtes in cordibus suis: Quid hic sic loquitur blasphemias? Quis potest peccata dimittere nisi solus Deus.*

Apud Lucã legimus quòd erãt Pharisæi sedentes, & legis doctores qui venerant ex oĩ castello Galilææ & Iudææ & Hierusalẽ. Hi ergo cũ audissent dñm dicere. Fili remittunẽ tibi peccata tua, statim cogitabãt in cordib⁹ suis: Quid hic loquitur? nunqd blasphemat? Quis potest remittere peccata nisi sol⁹ Deus? Hoc enĩ testaẽ omnis lex & Prophetæ: Vt quid ergo hic sibi vendicat, quod Dei solius est? Hic obseruandũ quod nihil supra hoĩem* suspicati sunt de Christo: Idcóq; & benè & malè faciũt. Benè quidẽ, quòd blasphemiã abominanẽ & gloriæ

Luc. 5. * senserunt. Et bene & malè loquunẽ Pharisæi

gloria Dei vindices sunt: Malè autē, quod ex operibus Christum ipsum nō agnoscunt, sed temerè pnunciant. Exēplo igitur Pharisæorū oportet nos omnib⁹ modis abominari blasphemos, & gloriā quæ solius Dei est alteri nō cedere:& vtinā frustra hæc admonerem⁹.

Obser. Pharisæi blasphemiā accusant vbi non est, nos blasphemos impijssimos excusare nō pudet. Deinde caueam⁹ nobis, ne temerè de quoquā iudicemus, aliàs nobis eueniet, quod euenit Pharisæis; qui blasphemiæ arguentes Christū, ipsi blasphemi facti sunt. Blasphemia siquidem est, negare Christum non habere potestatem peccata remittendi.

*Quo statim cognito Iesus spiritu suo, quia sic cogitarēt intra se, dixit illis: quid ista cogitatis in cordibus vestris? Quid est facilius, dicere paralytico dimittūtur tibi peccata, an dicere, Surge tolle grabatum tuum & ambula? Vt autem sciatis quia filius hominis habet potestatē in terra dimittendi peccata (ait paralytico) Tibi dico surge, Tolle grabatū tuum, & vade in domum tuā, Et statim surrexit, & sublato grabato suo abijt inde corā omnibus, ita vt mirarētur omnes, & honorificarent Deum dicentes, Quia nunquam sic vidimus.*

Ecce duabus rationibus probat, se posse remittere hominū peccata, alterā ipse proponit Christus, alterā nos etiā intelligere possumus. Res autē sic se habet, Pharisæi audientes Dominum remittere peccata, arguunt eum blasphemiæ. Cùm enim Dei solius est, peccata dimittere, quisquis se dicit eadem posse, aut Deus sit, aut blasphemus, necesse est. Sed iam Christus remittere vult peccata, & cum Deus non sit, iudicio Pharisæorū, blasphem⁹ certè est, Hāc rationem sic diluit Christus: Deus solus est scrutator cordium, & solus vnico verbo sanat. Ergo qui hoc propria potestate possit, hunc Deum esse manifestum est. Iam ego noui quàm de me sinistrè iudicatis in cordibus vestris, existimantes blasphemum, qui Dei filius est, ergo quod Dei solius est, ego possum. Deinde vnico verbo sanare possum morbos omnes, quod & ipsum deitatem arguit. Quid igitur iam facilius est, dicere remittuntur tibi peccata tua, an surge & ambula? Vtrunque certe dei opus est, Sed quis hoc potest? Arrogantiæ hoc est fortassis, possent Pharisæi dicere: Respondet autē dominus, Vt igitur sciatis quia filius hominis potestatem habet in terris dimittendi peccata, tunc dixit paralytico, vt surgens & sublato lectulo abiret. Ac vix edito sermone, manifesta præsentaneáque vis secuta est. Non enim paralyticus paulatim ac tandem ægrè cœpit sese mouere, sed ad Iesu vocem alacer erexit sese, quasi nunquam sensisset vllam paralysim, & sublato in humeros lectulo per confertam hominum multitudinem egressus est, nouum & antehac inuisum spectaculum omnibus exhibens: vt qui paulo ante quasi exanime quoddam cadauer à quatuor baiulis affixus lecto deportabatur, nunc gestiens & alacer, tantæ etiam sarcinæ gestandæ solus sufficeret. Datus est locus exeunti, qui negatus est aduenienti. Videntes autem turbæ hoc miraculum stupefactæ sunt, glorificaueruntque Deum qui talem potestatem dedisset homini, vt simplici verbo & peccata condonaret, & morbum aliàs insanabilem adimeret: ingenuè cōfitentes, inter omnia quæ narrarentur à sanctis superioribus peracta, aut quæ suo seculo fieri vidissent, nihil huic facto simile extitisse: verè enim multum distant opera domini, ab operibus famulorum.

Duobus rationibus probat Christus, se habere potestatem dimittēdi peccata.

*Et egressus est rursus ad mare, omnisque turba veniebat ad eum: & docebat eos. Et cum præteriret, vidit Leui Alphæi sedentem ad telonium & ait illi, sequere me, & surgens secutus est eum.*

Rursus dominus concedit ad mare, tũ vt inuidiam Pharisæorũ declinaret, tum etiam, vt aduenientem turbam illam magnam, commodius docere posset. Sic alibi legimus dominum ascendisse in nauiculam, & ob turbæ multitudinem è nauicula concionem habuisse. Et fortassis dominus tam frequens accessit ad mare propter peregrinos & aduenas qui subinde venerant: Sed in his nulla difficultas. Tantũ hoc est obseruandum, quia Christus in ciuitate, in domo, ad mare, in montibus: breuiter, vbique inuenitur salutem hominũ operans, & nostrum est ipsum fidelissimè imitari, cuius rei exemplum iam continenter sequitur. Ait siquidẽ euangelista noster: Et cum præteriret Iesus, vidit Leui Alphæi sedentẽ in telonio, & ait illi, sequere me: & surgens sequutus est eum. His verbis dominus Petrũ & cæteros piscatores vocauerat, & ipsi quàm celerrimè sequuti sunt, relictis omnibus quæ habebant. Imo ipsis probis piscatoribus nõ vulgare qd, (nimirum ipsos fore piscatores hominum) promiserat vt sequerentur. Improbo autem teloni, nihil omnino promittit, sed tantum iuber dominus se sequi: & statim sequitur, nulla cõuentione prius habita, vel de ministerio, vel de mercede. Quid existimas hic Pharisæos cogitasse? cum Christus publicanum etiam ad se vocat, & suæ adiungit sodalitati? Statim audies, si prius animaduerteris quàm efficax sit Christi ipsius verbum, quo tam facilè ex telone Apostolum & Euangelistam facere potest. Maius certè miraculum est hoc, quàm sanasse paralyticum quantumuis desperatum. Rogandus ergo est dominus, vt ipse nobis ad cor loquatur, donec paremus nos in occursum saluatori nostro.

Luc. 5.

Obser.

Matthæi vocatio.

Præbuerunt gustum potius, q̃ plenius oĩa descripserint.

Eccete 11. horæ diei.

*Et factũ est cum accumberet in domo illius, multi publicani et peccatores simul discumbebãt cum Iesu & discipulis eius: erãt enim multi, qui & sequebãtur eum.*

Lucas scribit, Et fecit ei Leui conuiuium magnũ in domo sua, & erat turba multa publicanorum & aliorũ qui cum illis erant discumbentes. Porrò id hominum genus, publicanorum puta, quanquàm vbique est populo inuitũ, tamen apud Iudæos peculiariter habebantur abominabiles. Redimunt enim iniqua summa munus à principe, eóque ferè, quo plus lucri faciant, inclementer extorquent ab omnibus, odioséque negotium facessũt nautis & viatoribus, quibus nonnunquam aliunde est satis incommodi. Erant enim apud Iudæos plurimi, qui negabãt Iudæos, populum Deo sacrum, pendere tributum oportere Cæsari, profano principi, & idolorum cultori. Hinc factũ est, vt publicanos vehementer execrarentur. Porrò nullus morbus, siue corporis siue animæ, domino Christo est insanabilis: hinc non difficilè fuit vnico verbo efficere, vt & Matthæus à malo desisteret, & alios ad simile exemplum adhortaretur. Haud dubiè enim Matthæus non alia ratione conuocauit cæteros publicanos, quàm vt & ipsi Christi doctrina prouocati relinquerẽt mũdum, & Deo inseruirent. Sicque statim in principio suæ cõuersationis pulchrum specimen dedit, qualis postea futurus esset. Tũ vocabat verbis, nunc scriptis conuocat ad conuiuium Christi, dum in vniuersa ecclesia eius euangelium celebre est. Hoc exemplum imitandum est omnibus pijs, vt quoscunque lucrari possint Christo lucrifaciãt. Sunt enim alij multi impij qui proximos ad simile scelus conuocare solent, ne nõ similes habeant labra lactucas.

Luc. 5.

Publicanus.

Mat. 22.

Quare Matthæus vocauerit publicanos ad cõuiuium.

*Et Scribæ & Pharisæi videntes quia manducaret cum publicanis & peccatoribus, dixerunt discipulis eius. Quare cũ publicanis & peccatoribus mãducat & bibit magister vester? Hoc audito Iesus ait illis. Non necesse habent sani medico, sed qui malè habẽt. Non enim veni voca*

*re iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.*

Nusquam desunt Scribæ & Pharisæi qui calumnientur domini & dicta & facta: facilè sumunt conuiciandi occasionem, cum non quærunt quid dicant, sed tantùm vt dicant. Ipsi pharisæi sibi videbantur omnium sanctissimi, ideóque ne contaminarentur, publicanos & peccatores ne alloquio quidem dignabantur, nedum tactu. Hinc est, quòd cum quidam Pharisæus Christum inuitauerat, & huic conuiuio se Maria illa peccatrix adiungeret, & oscula175retur pedes Christi, cogitabat Pharisæus intra se: Hic si propheta esset, sciret vtique quæ & qualis esset hæc mulier. Existimabat enim, quòd si nouisset Christus peccatricem, nō admisisset illam ad contactum pedum. Sic & hoc loci calumniantur Christum, vt qui indigna se fecerit. Manducat enim & bibit, cū publicanis & peccatoribus: Horrendum scilicet, sed considera obsecro quàm saucia & trepida conscientia omnia faciunt. Non audent Christo facilè aliquid in faciem exprobrare: Cùm remittit infirmo paralytico peccatum, in cordibus suis cogitāt, Hic basphemat: Iam cum manducat cum publicanis, non aggrediūtur ipsum Christum, sed rudes discipulos, qui videbantur facilè abduci posse à præceptore, & dicūt eis: Quare cum peccatorib⁹ & publicanis māducat & bibit magister vester? Quā ob rem, inquiunt, magister vester, quē vos, deserto Ioanne, vt sanctiorem sequimini, peccatorum conuiuā est, cùm mensæ cōmunio summæ familiaritatis sit inditium? An non legitis quod scriptum est, Cum sancto sanctus eris, cum peruerso peruerteris? An nō cogitat quòd hac cōsuetudine addit animos peccatoribus, qui vitati fortè resipiscerent? Hæc Pharisæorum calumnia volebat, & videbantur sibi non pœnitendam habere occasionem, qua & Christum traducerent, & ipsum discipulis spoliarent. Porrò Iesus, quem nec voces clancularıæ, nec cogitationes occultæ pharisæorum latebant, pro discipulis respondit: Non necesse habent qui sani sunt medico, &c. quasi diceret: Quid obmurmuratis Pharisæi, quòd cum his quos vos pro impijs & abominandis ducitis, agito, conuiuia potiùs, quàm cum Sacerdotibus, Scribis, & Pharisæis? Laudantur medici, qui sani cum vocantur, adeunt ægrotos: & ego culpor quòd eos adeā, qui morbum agnoscunt animi sui, & medicum desiderant? Qui prospera valetudine sunt, non expostulant cum medico dicentes: Quur inuisis illos & illos, & nos non inuisis? Etenim hi qui valent non indigent medico: at medicorū ars his debet esse parata, qui malè habent: Ergo qui medicus sum, ab eis vocor qui infirmi sunt, & cum his mihi res est. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores: non vt peccatores maneant, sed ad pœnitentiam vocare. His verbis inest ironia quædam, & obliquè perstringit fastum Pharisæorum, qui sibi videbantur iusti, cum nihil minus essent: Vult ergo dicere: vos iusti estis, scilicet, rectè ergo me non desideratis, &c. Sed iniuria reprehenditur medicus, si id facit quod profitetur ars: & in signis est inhumanitas eorum, qui cum sani sint, medici præsentiam inuident ægrotis.

Luc.7. — Psal.17.

*Et erant discipuli Ioannis & Pharisæorum ieiunantes, & veniunt & dicūt illi. Quare discipuli Ioannis & Pharisæorum ieiunant, tui autem discipuli non ieiunant?*

Ex euangelio Matthæi intelligimus discipulos Ioannis domino hanc quæstionem proposuisse. Ad maiorem autem huius rei intelligentiam obseruandum est, quòd Pharisæi, & hos imitati Ioannitæ, peculiares dies sibi præscripserant in quibus ieiunarent, vltra præscriptum legis, sicq; viderentur cæteris hominib⁹ sanctiores. Porrò, Christus cum

Obser.

cum diſcipulis ſuis horũ nihil morabatur, ſed quæ magis & propius ad verã pietatem faciunt, horum nihil negligebat. Cùm igitur diſcipuli Chriſti non ieiunant, neque Chriſtus ipſe, ſubornantur diſcipuli Ioannis à Phariſæis vt aggrediantur Chriſtum, arguentes quare hunc luxum in diſcipulis nõ emendaret. Hoc autẽ faciunt, vt eodẽ argumento & Chriſtum qui cum poteſt emendare, tamen patitur, & diſcipulos qui non ieiunant calumnientur: Aut vt cum priori dolo non potuerũt diſcipulos à domino abalienare, abalienent dominum à diſcipulis. Et vide quomodo ora venenati poculi melle circumliniunt, ac ſi condolerent Chriſto, cui dedecori ſit luxus diſcipulorũ. Neque tamen ſuam probitatem celãt dicentes: Nos, Ioannis diſcipuli, & Phariſæorum diſcipuli ieiunamus, tui autem diſcipuli, qui maius quid de ſe pollicentur, non ieiunant. Obſerua item indolem inuidorum & calumniantiũ: Cùm videtur Chriſtus peccare, apud diſcipulos illum traducunt, cùm verò diſcipuli videntur peccare, non ipſis exprobrant, ſed ad Chriſtum referunt. Tale ſtudium detractorum eſt, qui malunt proximum perdere, quàm ſanare. Pij autẽ cum viderint proximum peccare, non dilacerant famam ipſius apud proximos, ſed candidè ipſum ſui admonent officij. Et hoc eſt quod docet Chriſtus dicens: Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe inter te & ipſum ſolum, & ſi te audierit lucratus es fratrem tuum, & cætera quæ apud Matthæum ſequuntur. Porrò hic obſeruandum eſt, ieiunare bonum eſſe, ſed ſibi de hoc blandiri, & ſanctimoniæ opinionẽ apud vulgus velle cõparare, hoc tandẽ malum eſt. Et tales ieiunatores hactenus multos vidit mundus, qui aliquo tempore tantùm abſtinentes à carnibus, videbantur ſibi omnium religioſiſſimi: ſed præſtaret non ſolùm à cibis bonis, ſed & malis moribus abſtinere. Sed audi qua ratione Chriſtus patrocinetur ſuis diſcipulis.

Obſer.

Ex feris coruus, ex acuri bus detractor.

Matt, 18

Ieiunare

*Et ait illis Ieſus. Nunquid poſſunt filij nuptiarũ quãdiu ſponſus cum illis eſt ieiunare? Quanto tempore habent ſecũ ſponſum, non poſſunt ieiunare: venient autẽ dies, quum auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt in illis diebus. Nemo aſſumentũ panni rudis aſſuit veſtimẽto veteri: alioquin aufert ſupplementũ nouũ à vetere, & maior ſciſſura fit. Et nemo mittit vinũ nouum in vtres veteres: alioquin dirumpet vinũ vtres, & vinum effundetur, & vtres peribunt: ſed vinum nouum in vtres nouos mitti debet.*

Omnia hæc ſunt parabolica, & vt apparet, vulgi prouerbia, quæ ſignificent, non omnia omnibus, vel omni tẽpore cõuenire. Quis enim impudentiã illorum & præpoſterum ſtudium ferat qui nuptiarum tẽpore, ieiunare vellet, cum oẽs cæteri lætarentur. Tempus ridendi, & tempus lugendi, tempus edendi & tempus ieiunandi: & omnia ſuum tempus habent, iuxta dictũ Sapientis: Nec oĩa omnibus cõuenire, certiſſimũ eſt: & quod iam abſurdum eſt, poſtea amœniſſimum erit. Circunciſio ante inſtitutionẽ ſtulta erat, poſt præſcriptũ & ſub lege neceſſaria: poſt legem, tempore ſcilicet gratiæ, impia & nociua. Ergo dominus clamat, Maſculus cuius præputij caro circunciſa non fuerit, delebitur anima illius de populo. Apoſtoli vox eſt, Si circũcidimini Chriſtus vobis nihil proderit. Aliud exẽplum: Petrus apoſtolus aĩam ſuã poſiturus pro Chriſto ante Chriſti paſſionẽ, ſtultè facit: poſt Chrĩ aſcenſionẽ, pium eſt votũ. Sic cũ apoſtoli adhuc habebãt ſecũ Chr̃m, nõ opus habebãt ieiunare, neq ratio temporũ patiebatur. Cogebãtur enĩ ſemp cũ Chriſto vltro citróq ambulare: nec tam ſpirituales fuerant, vt liberè ſuaptéque ſpontè ieiunarẽt: ſed poſt aſcenſionem Chriſti aliter agere vides. Summa igitur omniũ eſt, quòd

Eccleſ.3.

Gen.17.

Gal.5.

Io.13.

hoc tempore noluit dominus apostolis praescribere, quae post suapte sponte facturi erant: Et quod in praescribendis legibus ratio habenda est eorum, quibus aliquid praescripturus es. Neque enim omne pharmacum singulis morbis prodest. Iam cum dominus ait discipulos suos hoc tempore non ieiunare, sed olim, hoc est, post passionem suam ieiunaturos, suapte sponte nimirum. Qui fit vt quidam nouitatis studiosi dogmatizant, omne quod fiat citra Dei praeceptum, & quod nobismetipsis placeat, peccatum esse: haec ergo sola facienda, quae domini praecepto iubemur: Hoc quàm friuolum & impium sit, vtriusque testamēti authoritas abundè docet. Dauid citra praeceptum domini Ephodt indutus corā archa domini saltat, Si quid peccauit hoc facto, quare *Micol sterilitate percussa est, quia illum riserat, & non potius Dauid cui haec saltatio praecepta non fuerat? Quid referam Rechabitas, qui ex praecepto patris non biberunt vinum, & caet. Hoc quàm placuerit domino, apud Hieremiam videre poteris. Venio ad nouum testamentum, vt ex plurimis pauca referā: Quis iussit Mariam illam domini pedes & caput vngere? Dic item, peccauerúntne Mariae illae tres quae ipsa nocte dominicae resurrectionis petierunt sepulchrum vnctura domini corpus? Sed maximè omnium huc facit, quod apostolus Paulus ait, Dominus sic ordinauit, vt qui euangeliū annunciant, de euangelio & viuant. Et deinde in multis locis testatur se noluisse hac domini ordinatione vti. Haec veluti probè obseruarent, qui quicquid in buccā venit, temerariè effutiunt: Sed tam impotens est haereticorū odium in Christi ecclesiam, vt omnis & honesti & decori nullam rationem habeant, neque conentur vinum nouum, sed vappam venenatam veteribus vtribus infundere. Verùm pij facilè videre & nosse possunt, quàm dedecorosum sit huiusmodi rudes pannos integrae tunicae Christi assuere.

Non oīa omnib⁹ conueniunt.

An oīa quae praeter praeceptum dñi facimus, peccata sint

2.Re.6.

Michal.

Hier.35.

Ioan.11.

Luc.24.

1.Cor.9

*Et factum est iterum cum dominus sabbatis ambularet per sata, & discipuli eius coeperunt progredi & vellere spicas, Pharisaei autem dicebant ei: Ecce quid faciūt discipuli tui sabbatis, quod nō licet?*

Rectè & meritò dicit dominus alibi Pharisaeis: Vae vobis Scribae & Pharisaei, qui decimatis mentam & anethū & cyminum, & reliquistis quae grauiora sunt legis, iudicium & misericordiā, & fidem. Haec oportuit facere & illa non intermittere. Duces caeci excolantes culicem, camelum autem glutientes. Quae enim haec est praepostera religio, calumniari in bonis discipulis, qđ magis commiserationem flagitabat. Sed rectè hoc factum, ordine proximè auditum sequitur, vt sic & discipulorum innocentia, & Pharisaeorum malitia aperiatur. Iam enim accusarunt discipulos, quòd non suo exemplo ieiunarent: iam ergo vide an contempto ieiunio genio indulserint, cuticulámq; plus aequo curarint. Factum est, inquit Marcus, cum dominus sabbatis ambularet per sata, & discipuli eius coeperunt progredi & vellere spicas, non vt seruarent aut secum ferrent, sed vt manducarent, quemadmodum Matthaeus docet. Ecce mirum luxum, intolerabiles commessationes. Impij illi helluones, apostoli scilicet, vsq; adeò se ingurgitarunt, vt iam euulsis spicis, contritis granulis famem depellere possint. Dicunt enim Christo: Ecce discipuli tui faciunt sabbatis, quod non licet. Omnibus noua doctrina tua insultas, cur non & in tuos discipulos saeuerus dictator es? Quid tibi negotij est, cum his impijs qui sabbatum violant, sicq; doctrinam tuam malè audire faciunt? Nam quemadmodum discipulorum probitas commendat praeceptorem, ita malefacta solent his imputari qui

Matt.23

Ironicè.

Obser. qui instituerunt. Obserua hic in Apostolis temperantiæ exemplum, qui & si nullos dies præscriptos ieiuniorum habuerunt, tamen dictu mirum quàm parcè vixerint. Et certè quisquis tā moderate victitat, huic non opus est iniungere, præscriptū ieiunandi tempus. Sed vide qua ratione Christus bonis discipulis rursus patrocinetur.

Modestia & téperantia.

Ingens telū necessitas.

*Et ait illis: Nunquid legistis quid fecerit Dauid quādo necessitatem habuit, & esuriit ipse & qui cum eo erant, quomodo introiuit in domum Dei sub Abiathar principe Sacerdotū, et panes propositiōis manducauit, quos non licebat manducare nisi solis sacerdotibus, & dedit eis & qui cum eo erant? Et dicebat eis sabbatū propter hominem factum est, & non homo propter sabbatum. Itaq; dominus est filius hominis etiam sabbati.*

Duobus argumentis & his quidem fortissimis patrocinatur Christus discipulis. Primum est ab exemplo, & sic se habet: Accusatis discipulos meos, quasi faciant quod non liceat facere sabbatis. Cur non eadem ratione accusatis Dauidem, qui ipse fecit quod vestro iudicio non licuit. Lex siquidem solis sacerdotibus permittit panes ppositiōis ad edendū, Dauid autem comedit. Nec quicquam hic inficiari licet, sic enim scriptum est, & sic legistis. Sed Dauid necessitate & fame compulsus fecit: Quid tum? Et mei discipuli neque luxu neque animi gratia faciunt, sed fame cō adacti: Sed Dauid & rex & ppheta erat, possent obijcere Pharisæi, tui autē discipuli qui sunt? Responsio in promptu est, Dauidem non solum, sed & omnes milites qui cum eo erant, manducasse: Quod igitur militibus licuit, discipulis cur non licebit? Ad hoc, lex præscribit ne præter sacerdotes quispiā vescatur panibus sacris, sed nulla lex prohibet euulsas spicas edere. Ex his ergo patet, quod ea quæ prohibita sunt, aliquando relaxari possunt. Sed, vt & hoc propter temerarios nouatores admoneam, diligenter hic obseruandum venit, quod Dauid cum suis, nō admouere temerarias manus, sed prudenter egerunt cum sacerdote, & eius mandatis obtemperarunt. Altero argumento patrocinatur discipulis, docens nō esse illicitum sabbatis, euulsis spicis granula manducare. Dicit autem in hæc verba. Sabbatum propter hominem factum est, & non homo propter sabbatum: Hoc est, sabbatum constitutum & præscriptum est, vt esset vsui homini, non vt hominem perderet. Quod si religio est aliquo modo vitæ consulere, certe in detrimentum vergeret sabbati institutio. Sed quis te interpretem legis cōstituit ô bone? possent obijcere calumniatores. Huic respondet ipse Christus. Filius hoīs, etiam sabbati dominus est: Si dn̄s est sabbati quē instituerit, meli⁹ omnibus nouerit, qua ratione vel violetur vel sanctificetur. Sic ergo excusati sunt discipuli: tum quod quæ aliàs non licent, tempore tamen necessitatis licita sunt: tum quod illicitum non erat sabbatis vesci granis spicarum: postremò quod dn̄m sabbati secū haberent. Obseruandum hic quo tendere debeant omnes omniū hominum constitutiones, cum sabbatum propter hominem factum sit, nimirum vt cōmodo sint & inseruiant hominum saluti, de quo fortassis alibi plura. Iam sit huius cap. ij. finis nobis concessus, gratia & fauore domini nostri Iesu, omnium bonorum largitoris. Amen.

Obseru.

Obser.

## CAPVT TERTIVM.

*ET introiuit iterum in synagogam, & erat ibi homo habens manum aridam, & obseruabant eum si sabbatis curaret, vt accusarent illum. Et ait homini habenti manū aridam. Surge in medium.*

Et dominus perpetuo est sui similis, nec Pharisæi latū vnguem à sua indole disce-

discedere volunt, sed conantur pertinaci sua malitia benignitatem domini obfuscare. Dominus Iesus, inquam, semper est sui similis, quia nulla inuidia, nulla detractione, nulla irrisione mouetur ad cessandum bene facere, sed rursum intrat synagogam, vbi multi nimirum conuenerant, vt & eos doceret, & sanaret: Sic enim conueniebat vt miracula testimonio essent doctrinæ. Erat igitur quidam in synagoga habens manum aridam, fortassis suapte sponte hic expectans medicum Christum, aut subornatus à Pharisæis vt Christus haberet causam medendi, ipsi autem calumniandi. Ait enim Marcus, Et obseruabant eum si sabbatis curaret, vt accusarent illum, calumniatorem puta, & præuaricatorem legis. Nota singula: Aderat homo quidam miserabilis, manum, cuius opera solitus est alere seipsum ac liberos, circunferens arefactam & mancam, membrum mortuum & inutile. Nihil quidem orabat miser ille, verùm hoc ipsum erat rogare, venire in conspectum misericordis Iesu. Aderant & Pharisæi, quos oportebat misertos hominis, interpellare Iesum pro sanatione: at taciti obseruabant eum an restitueret homini manum. Nouerant enim domini clementiam vbique promptam ad opitulandum omnibus. Aderat & Iesus, de quo nihil non boni sibi pollicebatur mancus ille. De loco dicemus. Erant in synagoga vbi multi conuenerant. Habet Iesus occasionem benefaciendi multis: gratulantur sibi Pharisæi, quia putant se habere testes calumniæ. Iam & de tempore quid dicam. Erat sabbatum, in quo tantum cessabant homines ab operibus manuum, vt & requiescerent corpore, animam autem reficerent pabulo verbi Dei, & diuinis laudibus. Porrò Iesus non ignarus, (iuxta Lucæ testimonium) quæ apud sese cogitarent Scribæ & Pharisæi, compellat hominem cui manus erat arida, quóque conspicuus esset omnibus, iussit vt surgeret & prodiret in medium populi. At ille, vt statim intelligas fuisse dignum Iesu beneficio, obediens surrexit, inque omnium conspectu constitit, exhibens suæ calamitatis spectaculum.

Homo mancus

Pharisæi

Iesus.

Synagoga.

Sabbatum.

Luc.6.

*Et dicit* (Iesus) *eis* (Scribis & Pharisæis:) *Licet sabbatis benefacere, an malè? animam saluam facere, an perdere? At illi tacebant. Et circumspiciens eos cum ira, contristatus super cæcitate cordis eorum, dicit homini: Extende manum tuam. Et extendit & restituta est manus illi.*

Bona certè quæstio, ad quam plus facilè respondisset. Vult enim dicere: Noui cogitationes vestras, libens ergo à vobis didicerim qui profitemini legis scientiam, vtrum liceat sabbatis beneficio iuuare proximum, aut potius deserere proximum in calamitate, cui possis subuenire? Aut vtrum fas est vitam hominis seruare in sabbato, an perdere? Perdit autem, qui cùm possit seruare non seruat. Non fallebat illos quo tenderet hæc cornuta percontatio. Si respondissent satius esse ob religionem sabbati pati perire proximum, quàm neglecta superstitione succurrere periclitanti, non tulisset populus tam absurdum responsum. Nam & legis mandatum habet, Memento vt diem sabbati sanctifices: Quomodo autē magis sanctificari potest, q̄ misericordiæ & pietatis operib⁹? Sin respondissent licere, sibi ademissent ius calumniandi. Itaque visum est obmutescere. Porrò Iesus, iuxta Matthæi euāgelium, aliā attulit quæstionem: num quis inter illos tam religiosus obseruator sabbati, vt ouē sabbato delapsam in foueā, perire sineret, nec auderet educere: Sed nemo ad hanc quæstionem respondit. Iesus ergo circumspiciens eos cūm ira, cōtristatus super cæcitate cordis corū, dicit homini: Extēde manū

Exo. 20

Matt.12

ruam. Et extendit & restituta est illi manus. Hoc itaque exemplo docuit dominus, ob malorum deploratam peruersitatem non esse abstinendum à iuuandis proximis. Vt quid enim medicus propter incurabilem morbū vnius infirmi, omnes morbidos negligeret? Nec seminatorē deterret à seminando vnus atque alter lapis, & cæt. Aduerrendum etiam est, quomodo dominus factorum suorum rationem dicat. Neque enim semper locum habet authoritas, sed aliquando danda est dictorum aut factorum ratio. Postremò obseruandum quomodo sanctificandi festi dies: Benefaciendo scilicet proximis, & seruando animas. Sed iuxta Psalmistam: Qui facit iniquitatem odit animam suam. Et alibi: Qui operantur iniquitatem, hostes sunt animæ suæ. Sequitur.

Obseru. | Obseru. | Obser. | Psal.10. | Tob.12.

*Exeuntes autem Pharisæi, statim cum Herodianis consilium faciebant aduersus eum, quomodo eum perderent.*

Similem disputationem ante non multos annos videre licuit quibusdam bonis viris, qui à parte catholicæ ecclesiæ stabant. Sed vide inuincibilem illorum malitiam: Cùm enim se omnia frustra tentare videnr contra Christum, aggrediuntur ipsum vi perdere aut dolo, quem argumentis vincere non poterant. Miraculum euidentius erat, quàm vt negari posset: sensus cōmunis approbabat esse pium, quouis tempore succurrere saluti mortalium. Adiungunt igitur sibi Herodianos, & consultant de rebus pessimis, scilicet, quomodo Iesum perderent. Hoc apud illos religionis proceres licebat sabbato, quum religio esset homini miserabili conferre salutem sabbato. Volebant eum Pharisæi perdere, qui ipsos saluare venerat. Nisi enim illos saluare voluisset, non proposuisset ante eos sanitatis exemplum. Secretò autem consultabant, rati sic demum suum consilium latere posse eum qui omnia videt, & solus est scrutator cordium: Quòd autem illum non latuerit, audi.

Pro.2. | Rom.8.

*Iesus autem cum discipulis suis secessit ad mare, & multa turba à Galilæa & Iudæa secuta est eum, & ab Hierosolymis & Idumæa, & trans Iordanem, & qui circa Tyrum & Sydonem, multitudo magna, audientes quæ faciebat, veniebant ad eum.*

Iesus ille qui vnico capitis nutu cælum & terram posset perdere, cedit impio Pharisæorum consilio, non quasi inuitum opprimere possent, hoc enim sæpius tentārunt, sed quia nondum venerat hora eius. Et melius ei visum est nobis dare exemplum, aliquando cedendum potius malitiæ, quàm resistendum, quàm suam in aduersarios ostendere potestatem. Neque enim oportet vt Petrus Simonem magum perdat, sicut Ananiam & Saphyram: Et diuus Apostolus Elymā magum sibi resistentem cæcitate ad tempus punit, alios autem Deo iudici relinquit. Summa oportet bonum virum aliquando de suo iure cedere, maximè cum ei res est cum capitosis & iracundis viris, & semper meliora sperare. Sic tamen omnia facienda sunt, ne boni vel negligantur, vel damnum accipiant: Ita & Christus cedit quidem & locum dat inuidiæ Pharisæorum, sed præter vllius incommodum: nam turbæ ad eum vndique confluunt, quibus & euangelium prædicat. Quur enim volentes repelleret, qui iam contristatus fuerat super eos qui nolebant sanari? Et vide discrimen inter electos & reprobos. Impij Pharisæi suis oculis vident qualia operatur dominus, audiunt quæ loquatur, cordibus coguntur item ipsum innocentem fateri, sed nihilò meliores fiunt. Turba autem illa quam Marcus describit, rumore tantum percipit

Iob.12. | 2.Mac.8 | Act.8. | Act.4. | Act.13. | Obseru.

quæ

quæ fiant à Iesu, confluunt vndique, non iudicantes famam mendacem vel impossibilia ferre, neque itineris longitudine ab incepto desistunt.

*Et dixit Iesus discipulis suis, vt nauicula sibi deseruiret propter turbam, ne comprimerent eum. multos enim sanabat, ita vt irruerent in eum vt illum tangerent quotquot habebant plagas. Et spiritus immundi cũ illum videbant, procidebant ei, & clamabant dicentes tu es filius Dei. Et vehementer comminabatur eis ne manifestarent illum.*

Exo. 14. Iosue. 3. Qui olim ministerio Moysis mare rubrũ, & ministerio Iosue Iordanem diuiserat, vt filij Israel sicco pede transirent, hic iam discipulos iubet præparare nauiculam in quam se concionaturus recipiat. Tantus enim erat ardor hominum ob auiditatem sanitatis, vt alius alium protruderet, ac vt irrum petent ad Iesum, vt eum vel solum cõtingerent, quando solo etiam vestis contactu pellebantur morbi. Nec vllum erat vel hominum vel morborum discrimen apud potentem iuxta ac benignum medicum. Quicunque quibuscunque malis tenebantur, protinus liberabantur modo contigisset adire Iesum. Quin & spirit⁹ immũdi, viso Iesu, non ferebant illius præsentaneam virtutem, sed procidentes ad genua illius, manifestè fatebantur illum esse filium Dei. Qua verò ratione noluerit à spiritibus malis prædicari, supra auditũ est. Per humiles & apud mundum tenues prœdicari vult, quibus dixit. Qui vos audit, me audit. Luc. 10. Spiritibus autẽ impijs ne tum quidem fidem haberi vult, quum vera dicunt. Porrò hic nihil necesse est pluribus rem agere, cum omnia iuxta literam manifesta sint: Tantum hoc obseruandum est, quàm auidi sint properare ad Christum, vt & Obser. ipsius verba audiant, & ipsum contrectent quo & animo & corpopre sanentur, Quòd si quis allegoriam quærer, inueniet hic præfiguratum, Christum Iudæis incredulis relictis, ad fideles gentiles transiturum.

*Et ascendens in montem, vocauit ad se quos voluit ipse, & venerunt ad eum: Et fecit vt essent duodecim cum illo, & vt mitteret eos prædicare. Et dedit illis potestatem curandi infirmitates & eijciẽdi dæmonia. Et imposuit Simoni nomen Petrus, & Iacobum Zebedæi & Ioannem fratrem Iacobi, & imposuit eis nomina Boanerges, quod est filij tonitrui: & Andream & Philippum, et Bartholomæum, & Matthæum & Thomam, & Iacobum Alphei, & Thaddæum, & Simonem Cananæum, & Iudam Iscariotem: qui & tradidit illum.*

Quo ordine vel tempore Apostoli vocati fuerint & in Matth. cap. v. & ca. x dictum est, & nullã vtilitatem habet in illis longe immorari. Satis est nobis scire, quod à Christo vocati sint, & tam eximiam potestatem ab eo acceperint. Porrò sicut alij euangelistæ habent, Christus pernoctauit in oratione ante hãc Apostolorum electionem. Elegit. Deinde accersiuit ad se non quosuis è multitudine, sed quos ipse voluit, quos Quos voluit. que ad hoc munus delegerat. Non enim vocauit opulentos, non sattapas, non sacerdotes, Pharisæos aut Scribas: sed tenues, humiles, ac idiotas. Et duodecim selegit ex multis, qui veluti fidi Duodecim. satellites nunquam ab ipsius latere discederent: vt vbi res euangelica postularet, mitteret eos veluti legatos à latere, prædicaturos quæ à rege suo didicissent, ac diuulgaturos per vniuersum terrarum orbem edicta sui principis. Quoniam autem ignobiles erant piscatores, idiotæ, tenues, nihil regale præ se ferentes, quum pollicerentur regnum Dei, ne contemneretur ipsorum autoritas, addit potestatem, quam nulli huius Dedit potestatem. mundi Monarchæ dare possunt suis legatis: nimirum vt in nomine Iesu om-

omne morborum genus ſanarent, vtque etiam impuros ſpiritus profligarent. Horum primus erat Simon, quem nominauit Petrū, quod Saxum interpretatur. Et hunc, ſicut euangelica teſtantur ſcripta, vbique cæteris prætulit, ante & poſt mortem. Hinc iubet Petro annunciari ſe reſurrexiſſe, & iuxta Paulum, viſus eſt Cephæ: & huic dixit, Paſce oues meas. De authoritate autē ſucceſſoris Petri, hoc eſt, ſummi Pontificis, propter contentioſos ne verbulum quidem addam. Elegit & filios Zebedæi, Ioannem ſcilicet & Iacobum, & illis impoſuit nomen, vt Boanerges dicerentur, quod Syris ſonat filios tonitrui, quòd & hi erant præ aliis fidei tonitru mundum percuſſuri. Id à Iacobo factum eſſe argumento eſt, quòd cum Herodes ante alios omnes, etiam ante Petrum, neci dedit: eo facto Iudæis gratificans, indubiè quòd præ reliquis apoſtolis infeſtior illis euangelii prædicatione fuiſſet. De Ioannis tonitru, quo vniuerſos hæreticos percuſſit, & eccleſiam tutatur, ipſius euangelium & epiſtolæ teſtantur. Potiſsimū autē Chriſtus his trib⁹, Petro ſcilicet, & filiis Zebedei, nomina dedit, quòd erat opera ipſorum ad regnum ſuum inſtituendum præcipuè vſurus: quare & peculiariter præ aliis familiares habuit, ſicut ſanè ad plura, quàm alios adhibuit, vt clare teſtantur hiſtoriæ euangelicæ. His tribus addidit & reliquos vſque ad duodenarium numerum, & per hos paucos obſcuros, illiteratos, imbecilles, viſum eſt domino totum innouare mundum, ne quam laudis partem in cæleſti negotio ſibi vendicaret humana vel ſapientia, vel potentia: quemadmodum & hoc ipſum Paulus 1. Corint. 1. teſtatur abundè. Quomodo verò his ſimplicibus apoſtolis res ſucceſſerit, ipſi noſtis, ideóque non neceſſum eſt longius hic immorati.

Luc. 24. 1. Cor. 15

Ioan. 21.

Boanerges.

Act. 12.

1. Cor. 1.

Obſer. Obſeruandum tamen hic, nunquàm apoſtolos plus prodeſſe, niſi quando tales eliguntur, quales vult Chriſtus. Iam eliguntur interdum paſtores, qui nec Deo, nec epiſcopo, nec ſubditis vel placent, vel vſui ſunt: ſed alicui tyranno aliquando inſeruitur, & eligitur aliquis in paſtorem, non vt paſtor ſit Chriſtiani gregis, ſed mancipium impii principis aut præſidis. Deinde obſeruandum, quòd apoſtolos non tam inermes neque tam rudes emiſerit, ſed dedit eis poteſtatem quam audiſtis, interpretatus eſt illis ſcripturam, largitus eſt ſpiritum ſanctum, habuit prius illos teſtes omnium dictorum & factorum ſuorum, & ſic tandem facti ſunt præcones vniuerſi orbis, &c.

Obſeru.

*Et veniunt ad domum & conuenit iterum turba, ita vt non poſſent nec panem manducare: & cum audiſſent ſui, exierunt tenere eum. Dicebant enim, quoniam in furorem verſus eſt.*

Quòd redierit Chriſtus poſt electionem in domum, ſiue hoc Capernaum ſiue alibi factum ſit, obſcurum non eſt, ſed myſticus hic ſenſus mihi non poteſt diſplicere. Electos enim apoſtolos in monte, domum reducit, quaſi tacitè eos admonens, vt poſt acceptum apoſtolatus gradum, ad conſcientiam ſuam redeant, & quo ampliorem docendi curā ſuſceperūt, eò ſolertiùs ipſi habitacula mentium ſuarum conſiderando penetrent, & ne ibi quid fortè quod occulti inſpectoris oculos offendit, inueniatur, ſedula examinatione perquirant. Sic etenim quiſque proximum ritè regit, ſi à ſuo prius corde ſtudioſa exploratione quicquid inerat prauitatis expurgat. Hoc ſi factum fuerit, tunc vberior erit meſſis. Sic enim hic euangelii locus habet, quòd vbi deſcenſum eſt ad domum, rurſum confluxerit promiſcua multitudo, tanta importunitate inſtās, vt audirent Ieſum, & à morbis liberarentur,

In domū deducere quid.

tentur, vt apostolis non fuerit otium vel cibi sumendi. Nihil hoc spectaculo gloriosius esse potest euangelicis doctoribus, quàm quum populus discendi auidus negotium facessit sacerdotibus, quum promiscuæ multitudini angustæ sunt basilicæ, concionantibus episcopis. Sed, heu dolor, satis superque locorum est in templis quantumuis exiguis. Adiungit Marcus: Cùm audissent cognati Iesu talia, exierunt tenere eum. Rumor peruenerat ad illos, Iesum cum humili sordidóque sodalitio sursum deorsúmque vagari, trahere post se cateruas hominum, noua quædam & inaudita docere, profligare morbos, eijcere dæmones. Hæc igitur & similia cum rumor pertulisset ad cognatos Iesu, quibus nota erat carnis infirmitas, furori tribuebant, quod erat diuinæ potentiæ, quam Christo inesse nondum sibi persuaserant. Quid igitur tum? Quoniam erant cognati, iuxta leges humanas, putabant esse sui officij, vt mentis impotem, & à spiritu quopiam ereptum, vinculis coercerent. Dicebant enim, In furorem versus est. Sic mundus solet adhuc iudicare. Qui contemptis rebus terrenis omnibus, atque ipsa etiam vita, cæleste philosophiam toto pectore amplectuntur: insani videntur his, quibus nihil sapit nisi terrenum & caducum. Qui patrimonium profundit in vsus pauperum, insanit ei, qui vitæ præsidium in diuitijs collocauit. & sic de cæteris sentiendū. Carnalis siquidem homo non percipit ea quæ sunt spiritus. Et vide hoc tam impium iudicium à suis propinquis tulit dominus, ne quid offendantur illius discipuli, si similia passuri sint à suis. Nam & apud Matthæum dicit: Et inimici hominis domestici eius. Et alibi: Si patremfamiliâs vocauerunt Beelzebub, quanto magis domesticos eius? Porrò hunc impium rumorem, scilicet, Christum furere, Pharisæi auxerunt. Sequitur enim.

*Populi multitudine libēter opprimuntur concionatores.*

*Obser.*

*1. Cor. 2.*

*Matt. 10*

*Mich. 7*

*Matt. 10*

*Et Scribæ qui ab Hierosolymis descenderant dicebāt, Quoniam Beelzebub habet, & quia in principe dæmoniorum eijcit dæmonia.*

Impij Pharisæi ne latum quidem culmum à sua indole recedunt. Et obserua quia non adsunt Scribæ à contemnendo aliquo oppidulo, sed Scribæ à Hierosolymis, vbi oportebat esse sanctissimos. Quid faciunt? Cùm factum tam apertum est vt negari non possit, facti etiam tempora calumniari non licet, statim ad facti modum cōuolant, hinc quod calumniari possint venaturi. Et vt rem intelligas, Adduxerant, iuxta alios euangelistas, Christo hominem dæmoniacum, surdum & mutum, hunc statim liberat & sanat dominus. Mirantur vniuersi quinam hoc factum sit, tale nunquàm viderant factum: & spes erat multos ob hoc facinus Christo adhæsuros. Cæterum Pharisæi & Scribæ, quos oportebat, ob prophetarum cognitionem, ex huiusmodi factis intelligere, iam adesse quod expectant, blasphemis vocibus incessunt Iesum, quasi dicerent, Beelzebub habet, &c. Sunt quidē hæc humanis viribus maiora quæ facit: verùm ista non facit virtute Dei, sed potentem aliquem & insignem habet dæmonem, cuius præsidio prodit miracula talia. Habet enim spiritum Beelzebub, qui princeps est omnium dæmoniorum, & huius auxilio profligat dæmonia minus valentia.

*Matt. 12*

*Et cōuocatis eis, in parabolis dicebat illis: Quomodo potest Satanas Satanā eijcere? Et si regnū in se diuidatur, non potest regnum illud stare. Et si domus super semetipsam dispertiatur, non potest domus illa stare: & si Satanas consurrexerit in semetipsum, dispertitus est, & non poterit stare, sed finem habet.*

Vulgatissimis exemplis suam innocentiam imò Dei gloriā tutatur, apertissimè

tissimè ostendens, Satanæ præsidio se non eijcere Satanam, cùm Satanas nō velit suum destrui regnum, sed magis ampliari: & dæmonũ perpetuum fœdus est, homini esse infensos & noxios. Quòd si hic Satanas sanat, quem alius lædit, certè sibi aduersantur, & non potest fœdus illorum stare. Quòd si volunt regnum suum stabile fore, oportet, vt omnes in idipsum incumbant, scilicet homines lædendo: Nam regnũ inter homines, si factionibus intestinis diuisum fuerit, ruinæ proximum est. Propterea quòd vt concordia custos est optima regni, ita discordia nihil nō quamlibet firmum ac munitum demolitur. Quid de regno loquar? Adeo nihil est stabile vbi regnat seditio, vt ne priuata quidem domus diu possit consistere, si mutuis odijs inter se diffidant inhabitantes. Friuolum igitur non minus est quàm impium, quod dicitis Satanam mihi auxilio esse vt dæmones eijciam.

*Nemo potest vasa fortis, ingressus in domum diripere, nisi prius fortē alligârit, & tunc domum eius diripiet.*

Probatum est præcedentibus, Satanam nō velle auxilio esse Christo, cùm Christo regnāte illius regnum destruatur. Iam his probat Christus se non indigere alieno auxilio, sed se longè fortiorem principe dæmoniorum. Quod quidem ex eo patet, quòd Christus illius vasa diripit, nimirum dæmones, qui hominibus incōmodant expellendo. Nisi enim fortior esset Christus, non posset talia: cùm autem fortior est, illius ope non eget. Falsum igitur est & manifesta blasphemia dicere, In Beelzebub principe dæmoniorũ eijcit dæmonia. Apud Matthæum & Lucam alia addit argumenta, quibus suam tuetatur innocētiam: dicens cum illorum filij, apostoli nimirum, in nomine Christi spiritus malos eijciant, facilè esse iudicare in qua potestate ipse dominus eadem faciat. Deinde addit, Qui nō est mecum, contra me est, &c.

Matt. 12 Luc. 11.

*Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filijs hominū peccata & blasphemiæ quibus blasphemauerunt. Qui autē blasphemauerit in spiritum sanctū, non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti: quoniam dicebant spiritum immundum habet.*

Quoniā Christus hactenus euidentissimis argumentis probauit, se suapsius propria potestate expellere spiritus immundos, tam hac terribili sententia impios illos blasphemos ab impietate dehortari conatur, cùm audiant hanc blasphemiam in æternū non habere remissionē. Blasphemant enim, cum & vident & intelligunt, non alia ratione posse expelli dæmones, q̄ diuina virtute, nihilominus tamen sola inuidia moti, agnitā veritatē impugnant, dicentes hæc omnia præsidio Beelzebub fieri. Dicit ergo dominus, quòd omnia peccata alia quæ fecerint homines remittentur, intellige, si ea homo confessus fuerit & pœnituerit. Solum autem peccatum in spiritū sanctum, nō remitti, intellige, quia nunquàm vel ad veram cōfessionem, vel veram pœnitentiam perueniet. Qualecunque enim peccatum perpetraueris, si sequatur confessio & pœnitentia, nō erit irremissibile. Portò quidam enumerāt species illius horrēdæ blasphemiæ, vt sunt, Desperatio, cōtra dei misericordiam: Præsumptio, cōtra Dei iustitiam: Impugnatio agnitæ veritatis, cōtra veritatis agnitionem: Inuidentia fraternæ charitatis, cōtra gratiæ collationem: Impœnitentia, qua nō consideratur turpitudo peccati, & ita eligit homo nunquàm de eo pœnitere: Obstinatio, qua vult delectationi peccati perpetuò inhærere. Sed præstat hæc cauere, quàm plurimis tractare. Tantùm hoc attendendum, ne bonum oblatum respuamus, ne agnitam veritatem impugnemus: indignos aliàs faceremus nos, qui veritatem vnquàm inueni-

Gab. 24 Sent. d. 43. q. 43.

Obser.

inueniremus. Non iuuat iã enumerare eorum blasphemias, qui omnia miracula quæ apud diuorum monumenta fiunt, Satanæ dolis ascribunt. Nunquid Christus dixit. Qui credit in me opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora his faciet. Et veteris testamẽti prophetarum ossa mortuum cadauer vitæ restituerunt, noui testamenti prophetæ nihil possunt? Iuuat hic adscribere quæ D. Augustinus habet Epist. cxxxvij. Ecclesiæ & clero Hyponensi scripta, sic inter cætera loquitur. Quis poterit consilium Dei perscrutari, qua re in alijs locis hæc miracula fiant, in aliis non fiant? Multis enim notissima est sanctitas loci: vbi beati Felicis Nolensis corpus conditum est, quo volui vt pergerent, quia inde nobis facilius fideliusque scribi potest quicquid in eorum aliquo diuinitus fuerit propalatum. Nam & nos nouimus Mediolani apud memoriam sanctorum, vbi mirabiliter & terribiliter dæmones confitẽtur, furem quendam qui ad eum locũ venerat vt falsum iurando deciperet, compulsum fuisse confiteri furtum, & quòd abstulerat reddere. Nunquid non & Africa sanctorum martyrum corporibus plena est? Et tamen nusquam scimus hic talia fieri, &c. Hæc Augustinus ad verbũ, qui certè candidius sensit de sanctorum reliquijs, quàm quidã nouitatis studiosi, qui, vt supra diximus, omnia miracula sanctorum dæmonibus asscribunt.

Ioan.14.

August. De peregrinationib⁹ & miraculis sanctorum.

August. in ca.12. Matth.

*Et veniunt mater eius, & fratres, & foris stantes miserunt ad eum vocantes eũ, & sedebat circa eum turba & dicunt ei, Ecce mater tua & fratres tui foris quærunt te. Et respondens eis ait, Quæ est mater mea, & fratres mei? Et circũspiciens eos qui in circuitu eius sedebant ait, Ecce mater mea et fratres mei: Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, & soror mea, & mater mea est.*

Quid illis rei fuerit cũ Christo, euãgelistæ non aperiunt, nisi ad superiora referendum sit, vbi dicitur. Quod cognati Christi venerint, vt inijcerent ei manus, quèm in furorem versũm prædicabant quidã: Vtcunque tandem sit, Mater & fratres, hoc est, affines cognati non veniunt hic in tempore, cũ magis scandalo essent. Nam & tantum ob hoc Christus male audiebat, quia putabatur tantùm filius Mariæ & non filius Dei. Docuit item Christus, Dei ministerio omnia postponẽda: cumque sibi omniũ esse cognatiorẽ, qui fecerit voluntatem Dei. Sua itaque responsione non negauit se habere matrem, sed magis illius dignitatem extulit, cum ipsa gloriosa Dei parens, & corpore & mẽte genuerit Christum. Obserua postremo (nam cætera Matth. xij. tractata sunt) parũ laudis promereri illos, qui verbi Dei prædicationem interturbãt. Consentaneum siquidem est vt honestè tractetur & suscipiatur hoc, quo nihil est preciosius, reuerenter sumatur quod nos indissolubili nexu Christo vnit, sic vt fratres, sorores & mattres Christi esse possimus, quemadmodum hoc caput tertium docuit, cui & iam finem imposuisse Deo immensas gratias agimus. Amen.

Obser.

Obseru.

## CAPVT QVARTVM.

*Et iterum cœpit docere ad mare, & cõgregata est ad eum turba multa, ita vt in nauim ascendens sederet in mari, & omnis turba circa mare super terram erat, & docebat eos in parabolis multa.*

Si inspicimus, quod & Beda annotauit, Matthæi euangelium, patet profectò hanc doctrinã domini ad mare eadem die factam, qua interruperunt sermonem eius cognati sui: qua die tantã blasphemiam à Pharisæis sustinuit. Et vide, quàm nihil possit hominum malitia aduersus bonitatem Dei. Quanto plus Pharisæi Christum calũniantur,

Matt.13.

eò minus turba ab ipso recedit, vbicunque tandem se recipiat. Cùm enim relicta domo, in qua dæmonē expulerat, ad mare proficiscitur, tanta eum turba sequitur, vt coactus fuerit conscendere scapham, qua & suggestus vice vsus est. Docebat autem turbas, nā Pharisæi illius doctrinā abominabantur: Nihil hic dicendum, quod non in præcedentibus dictum fuerit. Quod si cui placet allegoria, quam ferè perpetuo Beda sequitur, intelligere potest dominū reliquisse Iudæā incredulam & blasphemam, & ad gentes concessisse. Domus ergo in qua dominus blasphemias sustinuit, Iudæa est, Mare fluctuans & tumidū, Gentilitas, in qua diuersa animantium genera, dij multi & cultus varij, & cæt. Deinde non potest turba melius & verius pasci, quàm è nauicula in qua Christus est, hoc est, è catholica ecclesia quæ Christi spiritu regitur, sic vt nec inferorum portæ aliquid aduersus eam possint.

Allegoria.

Obser.

*Et dicebat illis in doctrina sua: Audite. Ecce exijt seminans ad seminandum. Et dum seminat, aliud cecidit secus viam, & venerunt volucres cæli & comederunt illud. Aliud verò cecidit super petrosa vbi non habuit terram multam, & statim exortum est, quoniam non habebat altitudinem terræ, & quando exortus est sol, exæstuauit, & eo quod non habuit radicem exaruit. Et aliud cecidit in spinas, & ascenderunt spinæ & suffocauerūt illud, & fructum non dedit. Et aliud cecidit in terram bonam, & dabat fructum ascendentem & crescentem, & afferebat, vnum tricesimum, & vnum sexagesimū, & vnū centesimum. Et dicebat. Qui habet aures audiendi audiat.*

Hactenus Christus. Et hic vides, quid voluerit Euangelista dicens, Et dicebat illis in doctrina sua, hoc est prædicabat more suo, more nimirum omnium apertissimo, & quo maximè potuit à turbis intelligi. Hoc & præfiguratum est in hoc quod Christus in nauicula non ita à longe esse voluit, sed penes littus, vt ab omnibus & videri & audiri potuerit. Quid enim iuuat audire, quod non intelligas? aut quod supra captum tuum est? Deinde probe considerandum, quibus similitudinibus docendus sit simplex populus, non à longe petitis & obscuris, sed omnium apertissimis, alias obscuris addis nebulas pro luce: Nec odiosis exemplis docendus est populus, sed quibus nemo læditur. Postremò auditorum est, vt maxima attentione doctorem audiant, quod Christus admonere volens dicebat. Qui habet aures audiendi audiat. Parabolam ipsam dominus ipse statim rogatu apostolorum explicauit. Sequitur enim.

Obser.

*Et cum esset singularis, interrogauerunt eum hi qui cum eo erant duodecim, parabolam exponere. Et dicebat eis. Vobis datum est nosse mysterium regni Dei: illis autem qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt, vt videntes videant, & non videant, & audientes audiant & non intelligant, nequando conuertantur & dimittantur eis peccata.*

Morbus est non iudicium damnare quod nescias, stultum probare quod non intelligas: discipuli ergo qui parabolam à domino vulgo prolatam nō intellexerant, non calumniantur, neq; irrident, sed rogant eum, exponat apertius, quod obscurè proposuit. Hoc & omnium fidelium auditorum est, vt non facile calumnientur concionatorem, sed rem penitius introspiciant, & prædicatorem interrogent. Et considera hoc loci discipulorum prudentiam, qui non interrumpunt domini sermonem, sed cum esset seorsim, interrogabant eum. Ita & stul-

stultum & iniquum est. Concionatori in sermonis progressu respondeate, sed oportunè omnia facienda sunt. Sed quid interrogatus Iesus responderit, audite. Vobis datum est, inquit, nosse mysterium regni Dei, illis autē qui foris sunt in parabolis omnia fiunt. Non omnia omnibus conueniunt. Vobis datum est vt intelligatis mysteria regni Dei, quia diligenter quæritis, & auide auditis, facta non calumniamini, dicta non contēnitis: His autem qui foris sunt non datum est intelligere, cum visa miracula calumnianrur, intellecta vero verba negligunt. Quæ vident videre nolunt, & quæ audiunt, non curant: Melius ergo est illos non scire neque intelligere, cum eis plura intellecta maiorem pœnam præparabunt. Seruus enim sciens voluntatem domini, & non faciens, plagis vapulabit multis. Quæ curiosi hic in domini verbis sectantur, magis ocio sis committimus. Hic autem obseruandum, quod nemo mystéria regni Dei intelligere poterit, nisi ei datum fuerit desuper. Multis autem veritatis agnitio denegatur, quoniam agnitam etiā contemnunt: Sed quæ sequuntur audite.

Obser.

*Et ait illis, Nescitis parabolā hanc? Et quomodo omnes parabolas cognoscetis?*

Vt discipulos reddat dociliores, sub increpat illorum tarditatem. Nondum conijcitis, inquit, quid sibi velit hæc parabola, quæ facilis est cōiectu? Et quomodo reliquas parabolas omnes conjectabitis? quasi diceret. Hæc vulgatissima & aperta est parabola, cæteræ vero obscuriores sunt. Sed quandòquidē parum est arguere nisi & doceas, (nam & impij & immūdi omnia reprehendere possunt, & alter alterius prodere ignorantiam) Christus rē aperit dicēs.

*Qui seminat verbum seminat: Hi autem qui circa viam: vbi seminatur verbum, & cum audierint, confestim venit Satanas & aufert verbum quod seminatum est in cordibus eorum.*

Iam noli mirari, aut, quod multi solent, calumniari, cum auditoris ignorātiæ condescendit cōcionator, exemplis docens, quod alias intelligi non potest. Neque enim est satis docere veritatem, nisi & apte doceas, vt intelligatē & custodiatur. Sic etiā nō satis est audire veritatem, nisi hanc ipsam pijs operibus præstes. Non enim auditores legis, iusti sunt apud Deum, sed factores. Primus quidē gradus est audire, secundus amare, tertius memoriæ comēdare, quartus operibus præstare. Etiam considera quantum placet Deo, homines audire verbum Dei, cū tam sedulò conatur diabolus sementem hanc perdere.

Rom. 2.

*Et hi sunt similiter qui supra petrosa seminantur, qui cum audierint verbum, statim cum gaudio accipiunt illud, et nō habēt radicē in se, sed tēporales sunt, deinde orta tribulatione & persecutione propter verbum, confestim scandalizantur.*

Tales & nostrum seculum habet nō paucos, qui audientes verbum, cum gaudio accipiunt, & cum gemitu testātur sibi placere veritatem, exeuntes cōcionatorem mitis modis extollunt, verùm rogati, quid audierint, etiam iure iurando testantur se oblitos esse. Cum omni populo, palmarum die Christo acclamare, Benedictus qui venit in nomine domini rex Israel, facile fieri potest: sed cū omnis populus clamat aduersum Christum, Dæmonium habet, si quis tum audet extollere vocem cū muliere & dicere, Beatus venter qui te portauit, &c. hic non vulgarem meretur laudē: Palm dag vnd carfrytag ist zveyerley: Ad crucē vsq sequendus est Christus. Male audiūt qui Christū tantum sequūtur in deserto cibantem turbas, derelinquunt autem felle & aceto potatum, sed est & aliud seminis genus.

Matt. 21

Matt. 12

Luc. 11

*Et alij sunt qui in spinis seminantur: Hi sunt qui verbum audiunt, & erumnæ seculi, & deceptio diuitiarum, & circa reli-*

*reliqua concupiscentiæ introeuntes suffocant verbum, & sine fructu efficitur.*

Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit, ait quidã, & hic amor multas secum adfert steriles curas, quo modo thesaurus accumuletur, & accumulatus conseruetur. Non minor est virtus parta tueri, quàm augere diuitias. Accedit quidem adolescens diues ad Iesum dicens, Magister quid faciendo vitam æternam possidebo? Et cum gaudio audit, Christum respondere, Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Sed cum adiungit dominus, Adhuc vnum tibi deest. Vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus, & veni sequere me: tum tristis abit, quia habebat multas diuitias, euangelio teste. Et alio loco negociationes remorantur quendam à cõuiuio nuptiali. Et merito dominus, deceptioni diuitiarum addit, concupiscentias circa reliqua. Neque enim studium accumulandarum diuitiarum solum est, sed habet comites, fraudem, furtum, superbiam, inuidiã, luxum, & quid non?

Matt. 19
Matt. 22

*Et hi sunt qui super terrã bonã seminati sunt, qui audiunt verbum & suscipiunt, & fructificãt vnum tricesimum, vnum sexagesimum, & vnum centesimum.*

Terroris plena sunt hæc & commiseratione dignissima, quòd quarta tantum pars semen Dei verè audit, suscipit & fructificat, & variè tamen fructificat. Hic adfert mediocrem fructum, ille copiosiorem, alius copiosissimum. Qui copiosum semen producit, est cur gratias agat Deo, non est quur sibi placeat: qui mediocrẽ, non est quur feliciori inuideat. Deus enim qui nulli est obnoxius aut debitor, pro sua benignitate partitur vnicuique suas dotes, prout ipsi visum est, immo prout nobis prodest. Nam alius euangelij locus testatur dominum seruis suis dedisse talenta, vni quinque, alij vero duo, tertio vnum, vnicuique autem secundum suã virtutẽ. Et Apostolus dicit, vnicuique datur manifestatio spiritus, ad vtilitatem: Et hic vide gradus auditorum, scilicet audire, suscipere, & fructificare. Iã qui nõ audit, quomodo suscipiet? Qui non suscipit, quomodo fructificabit? Hos præcipuos gradus inuenire est in Maria Magdalena, quæ sedens ad pedes domini, audit verbũ illius: Audi quàm auidè suscipiat & mente recondat, vt omnium negotiorum obliuiscatur. Hinc Marthæ vox est, Domine nõ est tibi curæ quod soror mea. &c. Audi iã fructificantem, accusata & quasi conuitiis à sorore petita, non regerit maledictum, sed omnia Christo committit excusanda. Taceo vnctionem, & cum Christo in mortem vsq; perseuerantiã. Et cui obscurum est Mariam primam omnium annunciasse Christi resurrectionem? Sed hæc aliàs oportunius.

1. Cor. 12

*Et ait illis. Nunquid venit lucerna vt sub modio ponatur, aut sub lecto? Nonne vt super candelabrum ponatur? Non est enim aliquid absconditũ, quod non manifestetur, nec factum est occultum quod non veniat in palam. Si quis habet aures audiendi, audiat.*

Quia discipuli iam audierant parabolæ expositionem, quæ turbas latebat. His similitudinib9 vult admonere dominus suos Apostolos, vt & in ipsi sint bona terra, quæ fructum reddat decuplum, vel centuplum. Neque se illis hoc dixisse, vt perpetuò celent, sed vt suo tempore aperiant, & secundum hanc doctrinã viuant: eò pertinet quod apud Matthæum legimus. Nemo accendit lucernam & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Et vt intelligamus quam lucernam velit, adiungit. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Admonet igitur discipulos, vt gratiam acceptam non negligant, quibus addit nihil occultum quod non reue-

Matt. 5.

reueletur,&c. Hoc est, quicquid tandē feceritis, siue hoc malum, siue bonum fuerit, non perpetuo celabitur, sed manifestum erit. Studete igitur potius bonitati, quàm impietati. Si quis habet aures audiēdi audiat, nimirum sic vt & intelligat & perficiat: Quidam rem sic enodant, & satis quidem piè: vt velit dicere Christus. Lux est per me in vobis accensa, vt vestro ministerio discutiat tenebras totius mundi. Nunc quidem multa celamus multitudinem, quoniam nondum est capax, & si esset, nondum venit tempus: verùm vbi tempus aduenerit, nihil est inter nos tam absconsum, quod tum non sit patefaciendum: neque quicquàm tam arcanum, quod non palam omnibus prædicandum est.&c.

Alia expositio.

*Et dicebat illis. Videte quid audiatis. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Qui enim habet, dabitur illi, & qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo.*

Ecce rursus, ne quod dixerat excideret, adiicit Iesus. Videte quid audiatis, ac si diceret, curate ne frustra audieritis. Non enim auditis humanas fabulas, sed cœlestem doctrinam, per vniuersum orbem vestra opera diffundendam. Quod accepistis bona fide tradite, ne quid diuersum ab eo doceatis, quod accepistis. Nolite esse parci aut ignaui dispensatores doctrinæ, quam vobis impartio: largiter effundite, quandoquidem vestra benignitas non diminuet, sed augebit quod habetis. Pecuniæ thesaurus exhauritur benignitate, hic thesaurus cœlestis, quo benignius impartietur, hoc magis cumulabitur. Neque vt pauperior est qui largitur opes suas egenribus, ita indoctior est qui doctrinam euangelicam quamplurimis communicat. Verùm vt qui prælucet multis, non ideo ipse minus lucis habet, ita qui doctrina euangelica viam aperit omnibus ad cognitionem veritatis, non facit iacturam eius lucis, sed copiosiore donabitur lumine, quo pluribus queat prodesse. Summa est, qui donis Dei benignirer & liberaliter vtitur, hic Dei benignitatem ad plura elargienda prouocat. Sed qui minimis illiberaliter vtitur, hic indignus est, cui aliquid tribuatur. Hæc autem omnia ex aliis parabolis alibi audiemus.

Obseru.

*Et dicebat: Sic est regnum Dei, quēadmodum si iaciat homo sementem in terrā, & dormiat & exurgat, nocte & die semen germinet, & increscat dum nescit ille. Vltrò enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentū in spica. Et cum ex se produxerit fructus, statim mittit falcē, quoniam adest messis.*

Christus adhuc parabolis aliquot, quid fructuū verbum diuinū fide auditum in pectoribus hominum proferat, ostendit. Regnū Dei, id est, prædicatio euangelii, aut potius status præsentis ecclesiæ, sic se habet, vt si homo agricola iaciat semētē in terra, &c. Prædicator verbi, verbū in terrā pectoris nostri iacit, idque vnū officiū est prædicatoris, verbum purè docere, deinde dormire, id est, curam proferendi fructum Deo permittere. Et ecce semen verbi Dei in agros pectorum humanorum conspersum germinat, id est, statim fructū profert, & subinde augetur, etiam inscio agricola, hoc est prædicatore verbi. Terra enim, id est cor, in quod semen verbi illapsum est vltro fructificat, spiritu sancto intra se concepto. Nec tamen statim solidè in nobis irroborat verbum vitæ auditum, sed vt vbi semē in terra computruit, in herbam exilit, deinde vbi culmus excreuerit sese adnascitur spica, tandem spicæ folliculi plenis tritici granis implentur. Ita simulac verbū in corde hominis cōputruerit, id est, per fidem cordi adhæserit, illico homo

homo incipit Christo fidere, deinde paulatim pietate progreditur vsque ad veram perfectionem. Hoc autem, de eo semine intelligendum est, quod in terram bonam cecidit, de alio semine supra auditum est. Ex hac ergo parabola discet ecclesiastes, quid ipse operetur, & quid Deus. Concionatoris est proijcere semen, Dei autem dare incrementum. Sic Paulus ait, ego plātaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit. Deinde obserua, non statim prodire grana, sed primum herbas, &c. Nemo siquidem repente fit summus.

1.Cor.3

*Et dicebat: Cui assimilabimus regnum Dei, aut cui parabolæ comparabimus illud? Sicut granum sinapis, quod cum seminatum fuerit in terra, minus est omnibus seminibus quæ sunt in terra, & cum natum fuerit ascendit in arborem, & fit maius oībus oleribus, et facit ramos magnos, ita vt possint sub vmbra eius aues cæli habitare. Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbū, prout poterāt audire: sine parabolis autem nō loquebatur: Seorsim autē discipulis differebat omnia.*

Omnis vis parabolæ in hoc sita est, vt intelligamus non esse contemnendum, quod prima specie humile est. Nihil etenim sub cælo magnum est, quod perpetuo magnum fuerit. Sic vult dominus dicere, euangelij prædicationem prima fronte quidem, nihil magni de se polliceri, sed non ita multo post, omnes alias doctrinas post tergum relinquere. Quàm enim speciem eximiam habet, dicere, Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum Dei, & cæt. Quàm stultum iudice mundo, est hominum corpus aqua perfundi, vt anima mundetur & sanctificetur? Deinde quis credidisset, hanc euangelij doctrinam vniuersum mundum peruagaturam, cum piscatoribus humilibus committitur. Hinc Apostolus dicit: Vbi sapiens? vbi scriba, vbi inquisitor huius seculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? Nam quia in sapientia Dei non cognouit mundus per sapiētiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis, saluos facere credentes. Verū post pauca addit Apostolus, quod stultum est Dei, sapientius est omnibus hominibus: Neque enim granum sinapis ideo verè contemptu dignum est, quod vile appareat, sed nō contemnendum, cum vsqueadeo se in altitudinem erigat: Sic Euangelij prædicatio verè non est humilis, neque cōtemnenda, vtcunque rādem displiceat mundo. Sultum quidem videtur cum nouerimus ecclesiam Christi Petro, Andreæ, &c. hoc est, piscatoribus commendatam, sed si & hoc cogitauerimus, quòd ex piscatoribus pisciū, facti sunt piscatores hominum, quòd spiritus sancti virtute ex alto donati, imò induti sunt, tum ni fallor mutabimus sententiam. Adijciam & hoc, Petrus in cathedra stans, despectus videtur, sed cum ad inuocationem suam spiritus sanctus de cælo super credētes venit, omnibus suspiciendum se præbet. Nullus scribarum, vel Pharisæorum, vel sapientum huius mundi, poterat talem eleemosynam claudo ad speciosam templi portā dare, qualem Petrus dedit. Cæterùm hic notandum, quòd Christus quidem in parabolis loquitur, sed iuxta captum hominum, hoc est, prout nouerat omnibus expedire. Neque enim omnia omnibus conueniunt.

1.Cor.1.

1.Cor.1.

Act.2.& 10.

Act.3.

*Et ait illis in die illa, cum sero factū esset: Transeamus contra. Et dimittentes turbam, assumūt eum sicut erat in naui, & aliæ naues erant cum illo.*

Qui Israelitas per desertum & Iordanem perduxit, qui Petrum supra mare ambulantem fecit, hic naui vtitur. non quidem quia necessum habet, sed quia vult. Et verè dictum est, Assumūt eum discipuli sicut erat in naui, sicut ni mirum iudicabatur à multis. Nam secundū hoc quod videbatur, naui opus erat, secundum autem hoc quod erat,

solo nutu potuisset exiccare omnem aquam, vt nihil necesse fuerit adminiculo nauiculæ. Sequitur.

*Et facta est procella magna venti, & fluctus mittebat in nauim, ita vt impleretur nauis. Et erat ipse in puppi super ceruical dormiens:, & excitant eũ, & dicunt illi. Magister, non ad te pertinet, quia perimus? Et surgẽs cõminatus est vẽto, & dixit mari: Tace, obmutesce. Et cessauit ventus, & facta est trãquillitas magna. Et ait illis. Quid timidi estis? Nec dum habetis fidem? Et timuerunt timore magno, & dicebant ad alterutrũ: Quis putas est iste, quia ventus & mare obediunt ei?*

Aperta est historia: sed multa salutaria documenta complectitur. Et primo quidem vide, dormienre Iesu, statim tempestas oritur. Quid hinc discimus? Nihil aliud quàm vt certò promittamus nobis tentationes, simulatque Christum prædicantem audiuerimus. Vult enim vt periculum faciamus eius doctrinæ quam accepimus: Exempli gratia. Inuenies parentes, qui liberos suos venĩetes è concionibus, vel ludo literario examinant, & inuestigant quid nam memoriæ cõmendarint, &c. Sic & nos è sacris concionibus egresii, statim tentamur, & Satanas, iuxta domini sermonem, conatur de cordibus nostris semen verbi Dei rapere. Discimus & hinc, rem omnem nostrã in magno esse discrimine, dormiente Christo t Vnde perpetuò excitandus est pijs operibus & deuotis precibus. Quòd si nos aliqua tentatio præoccupauerit, statim ad Christum currendum, & illius contra omnes aduersitates petendum auxilium. Quòd autem dormit Christus hic super ceruical, ostẽdit se verum hominem, qui omnia, excepto peccato, communia nobiscũ habeat. Quòd ventis imperat, ostendit aliquid homine maius in homine Christo, Vnde populi hæc & discipulorum vox est, Quis putas est iste, quia ventus & mare obediunt ei? Quòd admonet discipulos, imò corripit & exprobrat illis modicam fidem, arguit nos debere ex præteritis præsentia & futura iudicare. Postremò admonendum & hoc, Christo super puluinar dormiente & cutem curante, excitatur talis tempestas. Sic & pastoribus nostris tantùm ea spectantibus quæ corpus attinent, talis tempestas in ecclesia Christi oritur. Vtinam aliquando excitati, iuberent hos motus silescere: Sed, quod miseratione dignum est, apud pastores nostros plus valet ceruical, quàm Christus cum sua ecclesia. Iam tumultuatur nauis, impleta est fluctibus, hæresum procellis cõcutitur, hinc Lutherani, isthinc Sacramentarij, illinc Anabaptistæ, ab altera parte, Iconomachi, nec desunt impij Christiani, per quos nomen domini blasphematur. Cùm igitur episcopi nostri altum stertant, ad vnicum Christum confugiendum est, qui hactenus nunquàm submergere passus est nauiculam, etiamsi maiores senserit fluctus, quique solo nutu potest omnibus ventis silentium indicere. tantum rogandus est vt velit, & procul dubio faciet, Interim discipulis cauendum ne extra nauim exiliant, seipsos liberaturos, alioquin eis eueniet quod illis qui extra Archam Noe, & extra domum Rahab fuerunt. Custodi ergo tu nos ô domine vt pupillam oculi, & cæt. Iam vela colligenda sunt auspice Deo Optimo Maximo, qui est laudandus in sęcula. Amen.

## CAPVT QVINTVM.

*ET venerunt trans fretum maris in regionem Gerasenorum. Et exeunti ei de naui, statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo, qui domicilium habebat in monumentis. Et neque catenis iam*

D quis-

*quisquàm poterat eum ligare, quoniam sæpe compedibus & catenis vinctus dirupisset catenas, & compedes cõminuisset, & nemo poterat eum domare. Et semper die ac nocte in monumentis & in montibus erat, clamans & concidens se lapidibus.*

Gerasa. Gerasa est Arabiæ ciuitas, contigua monti Galaad in tribu Manasse, haud procul dissita à lacu dicto Tyberiadis. Apud ciuitatem ergo hanc tam miserum spectaculum fuit Iesu exhibitum, vt qui iã tumescẽti mari imperarat silentium, etiam dæmonem compesceret. Præstat hic admonere, vt à dæmonio nobis caueamus, quàm multa de illorum natura dicere. Tragœdiam magnam profectò Marcus noster hic scribit, cum dæmon ille & obsesso & liberis negotium facesceret. Obsessum coegit vndiquaque circumcursare, in monumentis & montibus habitare, semet ipsum lapidibus cõcidere. Sic exposit⁹ fuerat miser homo, & imbribus, & ventis, neque calido neque frigido sibi valens consulere. Adiunge his, quod nemo illi poterat præbere cibos, cum nõ potuerit vllis vinculis coërceri. Ait enim Euangelista, illum sæpe catenis & vinculis ligatum, sed omnia comminuisse. Luc.8. Lucas dicit illum multis temporibus habuisse dæmonium, & vestimẽtis non vsum, & quod ruptis vinculis aliquãdo agebatur à dæmonio in desertum. Obser. Obseruent hoc miserum spectaculum, qui ex impatientia aliquando moti, etiam dæmonibus sese deuouent, serio pãstulantes vt vel dæmon veniat illis opem laturus. Hinc nobis diuini prodeunt, veneficæ, & cæteræ orbis pestes. Meminerint item quædam matres hoc miserum spectaculum ad se pertinere, cum ex consuetudine magis quàm corde, etiam infantulos suos diris deuouere solent. Obser. Cæterùm hic dæmoniacus imaginem gerit eorum impiorum hominum, qui ad omne scelus properant, neque diuinis neque humanis legibus coërceri possunt: & vulgatissimus dein vulgi sermo est, Opinor hunc obsessum & oppletum esse dæmonibus, qui nullum non scelus tentat. Hos nemo potest domare, excepto vno dæmone, cui suapte sponte inseruiunt.

*Videns autem Iesum à longe, cucurrit & adorauit eum, & clamans voce magna dixit. Quid mihi & tibi Iesu fili Dei altissimi? adiuro te per Deum viuentem ne me torqueas. Dicebat enim illi. Exi spiritus immunde ab homine isto. Et interrogabat eum. Quod tibi nomen est? Et dicit ei: Legio mihi nomen est, quia multi sumus.*

Vides hic: quem nemo hominum vincire poterat, hunc solus Iesu cõspectus terret. Quum enim miser ille ad strepitum hospitum processisset è latebris suis, impetum facturus in eos, quẽadmodum consueuerat, mox vt eminus vidit Iesum, vi cælesti attractus, subitóque mutatus est qui prius nocuerat, iam deprecatur sibi noceri, accurrit ad Iesum & adorauit eum. Moxque dæmon per os hominis cœpit ingenti voce clamare. Quid tibi rei mecum est Iesu, fili Dei altissimi, Obtestor te per Deum ne me torqueas. Etenim Iesu vox illi tormentum erat, dicebat enim Iesus: Impure spiritus exi ab homine. Hic obserua malitiam Obseru. & inuidiam dæmonis, aduersus hominem, grauissimus ei est cruciatus, si non permittitur nocere homini. Sic & sceleratorum hominum indoles est, vt grauissimus illis sit cruciatus, si non permittuntur in obuium quenque sæuire. Porrò quod Christus dæmonis nomen quærit, ex ignorantia non fit, sed vt sic ipsius potestas manifestior fiat, qua tam facile potest legionem eijcere quàm vnicum dæmonem.

Et de-

*Et deprecabatur eum multum, ne se expelleret extra regionem. Erat autē ibi circa montem grex porcorum magnus, pascens in agris. Et deprecabantur eum spiritus dicentes. Mitte nos in porcos, vt in eos introeamus. Et concessit eis statim Iesus: Et exeuntes spiritus immundi, introierunt in porcos, & magno impetu grex præcipitatus est in mare, ad duo millia, & suffocati sunt in mari.*

Dubium non est, quin multi dæmones vagentur in orbe, in aëre, in aquis, in desertis item locis, sicut ex scripturarum multis locis manifestum est. Quorum quidem dæmonum ratio nobis incerta est, nisi quod certis coniecturis nouimus, quòd nihil boni de illis nobis polliceri debeamus, & quòd in vltimo iudicio tandem ad inferna retrudentur. Cùm igitur illi dæmones sentiūt se non posse longius inhabitare hunc hominem, timent ne iussu domini cogantur secedere ad tartara: deprecantur igitur Christum multis, ne ipsos extra regionem mittat. Quare hoc petierunt? vt haberent occasionem hominibus nocendi, aut fortasis quia in illis regionibus multos seruos habuerunt. Porrò cum Iesus ad hanc petitionem non annueret, Rogant rursus dæmones, vt permittatur sibi inuadere gregem porcorum, qui aderat. Hic iam vide quàm parua sit dæmonum potestas, qui ne animantibus quidem brutis nocere possunt. Et vide quanto odio accensi sint erga genus humanū, vt hominum causa etiam iumenta corripiant, tanto inquàm, hominū ardent odio, vt non solum ipsos, sed & ea quæ ipsorum sunt, cupiant interire. Huius rei exemplum habemus, quòd antequàm beatum Iob Satan tentat, prius omnem substantiam eius perdit. Hæc Diuus Hieronimus Hilarioni hæremitæ adscribit, quibus & subiungit quod huic loco apte quadrat, nec mouere quempiam debere, quòd domini iussione duo millia porcorum à dæmonibus interfecta sunt. Siquidem eos qui viderant, aliter non potuisse credere, exisse de homine tantam dæmoniorum multitudinem, nisi grandis porcorum numerus, & quasi à multis actus corruisset. Aliam causam aperit Theophilactus, scilicet ideo Iesum permisisse dæmonibus inuadere porcos, vt ostenderet, quòd & in homines, qui porcorum more viuunt, & in luto voluptatum versantur, ingrediuntur dæmones, & mittunt illos præcipiti perditione huius vitæ, vt suffocentur. Permittit etiam illis inuadere porcos, vt discamus quòd sicut non pepercerunt porcis, ita neque illi obsesso pepercissent, nisi eum diuina virtus custodisset.

Obseru. | Obseru. | Hieron. in vita Hilario. to.1.pa. 113.

*Qui autem pascebant eos, fugerunt, & nunciauerunt in ciuitatem & in agros. Et egressi sunt videre quid factum esset, & venerunt ad Iesum, & vident illum qui à demonio vexabatur, sedentem, vestitum, & sanæ mentis, & timuerunt. Et narrauerunt illis, qui viderant, qualiter factum esset ei qui dæmonium habuerat, & de porcis. Et rogare cœperunt eum, vt discederet de finibus eorum.*

Nihil hic difficultatis est, sed tantùm historiæ copiosa descriptio. Subulci, q custodiebant gregem, vident quidē porcos per præceps ruere in mare, neq; tamen ausi sunt, vel porcos prohibere aqua, vel cū Iesu hanc expostulare iniuriam: & fugiunt in ciuitates & proximos vicos, & nunciant quid factum sit, nimirum de porcis. Hi ergo quorum porci erant, cogitabant è re sua esse vt prospicerent, egrediuntur visum quid factum fuerit de porcis: & ecce vident Iesum, quē antea non viderāt, & vident eum qui à dæmonio vexabatur, quem omnes nouerant prius præ furoris impatientia solitum oēs ca

thenas & compedes disrumpere, vestes dilacerare, seipsum saxis concidere, prætereuntes impetere, vesanis vociferationibus omnia complere, nunc sedere ad pedes Iesu quietum, vestitum ac sanæ mentis. Porrò qui spectaculo adfuerant, neque enim solus erat Iesus, rursus ab initio narrant illis, qui procurrerunt, omnem rei gestæ historiam, de legione eiecta, de porcis demersis in lacum. Itaque cum iam ex re diligenter peruestigata, fides esset facta, quod narrabatur esse minimè vanum, metu perculsi cœperunt rogare Iesum, vt ex ipsorum finibus procederet. Coniiciebant enim Iesum idem posse in homines quod in porcos. Et ingrati homines plus tristantur de porcorum interitu, quàm de hominis sanitate lætantur. Et certè hic homo dæmoniacus plus potuisset omnibus Gerasenis incommodare, quàm vniuersi porci commodare. Nonne miserrima conditio fuit Gerasenorum, qui homine adhuc à dæmoniis vexato, non poterint tuti exire ciuitatem? Habet & præsens seculum, qui malunt habere porcos, quàm Iesum cum discipulis. Sic impii semper piorum conspectum deprecantur, ne aliquantisper cogantur ab impietate cessare.

Obseru.

*Cumque ascendisset Iesus in nauim, cœpit illum deprecari, qui à dæmonio vexatus fuerat, vt esset cum illo, & nō admisit eum, sed ait illi. Vade in domum tuam ad tuos, & annuncia illis quanta tibi fecerit dominus, & misertus sit tui. Et abiit, & cœpit prædicare in Decapoli quanta sibi fecisset Iesus, & omnes mirabantur.*

Matt.7.

Noluit Christus Margaritas proiicere porcis, nec date sanctum canibus, sed rogatus discedere, conscendit nauim. Interea qui fuerat à dæmonio liberatus, videns autorem suæ salutis abire, cœpit illum rogare, vt sibi liceret in illius esse comitatu. Quare hoc? Videmus in pusillanimis, qui semel in periculum acti, si illis conceditur liberari, semper timent vincula. Exempli gratia: Qui diu in vinculis fuit, & præter opinionem eripitur, vbicunque deinde apparitorem viderit, quasi timore corripitur, & sicut vulgi prouerbium habet, Gebrent kind furchten das fur. Pari ratione hic miser homo, timet ne spiritus immundi Iesu absente, redeant, & fiant nouissima peiora prioribus. Iesus autem sciēs nihil superesse periculi, maluit illum habere præconem quàm comitem, quod id magis expediret multorum saluti. Iussit igitur illum abire, & omnibus prædicare quanta sibi fecerit dominus, & quomodo secum misericordiam fecerit. Ea regio autem, in qua hoc miraculum factum fuerat, decem ciuitates complectebatur, vnde & Decapolis dicta est. Abiit homo Iesu iussis obtemperans, ac per omnes eas ciuitates prædicabat, & qualis fuisset & qualis esset beneficio Iesu factus. Porrò narratio fidem apud omnes fecit, quòd plerisque illius regionis hominibus notus fuisset, & nunc palam præ se ferret integram mentis sanitatem à Iesu consequutam.

*Et cum transcendisset Iesus rursum in naui trans fretum, conuenit turba multa ad eum, & erat circa mare. Et venit quidam Archisynagogus nomine Iairus, & videns eum procidit ante pedes eius, & deprecabatur eum multum, dicens. Quoniam filia mea in extremis est, veni impone manum tuam super eam vt salua sit & viuat. Et abiit cum illo, & sequebatur eum turba multa, & comprimebant eum.*

Lucas dicit, quod turba omnis expectarit dominum, quem Geraseni, vt à finibus ipsorum recederet orabāt. Addit etiam Lucas, filiam hanc fuisse quasi duodennē, vnde nō dubiū, quin patri

Luc.8.

patri charissima fuerit, iam infantiam egressa, & statim nubilis. Et hic vide quomodo necessitas nos humiliet: Archisynagogus ille, in necessitate constitutus, expectat dominum, procidit ad pedes eius & deprecabatur eum multum, ostendens festinato opus esse, filiam enim iã agere animam. Modica enim Archisynagogi fides est, qui credit Christum quidem posse infirmam sana te tactu manus (quemadmodũ & Naaman Syrus putabat ad suam mundationem impositione manuum Helizei opus esse) neque hoc posse absentem absenti conferre. Non credit mortuam posse suscitari. Vndè merito apud Matthæum dominus de Cẽturionis fide dicit. Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel. Ipse enim Centurio aperte fatebatur, Christum vnico verbo omnia posse. Ob hanc tam modicam Archisynagogi fidem Christus nõ detrectat officium, sed comitatur eum, ostendens oportere etiam inseruire his qui nostro officio indigni sunt. Et vtinam quidã magnates hoc domini exemplum imitarentur, imò non magnates tantùm, sed & alij qui putant se esse aliquid, cum nihil sint. Inuenire est aliquos qui & possent & vellent beneficium conferre in proximum, sed quia non cum longa dignitatis præfatione alloquuntur, à petitoribus mutant animum.

Fides modica.

4. Reg. 5

Matt. 8.

Obseru.

*Et mulier quæ erat in profluuio sanguinis annis duodecim, & fuerat multa perpessa à compluribus medicis, & erogauerat omnia sua, nec quicquam profecerat, sed magis deterius habebat, cunque audisset de Iesu, venit in turba retro, & tetigit vestimentum eius, dicebat enim. Quia si vel vestimentum eius tetigero, salua ero: Et confestim siccatus est fons sanguinis, & sensit corpore, quia sanata esset à plaga.*

In Iairo præcessit exemplum fidei, sed modicæ, hic autem habemus exemplum maximæ fidei, cum mulier hæc emotroissa credit se attactu vestimentorum Christi sanari, & tamen multa erant quæ fidem potuissent infringere. Morbus erat grauis per se, durauerat per duodecim annos. Multi medici illam magis cruciarunt intempestiuis suis medicinis. Morbus indies vires accipiebat grauiores, & iam tantum audiens potentiæ & benignitatis in Christo, non dubitat, quin solo attactu vestium Christi, etiam inscio Christo, sanitatem recipere possit. Sexus pudor ac morbi fœditas obstabat quo minus faceret, quod fecerat Archisynagogus, sed accessit retro, contigit vestem Iesu. Tantam enim de illo concepetat spem, sicut diximus, vt diceret apud sese, Si liceat vel fimbriam vestis eius attingere, liberabor à morbo. Nec se fellit mulierem sua fiducia, simul vt tetigerat vestem domini, sistebatur sanguinis profluuium, sic vt ipsa statim sentiret sanitatem. Obserua hoc loci, vbi cessauerit omnis humana industria, tunc tandem incipit se prodere diuina potentia. Vnde in omnibus necessitatibus nostris principio ad Deum fugiendum est, qui si annuerit votis nostris, omnia felicem habebunt successum.

Fides maximâ

Obseru.

*Et statim Iesus in semetipso cognoscens virtutem quæ exierat de illo, conuersus ad turbam aiebat: Quis tetigit vestimenta mea? Et dicebant ad eum discipuli. Vides turbam comprimentem te, & dicis: Quis me tetigit? Et circumspiciebat videre eam quæ hoc fecerat. Mulier verò timens ac tremens, sciens quod factum esset in se, venit & procedit ante eum, & dixit ei omnem veritatem: Ille autem dixit ei. Filia fides tua te saluam fecit: vade in pace, & esto sana à plaga tua.*

Qui sola veste morbum hominibus incurabilem sanare poterat, hunc certè

non potuit latere, quæ quo animo ipsum tetigerat. Vndè quod interrogat de attactu, non ignorantiæ est, sed voluit sic manifestare fidem mulieris, & interim animare Archisynagogum vt bono animo sit, nihil diffidens de morbo filiæ suæ. Quod verò mulier tremens ac timens accedit, pudoris est, & fortaßis timet, ne Christum hoc bono furto offenderit, qui beneficium repeteret. Hanc historiam Sept. Tertullianus tractat pulchrè lib. iiij. aduersus Martionem. Velim & hunc locum cõsiderent de attactu vestium Christi, reliquiarum conspurcatores. Nolo tamen ego quibusdam impijs impostoribus, qui prætextu reliquiarũ ventrem suũ alunt, vel consulere, vel patrocinari. Sed nunquid horum impostura, præiudicare debet sanctorum sanctis reliquiis? Sed hac de re olim plura: Placet hic vice coronidis adijcere, quod de hoc domini facto in ecclesiastica historia legitur. Verba Eusebij sic habẽt: Mulierẽ quam sanguinis profluuio laborantem à saluatore curatam euangelia tradunt, Cæsareæ Philippi ciuem fuisse constat, domusque eius in ea etiã nunc ostenditur. Pro foribus verò domus ipsius, basis quædam in loco editiore collocata monstratur, in qua mulieris velut genubus Christi prouolutæ, palmasque suppliciter tendentis, imago ære videtur expressa, &c. Adstat verò alia ære nihilominus fusa statua, habitu viri stola circundati, ac dexteram mulieri porrigentis. Atque huius ad pedem statuæ, è basi herba quædam noua specie nascitur: quæ cum exorta fuerit, excrescere vsque ad stolæ illius ærei indumenti fimbriam solet. Quam cum summo vertice contigerit, vires inde ad omneis depellendos morbos, languoresque conquirit, Ita vt quæcũque illa fuerit corporis infirmitas, haustu exiguo madefacti salutatis graminis depellatur, nihil omnino viriũ habens, si antequam æreæ fimbriæ summitatẽ crescendo contigerit, decerpatur. Eam statuam ad similitudinem vultus Iesu formatam tradebant, quæ permansit nostra vsque ad tempora, sicut ipsi oculis nostris perspeximus: Hactenus Eusebius, cuius quidem verba adscribere placuit, vt habeant temerarij illi sacrilegi, qui diuorum imaginibus bellum mouent, exemplum, in quo doceantur, quàm non recens sit imaginum vsus in ecclesiis.

*Tertull. Obser.* — *De sanctorũ reliquijs.* — *Eusebi⁹* — *Obseru.* — *Obser.*

*Adhuc eo loquente veniunt nuncij ad Archisynagogum, dicẽtes, Quia filia tua mortua est, quid vltra vexas magistrũ? Iesus autẽ audito verbo quod dicebatur, ait Archisynagogo: noli timere, tantũmodo crede. Et non admisit quẽquàm se sequi, nisi Petrum & Iacobum, & Ioannẽ fratrem Iacobi. Et veniunt in domũ Archisynagogi, & vidit tumultum, & flentes, & eiulantes multum, & ingreßus ait illis: Quid turbamini & ploratis, puella non est mortua sed dormit. Et irridebant eum.*

Tentatẽ fides Archisynagogi, à seruis qui non maiorem de Christo opinionẽ conceperant, quàm dominus illorum. Putant enim nulla re iam opus esse nisi sepulchro quo condiatur puella. In infirmitate fuisse aliquam spem reualescentiæ, sed iam illa mortua conclamatum omnino esse. Admonent igitur famuli dominum, ne diutius vexet dominum, quem non credebant posse à mortuis reuocare adolescentulam. Facit autem hoc seruorum nuncium ad manifestationem miraculi & potentiæ Christi. Certò siquidem affirmant famuli adolescentulam iam mortuam, vt post hac de resuscitatiõe nemo dubitaret. Porrò Iesus audiens tam triste nũcium adferri ad patrem filiæ iam mortuæ, consolatur eum dicens. Noli timere, tantummodo crede. Parum refert siuè viua sit puella, siue mortua, tu tantummodo crede & viuam recipies. Cum autem venisset ad domum, non acce

accepit omnes discipulos secum, sed tantum hos tres quibus peculiaria nomina imposuerat, Petrum Iacobum & Ioannem. Ingressus autem dominus cũ discipulis, vidit turbam tumultuantẽ, & more Iudaico deplorantem præmaturam filiæ mortem, & ait illis dominus. Quid turbamini & ploratis? Non est mortua puella, sed dormit. Nimirũ domino dormiebat, qui verbo poterat expergefacere, multo facilius quàm homo hominem excitet à somno. Sed hoc non intelligit turba, idcóque quod non intelligit, irridet. Et hæc verè sunt gratiarum actiones quas promerentur pij de impijs, scilicet irrisionem & calumnias. Malum quidem est pro beneficiis non habere gratias, sed pro beneficiis referre calumnias, omniũ pessimum est. Et tamen hæc ætas tales fert homines, qui tuo cibo pasti, tuam famam denigrare conantur.

*Ipse verò eiectis omnibus, assumit patrem & matrem puellæ, & qui secum erant, & ingrediuntur vbi puella erat iacens. Et tenens manum puellæ, ait illi: Talitha cumi, quod est interpretatum, Puella, tibi dico, surge. Et confestim surrexit puella, & ambulabat: erat autem annorum duodecim: & obstupuerunt stupore magno. Et præcepit illis vehementer, vt nemo id sciret, & iussit dare illi manducare.*

Vt dominus ostenderet se suis miraculis non ambire auram popularem, neque incredulos dignos, qui videant Dei miracula, noluit quẽquam admittere, præter solos parentes, tres item supra memoratos discipulos, quos huius miraculi voluit habere testes. Nouissimè iubet, puellæ dari cibum, ad testificandum ipsam verè iam resuscitatã & viuam, aliàs enim potuisset phantasma videri. Quòd autem puellæ manũ tangit, non ita cogitandum est, quasi aliter non potuerit, cùm in resuscitatione Lazari ne manum quidem admo- Ioan. 11. uerit. Obserua item quòd Christus paulo ante Gerasenum dæmoniacum voluit habere præconem diuinæ potentiæ & misericordiæ, hunc autem Archisynagogum noluit habere præconem, vt sic testetur Deum humana sapientia vel prudentia parum opus habere. Obseruandum deinde hanc puellam duodennem typum gerere horum hominum, qui ex infirmitate quadam humana labuntur in aliquod facinus, his adhuc facillimè subueniri potest. Difficilior eius curatio, qui iam in publicum emanauit: difficillima qui longa peccandi consuetudine callum duxit. Ea omnia pulchrè significantur in tribus mortuis quos Christus in euangelio resuscitasse traditur. Sed non placet hanc rẽ iam pluribus tractare. Sufficiat iam sic huic capiti imposuisse finem, gratia & benignitate domini Iesu Christi. Amen.

Obseru.

Obser.

## CAPVT SEXTVM.

*ET egressus inde abiit in patriam suã, & sequebantur eum discipuli sui. Et facto sabbato cœpit in synagoga docere, & multi audientes admirabantur in doctrina eius, dicentes: Vnde huic hæc omnia? Et quæ est sapientia quæ data est illi, & virtutes tales quæ per manus eius efficiuntur? Nonne hic est faber ille, filius Mariæ, frater Iacobi & Ioseph & Iudæ & Simonis? Nonne & sorores eius hic nobiscum sunt? Et scandalizabantur in illo.*

Quocunque locorum, quacunque occasione sese confert, aut recipit dominus Iesus, vbique sui similis est, salutem adfert, vt interim comites discipulos admoneat, nusquàm esse cessandũ ab euangelico negotio, sed semper hoc per omnem occasionem agendum, vt ex malis reddamus bonos, ex bonis meliores: siue domi contingat viuere, siue peregre, siue in publico, siue in priuato.

Iesus igitur qui Gerasenos adire tentarat, ne videretur in alienos propensior quàm in suos, relictis locis lacui vicinis, recepit sese in patriam suam, nimirum Nazareth, in qua conceptus & nutritus fuerat, comitati sunt illum discipuli iam assectatores perpetui. Porrò cum aduenisset dies sabbati, quo ex laudatissimo more Iudæi consueuerũt conuenire vt legem domini vel discerent, vel docerent, ingressus est & Iesus, & cœpit docere: Interim iuxta Lucæ demonstrationem, ex Esaia demonstrãs se esse Messiam. Quum sic igitur doceret in synagoga Iesus, apud multos hoc eleuauit illius autoritatem, quod iuxta carnem notus esset. Nouerant tenues parentes, & humilem domũ vnde prodierat: de patre cœlesti, deq; domo æterna, vnde nostra causa descenderat, ne per somnum quidem aliquid suspicabantur. Nouerant artem paternã, qua Ioseph familiam alebat; quam vt videtur, primis annis & ipse Iesus exercuerat. Proinde quibus notus erat Iesus, qui vsque ad annum fermè trigesimũ vixerat apud suos, nihil præ se ferens pharisaicæ doctrinæ, quum audirent eum magna cum autoritate docentem, quæ nunquàm audierant à doctissimis Pharisæis, vehementer admirati sunt, dicentes inter sese: Vnde hic subito factus est alius? Vnde huic hæc omnia? Et quod est hoc nouum sapientiæ genus, quæ data est illi? Et vnde tam præsens vis in edendis miraculis, quantũ nec in vllo prophetarum audiuimus? Nonne hic est faber ille, filius Mariæ, frater Iacobi, & Ioseph & Iudæ & Simonis? Nonne & sorores eius hic nobiscum sunt? Obseruandum hic, illos qui fratres domini vocantur, nõ fuisse filios Mariæ vel Ioseph, sicut Heluidius dogmatizabat, sed more scripturæ vocantur fratres, qui ex vna familia ꝓgnati sunt. Sic Loth frater Abrahami dicitur, cũ tantum huius consobrinus, ille fuerit. Facilia sunt hæc. Sequitur.

Luc. 4.

Obseru.

Gen. 13

*Et dicebat illis Iesus, Quia nõ est Propheta sine honore nisi in patria sua, et in domo sua, et in cognatiõe sua: Et nõ poterat ibi virtutẽ vllam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curauit: & mirabatur propter incredulitatem eorum, & circumibat castella in circuitu docens.*

Prophetam non esse acceptum in patria sua, apud Lucam exemplis Heliæ & Helizei probat, dum ille à vidua Sareptana pascitur, hic verò Naaman Syrum à lepra mundat. Quod igitur alijs prophetis factum est, idem & Christo accidit. In aliis regionibus & ciuitatibus fama eius celebris est, vndiq; ad ipsum confluit turba promiscua populi, in patria autem sua omnino contemnitur. Sic enim vulgi iudicium est, cui peregrina plus placent, quàm proximiora. Et hoc aliquando videmus, quod ij quos nos paruifacimus aut omnino contemnimus, alibi in magno honore sunt. Plerumq; item fit, vt Iudæi Barrabam liberent, Christum autẽ crucifigant. Adiungam & hoc, quod quicquid vel peregrini vel noui est, hoc multis placet, præ omnibus veteribus. Vnde plurimum accidit, vt fiat Glauci & Diomedis permutatio. Habet etiam vulgi prouerbium: Quod rarum, charum: Sed præposterum est hoc vulgi iudicium, & qui rem non ex eo probat, vnde probare oportebat. Gustato primum fructum, deinde ferto sententiã. Cæterùm sequitur hic, quod Christus non potuerit in patria sua virtutem vllam facere, nisi quod paucos infirmos impositis manibus curauit. Quare non potuit? Quia noluit: Subest enim ei cũ voluerit posse. Sed quare noluit? Propter incredulitatem illorum, & ne miracula visa illis forent occasio grauioris pœnæ. Quod autem mirari dicitur dominus incredulitatem illorum, non quasi inopinata & improuisa miratur, qui nouit omnia antequàm fiant, sed qui nouit occulta cordis, quod miran-

Luc. 4.

3. Reg. 17

4. Reg. 5

Peregrina placent.

Sap. 12.

dum vult intimare hominibus, mirari se coram hominibus ostendit. Et profecto admiranda Nazarenorum infidelitas, qui & doctoribus abundantes, & eloquijs diuinis, in quibus Christi prædicabatur aduentus, ipsum etiam præsentem habentes Christum, agnitionem sui & verbis ingerentem & virtutibus, nihilominus increduli durabant. Aduertendum autem, quòd volens ostendere, se posse quidem hic in patria sua mirabilia operari, vel paucos infirmos curat, omnipotens enim nomen eius. Sed noluit plura facere, ne plura faciens, vt diximus, ciues incredulitatis condemnaret. Obscurum non est quid dominus Capernaum & Bethsaidæ & Corozain imprecatur, in quibus ciuitatibus multa signa ostenderat. Porrò quia Iesu erat cursum suũ consummare, neque aliquem contra suam voluntatem saluare, relicta patria incredula, aliò concessit, circumiens castella, vbique sanans & docens.

Exo. 15. Matt. 11

*Et vocauit duodecim, & cœpit eos mittere binos: & dabat illis potestatem spirituum immundorum.*

Iam tempus erat, vt apostoli quos Euangelicæ functioni designârat, iámque aliquandiu asidui comites fuerãt Iesu, emitterentur. Vocat igitur duodecim, nimirum eos quos supra Marcus nominauit, à Simone Petro numerare incipiens, vsque ad Iudã Iscariotẽ. Et hos binos & binos emisit, tum vt in ore duorũ vel trium consisteret omne verbum, tum etiam, vt ostenderet ipso facto nullos aptiores esse ad euangelizandi munus, nisi quos fraterna cõmendaret charitas. Emisit autem inermes ac nudos, ne quid hic in cælesti negotio sibi vindicarent mundana præsidia. Porrò ne leuis esset piscatorum & idiotarũ autoritas, addidit illis, quod huius mundi monarchæ suis legatis ac præfectis dare non possunt. Tradidit enim illis potestatem eijciendi dæmones. Vide autem quàm benignus & clemens sit dominus, qui non inuidet discipulis suas virtutes, & sicut ipse curauerat omnem languorem & omnem infirmitatẽ, apostolis quoque suis dedit potestatẽ vt curarent oẽs omnium morbos & languores. Sed multa distantia est inter habere & tribuere, donare & accipere. Iste quodcunque agit, potestate domini agit. Illi si quid faciunt, imbecillitatem suam & virtutem domini confitentur, dicentes vt Petrus: In nomine Iesu Christi Nazareni, surge & ambula. Sequitur.

Marc. 3. Matt. 10. Potestas discipulorum. Act. 4.

*Et præcepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm: non peram, non panem, neque in zona æs, sed calceatos sandalijs, & ne induerentur duabus tunicis.*

Munus euangelicum tam impletum est curis & laboribus, vt certè requirat hominem ab omnibus alienis curis liberum: proinde hic Christus adimit discipulis omnia quæcunque eos remorari possent in via ambulantes. Virgã eis concedit tantum, vt expeditiores sint in via, vtentesque ipsa scipionis loco. Neque concedit eis, vt vel contra famem, neque frigus, neque hostes se muniant, sed hæc omnia quæ viator sibi necessaria putat, superflua existiment: ita neque panem, neque peram, neque zonam ære onustam, neque duas tunicas, sed cum virga concedit sandalia, leue calciamentorum genus, quod & pedes defendit, & tamen eos non remoratur à celeri cursu. Summa, hæc omnia eò spectant, vt sic se parent, quò nulla re impediantur ad euangelij prædicationem, omnem solicitudinem & curam in Christum reijcientes. Igitur nõ peccabit in hoc, si quis secum ferat baculum etiam quo tutus sit aduersus canum morsus: vel peram, vel panem, vel pecuniam, vt alijs nõ sit oneri: vel calciamenta vel ocreas, vel tunicam & pallium ad propulsandum frigus & imbres: modò in has res nemo plus fidat quàm

Euãgelij rãdi munus requirit liberũ hominem. Obser.

quàm in Christo, nec patiatur sibi superdicta esse impedimento. Legimus & apostolos quosdã habuisse gladios, & vsos procuratore: & Paulus proprijs manibus laborauit. Sed hanc rem in Matthæo explicauimus.

*Et dicebat eis. Quocunq; introieritis in domum, illic manete donec inde exeatis: & quicunque non receperint vos, nec audierint, exeũtes inde excutite puluerẽ de pedibus vestris, in testimonium illis.* Quidam codices adiungunt. [*Amen dico vobis, tolerabilius erit Sodomis & Gomorris in die iudicij, quàm ciuitati illi.*]

Vult autem dicere dominus discipulis. Emitto vos sine argento & auro, nolo vt onusti sitis vllo cõmeatu, ne tamen sitis soliciti, vel de diuersorio, vel de cibo. Sed ingressi ciuitatem vel vicum, quæcunque domus vos exceperit, etiam si sit tenuis & humilis, illic permanete, donec alio vocante euangelij profectu, visum fuerit inde discedere. Pauci & paruo contenti, nõ eritis cuiquam graues hospites. Vix fieri poterit, vt vsquam sit tam deplorata ciuitas, in qua nullus reperiatur, qui tales hospites nõ sit cupidè recepturus, cum sint qui medicum magno conducant, & è longinquo accersant. Sed poterant discipuli obijcere: Quid si nos à se repulerint? Respondet: Quòd si domus aut ciuitas contigerit tam ingrata, vt vos vltro deferentes cæleste munus, quo sanentur & corpora & animi, nõ recipiant, nolite ob paucorum peruersitatem desistere à suscepto negotio, sed exeuntes inde excutite puluerẽ etiã de pedibus vestris, sic illis exprobrantes suam ingratitudinem & stultitiam, qui noluerũt eos recipere, qui & corpori & animæ mederi voluissent atque potuissent: tam nulla mercedis spe, vt etiam puluerem non petant. Apparet solenne fuisse apud Iudæos, excutere puluerem de pedibus, exprobrando aliquibus suam ingratitudinem. Vnicuique enim regioni suus mos est.

*Et exeũtes prædicabãt vt pœnitentiã agerẽt, et dæmonia multa eijciebãt, et vngebãt oleo multos ægrotos, & sanabãtur.*

Matthæus hanc rem copiosius habet, sed non opus est hic recensere, nisi quod præscripserit illis dominus, quo abire deberẽt. Ait enim: In viã gẽtium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed ite potius ad oues quæ perierũt domus Israel. Exeuntes ergo discipuli eandẽ prædicationem faciunt, quã & à Ioanne & à Christo audiuerant: nimirum dicentes, Pœnitẽtiam agite, appropinquat enim regnum cælorũ. Prædicationẽ aũt suam cõfirmabãt subsequẽtibus signis: quod neque Ioannes Baptista, neque quisquàm vel Pharisæorũ vel scribarũ potuerũt facere, scilicet, eijcere dæmones, & sanare quoslibet morbos. Porrò quod de vnctione olei hic dicit, neque Matthæus neque Lucas memorat. Neque tamen dubium est, quin domini iussu ægrotos oleo vnxerint. Quis enim tam impudens est, vt opinetur discipulos aliter fecisse, quàm quod à Christo acceperunt? Et hic olei vsus à tempore apostolorũ in ecclesia seruatus est, vsq; in hanc horam. quan tumuis multi hæretici impudentissimè hac de vnctione crocitãrunt. Quod discipuli hic apud Marcum faciunt, idem & post domini ascensionem fecisse, certum est ex epistola Iacobi, qui dicit: Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine domini, & oratio fidei saluabit infirmum: & alleuiabit eum dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei. Secundum hanc Apostoli admonitionẽ, & apostolorum discipuli fecerunt. Meminit enim & Tertullianus, olei quo dominus suos vngere solet, inter cætera sacramenta. Nescio tamen an de oleo chris-

Matt.10

Ioã.10.

De vnctione olei.

Iaco.5.

Lib.3.aduersus Marcionem.pa.162.

chrismatis, vel extremæ vnctionis dicat. Porrò Diuus Augustinus clarioribus verbis rem effert, sic dicens: Quotiens aliqua infirmitas occurrerit alicui, non quærantur præcantatores, nō diuini, &c. sed qui ægrotat in sola Dei misericordia fidat, & Eucharistiam cū fide & deuotione accipiat, oleumq; benedictum fideliter ab ecclesia petat, vnde corpus vngatur. Et secundum Apostolum, Oratio fidei saluabit infirmū, &c. Eiusdem rei meminit li. ij. cap. iiij. de visitatione infirmorū. Hæc prijs sufficiant, qui certè domini sacramenta vel inutilia vel superflua non iudicabunt. Qui hoc facit quod ab apostolis & eorum discipulis factum nouerit, nunquam in hoc peccabit.

De rectitudine catholi. cōuersa. par. 10.

*Et audiuit rex Herodes (manifestum enim factum est nomen eius) & dicebat: Quia Ioannes Baptista resurrexit à mortuis, & propterea virtutes operantur in illo. Alij autem dicebant, Quia Helias est. Alij verò dicebant: Quia propheta est, quasi vnus ex prophetis. Quo audito Herodes ait, Quem ego decollaui Ioannē hic à mortuis resurrexit.*

Varia fuit quorundā de anima sententia, siue mauis opinio diuersa, cum hic sic, alius sic sentiret. Nihil esse post mortē, Epicuri schola est. Ait & Seneca, omnia post mortem finiri, etiam ipsam. Sed Platonici immortalem animam è contrario reclamant, imò adhuc proximè etiam in corpora remeabilem affirmant, etsi non in eadem, & si non in humana tantùm, vt Euphorbus in Pythagoram, Homerus in Pauum recenseantur. Sed vnde Philosophi in hanc stultitiam peruenerint paucis dici non potest. In ea opinione & Herodes fuit cum aliis quibusdam, vnde audiens Christum tam mirabilia facere, arbitratur Ioannis animam in Christi corpus remigrasse, & Ioannem sic quasi diuiniorem factum, ideóque tam mirāda operari. Tam crebra enim erant Christi miracula, tam euidentia item, vt nemo posset causari cōmentitia: tam salutifera, vt nullus calumniari posset, ea per malos dæmones geri. Nihil ergo cogitat Herodes, quàm Ioannem resurrexisse, & aliud corpus ad sumpsisse. Rursus alij, sumpta coniectura ex Malachiæ vaticinio, dicebant Iesum esse Heliam, cuius reditus promittitur ante diem domini magnum & horribilem. Erant qui negarent illum esse Heliam, cuius apud Iudæos summa erat authoritas, sed vnum quempiam ex mediocribus prophetis, qui reuixisset. Quorum sententijs auditis, Herodes perstitit in sua dicens, Imò hic est ipse Ioannes quem ego decollaui, Is reuixit, ac iam diuus factus operatur humanis viribus superiora. Est & alius locus euangelij, huic non dispar, cum dominus suos discipulos interrogat dicens, Quem dicunt homines esse filium hominis? Illi autem responderunt: Alij Heliam, alij Ioannē Baptistam, alij verò Ieremiam, aut vnū ex prophetis. Sed hic obserua, quamuis Christus ab Herode non agnosceretur, tamen summis & sanctissimis viris assimilatur. Longè enim præstat appellari Ioannes Baptista, quàm Roboam, Achaz vel Manasses, &c. Quin etiam Herodis stoliditatem considera, fatetur Ioannem reuixisse, fatetur illū nunc dæmū plus valere quàm valuerat viuus, & tamen propemodum iactat, quod illum occiderit, paratus & eum rursum occidere si licuisset. Tanti facinoris occasionem audire est operæ pretium.

Tertul. de resur rectiōe carnis.

Mal. 4.

Matt. 16

Obser.

*Ipse enim Herodes, misit ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcere propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam.*

Impius rex mittit sceleratos milites, ac comprehēdi facit sanctissimum, quo inter natos mulierum maior non surrexit. Sed ponderabimus singula verba

Matt. 11.

verba. Herodes misit & tenuit Ioannem. Quis est iste Herodes? Eius Herodis qui innocentes occiderat filius, hoc est, mali corui malum ouum. Pater occidit infantes pueros, filius innocentem prophetam: Pater persequitur Christum, filius præcursorē. Sic enim perpetuò Esau non cessat persequi Iacob, Cayn Abelum, Absalon Dauidem. Herodes igitur ille misit. Quid misit? Satellites nimirum suos, qui nouerant quánam in re possent domino suo regi gratum facere. Hos igitur impij regis impios seruos misit, ac tenuit Ioannē, qui per filiolum iussus suapte sponte venisset, & vinxit eum in carcere. Ioannes venit vt liberaret regem à vinculis diaboli, & rex vinculis alligat sanctum virū in carcere. Rogas, quid mali fecit? quare proiectus est in carcerem? Propter Herodiadem. Quid Ioanni rei est cum Herodiade? Quid sancto viro cum spurcissima lupa? Herodias hæc fuit vxor Philippi fratris Herodis, & hic fratris vxorem apud se retinebat. Quid hæc ad Ioannē? Nunquid Ioannes Philippum vxore spoliauit? Nequaquam. Vt quid igitur Euāgelista dicit, Herodes misit ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcerem, propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam. Audi.

Herodes. Gal. 4.

*Dicebat enim Ioannes Herodi: Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Herodias autem insidiabatur illi, & volebat occidere eum, nec poterat.*

Hæc causa est quòd sanctus vir in vinculis tenetur, quia officium suum sedulò exequitur, & Herodem admonet ne suo desit officio, dicens: Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Frater enim adhuc superest, & filiam habet, vt non sit necesse suscitare semen fratris. Non licet tibi, quia rex es, & omnes omnium oculi in te conuersi. Quod tu feceris, & alij sibi licere putant, sicque tuo malo exemplo alios ad impietatem prouocas. Non licet tibi habere vxorem fratris tui, cùm grande piaculū sit regem etiam aliàs scortari. Hæc ferè verborum Ioannis sententia est, sed iuxta Comicum, Obsequium amicos, veritas odium parit. hinc sequitur: Herodias autem insidiabatur illi, & volebat occidere eum, nec poterat. Quare insidiabatur illi? Quia timebat ne Ioanne improbius admonente, Herodes scortum abijceret. Ideò volebat impia mulier pium virum occidere, sed non videt qua occasione hoc ipsum posset.

*Herodes autem metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum & sanctū, & custodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.*

Poterat quispiam dicere, Quid opus erat Herodiadem Ioanni insidiari, cùm nullum erat periculum, Herodem persuaderi vt abijceret adulteram? & si voluit occidere Ioannem, quid remoratē illam ab incepto? Subiungit Marcus. Herodes enim metuebat Ioannem, & si non amabat ex animo: sciebat enim illum virum iustum ac sanctum, & obseruabat eum, multisque in rebus illius consilijs obtemperabat, ac libenter audiebat. Hæc obstabant quo minus impia adultera posset Ioannem extinguere. Herodes habet occasionem vt metuat Ioannem, & obseruet, & illius monitis obtemperet, scit enim illum virū iustum & sanctum. Herodias autem habet impedimentum ne suam malitiam exerceat, cùm scit Ioannē aliquid posse apud adulterum. Et hic obseruandum principibus viris, quales debeant admittere consiliatores, nimirum homines iustos & sanctos: & eos debent suscipere, eis obtemperare, & libenter audire. Sed inuenies iam, qui habent bonos & optimos viros à consilijs, sed abutuntur eis ad porrigendam matulam: audiunt eos proponentes bona, sed non obtemperant: imò mallent bo

Obseruandum.

nos viros non adesse, quos semper impietas metuere cogitur. Inuenies deinde, qui quales sunt principes, tales etiã eligunt sibi consiliatores, ne desit dignum patellæ operculum. Cæterùm, quæ hic refert Marcus de Herode, q̃ scilicet sanctè senserit de Ioanne, ad illud tempus referendum est, quo nondum Ioannes liberrimè Herodem increpauerat. Apud Matthæum enim sic legimus: Et volens Herodes Ioannem occidere, timuit populum, quia sicut prophetam eum habebat. Benè comparatum, & iuxta prouerbium vetus, Pares cum paribus facillimè congregantur. Vterque sedet animo occidere Ioannem: Herodes timet populum, Herodias regem: tantum deest vtrisque occasio ad perpetrandum facinus, sic vt excusari posset.

Matt.14

*Et cum dies oportunus accidisset, Herodes natalis sui cœnam fecit, principibus, & tribunis, & primis Galilææ. Cumque introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & placuisset Herodi simulque recumbentibus: rex ait puellæ, Pete à me quod vis, & dabo tibi: & iurauit illi, Quia quicquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei.*

Morem hic vides veterum, quomodo soliti fuerint quidã celebrare diem natalis sui, quod in quibusdam regionibus adhuc fieri constat. Sic & Herodes celebrat diem natalis sui magno sumptu, magno luxu, magnáque lætitia. Aduocarat enim magnates regni sui, quo honestaretur conuiuium. Neque citra saltationem lætitia hæc transacta est, ingressa enim filia Herodiadis, saltat coram rege & simul recumbentibus. Quod cũ mirè placuisset regi & conuiuis, rex ait puellæ, pete à me quod vis & dabo tibi. Et vt maiorem fiduciã adderet puellæ petendi quicquid libuisset, temulentum promissum iurciurãdo confirmauit. Quicquid, inquit, petieris, etiam si dimidium regni mei petieris, dabo tibi. O vocem stultissimam, & temulento regi dignam. Hic vide hominem, cui meritò regnum committitur, qui non dubitat dimidium regni turpi saltatione vendere: nec satis est semel polliceri, nisi & iusiurandum accedat. Et tales Herodes multos est inuenire, qui pro poculo vini ebibendo audent magnifica polliceri, & sanctius seruant quod temulenti promiserunt, quàm baptismi votum, vel aliud sanctum votum. Vnde & in vulgi prouerbium cessit, Vino ingrediente, sapientiam egredi. Hinc in Prouerbijs scribitur, Noli regibus dare vinum, quia nullum secretum vbi regnat ebrietas: Ne fortè bibant & obliuiscantur iudiciorum, & mutent causam filiorum pauperis.

Obseru.

Pro.31.

*Quæ cum exisset, dixit matri suæ: Quid petam? At illa: Caput Ioannis Baptistæ. Cumque introisset, statim cum festinatione ad regem, petiuit dicens. Volo vt protinus mihi des in disco caput Ioannis Baptistæ.*

Attende, Puella quemadmodum hanc fabulam matris instinctu cœperat agere (nam illa diem, locum, & horam obseruarat, illa saltatriculam instruxerat) non audet ilicò pronunciare quid peteret, sed egressa è conuiuio consuluit matrem dicens: Iureiurando rex confirmauit se daturum quicquid petiero, quid igitur petam? Hic meritò locus erat hæsitandi, ne tanta periret oportunitas. At incesta mulier nihil contata, neque quicquàm charius habens morte sanctissimi viri, respondit: Pete caput Ioannis Baptistæ. Cogitabat enim venefica, si non esset qui à se regis animum abduceret, posse omnia impetrari postea à rege iam cæco amore temulento. Sed audi docilem ad omne flagitium puellulam: Ilicò reuersa est intro vbi Rex prandebat, dicens:

Vnicum dumtaxat missum peto: Volo vt protinus mihi des in disco caput Ioannis Baptistæ. Quare protinus? Ne Ioannes colloquẽdo longius cum rege, perficiat vt adulteram abijceret. Et verisimile est filiam libentius commoratam cum Herode, quàm cum Philippo, vt sic videamus quòd minimé degenerârit. Sequitur.

*Et contristatus est rex: Propter iusiurandum autem, & propter simul discumbentes, noluit eam contristare: sed misso spiculatore, præcepit caput eius adferri in disco, & decollauit eum in carcere. Et attulit caput eius in disco, & dedit illud puellæ, & puella dedit matri suæ. Quo audito discipuli eius venerunt, & tulerunt corpus eius, & posuerunt illud in monumento.*

Quantumuis aliquis sit pessimus, tamen non potest fieri, quin conscientia ipsum accuset, si male fecerit: Sic & crudelissimus tyrannus audiens impiam petitionem contristatur, non enim potest vel negare vel dissimulare tam crudele facinus. Sed quare non negauit petitionem? Propter iusiurandum, & propter simul discumbentes noluit eam contristare. Audi obsecro. Nouerat Ioannem iustum & sanctum virum, & eum libenter audiebat, sed quia iurauerat, non vult mutare sententiam. Oh præposteram & nefandam religionem illam: Rex ille impius timet iusiurandum rescindere, quod lasciuia puellæ motus, inter pocula vino sepultus fecit: sed rem habere cum vxore fratris, temerè polliceri, inebriari vino, sanctum virum in carcerem conijcere, & postea decollari iubere, non timet. Sed præstat, scilicet, iustum & sanctum virum, qui in omnibus animæ tuæ salutem quærit, perdere, quàm regem adulterum & ebriosum peierare, quàm puellam tam impudicam, tam honestos, scilicet, hospites contristari. Sic solent impij excolare culicem, & deglutire camelum: sed viri cordati erat, ad æquitatem hoc iuramentum exigere & cogitare: Iurasti quidem te omne quod Herodiadis filia petat daturum ei, iurasti quidem, & iuramenta viro honesto seruanda sunt, verùm quando puella hoc abs te petit quod æquum & bonum est, & iuramentũ de præstando quod quis velit, tunc seruandum est, si id quod promisimus in se licitum, & his quibus promisimus vtile sit, ideò nunc omnem perfidiæ maculam effugere possum, non præstando quod promiserã. Vide etenim singula. Rex temulentus deierat, puella lasciua & impudica petit quod inhonestum & proximo nociuum, & nemini vtile est, quod præter & contra omne æquum & iustum est. Quis igitur sanæ mentis hoc iuramentum præstandum esse diceret? Sed ob iurgatio Ioannis ob ductã fratris vxorem, magis coegit Herodem, quàm iuramentũ. Hic vide diabolicas nuptias, & eius domini conuiuas. Rex adulter inebriatur, stolidè iurat: Herodias parat necem Ioanni, puella homicidium postulat, lictor promptè obedit, conuiuæ susq; deq; ferunt. Sed hi sunt adulterij & ebrietatis fructus. Nullus erat tegi tam amicus, qui rem tam nefariam interpellaret. Et postea miramur, si reges aliquando audent nefaria, quũ tales habeant conuiuas, vel timidos, vel impios, vel adulatores. Sed non possum huic tragœdiæ longius immorari. Temeritatem puellæ, quæ caput viri adhuc cruentum matri offert, quis non videt? Vbi corpus sancti viri positum sit, parum refert.

Matt. 23

Obser.

*Et conuenientes apostoli ad Iesum, renunciauerunt ei omnia quæ egerant & docuerant. Et ait illis: Venite seorsum in desertum locum & requiescite pusillum. Erant enim qui veniebant & redibant multi, & nec spatium manducandi habebant. Et ascendentes in nauim, abierunt*

*runt in desertum locum seorsum. Et viderunt eos abeuntes, & cognouerunt multi, & pedestres de omnibus ciuitatibus concurrerunt illuc: & praeuenerunt eos.*

Historiā de Ioānis decollatione obiter inseruit Marcus, cum sic occasione miraculorum Christi in mentionem Ioannis inciderat, scilicet, quomodo quidam dixerint Ioannem ab Herode decollatum resurrexisse à mortuis, & ideò tanta miracula operari: iam cœptum ordinem prosequitur. Et quia paulò ante dixerat apostolos duodecim à Christo emissos ad prædicandum, iam memorat eos ad Christum rediisse, & retulisse quàm fœliciter res successerit. Sic & apud Lucam septuaginta duo discipuli, quos dominus ad prædicandum emiserat, reuersi sunt cum gaudio dicentes, Domine etiam dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis, Videbam satanam sicut fulgur cadentē de cælo. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpētes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit, & cæt. Sic, & hoc loci veniunt duodecim apostoli & renunciant domino, quid vel fecerint vel docuerint. Et ait illis, Venite in desertum locum & requiescite pusillum, quod simpliciter intelligere possumus, concionatores non debere adeò se semel laboribus conficere, vt ad docendum prorsus inutiles reddantur, sed ita debere docere, vt ad docendum diu vtiles & alacres esse queant: id quod futurum est, si aliquando à laboribus ad quietem concesserint, non ad voluptatibus laxandum animum, sed vt corpus non nimio labore conficiatur. Nota est ethnici poetæ sententia, Quòd caret alterna requie durabile non est. Nec incelebre est prouerbium: Funiculus nimiū tensus rumpitur: homo plus iusto laboribus occupatus, diu illis ferendis sufficere nō potest. Sed hæc admonitio nostris concionatoribus superflua est, apostolis autē necessarium erat, sic concedere pusillū ad quietem, siquidem vbi tū temporis offenderunt discipuli dominū, innumera hominū turba ventitabat ad Iesum, qui adeo nullam quietem permittebant Apostolis ex itinere lassis, vt ne cibi quidem sumendi daretur spatium. Idcóque dimissis turbis, & conscensa naui, petierunt littus Bethsaidæ vicinū, atq; inde in locū desertum sese cū domino receperunt. Verùm nec hic cōtigit diu latitare, quia secessus hic nihil aliud quàm irritauit & acuit hominū desideria. Obseruatum est à quibusdā, quò se cōtulissent, nimirum in desertum spectans ciuitatem Bethsaidæ: moxque rumore sparso quod illic agerent, magna vis promiscuæ multitudinis, ex omnibus vicinis oppidis, eò pedestri contendit itinere, sic vt prius eò pedites peruenerint, quàm ipse dominus cum discipulis, etiam nauigatione adiutus. Vtinam tam auidi essent nostri seculi homines, vt semper præuenirent ecclesiasten, ne ipse cogeretur illos diu expectare. Vtinam & concionatores omnes meminissent instare tempus, quo reddere compellentur rationem de omnibus & factis & verbis, quemadmodum & eius rei exemplum in apostolis ostensum est.

*Et exiens vidit turbam multam Iesus, & misertus est super eos, quia erant sicut oues non habentes pastorem: Et cœpit eos docere multa.*

Iesus vbi sensit innumeram hominum multitudinem vndiq; difficili & pedestri itinere cōfluxisse, adeò nō subduxit sese, nec abegit importunos, vt è secessu suo velut obuiam prodierit. Vbi igitur conspicatus est numerosam quidem, sed promiscuam & incōpositam turbam puerorum, virorū ac mu-

Luc. 10. — Obseru. — Obseru. — Obser.

mulierum, tactus est misericordia super eos. Sitiebant enim salutarem doctrinam, idque arguebat etiam itineris & celeritas & difficultas, sed erant velut oues huc & illuc palantes ob boni pastoris inopiam. Siquidem sacerdotes Pharisæi & Scribæ, neglecto grege, pascebant semetipsos, quod vbique audimus dominum apud Prophetas conquerentem. Iesus itaque misertus simplicis turbæ, cœpit agere fidum pastorem. Primum multo doctrinæ sacræ pabulo refecit illorum animos, mox sanabat, quos secum adduxerant ægrotos.

*Et cum iam hora multa fieret, accesserunt discipuli eius dicentes: Desertus est locus hic, & iam hora præterijt, Dimitte illos, vt euntes in proximas villas & vicos, emant sibi cibos, quos manducent.*

Vide quomodo discipuli in pietate proficiant, sic tamē vt homines esse nō posśis tergiuersari. Iā auditū est: Exiēs Iesus & videns turbam multam, misertus est, super eos: sic & discipuli benignum suum dominum imitantur. Cùm enim Christus diu docuisset & sanasset turbam, iamque res ipsa moneret corporis quoque cibo reficiendam esse multitudinem, discipuli præceptoris clementiam imitantes submonent illum, Domine, inquiunt, vides infinitam multitudinem, absque commeatu vsque huc profectam: Et locus hic desertus est, iamque tempus reficiendi corpora præterijt: Obliuiscuntur sui, tuis sermonibus inhiantes, nec possunt diuelli. Iraque dimitte illos, vt eant in proximas villas ac vicos, emantque sibi cibos quos edant. Vides iam discipulos etiam condolere multitudini. Iam ostendunt se verè adhuc homines, & non satis candidè de Christo sentire, dum existimant eum non cogitare quid factum oporteat, dum existimant solo pane viuere hominem, dum existimant denique Christum non posse turbam pascere citra adminiculum vllius pistoris. Sed facile hoc condonare possumus, si sequentia ponderamus.

*Et respondens ait illis, Date illis manducare. Et dixerunt ei: Euntes emamus ducentis denariis panes, & dabimus illis manducare. Et dicit eis: quot panes habetis? ite & videte. Et cum cognouissent dicunt: quinque & duos pisces.*

Nouerat quidem dominus discipulos non posse alere turbam propria virtute, nihilominus tamen iubet, vt sic & attentiores faceret ad subsequens miraculum, & ostenderet discipulorum suorum pietatem & parsimoniam. Maxima etenim benignitas est, quòd parati sunt ire & ducentos denarios (quos habuisse verisimile est) expendere, & sic multitudinis fami consulere, non soliciti in posteros dies. Neque enim respondent dicentes, qui nos possumus tantam turbam alere in deserto? Nunquid omnes pecunias nostras iubes exponere, & meliora sed incerta sperare? Nihil tale auditur, sed parati sunt omnia sua impartiri in turbam famelicam. De parsimonia quid dicam? duodecim discipuli, cùm domino, qui tredecimus erat numero, tantùm habent quinque panes, & duos pisces, in desertis locis, & sic habent, vt quasi nesciant, dispiciunt enim, iussi à domino, quid ciborum habeant. Sequitur.

*Et præcepit illis vt accumbere facerent omnes secundum contubernia super viride fœnum: Et discubuerunt in partes per centenos & quinquagenos. Et acceptis quinq; panibus et duobus piscibus, intuēs in cœlū benedixit, & fregit panes & dedit discipulis suis, vt ponerent ante eos. Et duos pisces diuisit omnibus, & mans*

*manducauerũt omnes, & saturati sunt. Et sustulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos, & de piscibus. Erant autem qui manducauerunt quinque millia virorum.*

*Prõpta obediẽtia disci pulorũ.* Hic videmus miram discipulorum obedientiam, qui iussi à domino, faciunt tantam turbam hominum discumbere, & non vident quicquam quo pasci possent, nisi quinque panes & duos pisces: neque cogitant, ecce quantus pudor erit iubere homines discumbere, & non habere escas? neque de se soliciti dicunt, nunquid panes & pisces nostros dabis turbis,& nos esuriemus? Nihil tale obijcitur vel cogitatur à discipulis. Quòd autem iubet dominus discipulos, vt omnes iuberent in virenti gramine discumbere, sic distributos in sodalitia, vt in singulis centum aut quinquaginta simul accumberent, ideò factum est,vt animaduerterent quanta esset hominum multitudo. Paruerũt igitur apostoli domino, populus paruit apostolis, tanta erat fiducia in pastore Iesu. Is ergo accepit quinque panes ac duos pisces, & ex more sublatis in cælum oculis, gratias egit patri, deinde fregit panes,tradiditque discipulis vt apponerent multitudini: similiter & pisces partitus in partes tradidit discipulis omnibus distribuendos. Refecti sunt omnes ad saturitatem vsque, & adeo cuique nihil defuit, vt peracto conuiuio apostoli ex reliquijs iussu domini collectis, impleuerint cophinos duodecim. Porrò numerus multitudinis, qui facilè poterat deprehendi, ex distributis per viridaria sodalitijs, erant quinque virorum millia, præter pueros ac mulieres. Hæc omnia facillimè credere possumus, si tantum cogitauerimus ab eo gesta, qui totum terrarum orbem pascit, & cui dictum est: Oculi omnium in te sperant domine, & tu das illis escam in *Psal.144* tempore oportuno. Cæterùm hic videre quàm verè alibi dicit dominus, Primum quærite regnum Dei & iustitiam eius, & omnia hæc adijcientur vobis. *Matt.7.* Turba illa populi primum quæsiuit regnum Dei, sequuta est Christum, ideóque pascuntur ad saturitatem vsque. Et in hoc conuiuio nullum luxum vides, sed tamen omnia pro necessitate: vt intelligas Deum omnia dare quibus sustentatur corpus, quibus autem ad luxuriam nutritur, ea rapimus. Deinde obseruandum, quòd is qui pauperibus sua elargitur, nihil minus habebit, sed multò magis abundabit: cuius rei exemplum in vidua illa Sareptana accepimus. *Obser.* *4.Re.5.* Et hic exponunt discipuli quinque panes & duos pisces, recipiunt autem duodecim cophinos plenos fragmentis. Ex hoc item miraculo discere possumus, egenis quidem subueniendum, bona tamen magis, quàm lauta danda. Postremò, multitudo hic populi, sic in sodalitia distributa, designat Ecclesiam in toto orbe dispersam, quæ omnis vnico cibo eodémque alimento nutritur. Sed in cap. octauo simile audiemus miraculum, vbi cætera enucleabimus.

*Et statim coegit discipulos suos ascendere in nauim, vt precederent eum trans fretum ad Bethsaidam, dum ipse dimitteret populum.*

*Obser.* Obseruandum hic primo omnium quod dicit, Et statim coegit discipulos suos: vt ostendat Euangelista, quàm ægrè potuerint diuelli à Christo, vt & nos illorum exemplum imitemur. Qui enim secum habet Christum, huic quid deesse poterit? Habet enim eum & in Christo, quicquid boni vel cogitare poterit. Sed quare coegit discipulos ascendere nauim, hoc Marcus non habet,

Ioan. 6 sed Ioannes apertè ostendit dicens. Illi ergo homines cum vidissent quòd Iesus fecerat signum, dicebant. Quia hic est verè propheta qui venturus est in mundum. Iesus ergo cum cognouisset quia venturi essent, vt raperent eum & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus. Quia turba iam sa tura volebat ipsum dominum facere regem, ideò cogit discipulos ire trans fretum. Sequitur.

*Et cum dimisisset eos, abijt in montē orare. Et cum sero esset, erat nauis in medio mari, & ipse solus in terra. Et vidit eos laborantes in remigando (erat enim ventus contrarius eis) & circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans supra mare, & volebat præterire eos. At illi videntes eum ambulantem supra mare, putauerunt phantasma esse, et exclamauerunt. Omnes enim viderūt eum: & conturbati sunt. Et statim locutus est eis, & dicit eis. Confidite, ego sum, nolite timere: Et ascendit ad illos in nauim, & cessauit ventus. Et plus magis intra se stupebant. Non enim intellexerunt de panibus, erat enim cor eorum obcæcatum.*

Ex multis doctrinis quos nobis præsens historia ob oculos ponit, paucas demonstrabimus. Cùm dimisisset turbas & discipulos dominus, ascendit in montem orare, vt ostenderet nobis omnem auram popularem vitandam, & post saturitatē cum gratiarum actione ad Deum confugiendum. In monte autem orandum est, ne ea quæ hic mūdus admiratur petamus, sed quæ propius faciunt ad gloriam Dei, & salutē animæ. Quòd discipuli iussu domini in tale periculum veniunt, ostēdit nos nunquàm in maiora huius mundi pericula venire, nisi quādo monitis Christi quàm fidelissimè obtēperamus. Sed addit Marcus, Erat nauis in medio mari, & ipse Iesus solus in terra, vt ostenderet conduplicatum periculum, quia lōnge erant à portu, & nauclero Christo, qui non longè antea motus maris composuerat, carebant. Sequitur, Et vidit eos laborantes. Quid hoc aliud dictum, quàm contra voluntatem domini discipulis suis nihil accidere? Non latet dominum nostrum periculum, vult tamen vt illius opē imploremus. Hinc nō subuenit, quia videt, sed quia periclitantes clamant. Nec tamen statim opitulatur, sed quando ei visum fuerit. Patitur enim discipulos tandiu varijs agitari fluctibus, vt nos discamus non primo hostis impetu desiderare requiem. Post diuturnum prœliū gloriosior erit triumphus. Vide quàm periculosum certamen subire fecit dominus suos. Laborant in remigando, habent ventum aduersarium, sunt in medio maris, longè nimirum à portu. Nox auget timorem & periculum, putant se phantasma videre. Nesciunt vbi nam se receperit Christus, non est quisquam inter eos, qui alterum consolaretur, ac bono animo esse iuberet, sed omnes vident, omnesque conturbantur. Et hæc omnia fiunt, & sciente & vidente & permittente Iesu. Neque igitur te moueat, si afflictionibus tuis vel paruis vel maximis non statim medicabitur dominus. Non patietur nos tentari supra id quod possumus, ait Apostolus. Possem & alia adiungere, quæ non carent suis mysterijs, vt quòd Iesus est solus in terra, hoc est in tuto, & quòd absente Iesu exoritur periculū, qui si adest, vnico verbo iubet omnes motus quiescere. Postremò tamen hoc obseruandum quod ait Marcus, Non enim intellexerant de panibus, erat enim cor eorum obcæcatum. Tanta erat discipulorum tarditas, tantaque obliuio, vt non veniret illis in mentem vel illud miraculum, quod paulo ante viderant, quinque panibus ac duobus pisscibus saturata tot hominum millia. Tantaque erat caligo cordis, vt pro stupenda

Marginal notes: 1. 2. 3. 4. 5. Obseru.

penda re docerent, quòd Iesus ambulasset super vndas: quum longè prodigiosius esset, tantulo cibo tantam saturare multitudinem. Hanc tarditatem in suis dominus inhærere permisit, vt & ipsi consuescerent imbecillium ferre tarditatem.

*Et cum transfretaßent, venerunt in terram Genezareth, & applicuerunt.*

De hac regione cap.v. auditum est. Inibi enim eiecerat legionem spirituum immundorum, qui ingressi duo millia porcorum suffocarunt in mare.

*Cumque ingreßi eßent de naui, continuò cognouerunt eum, & percurrentes vniuersam regionem illam, cœperunt in grabatis eos qui se malè habebant circũferre, vbi audiebãt eum eße. Et quocunque introibat in vicos, vel in villas aut ciuitates, in plateis ponebant infirmos. Et deprecabantur eum, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent. Et quotquot tangebant eum salui fiebant.*

Quando dæmones in porcos permisit intrare, tunc viderunt eum, ideóque ex facie noscunt. Tunc autem rogabant vt discederet ex ipsorum finibus, iam nihil lætius illis potest contingere, quàm Iesus, qui omnes omniũ morbos sanare potest. Nec ei opus est multis pharmacis, quemadmodum homo hominem curat, nec opus longa precatione, quemadmodum prophetæ solebant, sed vnico vel verbo vel contactu sanat. Quid dicam de contactu? Quotquot tangebant fimbriam eius salui fiebant. Nihil tale præstare possunt, quãtumlibet latæ Pharisæorum fimbriæ. Porrò contactus sine fide nihil valet. Nudum corpus Iesu contrectarunt, qui impegerunt alapas, qui vinciebant, qui flagellabant, qui suffigebant in cruce, neque cuiquàm profuit contigisse. Qui tangit sperans salutem, salutẽ assequetur. Beati sunt oculi apostolorum, quia viderunt Christum, multi autem viderunt, qui non beatificantur. Multi tunc tangebant fimbriam vestimentorum Christi & sanabantur, iam multi sumunt corpus Christi in pane Eucharistiæ, quibus incommodo est, non quia sumunt, sed quia indignè sumunt. Cæterùm nihil hic dicendum, quod non dictum sit prius. Deprecabimur igitur Christum, vt cuius fimbriæ contactus omnes infirmitates tulit, contingat cor nostrũ, vt quæ digna sunt euangelio & cogitare & dicere possim. Amen.

## CAPVT. VII.

*ET conueniunt ad eum Pharisæi, & quidam de scribis venientes ab Hierosolymis. Et cum vidißent quosdam ex discipulis eius cõmunibus manibus, id est, non lotis, mãducare panes, vituperauerũt eos: Pharisæi enim & omnes Iudæi, nisi crebrò lauerint manus, non manducant, tenentes traditiones seniorum. Et à foro veniẽtes, nisi baptizentur, nõ comedũt. Et alia multa sunt, quæ tradita sunt illis seruare, baptismata calicum, & vrceorum, & æramentorum, & lectorum.*

Ipse Marcus noster rem tam apertè significat, vt non sit necesse quicquàm addere, tamen vt rem facilius intelligatis, hoc obseruãdum est: Hæc quæ hic Marcus enumerat de variis lotionibus, non esse præcepta diuinæ legis, sed cõstitutiones seniorum, quæ ad hoc instituta videntur, vt ciuilius inter se viuerent Iudæi, quoniam non parum rusticum & inciuile est, illotis manibus in patinas irrumpere, vel è poculo lutoso bibere, & sic de cæteris idem esto iudicium. Porrò Pharisæi impij & præposterè religiosi, stultißimè iudicantes animi puritatem in corporalibus rebus sitam, adeò superstitiose seruabant illas traditiones seniorum, vt etiam si fame periclitarentur, non caperent cibum, nisi lotis manibus. Et si sæpius in die capiendus sit cibus, crebrò lauant ma-

manus, atque ita se puros arbitrantur ad cibum accedere. Quin etiã si domũ à foro redeant, veluti à populi contactu contraxerint aliquid impuritatis, non capiunt cibum, nisi loti corpore toto: quum interim mentem habentes odio, liuore, ambitione, auaritia simulatione, cæterisque pestibus inquinatissimam, non cogitent de lauando. Nec satis erat subinde lauare corpus, quo puriores viderentur, frequenter lauabant & vrceos, & vasa ærea, & lectos denique. Hinc Christus apud Matthæum illis dicit: Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod de foris est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapina & immunditia. Pharisæe cæce, mũda prius quod intus est calicis, & paropsidis, vt fiat & id quod de foris est mundum. Hæc hactenus enumerata non solum superstitiose seruabant, sed etiam alios ad similia hortabantur: quodque sceleratius est, ex his quæ per se nihil pietatis habent, impietatis calumniam struebant proximo. Quũ enim vidissent aliquot ex Iesu discipulis sumere cibum manibus illotis, hoc est, quemadmodũ illi loquuntur, cõmunibus & impuris, vituperabant illos, quasi parum religiosos, simulque præceptorem, qui suos parum sanctè institueret. Nec hanc querelam habent simplices & indocti quidã Pharisæi, sed ij qui venerant ex sanctissima illa vrbe Hierosolymorũ, vbi & doctiss. & sanctiss. Pharisæi erant.

Matt. 23

*Et interrogauerunt eum Pharisæi & scribæ: Quare discipuli tui non ambulant iuxta traditionẽ seniorum, sed communibus manibus manducant panem?*

Horrendũ & nusquàm ferendũ facinus, scilicet, indigni sunt impij discipuli quos sanctiss. Pharisæi alloquantur, sed ne impuri fiant, hoc nephas infandũ ad Christum referunt. Quur, inquiunt, discipuli tui, qui te sequuntur, & ex tua pendent institutione, nõ obseruant morem à maioribus institutum? Quid audio? O bone, fas est ne nominare scelus immensum? Cõmunibus manibus manducant panem: Quis igitur hoc æquo animo audire potest? Attendite: Suprà bis accusati sunt boni discipuli, quòd & in Deũ & in homines peccauerunt. In Deũ peccasse arbitrantur Pharisæi, quòd boni discipuli ad propulsandam famẽ spicas euulserint, & granula cõtrita sabbato comederint. In homines peccauerũt, quia nõ ieiunarunt quemadmodum discipuli Pharisæorum & Ioannis. Sed de his duobus criminibus innocentes iudicati sunt à Christo, qui & legem dedit, & interpretatus est. Iam tertia vice accusantur & traducuntur, quasi transgressores paternarum traditionum, quod crimen luce clarius est, non enim lauant manus cum manducant. Quis bonis & misellis discipulis hac in re patrocinari poterit?

Mar. 2.

*At ille respondens dixit eis. Benè prophetauit Esaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est. Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me: In vanum autem me colunt docentes doctrinas & præcepta hominum.*

Vult dicere Christus: Merito scilicet calũniamini meos discipulos, qui transgrediuntur traditiones seniorum, cum vos simplices & innocentes oues nullam aquam hactenus turbaueritis. Hypocritæ, factis vestris declaratis, rectè meritóque de vobis hypocritis vaticinatum Esaiam, qui foris speciem habetis sanctimoniæ, cum intus pleni sitis omni iniquitate. Apud quem hunc in modum conqueritur dominus. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum procul est à me. Et quemadmodum ipsi viuunt, sic alios instituunt. Speciem quidem pietatis habent, sed virtutem non item. Si in verbis blandis & magnis iactationibus sua

Tit. 1.

sua esset vera pietas, nemo esset magis pius, sed quia Deus tantùm facta ex corde iudicat, In vanum colunt me, frustra expectant à me premium. Labijs laudare dominum non est impium, sed hac laude contentum esse, hoc frustraneũ est. In Psalmis legimus. Quoniã melior est misericordia tua super vitas, labia mea laudabũt te. Et rursum: Domine labia mea aperies, &c. Non igitur tantum considerandum est quod dicit. Populus hic labiis me honorat, sed & hoc quod sequitur, cor autem eorum longè est à me. Igitur si cor idem sentit quod labia proferunt, non vituperabitur à domino. Porrò hunc Esaiæ locum, quidam obiiciunt monachis & nonnis, qui Psalmos non intellectos recitant, quàm dextrè autẽ obiiciant, ipsi viderint. Non statim vituperio dignum est, sacra verba nõ intellecta pronunciare, aliàs ea ratione magnam orbis christiani partem cõdemnabimus, quæ, sicut fama habet, plerumque latinè orationem dominicam orat, & salutionem Angelicam, cùm ne decimũ quidem verbum intelligat. Quid referam eos pueros qui in palmarum die Christo non intellecta verba occinebant, & tamen probè excusantur à domino. Non raro fit, mihi crede, vt puerulus lallando plus extorqueat à parente, quàm vir strennuus absoluta & perfecta oratione. Hæc mihi cõ sint dicta, non vt ignauiæ quorundam sacerdotum patrociner, sed vt impias calumnias abstergam. Iam quales humanæ constitutiones Christo displiceant ipse aperit dicens.

Psal. 62. Psal. 50

An statim impium sit verba sacra non intellecta proferre.

Matt. 21

*Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditiones hominum, baptismata vrceorum & calicum, & alia similia his facitis multa.*

Audis hic quando traditiones hominum Deo improbantur, nimirum cum ob has negligitur mãdatũ Dei, & cũ plus incũbitur traditionibus hominum, plusq; illis fiditur, quàm mãdatis Dei. Pharisæi parum curabant neglectum præceptorum Dei, sed sedulo incũbebant lotionibus, ne vlla negligeretur, sicque videbantur sibi bene iusti, cum hominum huiusmodi traditiones non ideo faciendæ sunt vt iustificemur inde, sed vt ordinatius & ciuilius viuamus inuicem. Lauare ergo vrceos, calices, spondos, &c. per se neque bona neque mala sunt, sed indifferentia, sed cor lauantis lotionem bonam vel malam facere potest, verbigratia: Si aliquis lotiones has tam necessarias existimauerit, vt citra quas nemo saluari possit, & sic diligens lotor erit, certè mala est ei lotio, quemadmodum & Pharisæis. Item si quis lotiones hás tam impias existimauerit, vt cum his nemo saluari posit, hic certè non minus peccabit, quàm ille. Adijciã & hoc, Si quis in contemptum proximi vel lauat vel negligit, hic excusari non poterit, vt qui charitatem fraternam læserit. Imò nihil tam bonum poni potest, quod nõ cor impij viciare possit. Huius rei multa exempla ponere facile est: Sed audiamus Christum.

Obseru.

Obseru.

*Et dicebat illis: Bene irritum fecistis præceptum Dei, vt traditionem vestram seruetis. Moyses enim dixit: Honora patrem tuum & matrem tuam: &, Qui maledixerit patri vel matri morte moriatur. Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri vel matri corban, quod est donum, quodcunque ex me, tibi proderit: & vltra non dimittitis eum quicquam facere patri suo aut matri, rescindentes verbum Dei per traditionem vestram quam tradidistis: Et similia huiusmodi multa facitis.*

Exo. 20. Deut. 5.

Corbona qd sit vide lib. 2. eccle. Hist. ca. 6.

Hic locus, hæc Christi sententia satis arguit, quas traditiones vituperet, non quidem omnes hominum traditiones, sed eas quæ militant aduersus Dei mãdatum. Hinc Christus præceptum de honorandis parentibus, non opponit

tra-

traditioni de lotionibus manuum vel vasorum, sed traditioni quæ docet filios vt parentes & negligant & contemnant. Dei præceptum est in omnibus parentes esse honorandos & obseruandos. Pharisæorum autem commentum est, magis pium esse, Deo, hoc est Pharisæis offerre aliquid, quàm parentibus. Vndè Christus ait, rescindentes, nimirum impijs glosis, Dei traditionem. Obseruandū igitur magnū esse discrimen inter Dei mandata & traditiones hominum. Quantum enim intereſt inter hominem & Deum, tantū intereſſe decet inter hominum constitutiones & præcepta Dei: Inter ipsa denique Dei præcepta non parum discriminis, quædā enim singularia sunt, quædā communia: hoc est, quædā eos tantū homines concernūt, quibus illo tempore dum præscribebantur, præscripta sunt. Exempli gratia, Abrahæ dicitur, Tolle filiū tuum quem diligis Isaac, & offeres eum in holocaustum domino, &c. Commune præceptū est, Non assumus nomen domini tui in vanū, & cætera Decalogi præcepta. Possunt & cōstitui aliæ præceptorum Dei differentiæ, vt alia Dei præcepta sint perpetua, alia verò temporaria. Perpetuū est. Diliges dominū Deum tuū, ex toto corde tuo, & ex tota mēte tua, &c. Præcepta autem de circuncisione, de sacrificiis Iudæorum, & reliqua ceremonialia, temporaria tantum sunt, & vni Iudæorum populo præscripta. Potest deinde poni casus, vt liceat etiam ea præcepta hominum alicui negligere, quæ aliàs communia & perpetua sunt. Hoc ipsum exemplis probare possum, & ne longius repetam testimonia, tractabimus præceptum de honorandis parentibus, Cōmune & perpetuū præceptum est, Honora patrem tuum & matrem tuam, &c. Sed Christi vox est, Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem suam, &c. non potest meus esse discipulus. Commune deinde præceptum est, Non occides: Sed Saul parcēs Amalechitis, regno priuatur: Et in Exodo Moysis vox est, Hæc dicit dominus Deus Israël, Ponat vir gladium super fœmur suum. Ite & redite de porta vsque ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisq; fratrem & amicum & proximum suū. Commune & perpetuum præceptum est. Non furtum facies: Et non concupisces rem alienam: sed Israelitæ citra piaculum spoliant Aegyptum. Sed hac de re fortassis plus satis. Iam de domini mandatis, ad traditiones hominū veniamus. Humanæ traditiones etiam nonnihil discriminis habent. Quædam enim apertè sunt contra legem Dei, ideóque prorsus intermittendæ, etiam cum vitæ periculo. Oportet siquidem Deo magis obedire quàm hominibus. Quæcunque autem ad externam vitā decenter, & cum commodo proximorum degendam, ab hominibus constituuntur, nō humanæ traditiones sunt, sed potius diuinæ, dimanantes scilicet ex lege dilectionis, mandatorum Dei capite. Euenit item interdū vt ab hominibus præcipiātur, quæ & à Deo præcepta sunt, vt parendum magistratui, nō fornicandū, non inebriari, nō blasphemare, & cætera id genus. In omnibus igitur humanis traditionibus diligenter inuestigandum est, an cum dilectione Dei & proximi institutæ sint. Nec dubium est quin huiusmodi traditiones mutari possint, respectu loci, temporis, & personarum. Et sicut non omnium est aliquid sancire, neque citra necessitatē, ita & non est cuiusuis temerarias admouere manus. Sed hac de re in Matth. cap. xv. abundè diximus.

*Et aduocans iterū turbā, dicebat illis: Audite me oēs & intelligite: Nihil est extra hominē, introiens in eum, quod possit eum coinquinare: sed quæ de homine procedunt, illa sunt quæ cōmunicant hominem. Si quis habet aures audiendi audiat.*

In su-

Marginalia: Pharisæorum cōmētū. — Obseru. — Varia esse præcepta. — Gen. 22. — Exo. 20. — Exo. 20. — Exo. 20. — Luc. 14. — 1. Re. 15. — Exo. 32. — Exo. 3. — Humanæ traditiones. — Act. 5.

In superioribus auditum est, quod non tantum Pharisæi, propter traditiones & suas & seniorũ, reliquerint mandatum Dei, sed etiã hoc ipsum populũ docuerint, ideò Christus nõ tãtũ obiurgat Pharisæos, sed etiã aduocat turbas, & docet quid hac etiam in re sentiendum sit. Sententia hæc est domini, Ma- Matt.15 nibus illotis manducare, non facit iniustum hominem. Omne etiam quod intrat in os, sicut apud Matthæum legitur, non coinquinat hominem. Si autem homo iniustus sit, hoc sibi imputandum erit, non cibo. Et hic rursus bene obserua domini verba. Non vetat lotis vel illotis manibus manducare, sed Obser. tantum dicit, quòd ex his homo non redditur impius neque pius. Potest tamen poni casus vt iam sit impium vel pium, quod prius erat indifferens, quẽadmodum & paulò ante ostendimus. Vult ergo Christus dicere turbis, Audite omnes & intelligite, quia hæc doctrina omnes ex æquo concernit. Vidistis intentatũ impietatis crimen, propterea quod discipuli quidam mei manibus illotis panem comederint, quasi tali cibo contamineretur apud Deũ qui vescitur. Puritas & impuritas hominis non est in rebus extraneis, sed internis. Nec animus inquinari potest rebus corporeis. Quod si homo coinquinatur, id ex homine proueniat necesse est.

*Et cum introißet in domum à turba, interrogabant eũ discipuli eius parabolã. Et ait illis, Sic & vos imprudẽtes estis?*

Quia dominus dixerat, Si quis aures habet audiẽdi audiat, Discipuli adhuc tardiores existimabant aliquid occulti in verbis Christi esse, quod ipsi non bene perciperent, nolunt tamen interturbare sermonem eius, sed expectant, donec relicta turba dominus ingreditur domum, interrogãt ergo quid sibi velit hoc sermone: Omne quod intrat in os non coinquinat hominem. Laude dignum est, quòd non calumniantur domini sermonem, sed multo magis interrogant, quod nã discrimẽ sit inter ingredientes & egrediẽtes immũditias de ore. Iesus aũt, quo attẽtiores reddetet discipulos, obiurgat eos dicens: Sic & vos adhuc imprudentes estis? Toties me concionantem audistis, toties vos aduersus Pharisæorum calumnias defendi, & adhuc nescitis, qua in re vera pietas sita sit.

*Non intelligitis quia omne extrinsecus introiens in hominẽ, non potest eum cõmunicare? quia non intrat in cor eius, sed in ventrem vadit, & in secessum exit, purgans omnes escas? Dicebat autem, quoniam quæ de homine exeunt, illa communicant hominem. Abintus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, auaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia. Omnia hæc mala ab intus procedũt, & communicant hominem.*

Hic verè docet Christus ea quæ impurum faciunt hominem, nimirũ scelera & peccata, quæ hactenus enumerauit. Nam edere vel bibere, lotis vel illotis manibus, non facit purum vel impurum hominem. Si autem ad esum vel potum accesserit illorum criminũ aliquod, tunc verè impurus est homo, quomodocunque tandem vescatur. Omnia munda mundis, ait Apostolus, Tit.1. coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorũ & mens & conscientia. Sed vt rem intelligas, Nihil quod intrat in os sanctificat vel impurum facit hominem, Sed qui cibos vetitos comedit, impur⁹ est, non quia edit, sed quia legem Dei contemnit. Aliud exemplum. Vnus idemque cibus in quo nullum discrimẽ est, huic prodest, alteri obest: in quem hoc discrimen ponemus? non in cibum, sed in sumentem. Si igitur homo purus est, cibo non coinquinatur, si impurus, cibo non sanctificatur. Impurus Obseru. autem est, non qui illotis manibus edit,

sed

De delectu ciborum,

sed cuius cor sceleribus plenũ est. Iam eat Euangelicus quispiam, & in contemptum ecclesiæ quolibet tempore vescatur quibuslibet, & inueniet num ea quæ intrant in os coinquinent hominem. Verè cibi non coinquinant, sed cor sumentis cibum ante coinquinatum est. Nihil igitur facit hic locus contra delectum ciborum, qui à temporibus Apostolorum vsque in hodiernum diem durauit. Imò si contendere placet, hic locus in illorum caput retorquendus est: Si nihil quod est extra hominem, hominem coinquinat, certè quod intrat in os, nec sanctificat hominem: si igitur neq; purum neque impurum reddit hominem cibus, cur obsecro sic vrgent hunc locum, quasi non liceat vitam æternam ingredi, nisi quis citra delectum cibis vescatur. Nõ

Rom.14

est regnum Dei esca & potus, sed iustitia & pax & gaudiũ in spiritusancto, q enĩ in hoc seruit Christo, placet Deo, & probatus est hominibus. Itaq; quæ pacis sunt sectemur, ait Apostolus, & quæ edificationis sunt inuicẽ custodiamus. Hæc Apostoli verba si aduersa pars obseruaret, non suscitarent tantam turbam in Ecclesia Christi. Si regnũ Dei non est esca & potus, aduersarij non habent causam, quare ciborum delectum reiiciant, Catholici autem habent vt eum statuant & defendant. Neq; enim dubium, quin delectus ciborum ideo præscriptus sit, vt ea quæ pacis, ædificatiõis ac mortificatiõis carnis sunt sectemur. Sed in Matth. ca. xv. fusius hac de re diximus. Sequentia videamus.

*Et inde surgens abiit in fines Tyri & Sydonis, & ingressus domum neminẽ voluit scire, & non potuit latere. Mulier enim statim vt audiuit de eo, cuius filia habebat spiritum immũdum, intrauit & procidit ad pedes eius. Erat enim mulier gentilis Syrophenissa, quæ & rogabat eũ vt dæmonium eiiceret de filia eius.*

Postquàm defenderat dominus suos discipulos aduersus Pharisæorum calũnias, & demonstrarat quanam in re sita sit vera pietas, derelictis Iudæis incredulis, ad gentiles proficiscitur, & nõ apertè illic apud gentiles versatur, quẽadmodum apud Iudæos, sed neminem vult scire, & tamen non potest latere, sicq; arguitur quòd Iudæi vltro oblatã salutẽ reijciunt, gentiles autẽ improbè efflagitant. Cùm enim Iesus intrasset fines Tyri & Sydonis, mulier cuius filia habebat spiritũ immũdum, audiuit de illo, & accedens procidit ad pedes eius, & rogabat eum, vt demoniũ abijceret de filia eius. Matthæus sic ait mulierẽ dixisse: Miserere mei domine fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatꝰ. Audi fidem mulieris, non rogat vt Iesus secum abeat domum, sed rogat vt eijciat dæmonium, credens haud dubiè Christum absentẽ etiã filiæ suæ consulere posse, & in diabolum imperium habere. Habes in hac muliere etiã charitatis exemplũ, nã non est cõtenta mater, quòd ipsa sana esset & anima & corpore, nisi etiã filiola eius, vtraq; in re sanitate frueretur. Quòd exemplum vtinã parentes huius seculi imitarentur.

*Qui dixit illi: Sine prius saturari filios. Non est enim bonum sumere panem filiorum & mittere canibus. At illa respondit, & dicit illi, Vtiq; domine, nã & catelli comedunt sub mensa de micis puerorum. Et ait illi, Propter hunc sermonẽ, Vade, exiit demonium à filia tua. Et cum abijsset domum, inuenit puellam iacentẽ super lectum & dæmonium exijsse.*

Quæ Matthæus habet, maiorem fidem huius mulieris testanẽ, dicit enim, quòd Christus ad primam petitionẽ ne verbũ quidẽ vllum respõderit. Et accedentes, inquit, discipuli, rogabant eum, dicẽtes, Dimitte eam quia clamat post nos. Ipse autẽ respondens ait, Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. At illa venit, & adorauit eum dicens, domine adiuua me. Qui respon

respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum & dare canibus, & cætera quæ Marcus hic habet. Et hic vide quomodo Iesus tam difficilem se ostēdit, & quasi omnino alienum à seipso. Alios vltro prouocat, vt sibi patiantur benè fieri, & rogatus ab alijs, quicunque tandem sint, concomitatur eos, petita præstat. hic autem rogatus, anxiam mulierculam ne vnico verbulo quidem dignatur. Interpellatus à discipulis, apertè negat beneficium, rursus rogatus à muliere, canem vocat & indignam beneficio. Quare hoc? Vt ostentaret omnibus præclarā mulieris ethnicæ fidem, ardentémque eiusdem petitionē. Petiturus enim aliquid à Deo, primo fateatur necesse est se aliena egere ope, Dei nimirum. Credat Deum posse præstare quæ voluerit, & nihil velle nisi quod nobis prodesse nouerit. Fateatur se itē beneficio Dei egentem, indignum tamen qui recipiat: perseueret item orando donec voti compos fiat. Hæc omnia probè docet præsentis miraculi descriptio. Sequitur.

Obseru.

*Et iterum exiens de finibus Tyri venit per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos. Et adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum vt imponat illi manum.*

Non diu moratur dominus apud gentiles, ne Iudæis daret occasionem calumniandi, quasi ipse præuaricetur legem, cum gentilibus commercia habens. Cùm igitur relictis gentilibus rursus veniret ad mare Galilææ, adducunt ei quidam surdum & mutum, & deprecabantur eum vt imponat illi manum. Natura surdus, mutus est, nihil enim loquimur nisi quod audimus. Qui autem non audit, quomodo audita referre potest? Cæterùm hæc surditas non natura illi homini accide rat, sed sicut ex alijs euangelistarum locis apparet, dæmonum malitia fur dus & mutus factus est, erat enim dæmoniacus. Hunc ergo miserum hominem adducunt ad Iesum, vt qui hactenus tam multos curasset, curaret & illum, & deprecabantur eum vt imponat illi manum. Simili enim facto viderant eum alios curare.

*Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius, & suspiciens in cælum ingemuit, & ait illi. Ephpheta, quod est adaperire. Et statim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Et præcepit eis ne cui dicerent.*

Quare Christus tam multis ceremonijs & circumstantiis vsus fuerit, non videtur necessarium multis quærere. Vbique enim videmus quia non vno eodemque modo sanat male habentes. Possumus tamen dicere Christum hoc facto ostendisse, quàm graue sit eum hominem reualescere, qui neque bona audire, neque bona loqui potest, & ad hanc miseriam non peruenit naturali quodam defectu, sed dæmonis malitia. Quòd autem digitos mittit in auriculas illius, & sputo tangit linguam illius, ostendit nihil inesse sibi quod non merè sanctum & salutiferum sit. Quòd suspicit in cælum, ostendit vndenam petendum sit hominibus tam deploratis auxilium, è cælo scilicet. Quòd ingemuit, docet condolendum esse miseriæ proximi, nec congratulandum alienis malis. Ad vocem autem Christi statim aperiuntur aures surdi, & vinculum linguæ soluitur, vt argumentum sit Christum magis nobis in exemplum, quàm ex necessitate ingemuisse. Post solutionem linguæ rectè loquitur, quia non dedit nobis dominus linguam ad blasphemandum Deum, aut proscindendā proximi famā, sed ad Dei laudes p̄mendas, & vt necessitates nostras Deo libera

Obseru.

confessione aperiamus, proximum itē nostrum bonis cōsiliis adiuuemus. Aures aperiuntur, non ad audiendum detractorem, sed ad audiendum diuinos sermones, & clamorem pauperis. Iesus item præcepit ne cui dicerent, nō quòd nollet sciri id quod gestum est, sed quia volebat homines docere, ne in benefactis propriam quærant gloriam.

*Quanto autē eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, & eò amplius mirabantur, dicentes: Bene omnia fecit, et surdos fecit audire, & mutos loqui.*

Hic affectus est pij & honesti viri, vt quod ipse benefecit, soli Deo notū esse velit, nisi quātum ad exemplū proximi attinet, atque hoc ipso dignior est qui prædicetur apud omnes. Quisquis enī affectat gloriā apud homines, hoc ipso indignus est gloria. Proinde quòd Iesus interdixit his, qui mutum adduxerant, ne cui dicerent quod esset actum, hoc ipsum magis prouocauit, vt apud omnes prædicarent: atque hoc vehementius suspiciebant magnitudinem Iesu, qui cum talia posset ac præstaret, non solū nihil exigebat premij, verùm etiā ne gloria quidē tam insignis facti frui cupiebat. Sed vt est hominis verè benefici, non exigere laudem pro beneficio: ita grati est hominis, hoc impensius referre gratiam, quòd qui beneficium dedit, nullā expectet gratiam. Itaq; passim isti prædicabant de Iesu dicentes: Benè omnia fecit, & surdis reddidit auditū, & mutis linguam. Hæc laus in solum Deum competit. Nemo mortalium bene facit omnia, imò vt Iacobus dicit, in multis offendimus omnes. (Iob.3.) Et tamen inuenies homines tam stultos, ne dicam impios, quibus sola sua opera summopere placent: & tolerabilius esset, si tantùm hominum cæterorum opera calumniarentur, nisi & Dei opera temerario ausu blasphemaq; lingua proscinderent. Tales homines verè surdi & muti sunt, cùm neq; Deum reuereantur, neque homines timeant, & pro his intercedendum est, vt incipiāt tandem bene loqui, & de Deo & de cæteris hominibus. Sed hic finis esto, gratia sit Deo, qui & linguam meam vtinam aperiat, vt Euangelium suum dignè valeam adnunciare. Amen.

## CAPVT OCTAVVM.

*IN diebus illis, iterum cum turba multa esset cū Iesu, nec haberent quod manducarent, conuocatis discipulis, ait illis: Misereor super turbā, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent: & si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via. Quidā enim ex eis de longè venerunt.*

Apertissima est hæc historia, quæ tamen auditu & iucūdissima & vtiliss. est, & quandoquidem cap. vi. similem ferè habuimus, hanc breuissimis explicabimus. Quare turba multa cum Iesu hactenus fuerit, mirum non est. Quis enim cum eo domino non libentiss. esset, qui præter benefacere nihil aliud potest, cui nullus morbus incurabilis, qui neminē à se repellit, qui omnib⁹ quales quales sint benefacere gaudet, qui tandem & animam & corpus hominis saluare potest: Sed ad historiam. Cùm multa turba esset cū Iesu, nec haberēt quod mādUcarent, conuocatis discipulis suis, ait illis: Misereor super turbam, &c. Quare conuocat discipulos suos ad se? Vt discipulos ad futurum miraculum attentiores faceret, & minorum consilia non esse semper spernenda doceret. In sordido enim palliolo aliquando magna latet sapientia. Suis ergo discipulis ostendit benignitatem suam erga populum, dicens: Misereor super turbam, & hoc triplici ratione. Triduo enim iam sustinent me, vt & verbum Dei audirent, & infirmis suis sanitatem implorarent.

Nec

Nec habent quod manducēt,etsi enim aliquid cōmeatus secum attulerunt, in hoc triduo consummatū est.Et si dimi sero eos ieiunos in domum suam, defi cient in via, & ego qui autor sum salu tis, habebor homicida: tanta enim est hominis infirmitas, vt non diu possit citra vitæ discrimen ferre famem. Nec possunt statim in domos suas se recipe re famem depulsuri, cùm quidam ex eis de longè venerint. Obseruanda hic magna misericordia Iesu Christi do mini nostri, qui etiam nobis inscijs nostram salutem operatur. Obseruan da item populi huius pietas qui triduo perseuerarunt apud Christum, sic in tenti in eius prædicationem, vt ne de corpusculo quidem reficiendo cogita rent.

Obser.

Obser.

*Et responderunt ei discipuli sui. Vnde istos quis poterit hic saturare panibus in solitudine? Et interrogauit eos. Quot panes habetis? Qui dixerunt, Septem. Et præcepit turbæ discumbere super terrā.*

Discipuli adhuc rudes ac rursus obliti, quemadmodum ante pauis set dominus numerosam multitudi nem quinque panibus & duobus pisci bus, existimant impossibile tantam multitudinem panibus saturare in de serto, vbi non est qui panem habeat. Interrogat ergo Iesus quot habeant panes, non quasi nesciat, sed vt defe ctus manifestior fiat, & fides miracu li maior. Discipuli nihil celant do minum, sed apertè fatentur se tan tum septem panes habere, quos luben tissimè impartiri vellent. Sed quid in ter tantos? Porrò Iesus, qui noue rat quid ipse facturus esset, præcepit turbæ discumbere super terram. Tur ba esuriebat, nec audebat Iesum in terpellare pro cibo, quia nouerant se in solitudine esse, vbi non est qui vendat panes. Discipuli, audiunt Chri stum de fame turbæ dicere, sed co gitant se tantum septem panes habe re, vnde ipsi non iubent turbam dis cumbere. Sed Iesus qui citra panem cibare potest hominem, aut si vult cum pane cibare, panem perficere, vel multiplicare potest, hic præcepit tur bæ discumbere super terram. Hic nemo est, qui non continuò obediat, & non Iesu fidat.

*Et accipiens septē panes, gratias agens fregit, & dabat discipulis suis, vt apponerent, & apposuerunt turbæ. Et habebant pisciculos paucos, & ipsos benedixit, & iußit apponi. Et manducauerunt & saturati sunt, & sustulerunt quod superauerat de fragmentis septem sportas. Erant autem qui manducauerant, quasi quatuor millia, & dimisit eos.*

Nihil tam paruum, quod non Dei benedictione crescat, nihil tam pa rum, quin accedente Dei benedictio ne multiplicetur. Vndè accipit Chri stus septem panes, gratias agit Deo patri, cuius & gloriam in omnibus quærebat, & fregit panes, & dabat disci pulis suis vt apponerent, & apposue runt turbæ, quæ saturata est, & ex reliquiis panum, impletæ sunt septem sportæ. Quis credidisset septem panes sufficere ad saturandum quatuor mil lia hominum? Sed iam videmus non tantum saturatos, sed plures restare panes post refectionem, quàm ante. Porrò si ad altiorem sensum huius mi raculi ascenderis, inuenies turbam non melius pasci, nisi cum dominus elargi tur, discipuli accipiunt de manu domi ni, & turba iubente domino discum bit super terram, hoc est, se deijcit, & defectus suos fatetur, auidè sumens cæleste pabulum. Discipuli sua virtu te non potuissent turbam saturare se ptem panibus, sed iussu domini nihil non possunt. Habet & ecclesia adhuc suos panes, septem ecclesiæ sacramen ta puta, quibus non posset pasci, ni si hæc ipsa distribuisset, & adhuc di

Sacramenta Eccl. 7.

stribueret Christus: Minister Ecclesiae nisi accepisset à domino Baptismi sacramentum, nihil prodesset infanti. Sed quia accepit à domino, cum lauit corpus, Christi benedictione lauatur, purgatur & sanctificatur anima. Nec minus est post refectionem quàm ante. Multa hominum millia baptizati sunt, & baptismo purgati, nec tamen minus virium habet Baptismus iam, quàm tempore Christi vel apostolorum. In vnico tantùm deficit, quia quod tempore apostolorum visibiliter operabatur, hoc nostro tempore non quidem visibiliter, sed non minus verè. De sacramento Eucharistiae quid dicam? Sumit vnus sumunt mille, quantum isti tantum ille, nec sumptus consumitur. Sed non est locus hic, pro merito haec iam tractare. Suo igitur loco reseruanda sunt.

*Et statim ascendens nauim cum discipulis suis, venit in partes Dalmanutha. Et exierunt Pharisaei, & coeperunt conquirere cum eo, quaerentes ab illo signum de caelo, tentantes eum. Et ingemiscens spiritu ait: Quid generatio ista signum quaerit? Amen dico vobis si dabitur generationi isti signum.*

Postquàm dominus sanarat aegrotos, docuerat turbā, pauerat fame periclitantes, statim recipit se cum discipulis suis in nauim, quia diu haerere in loco vbi aliquid egregij feceris, est hominis expectantis quid gloriae aut remunerationis. Et non dubium est quin Iesus sic statim reliquerit multitudinem, ne rursus venirent & raperent eum in regem. Sic enim est natura populi, vt pro mininis beneficijs soleat maximas agere gratias. Leuissimi beneficij est alere corpus: maius est sanare: maximum sacra doctrina sanare ac pascere animum. Pro doctrina, próque sanatis morbis, nemo regnum detulit Iesu, pro cibo detulerunt, quemadmodum & supra in simili miraculo docuim⁹. Id ne rursum fieret, sicut dixi, Iesus illico reliquit multitudinē, & conscensa naui cum discipulis, quos perpetuos comites sibi delegerat, venit in fines Dalmanutha, quae alio nomine & Magdala & Magedā dicitū. Quoque saepius patefiat pharisaeorū incredulitas, & huc egressi sunt, nō vt sanarentur, sed vt calūniarentur. Inuidebant enim miraculis Iesu: inuidebāt & populo tot beneficiis adiuto. coeperunt itaq; disputare cū Iesu, quasi miracula quae promebat, non gererentur virtute coelesti, quod essent humilia & plebeia. Proinde si vellet Pharisaeos, homines longè supra vulgus positos, sibi credere, exigebant vt signum aliquod ederet è caelo, quemadmodum Moyses impetrauit Manna de caelo: & Helias precibus suis effecit, vt ignis subito delapsus è caelo consumeret & holocaustum & ligna, & caet. Dominus autem sciens illos calumniaturos, quicquid fecisset, ingemuit spiritu, declarans se dolere de illorum incredulitate tam pertinaci, qui à doctrina ad miracula, à miraculis, ad doctrinam prouocarent: vel maiora miracula item appellarent, ne non haberent suae incredulitatis praetextum. Et quasi indignans dominus ait apud sese. Quae nam haec est natio tam peruersa, vt visis tot miraculis, adhuc signum requirat, quasi nullum antehac viderit? Deinde versus ad Pharisaeos ait. Amen dico vobis si dabitur generationi huic signum. Alibi apud Matthaeum legimus Christum sic respondentem Pharisaeis quaerentibus signum è caelo: Generatio praua & adultera signum quaerit, & non dabitur ei signum, nisi signum Ionae prophetae, & caet. Tales Pharisaeos multos adhuc inuenire est, quos non mouent Prophetarum vaticinia, non Christi miracula, non martyrum sanguis, non ecclesiae vnanimis consensus, non veneranda antiquitas, sed

Ioan. 6.

Deut. 8.

3. Re. 18.

Matt. 12

Obseru. Contra nutrices superdo ctrina eccle siae.

Indies talia iactant verba, dubij illi Christiani, & leues paleæ. Nescio quo tandem me conuertam in hac discordia, vtinam Deus miraculo quodam rei veritatem ostenderet, &c. Sed illis respondetur: Habent Moysen & Prophetas, audiant illos, &c.

Luc. 15.

*Et dimittens eos ascendit iterum nauim, & abijt trans fretum. Et obliti sunt panem sumere, & nisi vnum panem non habebant secum in naui. Et præcipiebat eis dicens: Videte & cauete à fermento Pharisæorum et fermēto Herodis. Et cogitabant ad alterutrum dicentes: Quia panes non habemus.*

Deploratos Pharisæos & incorrigibiles derelinquit dominus. Vbi enim spes est correctionis, ibi immorandum est, vbi autem illa defuerit, inde transeundum. Et hic vide quàm egrè discipuli cuticulam suam curarint, quantæ item fuerint parsimoniæ. Quòd enim nauigaturi trās fretum obliti sunt viaticum sumere secum, indicium est, quàm paruam carnis curam haberent in reliquis, quibus ipsa reficiendi corporis necessitas, quæ naturaliter cunctis mortalibus inest, mente exciderat. Huius rei rarum apud nos est exemplum, cum prior cura semper sit nobis, vt cibus præueniat esuriem. Sequitur quod discipuli tantùm vnum habuerint panem, hoc iuxta historiam verum est. Mysticè autem vnicum illum panem qui de cælo descenderat secum habebant, hoc est Christum filium Dei, quem qui secum habet, non est vt timeat vllam vel corporis vel animæ famem. Porrò dominus adhuc recordabatur Pharisaicæ impietatis, qui temere discipulos illotis manibus manducantes traduxissent, & iam signum aliquod de cælo petijssent, admonet ergo discipulos suos dicens. Videte & cauete à fermento Pharisæorum, & fermento Herodis. Apud Matthæum dicit eis: Intuemini & cauete à fermento Pharisæorum & Sadducæorū. Nec desunt qui legunt, à fermento Herodianorum, ac si noua quædam horum secta fuerit, sicut secta Pharisæorū & Sadducæorū. Cæterū fermentum Pharisæorū, Beda recte, est decreta legis diuinæ traditionibus hominum postponere, vel certè legem verbis prædicare, factis autem impugnare. Fermentum eorū est dominū tentare, nec doctrinæ eius, aut operibus credere, sed ab operibus ad signa, à signis ad opera appellare. Fermentum Herodis est adulterium, homicidiū, temeritas iurandi, & cætera impij regis scelera. Alij fermentum Pharisæorum dicunt esse bona opera hypocrisi adulterata, fermentum autem Herodis plane impiam vitam nullo pietatis prætextu palliatam. Cùm igitur discipulis dicebat dominus, Cauete à fermento Pharisæorum, &c. ipsi non intelligebant dominum de doctrina vel pietate verba facere, sed cogitabant Christum illos arguere, quod non sumpsissent secum panem.

Obser. parsimoniā discipulorū domini

Ioan. 6.

Matt. 16

Fermentum Pharisæorū.

*Quo cognito, ait illis Iesus. Quid cogitatis, quia panes non habetis? Nondum cognoscitis neque intelligitis? Adhuc cæcatum habetis cor vestrum, oculos habentes non videtis, & aures habentes non auditis? Nec recordamini quando quinq; panes fregi in quinq; millia, et quot cophinos fragmentorū plenos sustulistis? Dicūt ei duodecim. Quādo et septē panes in quatuor millia, quot sportas fragmentorū tulistis? Et dicunt ei septē. Et dicebat eis: Quomodo nondū intelligitis?*

Verebantur, boni discipuli, obiurgari de negligentia, sed obiurgantur de sua peruacanea cura. Quid, inquit domin⁹, disputatis inter vos, soliciti quòd non habetis panes? Tot præceptis instituti, tot exemplis edocti, toties admoniti, nondum animaduertitis, nec intelligitis? Non saltem illud memoria tenetis, quod nuper bis exhibitum

 est ve

est vestris oculis? Qui quinque panibus quinque millia hominũ paui, & septẽ panibus quatuor millia, nũquid vnico pane possum & vos duodecim pascere? Quod monui de fermento Pharisæorum & Herodis, non pertinet ad panes, sed ad illorum doctrinam vitandam, ne & vos seducamini, quemadmodum illi seducũt multos. Nihil hoc loci difficultatis est, sed sufficiat admonuisse vt ex præteritis præsentia & futura æstimemus, neque vnquàm Christo diffidamus. Et sicut Christus hic iubet discipulos sibi cauere à fermento Pharisæorum & Hærodis, ita & nobis cauendum ab omni doctrina, quæ Ecclesiasticæ & Catholicæ doctrinæ aduersatur, quacunque tandẽ vel specie vel eruditione sese venditet. Nunquàm deerit malum illud fermentum, nostrũ est non gustare, Paulo siquidem teste, Modicum fermenti totam massam corrumpit. Et tam letalis est cibus hæreticorum & contagiosus, vt quicunque vel paululum gustauerit, non possit post in totũ abstinere, & quicquid deinde gustabit sibi, sapiet vetus fermentum. Quòd si aliquando contigerit respicere ad panes euãgelicos, nihil aliud tibi præter fermentum Pharisæorum videbuntur. Si manna videris, anima tua, cum ingratis Israelitis nauseabit super cibo isto leuissimo, & cepas & allia Aegyptiaca desiderabis. Optimũ igitur consilium hoc erit, vt in totum abstineas ab hæreticorum fermento, & contentus sis euangelicis panibus. Sequitur.

Obser.

Cauenda doctrina pestifera

1. Cor. 5.

Num. 11

*Et veniunt Bethsaidam, & adducunt ei cæcum, & rogabant eum vt illum tangeret. Et apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum: & expuens in oculos eius, impositis manibus suis interrogauit eum, si quid videret. Et aspiciens ait: Video homines velut arbores ambulantes. Deinde iterum imposuit manus super oculos eius, & cœpit videre, & restitutus est, ita vt clarè videret omnia. Et misit illum in domum suam dicens. Vade in domum tuam, & si in vicum introieris nemini dixeris.*

Hui⁹ miraculi neque Matthæus neque Lucas meminit, sed sol⁹ Marc⁹, q & copiose describit. Bethsaida hæc est patria Petri, Andreæ & Philippi, q omnino à cõciuib⁹ suis degenerarũt. Apparet enim populum in illo castello fuisse satis incredulum, hinc alibi apud Matthæum legimus. Væ tibi Chorrosaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidõne factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere & cilitio pœnitentiam egissent, &c. Ad hanc igitur Bethsaidam cum peruenisset dominus cum discipulis suis, quidam adducunt ei cæcum, & rogabant eum vt illum tangeret, nimirum vt & sanaret. Hunc ergo dominus apprehẽnsum manu, educit extra vicum, & expuens in oculos eius, imposuit ei manus. Quare educit extra vicum? Quia indigni erant ciues qui viderent hoc miraculum, quod citius calumniaturi, quàm probaturi fuerant. Et sicut in superioribus sputo linguam surdi & muti tetigerat, ita & iam expuit in oculos cæci: nihil enim in Christo est, siue corpus, siue vox, siue sputum, imò etiam vestes, quod non habeat vim medicatiuam. Quòd autẽ cæcus rogatus an videret, ait, Video homines velut arbores ambulantes: ostendit ipsum non fuisse cæcum à natiuitate, sed aliquando vidisse: ostendit item quòd non perfectè curatus primò fuerit: cuius quidem rei causam Euangelista non reddit. Hoc scimus quòd ad curandum Christus varijs vtitur modis & circumstãtijs, sed quòd à parte tantum sanat, hoc nouum hic est. Videtur mihi hic cæcus fuisse parũ credulus, vt quem nihil audimus rogare à Christo, ideóque Christus huic tam noua curatione voluit ostendere morbi grauitatem. Cæterùm cum nondum

Bethsaida.

Matt. 11.

Extra vicum.

Cap. 7.

Perfe-

perfectè videret cæcus, rursum impo suit dominus manus super oculos eius & cœpit videre omnino clarè. Quòd autem dominus prohibet eum id mira culi prædicare, suo more facit. Quòd si mysticũ hic sensum disquirere voluerimus, inueniemus hoc cæco designari genus humanum, quod primum quidem, hoc est, statim vt conditus est, clarè vidit omnia, vtpote in statu innocétiæ constitutus, sed deinde dæmonis astutia occæcatus est. Hunc cæcum reparaturus dominus, principio quidem segregauit à multitudine, vt sibi esset populus peculiaris, dedit leges & mandata, quæ faciens homo vtcumque incipiebat videre. Postremò rursum imposuit ei manus dominus, cum Christus incarnaretur, & pristinæ innocentiæ restitutus est homo. Sed in his philosophari sicut facillimum, ita & superfluum.

Mistice.

*Et egressus est Iesus & discipuli eius in castella cæsareæ Philippi, & in via interrogabat discipulos suos, dicens eis. Quem me dicunt esse homines? Qui responderunt illi, dicentes, Alij Ioannem Baptistam, alij Eliam, alij verò vnum de prophetis.*

Apud Ioannem Euangelistam sic legimus Christum dicere ad patrẽ: Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te Patrem solum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Vt igitur cognosceret ab hominibus, iuxta Prophetã Baruch, in terris visus est, & cũ hominibus cõuersat⁹ est, prædicauit, miracula operatus est, qualia antea nullus fecit. Hac autem re quid profecerit apud vulgus, iam rogat discipulos dicens. Quẽ me dicunt homines esse? Audiunt me concionantem, vident facientem miracula, nouerunt iam tempus Messiæ instare, palàm est iam sceptrum de Iuda ablatum esse, quem igitur me dicunt esse? quam de me cõceperunt opinionem? Discipuli simpliciter citràque fraudẽ respõdent quod audierãt à vulgo: Alij Ioãnẽ Baptistã, alij Eliã, alij verò quasi vnũ de prophetis. Hanc vulgi opinionem in superioribus audiuimus, & vnde in errorem hunc peruenerint docuimus. Herodis impij & crudelis Tyranni vox erat, Quem ego decollaui, Ioãnes Baptista, surrexit à mortuis, & ideò virtutes operantur in eo: fuerunt & alij in ea opinione sicut ex euangelica historia patet. Et hic videmus hominum inconstantiam, Ioannem pro Christo habent viuentem, Christum habent pro Ioanne quem mortuum fatentur, & sic neque Christo neque Ioanni crediderunt.

Ioan. 17.

Baruch.

Ioan. 15.

Gen. 49

Marc. 6.

*Tunc dicit illis: Vos verò quem me esse dicitis? Respondens Petrus, ait ei. Tu es Christus. Et comminatus est eis ne cui dicerent de illo.*

Vult dicere Christus, Vacillat, vt video, vulgus, nihil de me constanter sentiens: & tamen magnificentius de me sentiunt, quàm hi, qui me nihil aliud prædicabant quàm fabri filium, quàm qui dicebant me versum in furorem, & venabantur ad vincula, quàm qui dicebant in me spiritum esse Beelzebub: Vos autem, qui me domesticè nostis, qui perpetui testes fuistis omnium quæ gessi, quæque docui, quem me esse pronunciatis? Tum Petrus apostolorum princeps, ore omnium respondit, Tu es Christus. Apud Matthæum legimus, Tu es Christus ille filius Dei viui: Nam multis Christi nomen, cum Christo cõmune est, cum & sacerdotes & reges vngebãtur etiam tum temporis: Sed filium esse Dei viui longè aliud elogium est. Neque tamen negauerim, & Christi fideles filios Dei appellari, sed longe alia ratione. Quod autem sequitur, comminatus est eis ne cui dicerent de illo, quare fecerit, iam audiemus.

Marc. 3.

Matt. 16. Christi nomen multis cõmune Filii Dei multi. Videte qualem charitatem nobis dedit De⁹, vt filij Dei nominemur & simus. 1. Ioan. 3.

*Et cœpit docere eos quoniam oportet filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus, & à summis sacerdotibus*



*& scri-*

*et scribis, & occidi, et post tres dies resurgere. Et palam verbum loquebatur.*

Apud mundum hæc duo, esse filiũ Dei viui, & crucifigi, nõ probè sese sequuntur: sed apud Deum hæc summa sapientia est. Quia verò mundus æquo animo hæc ferre non potest, ideò post Petri, imò omnium apostolorum cõfessionem, statim mentionem facit, cœpitque eos docere, inquiens. Oportet filium hominis multa pati, & reprobari, non ab infimæ sortis hominibus, nõ ab infidelibus gentilibus, sed à senioribus, & à summis sacerdotibus & scribis. Nec à persequendo desistent, donec occidãt. Sed hæc vos nõ moueãt plus æquo, quia mors hæc mihi nihil nocebit. Post tres enim dies resurgam. Iam nota verba Christi diligentius. Audit à Petro, Tu es Christus filius Dei viui. Neque tamen dominus dicit, oportet filium Dei viui multa pati & reprobari: Sed oportet filium hominis multa pati. Secundum enim quòd filius Dei est, pati non potuit, occidi non potuit, sed secundum quod filius hominis. Quia igitur filius hominis factus est, mori potuit. Quia filius Dei viui, tertia die resurgere potuit, & quæ ventura erant discipulis prædicere. Sed quare discipulis passionem suam dominus prædicit? Vt cum factum fuerit quod prædixerat, non offenderentur, memores scilicet suæ confessionis, qua confessi sunt ipsum esse filiũ Dei viui. Sed cur noluit, vt apostoli prædicarent vulgo ipsum esse filium Dei viui? Ne iam credentes, post videntes & passum & mortuum amplius scandalizarentur. Porrò eum prædicari filium Dei viui, qui & passus & mortuus est, & tertia die resurrexit, facillimum est creditu. Sequitur,

Oportet filiũ hominis multa pati, &c.

Quare phibuerit filiũ Dei prædicari.

*Et apprehendẽs eum Petrus cœpit increpare eum. Qui conuersus, & vidẽs discipulos suos, comminatus est Petro, dicens: Vade retro me satana, quoniam non sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominũ.*

Petrus, quàm ardentiss. amauerit Christum obscurum non est, cum itaque audiret tam crudelem sermonem de damnando, de affligendo, de occidẽdo, ausus est Iesum seducere, quasi priuatim aliquid admoniturus, quod è re sua esset: & dicit iuxta Matthæum, Absit hoc à te, & propitius esto tibi domine. Huic Christus respondet: Vade post me Satana, hoc est aduersarie, quoniam non sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Petro videbatur indignum, vt Christus filius Dei viui, qui nemini incommodaret quidem, sed omnibus prodesset, sic deberet persecutionem pati, etiam ad mortem vsque: admonet igitur, vt cum sit filius Dei, & possit sententiam reuocare, propitius sit sibimetipsi. Et quandoquidem Christus increpaturus Petrũ etiam reliquos discipulos respicit, apparet omnes eiusdem fuisse sententiæ, sed Petrũ vt confidẽtiorem hæc Christo dixisse. Porrò non insultandum est hic Petro, qui à se tam diuersa facit. Fatetur filiũ Dei viui, & filiũ Dei, & docere & increpare non veretur. Nondum acceperãt spiritum cœlestẽ, qui perficeret in eis, quod erat imperfectum. Habet hic mũdus multos Petros, qui sapientiores volunt esse Christo, & ei præscribere quid facto opus. In hoc tamen peiores Petro sunt, quòd admoniti nolunt resipiscere. Petro videbatur indignum, filium Dei occidi, sed admonitus resipuit. Appelles, Martion, & multi aliĩ indignum æstimabãt Christum filium Dei, vel nasci vel mori, sed admoniti, in sua hæresi mortui sunt. Sacramentariis res Christo indigna videtur, vt velit nos suo corpore & sanguine alere. Toties super hac re admoniti sunt, pro pœnitentia pertinaciam habemus. Porrò non est hominis, apprehendere Iesum & increpare ne faciat, quod decreuit facere: sed adorandus est, vt nos dignetur apprehendere, ducturus quo velit.

Matt. 16

Obseruã.

Aduersus Sacramẽtarios.

Et

*Et conuocata turba cũ discipulis suis, dixit eis. Si quis vult me sequi, deneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me & euangelium, saluam faciet eam.*

Durum videbatur Petro, quòd ipse dominus deberet pati crucem. Conuocat igitur turbam, in hunc sensum ferè alloquitur Petrum: Tu me, inquit, reprehendis Petre, quòd crucem tollo: ego autem tibi dico, quòd neque tu, nec quisquàm saluabitur, nisi moriatur pro bono & veritate. Multi me sequuntur pedibus magis, quàm imitatione, nec omnes eadem adducit causa: alios allicit miraculorũ nouitas, alios amor sanitatis, alios verò fames doctrinæ. Cæterùm quisquis voluerit esse assectator mei, si voluerit esse socius felicitatis & gloriæ, paret interim animum suum, vt sit socius afflictionum & mortis. Abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me. Quid est abnegare semetipsum? Hoc quid sit discemus, si didicerimus quid sit abnegare alium. Qui enim abnegat aliũ, fratrem fortassis vel familiarem, vel patrem, etiamsi flagellari eum viderit vel occidi, non aduertit, non dolet, non cõpatitur, semel ab eo abalienatus. Sic quoque dominus nos vult corpus nostrum despicere, vt siue flagella, siue aliquid patiatur, ne illi parcamus. Quod ergo dominus hic abnegare dicit, alibi odire animam suam dicit: & Paulus, curam carnis non facere. Breuiter, nulla in re corpori parcere, si Christi gloria hoc ipsum postulauerit. Deinde oportet vt tollat suam crucem, hoc est, quicquid aduersitatis tibi immiserit Christus, hoc æquo animo ferendum erit. Quia autem nõ satis est pati & affligi, nisi hoc ipsum pius patiatur, ait & sequatur me. Habet enim & Satanas suos martyres: vnde & Christus etiam subiungit: Qui autem perdiderit animam suam propter me & euangeliũ, saluam faciet eam. Qui digna factis recipiunt, nullo encomio digni sunt. Sed iam hoc seculũ multos habet, qui gloriantur, imò conqueruntur, se euangelij gratia persecutionem pati, odio haberi, &c. Et verè cõqueruntur: puniuntur certè propter euangelium, sicut homicida capite plectitur propter iustitiã. Qui occidit hæreticum, occidit propter euangelium, non quia hæreticus illud docet, sed quia persequitur & adulterat euangelium: Sed satis hac de re. Cæterùm ad sensum euangelij, qui pluris facit hanc vitam quàm pietatem, quàm Christum, etiam si videatur ad tempus lucrifacere vitam, tamen re vera perdit eam. Nullus enim hic vitam suam vltra præscriptũ diem valet prorogare, & post hanc vitam, quæ nulli non breuissima est, addicitur æternæ morti. Porrò quisquis amore Christi vitam suam posuerit in discrimen mortis, saluam sic faciet, &c. Oportet enim omnino nos imitari Christum, qui passus nobis reliquit imitandi exemplum. Non pudeat discipulum sequi præceptorem, non pudeat seruum sequi dominum, Oportebat pati Christum & sic intrare in gloriã suam: ergo oportet & nos per multas tribulationes intrare in gloriam alienam.

*Quid enim proderit homini, si lucretur mundum totum, & detrimentum animæ suæ faciat? aut quid commutationis dabit homo pro anima sua?*

Hæc domini verba non expositione, sed imitatione indigent. Quis tam stultus est in hoc mundo, qui vitam suam temporalem commutaret omnibus huius mundi diuitijs? Exempli gratia, si alicui dicerem, Ecce iam pauper es & diu viues, quòd si volueris, in momento faciam te principem totius mũdi, sed cum principatu aderit mors: Nunquid hic dicturus est, quid mihi mor

Marginalia: 1. Cor. 1 — Abnegare semet ipsum. — Rom. 13 — Hæretici propter iustitiã affliguntur, sed ã sensu. — Luc. 24.

mortuo proderit fuisse principē? Si igitur præsens vita nobis charior omnib⁹ mundi diuitijs existit, quid de vita animæ sentiendū erit? Animæ vita perpetua est & cælestis, cum corporis vita sit caduca & terrena. Quid igitur proderit homini si vniuersum mundum lucretur, & detrimentum animæ suæ faciat? aut quid commutationis dabit homo pro anima sua? Anima omnibus rebus quæ in mundo sunt præpōderat, vnde & pro ipsa non pigrè laborandum est, ne pereat. Sed animæ preciositatem diuites huius mundi non curant, pro vnico nummo seruando plus soliciti sunt, quàm pro anima seruanda. His obijcimus diuitem & purpuratum epulonem, qui illis sit documento quid factum oporteat. Sed hac de re aliàs copiosius.

*Qui enim me confessus fuerit & verba mea in generatione ista adultera & peccatrice, & filius hominis confitebitur eum, cum venerit in gloria patris sui cum angelis sanctis.*

Dixerat, Quid proderit homini si lucretur vniuersum mundum, & detrimentū animæ suæ patiatur? Iam quid lucri facturus sit, qui nihil præponit Christo, apertè significat dicens: Qui me confessus fuerit & verba mea, in generatione ista adultera & peccatrice, & filius hominis confitebitur eum, &c. non omnis mundus amplectetur vel Christum vel ipsius euangelium, sed multi impij Christi discipulis bellū mouebunt: hoc ergo in tumultu oportet vt nemo despondeat animum, sed apertè fateatur se esse Christi. Nam & Christus confessionem confessione compensabit: si abnegasti illum, abnegabit te: si confessus fuisti eum, & ipse confitebitur te. Quid autem sit Christum abnegare aliquem, doceant te fatuæ virgines, quæ clamantes, Domine domine aperi nobis, audierunt: Amen dico vobis, nescio vos: id est, reprobo vos, condemno vos. Ne igitur eandem vocem audire nos contingat cauendum est. Apostolus de quibusdam loquitur: Confitentur quidem se nosse Deum, factis autem negant. Neque enim sufficit dicere Christianum inter Christianos, Christianus sum, sed tempore persecutionis Christianorum, qui hoc audebat dicere, verè Christianus erat. Iam quandoquidem Christianorum martyria cessarunt, Christi nomen operibus pijs profitendum erit. Si Christi vestigia imitatus fueris, si charitate fraterna præditus fueris, si patientiam & longanimitatem indueris: hæc & similia testantur verum Christianum. Porrò si pro Christo pati non potes detrimentum vnius obuli, quomodo pro illo vitam impendes? Sed ad textum reuertamur, vbi obseruandū est, quòd Christus non dicit se iam aduenisse vt remuneret, sed olim ad remunerandum aduenturum. Posset enim quis dicere: Quid magni est, etiam si Christus iam in crucem adigendus, me confitebitur esse suum? Dicit ergo, Filius hominis confitebitur eum, non quando iam est in confusione & scandalo crucis, sed cum venerit in gloria patris sui, cum angelis sanctis. Quod vtinam nobis contingat, gratia domini nostri Iesu Christi. Amen.

Matt. 25 | Tit. 1 | Obseru.

## CAPVT NONVM.

*ET dicebat illis: Amen dico vobis, quia sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute.*

Expectabat Iudæorū populus admirabile quoddam regnum Israelitici populi, quod mox exoriturū arbitrabantur, simulatq; venisset Messias. Et ideò non poterant credere Iesum esse Messiam, quòd tam humilis, tam abiectus aduenisset, magis autem offendebātur men-

Aduēt⁹ Mesiæ duplex. mentione crucis ac mortis. Non intelligebant autem duplicem Messiæ aduentum, priorem iuxta mundum humilem & ignominiosum, alterum maiestatis & gloriæ plenum, qui in fine mundi futurus est, vt vniuersum corpus suum ab omnibus exemptum malis, sibi iungat in gloria patris: Satanam autem cum omnibus suis mēbris demergat in gehennam. Huius aūt aduentus diem omnibus incertū esse voluit, sed tamen in hunc voluit omnes esse paratos. Itaque cum dominus iam dixisset, filius hominis vēturus est in gloria patris, & multi essent in turba, qui proculdubio sic cogitabant apud sese, Quando veniet hoc tempus gloriæ, quod promittit? Dicebat ergo illis, Amen dico vobis, quia sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute. Quæ quidē domini verba videntur mihi intelligenda de futura transfiguratione, qua speciē quandam futuræ gloriæ tribus discipulis exhibuit. Sequitur enim continenter in textu.

*Et post dies sex assumpsit Iesus Petrum, Iacobum & Ioannem, & duxit illos in montem excelsum solos, & transfiguratus est coram ipsis. Et vestimenta eius facta sunt splendentia & candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere. Et apparuit illis Elias cum Moyse loquentes cū Iesu.*

Luc. 9. Lucas dicit hæc post octo dies facta esse, numerat enim diem in quibus hanc promissionem fecerat, & postremum diem in quo transformatus est. Marcus verò tantùm intermedios dies numerat. Sed quare tantùm tres Apostolos, Petrum & duos filios Zebedæi assumpsit secum? Vt qui futuri erant participes passionis, etiam participes essent gloriæ. Hos enim tres Apostolos etiā passurus ad montē oliueti secū duxit. Quòd autem ascendit excelsum

Ascēdere in mōtē quid. montem, ostendit neminem visurum gloriam cælestem, nisi qui contemptis mundi voluptatibus cælestia cogitant. Hinc Paulus dicit: Si cōsurrexistis cū Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Et trāsfiguratus est ante eos: Qualis enim futurus est tempore iudicij, talis apostolis apparuit. Nemo autem putet Christum pristinam formam & faciem perdidisse, vel amisisse corporis veritatē, & assumpsisse corpus spirituale vel aëreum. Neque enim alio corpore resurrexit dominus, quàm quo passus est, nisi quòd corpus patiens passibile fuerit, corpus autem resurgens immortale & impassibile. Sed corporis Christi veritatem Thomas Apostolus abunde probauit, digitos suos in locū clauorum, manum autem in latus domini mittens: qua de re aliàs. Vestimēta porro domini in hac transfiguratione facta sunt splendida & candida sicut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere, & iuxta alios euangelistas, facies eius resplenduit sicut sol. Per splendorem faciei, iuxta Gregoriū, designatur claritas Christi futura, per candorem autem vestium, designatur claritas aliorum sanctorum. Vndè sicut claritas niuis superatur à claritate solis, ita claritas Christi superabit claritatē aliorū sanctorū. Quare aūt Moyses & Helias apparuerint, multæ à multis assignantur causæ. Primum isti duo apparuerunt, vt ostendatur quòd mortis & vitæ potestatem habeat, Moyses enim morte defecerat, & Helias in Paradysum locum voluptatis raptus fuerat. Altera causa: Quia dixerant discipuli, populi opinionē esse, quòd Christus sit vel Elias, vel alius ex prophetarum numero, ostendit eis prophetarū præcipuos, vt & inde discant quantum inter dominum & seruum intersit. Aliā rursum causam ponunt: Quia multi eum putabant aduersarium Deo, & quòd

Col. 3. Ioan. 20. 1. 4. Reg. 2. 2. 3.

quòd solueret sabbatum, ac legem praeuaricaretur, ostendit in monte prophetas, quorũ vnus legislator, alter aemulator fuerat. Neque enim colloquium cum eo habuissent prophetae, qui visus fuisset soluere legem. Propter has ergo & fortaßis nonnullas alias causas apparuerunt Helias & Moyses, & erãt loquentes cum eo. Sed quid loquuti sunt? Audi Lucam Euangelistam sic dicentem. Erant autem Moyses & Helias visi in maiestate, & dicebant excessum eius quem completurus erat in Hierusalem.

Luc. 9.

*Et respondens Petrus ait Iesu. Rabbi bonum est nos hic esse: & faciamus tria tabernacula, tibi vnum, & Moysi vnũ, & Heliae vnum. Non enim sciebat quid diceret: erãt enim timore perterriti. Et facta est nubes obumbrans eos, & venit vox de nube dicẽs. Hic est filius meus charißimus, ipsum audite. Et statim circunspicientes neminem amplius viderunt, nisi Iesum tantùm secum.*

Audiens pius ille Petrus, quae colloquerentur Prophetae cum domino, quòd scilicet oportet Iesum ire Hierosolymam, & ibi multa pati, demũ etiã crucifigi, adhuc timet pro Christo, sed post increpationem non audet dicere rursus, Propitius esto tibi, sed idem oeculte per alia verba dicit inquiens, Rabbi bonum est nos hic esse, & faciamus hic tria tabernacula, &c. Cogitauit enim quòd si hoc fieret, non ascenderet Hierosolymam, & si non ascenderet, Christus non moreretur. Cogitabat fortaßis etiam, quòd Helias aderat, qui in montem ignem descendere fecit, & Moyses qui intrauit nebulam, & cum Deo locutus est, vnde occultari poterant, vt nullus persecutorum sciret vbi essent. Sed quacunque tandem occasione hoc dixerit Petrus, non multis quaerendum est, cùm Marcus dicat, Nõ enim sciebat qd diceret, vsqueadeò timore perterritus fuerat. Nesciebat enĩ vere quid diceret, sicut alibi filij Zebedaei nesciunt quid petant. Errauit Petrus, quia imaginem gloriae, verã gloriam aestimabat. Errauit etiam, quia voluit vt regnum electorum constitueretur in terra, quod dominus promiserat dare in caelis. Errauit deinde, quia oblitus est se & socios suos esse mortales, & absque gustu mortis voluit subire aeternam felicitatem. Errauit postremò quia voluit particeps esse gloriae, sed non paßionis. Porrò cum exterriti discipuli non poterant ferre splendorẽ hunc, nubes, iuxta Matthaeum, lucida obumbrauit eos. Neque quicquàm respondit Christus, ad vocem Petri, sed venit vox de nube dicens: Hic est filius meus chariß. ipsum audite: ac si diceret: Hactenus Iudaei suspexerunt Moysen & Eliã, qui vaticinati sunt de filio meo, magni illi fuerunt, sed serui mei: Hic est autem ille filius meus mihi chariß. ipsum audite. Sic ergo Christus habuit testes, ex caelo patrem coelestem, ex paradiso Heliam, ex terra Apostolos, ex inferis Moysen, Vndè & merito ab omnibus audiendus est, quemadmodũ & pater caelestis admonuit. Et olim per Moysen eadẽ admonuerat inquiẽs, Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi dominus Deus tuus, ipsum audies, &c. Et rursum: Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore eius, loqueturq; eis omnia, quae praecepero illi. Qui autem verba eius, quae loquetur in nomine meo audire noluerit, ego vltor existam. Vides igitur nõ tutum esse Christi verba vel negligere, vel prorsus negare, fac igitur vt sint lucerna pedibus tuis & lumen semitis. Deinde sic instituas vitã tuã, vt ex fugitiuo seruo efficiaris & ipse charißimus Dei filius. Hoc enim non impoßibile esse alibi filius Dei docet, dicens: Diligite inimicos vestros & benefacite his qui vos oderũt, &c. vt sitis filij patris vestri caelestis, qui solem

4. Reg. 1

Marc. 10

Errat Petrus dupliciter.

Matt. 17

Christi testes.

Deut. 18

Psal. 118

Matt. 5

solem suũ facit oriri super bonos & malos, &c. Et rursum: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabũtur. Eo pertinet quod Ioannes in canonica sua dicit: Vide qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & simus.

1.Io.3.

*Et descendentibus illis de monte, præcepit illis ne cuiquam quod vidißent narrarent, nisi cũ filius hominis à mortuis resurrexerit. Et verbũ continuerunt apud se, conquirentes quid esset, cum à mortuis resurrexerit.*

Nunquid phantasma fuit, quod viderunt apostoli illi tres? Nunquid illorum oculos fascinauit? Nequaquam. Quare hæc videre fecit discipulos, si noluit scire? Descendentibus enim illis, præcepit ne cuiquam quod vidissent narrarent. Obserua quia discipulis præscribit, quousque silendum fuerit hoc præclarum facinus. Neq; enim perpetuo silendum fuerat, sed donec à mortuis resurgeret. Quid enim profecissent hoc narrantes, nisi quòd incredulis ludibrio essent futuri? Quis autem credidisset verè talem apparuisse Iesum, quem mox vidissent tot ignominiis affectum? & denique morientem in cruce? Post resurrectionem autem non erat periculum: Quur enim non crederet illum in tanta maiestate visum, & patris testimonio comprobatum, quem nouit à mortuis resurrexisse? Oportuit ergo vt visio hæc annunciaretur, sed post resurrectionem: vt neminem scandalizaret, sed omnibus prodesset. Non enim tantũ refert quid dicas, sed quando, quibus, & qua ratione. Hinc apostoli prohibiti à domino, hunc sermonẽ cõtinuerunt apud se, etiã si nõ intelligerent, donec à mortuis resurrexisset Christus, & ad cælos ascendisset. Inuenimus siquidem eius visionis Petrum facere mentionem cũ dicit: Non enim indoctas fabulas secuti, notã fecimus vobis domini nostri Iesu virtutẽ & præsentiã, sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim à Deo patre honorem & gloriã, voce delapsa ad eũ huiuscemodi à magnifica gloria, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. & hanc vocẽ nos audiuimus de cælo allatã, cum essemus cum ipso in monte sancto. Cæterùm quòd discipuli inter se disputant, quidnam sit, cum à mortuis resurrexerit, sic se habet: Boni discipuli, & si iam sæpius audiuissent Christum mortem crucis subiturũ, tamen nõ potuerunt adduci vt crederent futurum esse, maximè cum iam vidissent illius magnitudinem, & paternã vocem de cælo audissent. Quomodo igitur à mortuis resurget, qui nunquam morietur? Sed morietur dicis Petro: hic respõdet: Non est verisimile, vt pater cælestis patiatur filiũ suum charissimũ in hanc ignominiã venire. Quod si etiam discipulis persuasum fuerit Christum moriturũ, sed tamen nouum hoc fuit exemplum, vt quis semetipsum à mortuis resuscitet. Summa, hæc erant supra captũ discipulorum, & aliàs nõ facilè credimus quæ illibenter audimus. Sed videamus quæ sequuntur.

2.Pet.1.

Obser.

*Et interrogabant eum dicentes: Quid ergo dicunt Pharisei & Scribæ, quia Heliam oporteat venire primũ? Qui respondens ait illis: Helias cũ venerit, primò restituet omnia, & quomodo scriptũ est in filiũ hominis, vt multa patiatur & contemnatur: sed dico vobis quia Helias venit, & fecerunt illi quæcunque voluerũt, sicut scriptum est de eo.*

Celebris erat fama apud Iudæos, Heliam Thesbitem venturum esse ante diem domini magnum, & discipuli rebantur à resurrectione domini statim illum diem imminere, vnde sese non poterant explicare, quidnam hac de re certi crederent: interrogant ergo Christum, dicentes: Quid est, quod ex Malachiæ prophetia dicunt Pharisæi, nõ venturum illum diem, nisi prius ve-

nerit Helias Thesbites, qui præparet populum in aduentum illius diei, ne feriat dominus omnes anathemate? Atqui nondum venit Helias, quem vidimus tecum in monte, neque quicquam adhuc per illum est actum. At Iesus ad illam interrogationem, quasi in hunc sensum respondit. Et quod de Helia dixit Malachias, & quod de filio hominis prædictum est à prophetis, haud dubiè futurũ est. De Helia legitis, quòd præueniens diem domini magnum & horribilem, conuersurus sit corda patrum in filios, & cor filiorũ ad patres: vt minores intelligāt exhibitum, quod à maioribus fuerat expectatum. Hic igitur Helias anteuertens, restituet omnia sicut scriptum est. Sed quemadmodum verax est Malachiæ prophetia de præcursore Helia, ita verax est cæterorum prophetia: quæ prædicit futurum, vt filius hominis priusquàm aperiat maiestatem suam, multa patiatur, contemptuique & ludibrio habeatur, denique & occidatur. Sed dico vobis quia Helias venit, & tamē qui prophetiæ intelligentiā iactant hunc nō agnouerunt, sed fecerunt in eum, non quod ille merebatur, sed quicquid ipsis collibitum est. Hæc Christus de Ioanne Baptista loquutus est, qui venit iuxta Esaiæ & Malachiæ vaticinia, vociferās in deserto adesse diem domini magnũ & terribilem, iam securim admotam arboris radici, properaret quisque fugere venturam Dei vindictam. Breuiter. Prophetarum vaticinia duos domini aduentus venturos prædixerunt, vnum in humilitate, alterum in maiestate: vnum in infirmitate, alterum in gloria. Et prædictum est, primum aduentum qui fuit in humilitate, habere præcursorem, nimirum Ioannem Baptistam, qui in spiritu & virtute Heliæ venit. Alterum autem aduentum habere præcursorem Heliam illum Thesbitem, qui igneo curru raptus per aëra in paradysum, quique eos in viam veritatis restituet, quos Antichristus corruperat. Sed Iudæi qui nihil aliud spirāt, q̄ libertatem, regnum, & potentiā, primum domini aduentũ in carnē nolunt recipere, sed tantũ alterũ expectāt, nec volũt credere Christi aduentũ vllũ, nisi prius viderint Heliā Thesbitē. Hinc est quod alibi Baptistā interrogāt dicētes: Helias es tu? &c. Sed de his plus satis.

*Duo domini aduentus.*

*Ioan. 1.*

*Et veniēs ad discipulos suos, vidit turbam magnam circa eos, & Scribas cōquirentes cū illis. Et confestim omnis populus vidēs Iesum stupefactus est, & expauerūt: & accurrētes salutabāt eū, & interrogauit eos: Quid cōquiritis inter vos?*

Notanda in omnibus locis distantia mentis Scribarũ & turbæ. Erat enim cum discipulis turba, erant & Scribæ: sed adueniente domino, mox oīs turba stupefacta expauit, illúmque salutās accurrit: Scribæ nihil deuotionis, fidei, humilitatis & reuerentiæ ei exhibuisse narrantur. Denotatur autē dolus Scribarum: qui cū domino congredi nō audērent, diuexare rudes discipulos absente ipso instituerant, quo vel speciem victoriæ cōtra veritatem, apud imperitā plebem obtinerent. Sic & hæretici solent incautos & simplices venari, contra quos suas hæreses defendere ausint. Quid aūt Scribæ cū discipulis domini disputauerint, Euangelista nō dicit. Potest verò aptè intelligi de hoc quæstionē fuisse motā, quare ipsi cū essent discipuli Saluatoris, saluare dæmoniacum, qui in medio erat positus, nō possent. quod ex sequentibus intelligi potest verbis, cùm enim interrogasset dominus dicens: Quid inter hos cōquiritis?

*Dolus Scribarum.*

*Respōdens vnus de turba dixit ei: Magister attuli filiū meū ad te, habentē spiritū mutū, qui vbicūq; eū apprehēderit, allidit illū, & spumat & stridet dentibus, et arescit. Et dixi discipulis tuis vt eÿcerēt illū, et nō potuerūt. Qui respōdēs eis dixit: O generatio incredula, q̄ diu apud vos ero? Quam diu vos patiar? afferte illū ad me.*

Non

Non ignorabat Iesus quid disceptarent Pharisæi, sed tamen interrogat quid esset rei, de quo disceptarent, vt omnibus esset notum quid ageretur. Quum & discipuli pudore obticescerent, quòd frustra tentassent dæmoniū eijcere: obticescerēt & Pharisæi, qui nomen Iesu apud discipulos inefficax calūniabāt: quidā è turba, q dederat huic disputationi occasionē, rē vt erat exposuit Iesu. Magister, inqt, adduxerā huc ad te filiū meū, obnoxiū muto spiritui, à quo miserè affligitur, &c. Quoniam autem tu non aderas, rogaui discipulos tuos, vt profligato spiritu, liberarent filium meum. Illi tentarunt quidē, sed non potuerunt. Hoc audito dominus vt ostenderet fiduciæ imbecillitatē in causa fuisse, quo minus liberat⁹ fuisset iuuenis, velut indignās apud se, ait. O generatio incredula, &c. Verè enim incredula erat natio, quæ tot miraculis editis, non adduci poterat vt crederet. Matthæus hanc historiam breuissimis describit, tamen addit eū filium fuisse lunaticū. Hinc Beda occasionem sumit dicens allegoricè: Hic puer designat eos de quibus scriptum est. Stultus vt luna mutatur, Qui nunquàm in eodem statu permanentes, nunc ad hæc, nunc ad illa vitia mutati, crescunt atque decrescunt. Muti sunt ad loquēdum bona, ad detractionem verò vocalissimi. Surdi sunt ad audiendū verbū Dei, ad turpia & lasciua verba satis auriti. Spumant autē, cum stulta, & quicquid in buccam venit euomunt. Strident dentibus, cū iracundiæ furore perciti sunt in obuium quenque. Et hi iracundi & inuidi homines, verè tabescunt alienam felicitatem vel videntes vel timentes. Sequitur.

*Et attulerunt eum. Et cū vidißet eum statim spiritus conturbauit illū, & elisus in terram volutabatur spumans. Et interrogauit patrem eius. Quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit? At ille ait: Ab infantia, & frequenter eum in ignem & in aquam misit vt eum perderet, sed si quid potes adiuua nos misertus nostri.*

Quantum ad historiam attinet, nihil est hoc loci difficultatis, si quis modò meminerit, quid in aliis locis gestum sit. Quòd spiritus immundus visο Iesu miserum hominē vehementius infestat, ideò fit, quia veretur se nō posse ferre domini virtutē, sed se cogi vt exeat ab homine. Quòd autem Christus interrogat, quanto tempore hoc mali corripuerit hominem, non ex ignorantia facit, sed vt patre omnia ordine referente, res clarior existat. Quod denique pater ait ad dominum: Sed si quid potes adiuua me, misertus nostri, indicat quàm tenerè pater amauerit filium, & quàm parum habuerit fidei. Non enim cum leproso dicit. Si vis, potes, sed si quid potes adiuua me. Mysticum huius etiam facti sensum non possumus intactè præterire. Allatum ergo domino puerum spiritus cōturbat & elidit, quia sæpe dum conuerti ad dominum post peccata conamur, maioribus nouisq; antiqui hostis pulsamur insidijs. Quod ob id vtique callidus facit aduersarius, vt vel odium virtutis incutiat, vel expulsiōis suæ vindicet iniuriā. Hinc Sapiens dicit: Fili accedēs ad seruitutē Dei, sta in timore, & præpara animū tuū ad tentationē, &c. Obseruandum itē miserum illū ab infantia sic à dæmonio vexatū, solet enī Deus aliquādo parentū peccata punire in filijs, quib⁹ tamē rependere potest p modica passione, perennem gloriam.

Matt. 17

Obsert.

Eccle. 2

*Iesus autē ait illi: Si potes credere, oīa possibilia sunt credenti. Et continuo exclamās pater pueri, cū lachrymis aiebat. Credo domine, adiuua incredulitatem meam. Et cum vidißet Iesus concurrentem turbam, cōminatus est spiritui immundo dicens illi: Surde & mute spiritus ego præcipio tibi exi ab eo, & amplius*

*ne introeas in eum. Et exclamans & multum eum discerpēs, exiit ab eo: & factus est quasi mortuus, ita vt multi dicerent, Quia mortuus est. Iesus autē tenens manum eius, eleuauit eum, & surrexit.*

Dixerat pater pueri, Si quid potes, adiuua nos misertus nostri. Hoc dictum corrigit dicens: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Mihi nihil est impossibile, sed quæ possum, non facile aperio nisi credenti. Audiens hæc pater, concepta certiore spe, & clamore & lachrymis testificans vehemens animi desiderium, ait confido domine, & si quid deest meæ fiduciæ, tu succurre imbecillitati meæ. Magna vis est etiam modicæ fidei, vnde & Christus alibi dicebat. Si habueritis fidem sicut granum sinapis, & dixeritis huic monti tollere, & mitte te in mare, fiet, & cæt. Sed fides hæc suos gradus habet, quemadmodum & reliquæ virtutes. Hinc Apostoli dicunt, domine adauge nobis fidem. Breuiter: Nemo repente fit summus: sed in bona conuersatione à minimis quisque inchoat, vt ad magna perueniat. Alia namque sunt virtutis exordia, aliud profectus, aliud perfectio. Porrò obseruandū, quòd dñs nō puero sed dæmoni imperat & cōminatur. Sic & qui peccantē emēdare desiderat, vitiū vtique increpando & execrādo debet exterminare, sed hominē amando refouere. Obseruandū & hoc, quod dñs qui spiritū immūdū expellit ab homine, simul ne amplius ingrediatur in eū imperat. Ille siquidem veraciter pœnitentiā agit, qui ad peccata pristina nō reuertitur. Porrò quòd dæmon exclamans & multū eū discerpens egreditur, ostendit quàm inuitus egrediatur. Cætera omnia sunt aperta. Sed quid ad hæc discipuli?

Magna vis est etiā modicæ fidei.

Matt. 17

Obseru.

*Et cum introisset in domum, discipuli eius secreto interrogabant eum. Quare nos non potuimus eijcere eum? Et dixit illis: Hoc genus dæmoniorum in nullo potest exire nisi in oratione & ieiunio.*

Quum Iesus introisset in ædes, discipuli semotis arbitris interrogabant eum, quid fuerit in causa cur ipsi non potuerint hunc dæmonē eijcere, quū antea multos eiecissent in nomine Iesu. Cœperat enim animos illorum solicitudo humana, ne quid imprudenter offendissent dominū, & virtutē faciendi miracula, semel ab ipso traditam, perdidissent. Et dixit illis Iesus, esse peculiare quoddam dæmonum genus, quod expelli nequeat, nisi adhibita precatione & ieiunio. His enī duob[9] machinis maxi[m]ū possumus dæmoni incōmodare, oratione nimirū & ieiunio. Ieiuniū autē generale est, nō solū ab escis, sed à cūctis illecebris abstinere carnalibus, imò ab oib[9] viciorū cōtinere passionib[9]. Sic & oratio generalis, nō in verbis solū est, quibus diuinam clementiā inuocamus, verū etiā in omnibus quæ in obsequiū nostri conditoris fidei deuotione gerimus. Hinc & Apostolus ait: Sine intermissiōe orate. Quomodo enī quis omnibus horis atque momentis sine intermissione Deū potest inuocare sermonib[9]? Sed tunc sine intermissione oramus, cū ea solū operagerim[9], quæ nos pietati nr̄i commendent autoris. Quo nimirū ieiunio & qua oratione, opitulante domino, cunctas antiqui hostis debellabimus & ꝑpulsabimus insidias.

Ieiuniū.

Oratio.

1. Thes. 5

*Et inde profecti prætergrediebantur Galilæam, nec volebat quenquam scire. Docebat autē discipulos suos, & dicebat illis, quoniā filius hominis tradetur in manus hominum, & occident eū, & occisus tertia die resurget. At illi ignorabāt verbum, & timebant eum interrogare.*

Prætergreditur dñs Galilæam, nec quenq̄ vult scire, qa nondū venerat hora eius, vt per passionē suā transiret ex hoc mundo ad patrē. Inter eundū aūtē rursus inculcat discipulis suis, quod nō semel iam audierant. Dicebat autem, Omnino futurum est, quod toties dixi.

Ioan. 13

Filius

Filius hominis tradetur in manus hominum, vt capiatur, vt contemnatur, vt illudatur, vt flagelletur, vt occidatur. Scio, perturbat vos mortis mentio, sed oportet forti esse animo: non diu vos deseram, nam tertia die reuiuiscam. Hæc loquente Iesu, tantus torpor obsederat animos discipulorũ, vt hunc sermonẽ, tametsi dilucidum, non intelligerẽt, suspicãtes aliquid ænigmatis esse: quandoquidẽ meminerant sese dictis eiusmodi figuratis aliquoties fuisse falsos, veluti cum iuberentur cauere se à fermento Pharisæorum. Necdum animo concipere poterant mysterium crucis, neque coniectare quorsum attineret occidi, si mox esset reuicturus: quum qui reuiuiscere potest vbi velit, idem possit, si velit, non mori. Proinde quanquàm hoc sermone vehementer offenderentur, tamen non audebant interrogare Iesum, exemplo Petri deterriti, cui parum feliciter successerat hac de re dominum interpellasse. Audierat enim, vade retro satana.

*Et venerunt Capharnaum. Qui cum domi esset, interrogabat eos, Quid in via tractabatis? At illi tacebant: siquidem in via inter se disputauerant, quis eorum maior esset.*

Discipuli domini adhuc nihil super hominem sapientes, regnum quoddam mundanum somniabant, sicut ex multis alijs euangelistarum locis intelligimus. Itaq; inter viam orta est inter ipsos disputatio, quis esset primas habiturus in regno Dei, quod mox sperabant appariturum. Viderant paulò ante tres discipulos prælatos cæteris in conscensu montis, viderãt Petrum omnibus prælatum in tradendis clauibus regni cælorum, & tamen erant illo natu maiores quidam, etiã sanguinis propinquitate cõtingẽtes dominum. Quũ autem venium esset Capernaum, dominus priuatim interrogabat illos, quid esset illud de quo clanculũ inter sese disputassent in itinere. At illi tacebãt: cõscientia nimirũ accusante eos ambitionis, cuius exemplum in Christo nõ viderant.

*Et residens vocauit duodecim & ait illis: Si quis vult primus esse, erit omnium nouissimus, & omniũ minister. Et accipiens puerũ, statuit eũ in medio eorũ: quẽ cũ cõplexus esset, ait illis: Quisquis vnum ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit: et quicũq; me susceperit, non me suscipit, sed eum qui misit me.*

Hæc verba satis testantur, Christũ non ex ignorantia interrogasse. Discipulis enim obticentibus, quum facilè suspicarentur fore, vt hunc ambitionis affectum improbaret dominus, omnis modestiæ doctor ipse Iesus: quo penit⁹ hunc affectũ omniũ pestilentissimũ ex animis suorũ reuelleret, consedit veluti rem seriã cum authoritate traditurus: iussitq; duodecim apostolos adesse, & ferè in eum sensum ipsos alloquitur: Non meclam est optimi discipuli, quæ & qualia tractaueritis in via, nimirum quis vestrũ præferendus olim sit in regno Dei: sed ego paucis ostẽdã, quid super hac re sentiendũ sit. Si cui animo insidet ambitio, si quis se tali munere vel honore dignũ existimauerit, his omnino indignus erit. Verus ergo ad veram dignitatem gradus hic est, vt quis se viliorem omnibus existimet, se omnium seruum faciat & ministrũ, & hac humilitate se dignum faciet omni honore & laude. Porrò quo magis infigeret animis discipulorum hãc doctrinã, vocat ad se puerum pusillum, & hunc statuit in medio discipulorum. Eum vbi cõplexus esset, significans quàm auersaretur superbos, quámq; diligeret humiles spiritu atq; modestos, ait illis: Quisquis vnũ ex huiusmodi pueris receperit, &c. Hoc est, vt noueritis quanti apud me & patrem meum sint, quicunq; mundanis affectibus carent, hoc scitote, quisquis vnum ex his pueris honorarit, non minorem gratiam acci-

 piet,

piet, atque si vel me vel patrem meum honorarit. Obseruandum iam hoc loco, nullos magis à Christo diligendos, quàm qui nulla ambitione tenentur, sed humile de semetipsis sentiunt: hi enim tam similes sunt domino, quàm nemo alius. Hinc & Christus nihil aliud vult à se doceri quàm humilitatem, sicut alibi dicit: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Hi autem qui sursum deorsumque cursitant, qui omnem mouent lapidem, tantùm vt dignitatem accipiant, non possunt placere Deo: imò vt maius aliquid dicam, quotquot dignitates ambiunt, Deo aduersantur, & hominibus non placent. Quàm enim Deo aduersetur superbia siue ambitio, vnus multorum angelorum casus demonstrat, quantùmque infeliciter ambitio Adæ & Euæ cesserit, nemini obscurum est. De hominibus non est vt plura verba faciam. Nemo, aut certè rarus est, qui lubens patiatur sese contemni: sed quid dicit Apostolus, Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Inquit aliquis, si ambitio tam enorme crimen est? Respondeo, aliud esse velle prodesse, quàm velle præesse: hi tantùm vituperantur, qui in ambiendo non subditorum emolumentum, sed propriam gloriam vel vtilitatem quærunt. Sed hac de re fortassis alibi plura.

Obser. — Matt. 11 — 1.Pet.2 — 1.Tim.3

*Respondit illi Ioannes, dicens: Magister vidimus quendam in nomine tuo eijcientem dæmonia, qui non sequitur nos, & prohibuimus eum. Iesus autē ait: Nolite prohibere eum, nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo, & possit cito malè loqui de me: qui enim nō est ad uersum vos, pro vobis est. Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis: amen dico vobis, non perdet mercedem suam.*

Quo potentia Christi magis declararetur, in nomine eius etiam mali, ab initio regni eius virtutes fecerunt: vnde & Matth. vij. auditum est à domino: Multi mihi in illa die dicent, nonne in nomine tuo prophetauimus, & dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus? &c. Ioannes igitur etiam viderat quendam in nomine Christi eijcientem dæmonia, qui non erat ex numero, vel duodecim, vel septuaginta duorum. Videtur autem Ioannes occasionem hæc referendi ad Iesum hinc sumpsisse, quia dominus dixerat de puero quem in medium statuerat. Si quis talem puerum receperit in nomine meo, me recipit, & eum qui me misit. Hinc ergo motus Ioannes forsan fuit, vt de eo quem eijcere dæmonia prohibuerant, velut interrogaret, num iure eum reprehendissent, quando recepisse tantum puerum in nomine eius, res esset ipsi tantopere grata. Quasi diceret: Est tanti aliquid tuo nomine fecisse, vt te & patrem is susceperit, qui tantùm puerum talem in nomine tuo suscipiat, quid est sentiendum de his, qui in tuo nomine virtutes faciunt? Nos talem quempiam, qui in nomine tuo dæmonia eijciebat, prohibuimus, eò quòd non sequeretur nos, neque ageret in nostro comitatu: vereor vt rectè fecerimus. Respondit autem Iesus, dicens: Nolite prohibere eum, intellige, qui quocunque tandem modo conducit euangelio: non est spectandum an sequatur nos, sed an prædicet nomen nostrum. Quòd si inuocato meo nomine eijcit dæmonia, nō facilè potest de me malè loqui. Quod si faciat, res ipsa redarguet eum: dicetur enim illi, Qua fronte obtrectas nomini, quod in eden dis miraculis expertus es potens & efficax? Nolite facilè suspicari eum malo animo facere, qui rem piam facit: qui non est aduersum vos, pro vobis est: sed qui idem facit quod vos facitis, vobis incommodare nō potest: quicquid ille facit ad gloriam meam cedet, etiam si nō corpore me sequatur. Addit deinde Iesus: Quisquis enim potum dederit vobis

Matt. 7

vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis, amen dico vobis non perdet mercedem suam. Ac si diceret, Non solum hi mercedem ob euangelij negotium prouectum ferent, qui in nomine meo dæmonia eiecerint, verùm etiam qui pro suis facultatibus vel minimum aliquod momentum attulerint. Quis enim vobis vel aquæ frigidæ potum dederit in nomine meo, hoc est, quia mei estis discipuli, meumque negotium agitis, pro certo habetote, non est cariturus mercede sua.

Obser. Obseruandum ergo hic, etiamsi optima quæque opera non minus ab hypocritis, quàm verè pijs fieri queant, neque tamen de quoquam quid sinistri suspicandum est. Honesti siquidem viri est omnia quoad potest, in meliorem partem interpretari.

Obser. Obseruandum deinde, quàm impiè hæretici calumniantur miracula sanctorum martyrũ, etiamsi verè sectati fuerint Christum. Discipulos hic nihil aliud mouet, quàm quòd operator mirabilium non sequeretur Christum, non calumniaturi si fuisset ex numero discipulorum. Nostri autẽ sancti quorum miracula prædicamus, sic sequuti sunt dominum, vt non dubitarint etiam pro ipso sanguinem fundere.

Obser. Obseruanda postremò Christi bonitas & liberalitas, qui & calici aquæ frigidæ suam reposuerit mercedẽ &c.

*Et quisquis scandalizauerit vnum ex his pusillis credentibus in me, bonum est ei magis si circundaretur mola asinaria collo eius, & in mare mitteretur.*

Si hæc domini verba referenda sunt ad paruulum, quem dominus supra statuit in medio discipulorum, intelligendum est quòd Ioannes sermonem Christi adhortantis ad humilitatẽ irruperit. Sed ad vtrumque hic sermo Christi referri potest, siue ad paruulum quem dominus complexus est, siue ad eum qui eijciendo dæmones promouebat euangelicum negotium. Non enim vult dominus, vt quisquam alium remoretur à pietate. Scandalizare enim proximum non aliud est, quàm dicto vel facto dare occasionem, vt is à pio instituto resiliat.

Scãdalũ Scandalizantur ergo homines vel impia vita, vel praua & hæretica doctrina, his enim duobus homines à pietate auocantur. Videtur autem dominus & hæc in terrorem discipulorum dixisse, qui prohibuerant dæmonia eijcientem, ostendens non esse leue crimen obstare pio operi. Nec tantum sic increpat discipulos, sed generali sententia oẽs quotquot fratres scãdalizare nõ verentur, percellit dicẽs. Quisquis scandalizauerit vnum ex his pusillis qui in me credunt, expedit ei vt mola asinaria alligetur collo eius, & mittatur in profundum maris, hoc est, melius illi esset temporali pœna etiam grauissima puniri, quàm mitti in ignem æternum. Et obserua quòd dominus eos qui scandalizantur pusillos appellat. Verè enim soli pusilli offenduntur, & à vera pietate falsa doctrina abducuntur.

Obseru. Leues paleæ cito sentiunt ventulum. Obserua item quod ait: Qui offenderit vnum ex pusillis his qui in me credunt. Qui enim non credunt, qui impij per se sunt, non possunt offendi, non possunt auelli à vera pietate, quã non habent. Sequitur.

*Et si scandalizauerit te manus tua, abscinde illam: bonũ est tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Et si pes tuus te scandalizat, amputa illum: bonũ est tibi claudum introire in vitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Quòd si oculus tuus scandalizat te, eijce eum: bonũ est tibi luscum introire in regnum Dei, quàm duos oculos*

*los habentem, mitti in gehennam ignis, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.*

Dixerat iam dominus & admonuerat nos, ne alicui simus offendiculo, iam his verbis docet & exhortatur ne patiamur etiam nos seduci, quisquis tādem ille fuerit, qui nos remorari conatur à pio instituto. Neque enim hic iubet dominus nos abscindere vel pedem vel manum, vel eruere oculos (quemadmodum & bis in Matthæo hæc admonuimus) sed per hæc membra intelligi vult proximos & amicos. Vt sit sensus. Quòd si offendiculum non nascatur ab alienigena vel persecutore, sed ab his qui videntur esse amici, nihil tam charum oportet habere, vt huius gratia deseratur euangelica functio. Finge manum esse dexteram, hoc est patrem aut amicum omnino necessarium: finge oculum esse dextrū, hoc est vxorem adamatam & dulces liberos: finge pedem esse, hoc est, famulum aut procuratorem, cuius opera carere non possis in huius vitæ negotiis: amputa manum, erue oculum, abscinde pedem ab euangelico negotio remorantem. Si potes patrem vel matrem, fratres vel sorores tecum adducere ad salutem euangelicam, facito: sin horum charitas te reuocat ab euangelio, futurumque est, vt dum illi per te seruari nolunt, tu simul cum illis pereas, exue illum affectum, & hoc fac in animæ periculo, quod faceres in periculo corporis. Si res vrgeret, vt aut occidendus esses, aut manus iactura vita seruanda, non dubitares amputare manum, & vnius membri quamuis necessarij dispendio vitam redimere. Optabilius quidem erat simul cum parentibus & amicis seruari, verùm si id non licet, præstat te desertis parentibus & amicis seruari, quàm vnà cum parentibus & amicis, qui non solum seruari nolunt, verùm conantur te etiam in exitium pertrahere, conijci in gehennam. Sic & de cæteris sentiendum. Porrò quod hic dominus addit de verme nunquam morituro, ex Esaia desumptum est, neque apud Matthæum legitur. Vermem autem dicit feram scelerum pœnitudinē, quæ nunquam in tormentis conscientiam afflictorum mordere cessabit. Vt ignis sit pœna extrinsecus sæuiens, vermis dolor intrinsecus accusans. Ad hunc locum pertinet quod in Sapientiæ libro legimus. Videntes, nimirum impij sanctos, turbabunt timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, intra semetipsos pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes. Qualis hæc sit angustia pijs absconditum est, impij autem quotidie experiuntur. Neque enim maius tormentum est, quàm mens mali sibi conscia, Vermis ille nunquam quiescens.

*Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur: Bonū est sal. Quòd si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis sal: & pacem habete inter vos.*

Locus hic, mihi certè est difficilis, ab alijs verò sic explicatur vt sit verborum domini hæc sententia. Monui ne quem offendatis, quòd res sit nocentissima offendiculum, quod tam abesse debet à vobis, vt priusquam ipsi illud patiamini, etiam oculos, manus, & pedes eruatis, & resecetis, id est, charissima à vobis reijciatis. In quo scio sentiet caro cruciatum. At scitote, vt olim nulla hostia offerebatur absque sale, ita oportet omnem hominem, qui domino offerri debet, igne saliri, hoc est, satis tribulatione & aduersitate aduri. Hæc & pia & vera sunt, an verò hic scopum attigerit, nescio. Sunt, qui ignis nomine, gratiā spiritussancti intelligunt, per

Obseru. Vermis. Sap. 5. Leui. 2.

per salem autem sapientiam & discretionem, quod & ipsum amplectendum videtur. Ad vitandum etenim scandalum, non opus est alia virtute magis quàm discretione vel prudentia, vt sci licet quis rationem habeat, loci, temporũ, ac personarũ. Neaũt quis patiatur humanos affectus, vel amorẽ ppinquorũ sibi offendicula esse, verè opus est gratia spiritus sancti. Addit deinde dominus, Bonum est sal: Quod si sal insulsum fuerit, in quo ipsum condietis? Sic & Matth.v. dicebat discipulis suis, Vos estis sal terræ. Quod si sal euanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras & conculcetur ab hominibus. Multi sunt satis prudentes, & discreti, nouerunt quid facto opus sit, non destituuntur gratia vt aliquid possint: sed nolunt benefacere, & in vanum recipiunt gratiã Dei. Nihil igitur tam bonum est, quin abusu vitiari possit. Admonet ergo dominus discipulos, vt in semetipsis habeãt salẽ illũ sapientiæ & discretionis, & sint vnanimes atq; pacifici. Hæc enim piorũ doctorũ vera atque certiss. sunt insignia, scilicet habere rationẽ omniũ legittimarum circũstantiarum, & esse concordes. Inter hæreticos enim nunquam conuenit, cœlumque terræ miscent, quod nostro infœliciss. seculo satis videmus. Sed præstat hic huic capiti finem imponere, quàm hæreticorũ vafriciem ostentare, quam vtinam à nobis propellat Iesus Christus filius Dei viui. Tu igitur domine illumina oculos meos ne vnquàm obdormiam in morte, nequando dicat inimicus meus, Præualui aduersus eum.

Obser.

## CAPVT. X.

*ET inde exurgens venit in fines Iudeæ vltra Iordanem, & conueniũt iterum ad eum turba, & sicut consueuerat iterum docebat illos. Et accedentes Pharisæi interrogabant eum, si licet viro vxorẽ dimittere, tentantes eũ.*

In superioribus auditum est Iesum venisse cum discipulis suis in Galilæã, cum igitur inibi & prædicasset & sanasset infirmos, relicta Galilæa venit in fines Iudææ vltra Iordanem, vbi olim Ioannes Baptizauerat, & conueniunt iterum ad eum turbæ, accedunt & Pharisæi. Et hic notanda mentium distantia in turbis & Pharisæis. Turbæ conueniunt vt doceantur, & sui sanentur infirmi: deuotio enim & pietas hanc adduxerat. Pharisæi accedunt vt Seruatorem & Doctorem veritatis tentando decipiant. Malunt enim insidiari quàm sanari, tẽtare quàm discere. Turbæ igitur docentur, Pharisæi confunduntur. Dicit enim Euangelista, dominus sicut consueuerat docebat illos. Bona hæc est consuetudo, vbi quis in hãc consuetudinem venit, vt nihil nisi benè agere possit, hæc consuetudo nunquam finienda est. Est & alia consuetudo vituperio dignissima in Pharisæis, qui cœlum quidem mutant, iuxta prouerbium, sed non animũ. Vverden vvel elter, aber nit frummer. Nusquam nõ sunt sui similes, sed sicut semel in animo instituerũt Christum odire & persequi, ita & in hac malitia perseuerant. Hinc est quod Marcus dicit, Accedentes Pharisæi interrogabant eum. Si licet viro vxorem dimittere, tentãtes eũ. Accedunt quidem corpore, sed animo fugiunt in maximam sui perniciem, iuxta illud Psalmi. Qui se elongant à te peribunt. Accedere bonum est, interrogare bonum est, sed interrogando tentare, pessimum est. Sed quomodo tentant dominum? Obijciunt captiosum problema, dicentes. Quid tu sentis Magister? Num est fas viro repudiare vxorem? Hanc cornutam quæstionem inter se cõmenti fuerant, sperantes fore, vt vel in hoc, vel in illud cornu respondens incurreret. Pronunciarat fortassis quædam in laudem castitatis, itaq; si fauens castitati pronunciasset, licere dimit

Turba.

Pharisæi

Consuetudo bona non mutãda

Psal.7x

dimittere vxorem, alterius ducendæ gratia, queadmodũ passim faciebant Iudæi, videretur docere pugnantia. Si respondisset, non licere, obiecissent violatam legis autoritatem, quæ permittit marito ius repudiandi.

*At ille respondens dixit eis. Quid vobis præcepit Moyses? Qui dixerunt. Moyses permisit libellum repudij scribere, & dimittere. Quibus respondens Iesus ait: Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud, ab initio autem creaturæ masculum & fœminã fecit eos Deus. Propter hoc, relinquet homo patrem suũ, et matrẽ suã, & adhærebit ad vxorẽ suã, & erunt duo in carne vna. Itaq; iam nõ sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit homo non separet.*

Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra dominum, ait Sapiens. Et Propheta de impijs. In laqueo suo quem absconderunt comprehensus est pes eorũ. Quæ quidẽ verba prophetica non ineptè huc quadrant. Accesserunt siquidem Pharisæi tentaturi dominum, & in confusionem actu ri, sed omnino diuersum euenit. Non enim respondet Iesus, quemadmodum illi volebant, sed extorsit ab illis responsionem, dicens: Quid vobis præcepit Moyses? Ac si diceret: Quid op⁹ est me percõtari, quũ legis peritiã profiteamini? Quid vobis Moyses his de reb⁹ præcepit? Illi respondent. Moyses permisit libellum repudij scribere & dimittere. Verum est hoc quod respondent Pharisæi, Moyses si quid maritum offenderet in vxore, permisit vt dato libello repudij dimitteret eam, & aliam, si videretur duceret. Hanc legis permissionem sic interpretabantur Pharisæi quasi rectè facerent qui ob quamlibet leues causas repudiarent vxores suas, & alias ducerent. Cùm igitur Pharisæi sic allegassent legem, dñs sciẽs illorum falsam interpretationem, ait illis: Ad duritiam cordis vestri, scripsit Moyses vobis præceptum hoc, &c. Quod dicit eiusmodi est: Nunquid potest Deus sibi esse contrarius, vt aliud ante iusserit, & sententiã suã nouo frangat imperio? Non ita sentiendũ est. Sed Moyses cũ videret propter desideriũ secundarum coniugum, quæ vel ditiores vel iuniores vel pulchriores essent, primas vxores interfici, aut malam vitam ducere, maluit indulgere diuortiũ, quàm odia & homicidia perseuerare ac perpetrari. Quòd ergo Moyses vobis permisit ius repudiandi, nequaquam fauit diuortio, sed indulsit maritorum libidini: maluitque concedere leuius malum, quàm aperire fenestram grauioribus malis. Maluit, inquam, diuortiũ quàm homicidiũ. Tolle odium, tolle homicidium, tolle maritorum libidinẽ, & non permitret Moyses diuortium. Addit deinde dominus dicẽs: Ab initio autem creaturæ masculum & fœminam fecit eos Deus. Hoc est, diuortij ius nõ perpetuo permissum est, sed dominus ipsa creatione aperuit quid placeret sibi, cum ab initio solum masculum & fœminam crearet, non masculo plures fœminas, nec fœminæ plures masculos. Addit, Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori. Et erunt duo in carne vna: Itaq; iam non sunt duo, sed vna caro. Si tantus amor debet esse mariti erga vxorem, vt relinquẽdus sit propter ipsam pater & mater, quænam potest esse causa quæ diuortiũ postulet? Sic amote iungendi sunt coniunges duo, vt non sint duo homines sed vnus, cum inter ipsos sit idem velle idemque nolle. Cùm igitur sic se res habeat, quòd Deus coniunxit, homo non seperet. Obseruandum ergo hic venit (nam cætera canonistis relinquem⁹) vt homines sic ineãt motrimonia, vt verè videantur à Deo iuncti esse. Hoc autem fiet, si non ad diuitias, vel pulchritudinẽ, vel generis nobilitatẽ respicias, sed vt filios Deo generes, & matrimonium remedio sit

forni

Pro. 21. Psal. 9.

fornicationi. Sed vndè apparet te sic iunctum matrimonio? Si liberos tuos in omni pietate educaueris, & propria & legitima vxore contentus fueris. Ob seruandum deinde quantus debeat esse amor coniugum, vt appareant nõ duo esse sed vnum. Hinc Apostolus di-cit: Mulieres viris suis subditæ sint, si-cut domino: quoniã vir caput est mu-lieris, sicut Christus caput Ecclesiæ. Deinde dicit: Viri diligite vxores ve-stras, sicut & Christus dilexit ecclesiã, & semetipsum tradidit pro ea, vt ipsam sanctificaret. &c.

Ephe.5.

*Et in domo iterum discipuli eius de eo-dem interrogauerunt eum, & ait illis: Quicunque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit su-per eam. Et si vxor dimiserit virum suũ, & alij nupserit, mœchatur.*

Responsum Christi Pharisæis da-tum non intelligebãt satis. Suo etenim responso Christus, vt ita dicam, nihil concluserat, sed tantum ostendit, quæ mens Dei ab initio creaturæ fuerit, & qua ratione Moyses diuortij ius con-cesserit. Cùm igitur peruenisset Iesus cum discipulis suis in domum quam-piam, interrogauerunt eum discipuli super diuortio, vt planius explicaret. Et apertiss. sententiam dominus tulit dicens. Quicunque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium cõ-mittit. Apud Matthæum clarius dicit: Quicunque vxorem suam dimiserit, nisi ob fornicationem, adulterium cõ-mittit. Neque enim vult dominus, vt ob tam leues causas distungantur quos ipse coniunxit, nec aliam ponit separa tionis causam, nisi vnicam fornicatio-nem. Cæterùm an aliæ sint separatiõis causæ, non est huius loci disputare, etiã si non nesciam quàm ius quotundam hac in parte claudicet. Quæ necessaria sunt hactenus proposui, quæ scandalo sa prudens prætereo.

Matt.19

*Et offerebant illi paruulos vt tange-ret illos. Discipuli autem comminaban-tur offerentibus: Quos cum videret Iesus, indignè tulit, & ait illis. Sinite paruulos venire ad me, & ne prohibueritis eos. Talium est enim regnum Dei. Amen di-co vobis, quisquis non receperit regnum Dei velut paruulus, non intrabit in illud. Et complexans eos, & imponens manus super illos benedicebat eos.*

Hac de re in Matthæum plura dixi-mus, ob pestiferos catabaptistarum er-rores, paucis igitur hoc loco textũ ab-soluemus. Videmus hic quã verè vbi-que testatur scriptura, apud Deum nõ esse respectum personarum, cum & se-nibus, & iuuenibus, patribus & filijs sese benignum exhibet. Cùm enim Ie-sus sic suos discipulos instrueret de di-uortio, aderant quidam adducentes paruulos, vt Iesus imposita manu be-nediceret illis. Viderant illius cõtactu pelli morbos, confidebãt & infantibus profuturum aduersus incõmoda, qui-bus multis ætas imbecillis esse solet obnoxia. Discipuli verò suspicantes do minum maioribus intentum, non esse fatigandũ huiusmodi leuioribus nego tijs, arcebant pueros, ne venirent ad Ie sum, & increpabant eos qui adducebãt, quasi importunitate sua, domino fa-cesserent negotium. Atqui pauld antè dominus commẽdauerat eis paruulos. Itaque cum videret illos, oblitos quæ dixerat, obstare quo minus infantes peruenirent ad ipsum, coërcuit discipu los suos dicens, Sinite paruulos venire ad me, nec arcete illos à contactu meo, talium est enim regnum cælorum. In his est exemplum innocentiæ ac sim-plicitatis, ad quod oportet refingi su-perbam malitiam hominum, si velint admitti in regnum cælorum. Neque enim omnes paruuli, neque soli paruu li ad regnum cælorum pertinent. Ma-gna est inter paruulos fidelium & infi-delium distantia, inter eos qui sunt de grege domini, & qui de grege alieno.

Matt.19

Talium

firmationis sacramento hæc verba sunt: Episcopus si imponit manum, his imponit, qui recta fide baptizati sunt, qui in patre & filio & spiritu sancto, tres personas & vnam substantiam crediderunt, &c. Et infra. Quòd si hoc loco quæras, quare in ecclesia baptizatus, nisi per manus episcopi non accipiat spiritum sanctum? Disce hanc obseruationem ex ea autoritate descendere, quòd post ascensum, olim spiritus sanctus ad Apostolos descendit, & multis in locis idem factitatum reperimus, ad honorem potius sacerdotij, quàm ad legis necessitatem, & cætera. Docet deinde continenter Diuus ille Hieronymus, hoc sacramentum non esse absolutæ necessitatis.

*Et cum egressus esset in via, procurrens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum dicens: Magister bone quid faciam vt vitam æternam percipiam. Iesus autem dixit ei: Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi vnus Deus: Præcepta nosti, ne adulteres, ne occidas, ne fureris, ne falsum testimonium dixeris, ne fraudem feceris, honora patrem tuum & matrem.*

Luc.18. Lucas vocat hunc percontatorem principem, qui accesserit ad Iesum, interrogaturus quid ad vitam æternam possidendam facto opus foret. Existimabat autem hic fortassis Christum tanquàm nouum aliquem prophetam, noua daturum præcepta, & compendiariam ad vitam æternam ostensurum viam. Accedit igitur, & genu flexò ante eum, vt ostenderet serio se interrogare, rogat dicens: Magister bone, quid faciam, vt vitam æternam percipiam? Bona interrogatio. Quærit enim à Christo id quod nemo non hominum scire in votis habet, nimirum qua ratione vitam æternam consequatur. Et hoc primaria omnium hominum cura esse debet, vt sciamus quænam compendiaria via ad vitam æternam sit. Nec est vt quis sibi singularem imaginetur viam, sed eam oportet incedat, quam videt à Christo præscriptam. Quænam est hæc via? Apud Matthæum dominus sic respondet, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Sed quid est, quod dominus boni nomen non agnoscit, dicens: Quid me vocas bonum? Nemo bonus, nisi vnus Deus: Responsio in promptu est. Adolescens ille & princeps fortassis hoc titulo blandiri volebat Christo, quem supra hominem nihil esse iudicabat. Voluit autem dominus tam acri responso, hanc suspicionem, quasi amaret laudari, à se remouere, & docere neminem suapte natura bonum esse, nisi solum Deum, & vt rem intelligas. Solenne est apud multas nationes, vt magnificis titulis præmissis, alloquamur homines magnates, verùm qui ex his sunt prudentiores, nolunt tam prodigiosos titulos agnoscere, sed iubent transferri in Deum bonorum omnium largitorem. Hæc si ad Christi responsionem contuleris, luce meridiana clarior erit. Porrò quia non satis est corripere, nisi & doceas, addit Christus: Præcepta nosti, Ne adulteres, ne occidas, ne fureris, ne falsum testimonium dixeris, ne fraudem feceris, honora patrem tuum & matrem. Nihil hic loquitur Christus, de sacrificijs, vel

Matt.19.

Quomodo Christus nō agnoscat boni nomē

Non satis est corripere, nisi & doceas.

neutræ, vt ita dicam, tamen plerunque malè audiunt in scripturis sanctis, raro siquidem fit, vt qui habent diuitias, eas non plus æquo ament. Quotusquisque est qui non pauperiem detestetur? Nemo sua sorte contentus est. Pauperes conqueruntur se nihil habere, diuites nihil nō putāt sibi deesse: hinc omnes quātum in ipsis est, cupiunt ditari. Sed quid ait Apostolus? Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa & inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas. Hæc igitur cum sic se habeant, & discipuli vident Principem illum mœstum abire, audiuntque dominum dicere: Quàm difficilè qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt! Obstupescūt, existimantes vix quenquam posse inueniri, qui amplas possessiones suas subito profusurus esset ob regnum Dei. Porrò quia diuitiæ per se neque bonæ, vt diximus, neque malæ sunt, mitigat dominus sententiā, & dicit quasi blandiens mœstis discipulis, Filioli quàm difficilè est confidentes in pecunijs in regnum Dei introire. Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem in regnum Dei. Adolescens ille princeps diues erat, & in diuitijs suis confidebat, apud semetipsum cogitans: Ecce mihi multa bona sunt, mihi pecuniarum magna vis affluit, quòd si Christi præcepto morem gessero, & omnes meas res abdicauero, vbi tandem quod edam quod bibam inueniam, vbi opes illas semel à me dimissas recuperabo? Qui ergo talis est, vt neglecto Deo, omnem fiduciam suam collocet in diuitias, sic vt in diuitijs constitutus præsumat, in paupertate constitutus desperet, hic profectò vix regnum Dei intrabit. Imò facilius est, inquit Christus, camelum per foramen acus transire, quàm talem diuitem intrare in regnum Dei. Hinc Psalmista dicit: diuitiæ si affluunt nolite cor apponere. Et apostolus ad Timotheum. Diuitibus huius seculi præcipe non sublime sapere, nec sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo (qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum) bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, & cætera.

1.Tim.6

Diuitiæ neutræ.

Psal. 61.

1.Tim.6

Cæterùm audientes hoc discipuli magis admirabantur, dicentes ad semetipsos: Et quis potest saluus fieri? Sic apud se cogitabant: Quotusquisque est qui non quærat ditari? Nec minori cura quod partum est seruant, quàm quæsierunt. Quis tam quærit ditari, qui non multum tribuat diuitijs, qui non cum diuitijs sibi securitatem promittat. Si iam nullus potest esse saluus, nisi intret regnum Dei, & si nullus potest intrare regnum Dei nisi abiectis diuitijs, quum videamus homines sic amare diuitias suas, vt non videantur relicturi, quis diuitum poterit seruari? Hæc discipulorum solicitudo sapiebat pietatem, cupiebant enim quàm plurimos intrare regnum Dei, sed nondum intelligebant vigorem euangelicæ professionis, qua iubemur & vxorem & liberos & parentes, & vitam denique contemnere, si res poscat. Dominus igitur videns suos discipulos solicitos & mœstos, ob hunc sermonem, & dolere eos vicem proximorum, quos omnes cupiebant saluari, intuens eos dixit: Apud homines impossibile est, intellige diuitem qui confidit in diuitijs, seruari, sed

ri, sed non apud Deum, omnia enim possibilia sunt apud Deum. Ac si diceret: Impossibile est vt qui spem & fiduciam suam collocat in diuitijs suis, seruetur, sed apud Deũ possibile est, vt muter diuitis mentem, sic vt iam non amet diuitias, sed paratus sit omnia pro Christo vel relinquere, vel exponere. Hoc quotidie videmus, quia non facile persuadebis hominibus diuitibus, vt omnem fiduciam in Deum ponant, diuitijs non extollantur, nec pauperie torqueantur, sed Dei opus est, hanc incertam fiduciam diuitum mentibus eximere. Non opus est hic longa demonstratione, euangelia vtrosque diuites habent, & qui regnum Dei intrauerunt, & qui regno priuati sunt, cum plus diuitijs quàm Deo crediderunt.

Obseru.

Et vita & mors diuites habet.

*Et post hoc cœpit ei Petrus dicere: Ecce nos dimisimus omnia, & sequuti sumus te.*

Apud Matthæum sic dicit: Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis? Cum enim Iesus tam multa dixerat de contemptu diuitiarum, & antea Principem iusserat omnia vendere & se sequi, Petrus sic interrogat: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Præstitimus quod ab adolescente requirebas, illi promittebas thesaurum in cœlo, nobis igitur quid sperandum? Non tantum habuimus, quantum hic adolescens possidet, sed suum cuique maximum est. Ecce nos dimisimus omnia, nihil nobis reseruauimus, quid ergo erit nobis, qui sic nudi & omnibus humanis præsidiis destituti, sequuti sumus te?

Matt.19

*Respondens Iesus ait: Amen dico vobis, nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, propter me & euangelium, qui non accipiet centies tantum nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & sorores & matres, & filios, & agros cum persecutionibus, & in seculo futuro vitam æternam: Multi autem erunt primi nouissimi, & nouissimi primi.*

Tantum abest, inquit Christus, vt frustra vos mei discipuli aliquid dimiseritis, vt affirmem pro certo, neminem aliquid dimissurum propter me, qui non centuplam retributionem recepturus sit. Cæterùm hic probè obseruandum est quod dominus dicit, Qui reliquit hoc vel illud propter me & euangelium. Multi enim relinquunt domũ, patrem, matrem, &c. sed non euangelij gratia, nec hic centuplum recipient, nec in æternum vitam æternam possidebunt. Neque enim iubet dominus vxores dimittere, vel parentes auxilio destituere, sed docet nos præferre pietatem erga Deum omnibus carnalibus, quemadmodum & aliâs à me demonstratum est. Nec aliquis hic humanam retributionem somniet, sicut Chiliastæ, ac si post hoc seculum aliud futurum esset seculum, in quo quis recepturus sit pro vno parente centum, pro vna vxore, centum: nequaquàm ita erit, sed multiplicem remunerationem voluit hac hyperbole ostendere. Sic & nos aliquando dicimus ijs qui nobis se debere fatentur: Non opus est multis gratiarũ actionibus pro meis in te beneficijs, quibus iam centies respondisti. Possumus & ad hoc respicere. Petrus vnam domum reliquit, vnam mulierẽ, vnum patrem, Quot deinde mulieres fuere, quibus cura erat de cibo & esu illorum, & quæ ministrarunt eis, qui nihil horum curabant, sed solum sermonem & do

Obseru.

Chiliastæ.

Quomodo cẽtuplũ recipimus.

& doctrinam? Similiter parentes multos habuerunt apostoli, qui diligerent & amico affectu erga se essent. Et vnam domum dimisit Petrus, sicut diximus, postea omnium discipulorum suorum domos habebat, & cæt. Quod autem dominus hic dicit: Multi autem erunt primi nouissimi, & nouissimi primi: videtur arguere Petri cōfidentiam, & quòd aliquando qui iam relinquit sua, postea posit inuadere aliena, cuius rei exemplum in Iuda auaro & proditore videre est: & qui iā concupiscit aliena, postea erogaturus sit etiam sua. Zacheus huius rei exemplum esto.

Obseru.

*Erant autem in via ascendentes Hierosolymam, & præcedebat illos Iesus. Et stupebant, & sequentes timebant. Et assumens iterum duodecim, cœpit illis dicere quæ essent ei euentura. Quia ecce ascendimus Hierolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & scribis & senioribus, & damnabunt eū morte, & tradent eū gentibus, & illudēt ei, & conspuent eum, & flagellabunt eū, et interficiēt eum, & tertia die resurget.*

Audiuerant supra discipuli, quia dominus passurus esset Hierosolymæ, vnde non libenter eò peregrinabantur. Hinc in euangelio Ioannis legimus, cū nuncij ad dominum referrent Lazarū lecto decumbere, & dn̄s diceret. Eamus in Iudæam iterum. Dicunt ei discipuli, Nunc quærebant te Iudæi lapidare & iterū vadis illuc? Et in superioribus semel increpat dominum Petrus dicens: Absit hoc à te, propitius sis tibi, nō erit hoc. Et cum tres discipuli audirent in transfiguratione, Heliam & Moysem Iesu ostendere, quanta eum oporteret pati Hierosolymis, dicebat Petrus: Domine bonū est nos hic esse. Hæc igitur omnia ostēdūt quàm discipuli domini abhorruerint à Hierusalē. Sic & hoc loci, cū sunt in via, Hierusalē versus, non multum festināt, nec præcedūt Iesum, sed lento gradu ipsi dominū sequūt, tristes & obmurmurantes, quòd se volēs in manifestū vitæ periculū conijceret. Et illius animum admirabantur & sibi metuebant, ne per illū & ipsi venirēt in periculū. Et assumens duodecim, cœpit illis dicere, vbi, quomodo, & à quibus passurus esset mortē: sed addit etiā consolationē, de resurrectione verba faciēs. Hac ergo in re Iesus nobis exēplū ostēdit, vt in instituēdo ꝓximo magis ei tradamus quæ necessaria sunt, quàm quæ iucunda, ac salutaria magis quàm suauia. Nam & hoc ipsum etiā periti medici faciunt, qui aliquādo ægrotis præscribunt medicamina saluberrima qdē, sed à quibus omnino abhorret ægrotorū animus. Nouerat quidē dominus turbari discipulos mentione mortis suæ, sed nihilominus meminit eius, vt audirēt & meminissent ipsum & volentē & scientē passurum, cū hora à patre præfixa adesset. Nō enim oportet fugere, cum tempus adest à Deo præscriptum.

Ioan. 11.

Matth. 17

Obseru.

*Et accedunt ad eum Iacobus & Ioannes filij Zebedæi, dicētes: Magister, volumus vt quodcunque petierimus facias nobis. Ad ille dixit eis: Quid vultis vt faciā vobis? Et dixerunt: Da nobis vt vnus ad dexterā, & alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua.*

Matthæus dicit, matrem postulasse hæc filiorum nomine, nam filij subornarant matrē, vt citra odiū aliorū discipulorum hæc petitio fieri posset. Sed qua ratione hanc petitionē proponūt Christo? Quid illos mouit, cū Christus hic de regno nihil dicit? Obseruandū est quod hæc petitio originē habet ex inepta persuasione discipulorū, qui audientes Christū post passionē à morte resurrecturū, existimabant statim à resurrectione ipsum dn̄m hic regnaturū, qua de re in Matth. ca. xx. plura diximꝰ. Omnia enim quæ de spirituali Christi regno prophetæ habent, Iudæi de temporali regno intelligunt. Sed iam

Matt. 20

vide, qua calliditate Christũ adoriuntur, cum non apertè pronunciant quid velint, sed volunt vt promittat se præbiturum quodcunque petierint, vt cũ sic annueret Christus, postea non possent negare quod petierint. Sed Christus cognitum habens quicquid insideret Zebedæorum animo, voluit vt ipsi palam facerent suam ineptam petitionem. Interrogati porro discipuli, dicunt, Volumus, des nobis, vt vnus ad dexteram tuam, alius ad sinistram tuã in gloria tua simus: vt præ omnibus primatum teneamus.

*Iesus autem ait eis. Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? aut baptismo quo ego baptizor baptizari? At illi dixerunt, possumus: Iesus autem ait eis. Calicem quidem quẽ ego bibo bibetis, et baptismo quo ego Baptizor, baptizabimini: sedere autem ad dextram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratũ est.*

Verè nesciunt quid petunt, cum petunt primores esse in regno, quod nusquam futurum est. Sed quænam regia via sit ad honores ipse dominus satis ostendit, cùm ad sufferentiam malorũ ipsos prouocat, ostendens neminem regnaturum cum Christo, nisi qui cum eodem & passurus sit, quæ quidem sententia apud Paulum vbique obuia est: Vndè & alibi dicit, Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Obserua autẽ hic quàm modestè dominus agit cum discipulis, cum dicit, Calicem quidem quem ego bibo bibetis, & baptismo quo ego baptizor baptizabimini, hoc est, pro meo nomine patiemini: sedere autem ad dextram meam vel sinistram, non est meum dare vobis: intellige, qui mihi amicitia iuncti estis, sed quibus paratum est. Paratum est autem omnibus, qui non dubitant animam suam ponere pro Christo. Quòd si ipsi olim bibetis calicem quem ego bibiturus sum, certè ex eorum numero estis, quibus paratum est à patre meo.

*Et audientes decem indignati sunt de Iacobo & Ioanne. Iesus autem vocans eos, ait illis: Scitis quia hi qui videntur principari gentibus, dominantur eis: & principes eorum potestatem habent ipsorum. Non ita est autẽ in vobis, sed quicunque voluerit fieri maior, erit vester minister: & quicunque voluerit inter vos primus esse, erit omnium seruus. Nam & filius hominis non venit vt ministraretur ei, sed vt ministraret, & daret animam suam redemptionem pro multis.*

Duorum discipulorum simplicitas, siue, quod citra piaculum dicere ausim, ambitio, aliorum discipulorũ animos patefecit. Etenim vbi resciuerant, quid duo ambissent apud dominum, quanquàm non impetrarant: cæteri velut inuidentes, indignantur illis, quòd parum agnoscentes mediocritatem suã, primum locum ausi fuissent postulare, qui potius aliis debebatur. Nullus autem sibi non sperabat (sicut supra auditum est) vt quisque dotibus suis ac meritis blanditur. Indignantur de duobus fratribus, cum in eodem tamen hæreant luto. Duo fratres ambiunt primatum: alij autem putant se dignius præferri, vndè non est vt alter alteri indignetur. Si malum est ambire dignitates, cur & ipsi ambiunt? Si malũ non est, cur indignantur de Ioanne & Iacobo? Sed omnino carnales erant adhuc discipuli, atque eius sermonis, quẽ Iesus habuerat de minimo & maximo in regno cælorum, deque imitatione paruuli, profunda illis obrepserat obliuio, ideóque his condonandum est, & quod in apostolis reprehensioni dignũ videtur, tu noli imitari. Cæterùm Iesus cognita causa vocat eos & ait eis: Scitis quia hi qui vidẽtur principari gentibus, dominãtur eis, & principes eorum potestatem habent ipsorum. Non ita est in vobis: Ac si diceret, Nõ vos

Obserua.

vos multum moueat, quis regni mode raturus sit habenas, nunquam deerunt principes, qui dominabuntur & potestatem suam exercebunt. Non vos ideò elegi, vt aliis dominemini, sed potius inseruiatis. Proinde quemadmodum antea docui, quicunque voluerit inter vos verè magnus esse, sit vester minister: nec semetipsum erigat ad dominandum, sed semetipsum deijciat vt prosit omnibus. Et quicunque voluerit inter vos primus esse, fiat omnium seruus: nec sibi vindicet dignitatem, sed obseruiat omnium vtilitati. Non pigeat vos imitari, inquit Christus, quod in me videtis expressum. Non enim venit filius hominis in mundum vt temporaliter dominaretur, vt alios seruitio premeret, sed vt omnium saluti subministraret. Hactenus ergo compescuit dominus animos discipulorum, ad humilitatem inuitat, docens gentilium exemplum vitandum, præscribens verò se imitandum, vt qui in mortem vsque se humiliarit. Cæterùm Anabaptistarum errores circa hunc locum in Matthæo, satis refutauimus, vnde non est necessum alias hāc rē tractare.

*Et venit Hierico: & proficiscente eo de Hierico, & discipulis eius, & plurima multitudine, filius Thimæi Barthimæus cæcus sedebat iuxta viam mendicans. Qui cum audisset quia Iesus Nazarenus esset, cœpit clamare & dicere: Iesu fili Dauid miserere mei. Et cominabantur illi multi vt taceret, at ille multo magis clamabat, fili Dauid miserere mei.*

Historia hæc intellectu facillima est, habet enim nobile exemplum, & charitatis Christi in iuuandis hominibus, & fidei in homine cæco, quem suis coloribus certè depingit. Vocat enim Barthimæum, vt sciamus nomen illius, nam fide præditi homines in libro viuentium scripti sunt, & nomina illorum etiam coram hominibus innotescent. Addit Marcus illum hominem fuisse cæcum, quod vitium fuit maximum & miserrimum. Quid enim magis miserum accidere potest homini præter cæcitatem. Notū est quid passim in triuijs dicatur, vir cæcus vir miser. Vulgo, Blind man arm man. Huic malo accidit id quoque, quod iuxta viam sedere cogitur, & manum suam ad stipem accipiendam porrigere. Quid vltra? Nō suffecit hoc ad miseriam, sed cum auditum medicum Iesum inuocat, obiurgatur à turba, quæ eius salutem impedire conabatur. Sed iam audi fidem illius. Nouerat Iesum verum messiam de semine Dauid natum, de quo & ante multa præclara audierat, animatur itaque & in spem consequendæ salutis erigitur. Transeunte itaque domino, cœpit clamare & dicere (neque enim nouerat cominus vel eminus esset seruator) Iesu fili Dauid miserere mei. Vnicum desolatorum refugium est Dei misericordia, quæ est super omnia opera eius. Turbæ porrò increpabant cæcum vt taceret. Ille autem adeò non cedit, vt obiurgatus iussusque tacere, validius vociferaretur. Fili Dauid miserere mei.

*Et stans Iesus præcepit illum vocari, Et vocant cæcum, dicentes ei. Animæquior esto, surge vocat te: Qui proiecto vestimento suo, exiliens venit ad eum. Et respondens Iesus, dixit illi: Quid tibi vis faciam? Cæcus autem dixit ei. Rabboni, vt videam. Iesus autem ait illi: Vade, fides tua te saluum fecit. Et confestim vidit & sequebatur eum in via.*

Principio, quo manifestior fiat cæci fides, non audit Christus cæcum, dissimulat etiam turbam increpantem & obiurgantem, sed cum cæcus hic non despondet animū, nec ad impatientiā relabitur, sed ingeminando misericordiam inuocat, non potest Christus diutius defraudare illius desiderium, sed præcipit illum vocari ad se, nec hoc cō tentus, sic immutat dominus animos

increpantium cæcum, vt mansuetiores facti, iam cæco bene sperantietiam fiduciam addant. Talis artifex est Iesus, vt etiam ferrea pectora possit emollescere. Portò audiens cæcus hæc, scilicet, se à domino vocari, tantam spem concepit, vt abiecto etiam pallio quo defendebatur aduersus frigoris iniuriã, exilierit & accurrerit ad Iesum. Adstante iam cæco, & populo expectante facti finem, interrogat dominus cæcum quid velit: non ignorans quid velit, sed vt scirent adstantes, quòd non peteret pecuniam, sed diuinam efficaciam, vt à Deo: & ideò sequitur cæcũ dixisse, Domine vt videam. Iesus autẽ ait illi: Vade, fides tua te saluum fecit. Etconfestim vidit, & sequebatur eum in via, eius discipulus iam factus, cuius opem interpellauerat. Elegantissima est hæc historia, & quæ multis tractari posset, sed nos paucis ipsam absoluemus. Et quidẽ primò oĩum obseruandum venit, quia dominus in via Hierosolymam versus cæco auxilio fuerit. Quo facto ostendere & admonere nos voluit, vt non desistamus à benefaciendo proximis, vsque in mortem. Deinde obseruandum, qualem fidem postulet oratio hominis, qui quod petit impetrare confidit. Multa erant, quæ cæcum ad desperandam salutem solicitabant, sed fidem seruans in Christum, sanatus est. sed hac de re supra. Postremò obseruãda huius cæci alacritas, qui vocatus à domino, proiectis vestimentis ad dominum confugit. Quoties tu vocaris ad Iesum, nec abijcis pallium, nec exilis, nec accurris ad vocantem: sed tergiuersaris, differs, hæsitas, causaris nescio quid, tantùm vt non cogaris ad Christum venire. Si ille in nuptijs abiecisset sordidam vestem, & indutus fuisset vestẽ nuptialem, nõ proiecissent ipsum in tenebras exteriores. Splendida vestis est innocentia, fides, charitas, &c. Quàm verò sordidè palliatus est, qui libidine, qui auaritia, qui luxu, qui ambitione coopertus est? Quàm miserè cæcus est, qui nec se nouit, nec Deum? Sed ais, quando me vocat Iesus? Quoties vel legis, vel audis euangelicam doctrinã, aut animum tuum titillat spiritus sancti arcanus afflatus. Ad has voces non obturandæ sunt aures, sed ad Iesum confugiendum est, qui solus illuminare potest tenebras nostras, vt in lumine illius videamus lumen illud quo fruuntur sancti & electi omnes in æterna beatorum patria. Ad quam nos vtinam perducat qui cæcum illuminauit. Amen.

Obser. | Quid nos vocet Iesus.

## CAPVT VNDECIMVM.

*ET cum appropinquaret Hierosolymæ & Bethaniæ ad montem oliuarum, mittit duos ex discipulis suis, & ait illis: Ite in castellum quod contra vos est, & statim introeuntes illuc, inuenietis pullum ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit, soluite illum & adducite. Et si quis vobis dixerit, quid facitis? dicite quia domino necessarius est: & continuò illum dimittet huc.*

Dominus ac redemptor noster Iesus Christus, imminente tempore passionis suæ, vt suam ostenderet passionem esse voluntariam, ad locum ascendit in quo erat passurus, & se præsentem exhibuit: vnde & tẽpus, & locus, & genus mortis, non secundum euentum fortuitũ, sed secundum illius præuisionem & voluntatem fuerunt. Præuidit enim, quando, & vbi, quo genere mortis moriturus esset. Tempus, fuit Pascha: locus, Hierosolymis: genus mortis, crux: quæ omnia Iudæi immutare attentantes, non potuerunt. Alio enim tempore, alio loco, alio denique mortis genere ipsum interficere conati sunt. Aliquãdo enim voluerunt ipsum præcipitare, sicut legit̃ Luc.iiij. Eiecerunt eum extra ciuitatem, & duxerunt eum ad superciliũ montis vsq, vt præ-

Luc.4.

vt præcipitarent eum, sed non præualuerunt, vnde postea dicitur: Ipse autē transiens per medium illorum ibat. Alibi dicitur, quod volebāt ipsum lapidare, Iesus autem abscōdit se, & exiuit de templo. Io. viij. Quærebant Iudæi Iesum interficere, & nemo apprehendit eum, quia nōdum venerat hora eius. Iam autem venerat hora eius, quā præfixerat ei pater, vnde ascendit Hierosolymàm, insolito certè more. Cùm enim appropinquaret Bethphage, vt alij Euangelistæ habent, venissetq; Bethaniam, in qua Lazarum resuscitauerat, mittit duos ex discipulis suis, iubens vt pullum asinæ ligatum adducerent, neminem enim ipsos prohibiturum abducere. Ostendit autem hoc facto se non latere, quæ fiebant Hierosolymis, vt non possit aliquis causari ipsum dominum incautum in laqueos Iudæorum incidisse. Deinde cum iubet discipulos, vt interrogati responderent, vt est apud Matthæum ca. xxi. Dominus his opus habet, ostendit se dominum omniū esse, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis. Non enim dixit discipulis, dicatis dominus tuus his opus habet, vel dominus vester, sed absolutè: Dominus his opus habet, & talis dominus, qui non minus potuisset Iudæos prohibere, ne ipsum interficerent, quàm dominū iumentorum, vt non contradiceret discipulis, sua legatione fungentibus.

Ioh. 8.

Ioh. 7.

Dominus opus habet his.

*Et abeuntes inuenerunt pullum ligatum, ante ianuam foris in biuio, & soluunt eum. Et quidam de illic stantibus dicebant illis: Quid facitis soluentes pullum? qui dixerunt eis sicut præceperat eis Iesus, & dimiserunt eis. Et duxerunt pullum ad Iesum, & imponunt illi vestimenta sua, & sedit super eum. Multi autem strauerunt vestimenta sua in via. Alij autem frondes sternebant in via, & qui præibant & qui sequebantur, clamabant dicentes: Osanna, benedictus qui venit in nomine domini, benedictum regnum patris nostri Dauid, Osanna in excelsis.*

Quandoquidem multa super hac re diximus, Matth. xxi. paucis iam hunc locum tractabimus. Et principio quidem venit obseruandum, quòd alij Euangelistæ adducunt propheciā Zachariæ, qui prædixerat expectatum Messiam simili pompa intraturū ciuitatem Hierosolymam. Nihil enim vspiam in prophetis de Messia scriptū est, quod non impleuerit Christus, vt non relinqueretur Iudæis dicentibus se ignotum occidisse, excusandi locus. Quandoquidem enim scriptum est, Messiam sic equitaturū olim in Hierusalem, confiteantur necesse est hoc in Christo adimpletum, aut ostendant quod non possunt aliū regem, qui hāc prophetiam impleuerit. Deinde obseruanda hic prompta discipulorum obedientia, qui nihil respondentes, cōtinuo vadunt, legatione iniuncta functuri. Potuissent enim dicere: Quid hoc noui est? Tam longum emensus es hactenus iter pedes, qui iam nos post iumenta mittis? Citius pedes ingressus fueris Hierosolymam, quàm nos iumenta adduxerimus. Et putas tu verba tua tantum valere, vt nemo contradicturus sit tibi, quē iamiam iuxta verba tua trucidaturi sunt? Nihil tale respondent boni discipuli, sed continuo abeuntes inueniunt quemadmodū prædixerat dominus, & faciunt quod iussi fuerāt, nihil Christi verbis vel addētes, vel detrahentes, nisi quæ nouerunt ad gloriam Christi facere, iussi enim tantum fuerant asinū adducere, illi verò etiam imponūt vestimenta sua, vt cōmodius sedere possit Dominus. Plurima autem turba nec deest suo officio, quilibet pro suo posse inseruit domino, qui caret pallio, quod sternat in via, ramos cedit de arboribus, & sternit in via. Sic mouerat & ad se rapuerat animos hominum

Mat. 21.

Zach. 9.

Prōpta discipulorū obedientia.

Obser.

minum Christus, qui potuisset facere, vt Princeps sacerdotũ, Scribæ & Pharisæi, præ fauore populi erga Christũ, nihil virium in eum haberent. Cæterum dominus hoc facto, voluit ostendere, iam tempus instare in quo exaltatus à terra omnia trahat ad seipsum. Voluit item ostendere, si animus fuisset hic in mũdo temporaliter regnare, facile potuisse sibi animos vulgi conciliare. Quod populus clamat, populi bene animātis acclamatio est (& potest fieri, vt quidē ipso die propheticæ Zachariæ meminerint) pro qua nos dicimus: bene sit tibi, fortunatus sis. Benedictum sit regnum, id est, fœlix, faustũ sit regnum: Gloria sit deo in excelsis, qui illum talem ad nos mittit &c.

*Et introiuit Hierosolymā in tēplum, & circũspectis omnibus cũ iam vespera esset hora, exijt in Bethaniam cũ xij. & alia die cum exirent à Bethania, esuryt. Cumque vidisset à longe ficum habētem folia, venit si quid forte inueniret in ea. Et cum venisset ad eam, nihil inuenit nisi folia. Non enim erat tempus ficorũ. Et respondens dixit ei, iam non amplius in æternũ ex te fructum quisquam mãducet. Et audiebant discipuli eius.*

Matthæus habet: Cùm ingrederetur ergo Hierosolymam Iesus, commota est vniuersa ciuitas dicens: Quis est hic? Et populus dicebat: Hic est Iesus Nazarenus propheta, &c. Quod verò dominus principio tēplũ ingreditur, suo more facit, fortaſsis ipso die, vel orãs vel prædicãs, & sicut Matthæus refert, sanauit ægrotos, restituit debiles, illuminauit cæcos. Addit Marcus, dominũ oĩa oculis collustrasse in tēplo obseruãs, nimirũ si quid gereretur tēplo Dei indignũ. Nõ quod illi magnopere curæ fuerit, quidquid in eo tēplo gereretur (noluit tamē & ipsum cõspurcari) quòd paulò post nouerat esse demoliendũ: sed imagine quadã rei corporalis declarare voluit, qualē vellet suã ecclesiã, quã ædificabat ex viuis lapidibus.

Mat. 21.

In his cõuenit obãbulare Pontificē, & circũspicere ne quid sit, quod tēplũ deo dicatũ prophanet. Sequitur. Quũ autē iã appeteret vespera, reuersus est in Bethaniã, quod in tã opulēta, tãq; superba ciuitate nõ reperiret hospitiũ Iesus. Et si fortaſsis erat qui ipsum susciperet nolebat Iesus alicui periculo esse. Mysticè. Ingressus quidē est Iesus Hierosolymã, sed iterũ exijt, ostendēs quod relicturus esset eam desertã, & in direptionē. Et egreditur in Bethaniã, quã vertunt interpretes domũ obedientiæ. Iudæis enim inobedientibus & duris corde relictis, venit cũ discipulis ad eos qui sibi obedierunt. Videamus autē & quæ de ficu dicuntur, emergunt enim & apparēt quædã absurda. Primũ quidē, quòd esurierit mane, deinde quũ nõ esset tēpus fructuũ, fructus quæsierit, ad hæc, qua ratione plantã quæsierit. Dicit ad hanc rē Theophilactus, omnia hæc singulari dispensatione facta. Nã quoniã sæpe miracula fecit, benefaciendo hominibus, nõ viderãt autē discipuli potētiã eius, si quæ vellet affligere. Eius gratia hic vult ostendere discipulis, quòd & affligere, & se crucifixuros in vno momento perdere potuisset, si voluisset. Habet itē & ficus typũ synagogæ Iudæorũ, quæ sola folia habet, nullũ aũt fructũ habet. Et quēadmodũ dominus in Cruce sitiebat nostrã salutē, ita & hoc loci esurit Iudæorũ iustitiã, quã qa nõ habuit maledicta est, & exaruit, neque prophetam, neque doctorem habens. Sequitur continenter.

Obiectio

Relictio Hierosolymitanis, Bethania petit.

Obiectio

*Et veniũt Hierosolymã. Et cũ introisset in templum, cœpit eÿcere vendentes & ementes in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit. Et non sinebat, vt quisquam transferret vas per templũ, & docebat, dicens eis: Nonne scriptum est, quia domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus? Vos autem fecistis eam speluncam latronum.*

Hoc facto satis ostēdit dominus, quid nã signi-

significare & admonere voluerit, execrando ficum. Neque enim aliquid peccauit arbor, quòd esuriente domino poma non habuit, quorum needum tempus aduenerat, sed peccauere sacerdotes qui omnia ad auaritiam suã saturandam instituerant. Erexerant enim ipsi sacerdotes has nundinationes, vt commodius sibi offerreretur à peregrinis, quemadmodum ex D. Hierony mo, in Matth. cap. xxi. ostendimus. Iam si dominus nec ea volebat venundari, quæ in templo volebat offerri, videlicet propter studium auaritiæ, siue fraudis, quanta putas animaduersione puniret, si inuenisset ibi aliquos usui vel vaniloquio vacantes, aut alij cuilibet vitio mancipatos? Si enim ea quæ alibi cuilibet libere geri poterant, dominus in domo sua geri non patitur, quãto magis ea quæ nusquam fieri licet, plus cœlestis iræ merentur, si in ædibus Deo sacratis aguntur. Cæterùm quantũ ad historiam attinet, non semel dominus ementes & vendentes de templo eiecit, sed vt ex euangelistis apparet, bis vel ter, vt insinuaret nihil adeò sibi displicere, vt in templo Dei nephandam auaritiam. Vetuit & vas quodcunque per templũ deferri, quod sacra sacris solum sunt deputãda, & locus sacer fundendis Deo precibus, diuinisque dicendis laudibus sit dedicatus, non prophanis sordidisque vsibus. Prophetiæ autẽ quas dñs adducit sic leguntur. Esaias dicit, Holocausta eorũ & victimæ eorũ placebunt mihi super altari meo, quia dom⁹ mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus, ait dominus Deus. Hieremias autem: Nonne ergo spelunca latronum facta est domus ista, in qua inuocatum est nomen meum in oculis vestris?

Hieronymus. Matt. 21

Esa. 56

Hier. 7.

*Quo audito, principes sacerdotum et scribæ quærebant quomodo eum perderẽt. Timebant enim eum, quia vniuersa turba admirabatur super doctrina eius.*

Vulgo illud iactatur, Nam tua res agitur, paries cũ proximus ardet. Hinc principes sacerdotũ & scribæ videntes q̃ sæue obiurgaret dñs ipsorum auaritiam, vt non solum ementes & vendentes templo eijceret, sed etiam ipsos accusaret blasphemiæ vel idololatriæ, q ex domo orationis domum facerent negotiationis, aut quod maius est, speluncam latronum. Hæc inquam illi videntes & audientes, non possunt æquo animo ferre. Videtur ergo impijs latronibus consultum, vt quocunque tandem pacto possint, ipsum dominũ è medio tollant. Timebant enim eum, ne scilicet fauore populi munitus (vniuersa etenim turba admirabatur super doctrina eius) ipsi nihil possent illi nocere. Tam impio facinore conceptο, non metuunt Deum vltorem, cui nullum factum, nullus hominis cogitatus occultus est, & populum formidãt. Quur non saltem metuunt ipsum Iesum? Viderant & audierant ab eo tot edita miracula, quæ planè præsentem illi diuinam virtutem, quoties volebat, testificabantur. Qui potest profligare dæmonia, multo facilius potest immittere. Qui verbo reuocat ad vitam exanimes, multo facilius potest eripere vitam. Si credunt tam clementem vt nolit quenquam, cum possit, lædere, cur talem moliuntur occidere? Sed sic excæcati fuerant à sua malitia & auaritia, vt nihil tale cogitarent, sed in hoc vnum intendebant animũ quomodo ipsum possent occidere. Et tales latrones præsens seculum habet, qui promptiores sunt disputare cum gladijs vel lanceis, quàm cum gladio spiritus, quod est verbum Dei.

Obser.

*Et cum vespera facta esset, egrediebatur de ciuitate. Et cum mane transirent, viderunt ficum aridam factam, à radicibus, & recordatus Petrus dixit ei, Rabbi ecce ficus cui maledixisti aruit.*

De frequenti illa domini egressione sub

Luc. 21. ne sub vesperam. Lucas sic dicit: Erat autem diebus docens in templo, noctibus verò exiens morabatur in monte qui vocatur Oliueti. Iesus enim, instante iam mortis tempore, nullum tempus finit esabi sine fructu: Cætera plana sunt. Vident Discipuli ficum, quam dominus pridie execrat⁹ fuerat, iam à radicibus arefactam, recordantur eius maledictionis; quam alia die non sic animaduerterāt, & præ admiratione dicit Petrus domino: Ecce ficus cui maledixisti, aruit. Obseruandum hoc loci quod Ioannes apud Matthæum dicit. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur, & iam securis ad radicem arborum posita est. His profectò verbis Ioannes neq; de malo, neq; piro, &c. loquitur, sed de hominibus quorum interest bonos fructus, & opera iustitiæ facere. &c.

Matt. 3.

*Et respondens Iesus ait illis. Habete fidem Dei, amen dico vobis quia quicunque dixerit huic mōti, tollere & mittere in mare, et nō hæsitauerit in corde suo, sed crediderit quia quodcunque dixerit fiat, fiet ei. Propterea dico vobis, omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis.*

Non interrogarant discipuli qua ratione maledixisset dominus ficui, sed tantùm mirantur magnitudinem potestatis, licet maius sit mortuum ad vitam reuocare, cæcū illuminare, quàm ficum maledicendo perdere. Ideóque dominus quasi in hanc sententiam loquitur: Nolite, ô mei discipuli, nolite mirari quòd ficum hanc execrando arefecerim, dico vobis, si syncera fide præditi fueritis, maiora efficietis. Amen enim dico vobis, quicunque dixerit mōti huic, tollere & mittere in mare, & nō hæsitauerit in corde suo, fiet. Iam longè mirabiliùs est vnico verbo montem loco mouere, quàm arborem arefacere: Adiunge his, quòd omnia quæcunque orantes petitis, & creditis vos accepturos, accipietis. Hic obserua, per translationem arborum, quemadmodum & in Matthæo nostro admonuimus, significauit rem difficilem & nostræ imbecilitati impoßibilē. Ad hunc locum pertinet quod alibi dicit: Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora his faciet. Nō est igitur vt multis quæramus, an Apostoli alibi montem loco mouerint vel non, satis est credere, si opus fuisset, potuisse. Deinde probè obseruādum, eos qui vera & viua fide præditi sunt, nihil postulaturos, quod non cessurum sit in gloriam Dei & proximorum vtilitatem, ideóque facile impetraturos quod postulauerint.

Translatio montium.

Fides vera nihil petit nisi quæ Deo placita sunt

*Et cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem, vt et pater vester qui in cælis est, dimittat vobis peccata vestra: Quòd si vos non dimiseritis, nec pater vester qui in cælis est, dimittet vobis peccata vestra.*

Est quædam fiducia in hominibus quibusdam quæ magis præsumptio dici meretur, vt si quis omnibus sceleribus se dedidit, nusquam pœnitentiā cogitat, & tamen nihilo secius sperat Deum misericordē inuenturum. Sic & inuenies hominem qui vsque adeo ira odio & inuidia tumet, vt ne læto quidem intuitu dignetur, vxorē, liberos, domesticos denique omnes, & tamē indesinenter orat, & impudenter præsumit se exoraturum omnia, hic impudens homo nihil impetrabit, nisi iram domini intolerabiliorem. Rogat enim dominum vt de se vindictam sumat, cum dicit: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, &c. Loquitur ergo & Christus hunc in modum. Quum compositi fueritis vos ad orandum, ex animo remittite, si quis aliqua in re vos læsit: hac conditione pater vester qui in cælis est, remittet vobis peccata vestra.

Quod

Quòd si vos nolitis condonare proximo culpam in vos admissam, nec pater vester cælestis vobis gratiam faciet delictorum in se admissorum. Obserua iam si is qui læsus ab alio non indulget, incassum orat, quomodo is qui alios non cessat lædere exorabit. Sed hac de re in Matth. plura.

*Et veniunt rursus Hierosolymam. Et cũ ambularet in tẽplo, accedũt ad eũ summi Sacerdotes & Scribæ & Seniores, & dicunt ei: In qua potestate hæc facis, & quis dedit tibi hanc potestatem vt ista facias?*

Primo die, palmarum scilicet, quando Iesus ingressus est ciuitatem & templum, nemo illum redarguit, sed altera die, cum non stipatus erat tanta populi turba, & ex more venit in templũ, Principes sacerdotum adiunctis sibi scribis populique primoribus, quo res videretur legitimo consilio geri, quum viderent Iesum in templo, doctrina sua occupantem aures multitudinis, & regnantem miraculis, adeunt illum & interpellant, refricantes veterem calumniam, ac dicentes: Qua tandem authoritate facis ista? Et quis dedit tibi istam potestatem? Verba sunt iracundi hominis, qui ira & odio motus, non potest verba ad plenum formare. Neque enim dicunt: Rabboni, dic nobis amicè, qua nam ratione pridiè tanto triumpho ingressus es ciuitatem, qua authoritate prædicas, qua tandem potestate miracula edis? Nihil tale dicunt, sed iracundi canes sic frendent, sic latrando dicunt. Qua authoritate ista facis, & quis dedit tibi hanc potestatem? Interrogatio autem ista calumniam adiunctam habet, & conantur ipsum sui ipsius verbis illaqueare. Si enim dixerit, cogitant: Accepi authoritatem hanc à Deo, Blasphemus est: Si dixerit, Propria authoritate facio, Seditiosus est. Quid Iesus?

*Iesus autem respondens ait illis: Interrogabo & ego vos vnum verbum, & respondete mihi, & dicam vobis in qua potestate hæc faciam. Baptismus Ioannis de cælo erat, an ex hominibus? Respondete mihi. At illi cogitabãt secũ dicẽtes: Si dixerimus de cælo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis ei? Si dixerimus, ex hominibus, timemus populum: omnes enim habebant Ioannem, quia verè propheta esset. Et respondentes dicunt Iesu: Nescimus. Et respondens Iesus, ait illis: Neq; ego dico vobis, in qua potestate hæc faciam.*

Non opus erat longã mouere quæstionem de authoritate Iesu, cum ipsa facta clamarent Deo autore geri, quod gerebatur, quum res ipsa loqueretur hunc esse, quem Deus olim per prophetas futurum esse promiserat, quum pater post baptismum sua voce declarasset, hunc esse filium suum vnicè dilectũ, cui deberent omnes obedire. Noluit ergo Christus simplici verbo inter rogatoribus tam callidis respondere, sed interrogationẽ interrogatione cõpensat, sic clauum clauo repellens. Docet itaque hic Christus nos, ne quibuslibet interrogatoribus respondeamus, sunt enim pleríque qui interrogant, non vt discant, sed vt nos in insidias coniiciant, cuiusmodi hoc loco erant Pharisæi & Scribæ. Sunt qui interrogant nullo alio nomine, quàm vt & magis pii & docti euadant, illis non grauatè respondebimus. Sic sæpius discipulis suis respondet Christus: at iam Pharisæis nihil respondet, nisi quæstioni quæstionem obiiciens. Sed nihil difficultatis est hac in re, & satis multa in Matth. cum idem locus tractaretur, diximus. Sentiunt impii rogatores se captos esse in suis verbis, quomodocũq; tandẽ respõderint, etiã, vel nõ. Dicunt autem: nescimus. & hac ratione existimant se ex his laqueis liberos.

Interrogantiũ, non idẽ animus est.

Respondet igitur Christus, Neque ego dico vobis, in qua potestate hæc faciã. Quod vos scitis, negatis, quod ego scio, non negabo, sed non aperiam vobis. Breuiter Ioannes ipse testimonium reddiderat Christo, & tam sancti hominis testimonium de Christo non audebãt impij homines negare: videntur ergo se nihil sapientius dicere posse, quàm omnia negare, suámque ignorantiam fateri. Si ergo Ioannis autoritatem non morantur, quid de autoritate Christi solliciti sunt? Porrò vt hoc caput finiam, nos scimus Christũ omnia diuina virtute & dicere & facere, nostrum igitur erit, vt ipsi obediamus & supplicemus, quatenus nos nihil vtile celet, sed potius ducat in omnem veritatem. Amen.

## CAPVT XII.

*ET cœpit illis in parabolis loqui. Vineam pastinauit homo, & circumdedit sepem, & fodit lacum, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, & peregre profectus est. Et misit in tempore ad agricolas seruum, vt ab agricolis acciperet de fructu vineæ. Qui appræhensum eum ceciderunt, & dimiserunt vacuum: Et iterum misit ad illos alium seruum, & illum in capite vulnerauerunt, & contumelijs affecerunt. Et rursum aliũ misit, & illũ occiderunt, & plures alios, quosdam cædentes, alios verò occidentes.*

Mat. 21. Similem parabolam, Matth. xxi. audiuimus. Potest autem sic breuiter exponi. Homo iste qui plantauit vineam, est Deus optimus maximus, qui plantauit vineam, de qua Esaias plenissimè per canticum loquitur, describens omnem commoditatem vineæ sic excultæ, vt nihil supra. Ad extremum, ne quis aliquid carnale suspicaretur dixit: Vinea Domini Sabaoth Esa. 5. domus Israel est. Et in Psalmo dicitur: Vineam de Aegypto transtulisti, eie- Psal. 79. cisti gentes, & plantasti eam. Agricolæ omnes maiores sunt, quibus cura Synagogæ commissa fuerat, immo vt tectius loquar, ipsi Iudæi omnes, Coloni, Agricolæ, & laboratores fuerunt. Quòd autem dicit hominem peregrè proficisci, nihil aliud intelligitur, nisi illos colonos reliquisse in manu consilij sui, dedisse eis spatium, & tempus bene operandi. Per primum seruum, intelligunt Moysen, qui qua- Moses. draginta annos continuos fructum aliquem legis quam dederat, à cultoribus inquirebat: sed cæsum eum dimiserunt vacuum. Irritauerunt enim Moysen in castris, & Aaron sanctum domini. Et vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbauerunt spiritum eius. Qui & ipse seruus, quid de fructu vineæ huius sentiat, palàm carmine declarat dicens: Ex vinea enim Sodo- Deut. 32 morum vitis eorum, & propago eorum ex Gomorra. Vua eorum vua fellis, & botrus amaritudinis in ipsis: furor draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile. Seruus alter, Dauid regem & prophetam, cæterósque significat, qui post Moysen missi sunt, vt colonos vineæ post edicta legalia psalmodiæ modulatione, & dulcedine citharæ, ad exercitium boni operis excitarent: Sed & hunc contumelijs affecerunt, dicentes: Quæ nobis pars in Dauid? aut quæ hære- 3. Reg. 12. ditas in filio Isai? Attamen ipse, pro hac vinea, quæ ex Aegypto translata Palestinæ montes sua obumbratione protexerat, ne radicitus exterminaretur, orabat: Domine Deus virtutum, Psal. 79. conuertere nunc, respice de cœlo, & vide & visita vineam istam, & dirige eam quam plantauit dextera tua. Tertium cum suis socijs seruum, prophetarũ chorũ intellige, qui cõtinuis attestationibus populũ cõuenerũt, & quæ huic vineæ ventura imminerent mala prædixerunt. Sed quæ prophetarũ non

sunt

Act.7. sunt persecuti ? Et occiderunt eos qui prænunciabant de aduentu domini sal uatoris. Et hi omnes multa dixerunt de sterilitate huius vineæ, sed vnius Hier.2. Hieremiæ planctum audire sufficiat. Ego autem, inquit, plantaui te vineam electam, omne semen verum, quomodo conuersa es in prauum vineæ Esa.5. alienæ ? Et in Esaiæ Cantico. Expectauit vt faceret vuas, fecit autem labruscas.

*Adhuc ergo habens vnum filium charissimum, & illum misit ad eos nouissimū, dicens: Quia reuerebuntur filiū meum. Coloni autem dixerunt ad inuicem: Hic est heres, venite occidamus eū, & nostra erit hereditas. Et apprehendentes eum occiderunt, & eiecerunt extra vineam. Quid ergo faciet dominus vineæ? Veniet & perdet Colonos, & dabit vineam alijs.*

De filio vnico & charissimo nō est dubium, quin ille sit ad quem vox patris de cœlo bis facta est, sic dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Matth.iij. & xvi. Hunc vnicum filium, & vnicè charissimum, post multos seruos, ad cœlo nos illos inutiles misit, quemadmodū Heb.1. Paulus ad Hebræos scribens testatur. Multipharíam, inquit, multisque modis olim loquens Deus patribus nostris in prophetis, nouissimè autem hisce diebus locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & secula. Ioan.3. Et filius ipse: Sic Deus dilexit mundū, vt filium suum vnigenitum daret, &c. Sed ingrati & impij Coloni videntes filium, nō potuerūt ferre, dicentes: Ecce mundus totus post eum abijt, Et si dimittimus eū sic, omnes credēt in eum. Ioan.11. Et venient Romani & tollent nostrū locum & gentem. Vt igitur ipsorum institutum succederet, rapuerunt filiū, patibulo crucis eū affigentes. Sed quo modo hanc ingratitudinē punierit paterfamilias, siue dominus vineæ, obscurum non est. Missis enim exercitibus suis, iuxta aliam domini parabolā, perdidit homicidas illos, & ciuitatem eorum succendit igni, & vineam suam locauit genti facienti fructus eius, hoc est, Ecclesiæ ex gentibus collectæ.

*Nec scripturam hanc legistis: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? A domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Et quærebāt eū tenere, & timuerūt turbā. Cognouerūt enim quoniā ad eos parabolam hanc dixerit.* Psal.117.

Sententia non obscura est, Lapis quē reprobauerūt ædificantes, filius ille charissimus est, quē coloni extra vineā eiecerūt. Breuiter, sensus est, Pater famil. vindictā sumet de ingratis & sæuis agricolis, qui vnicè sibi dilectū filiū occiderunt, non quia iā prorsus careat filio suo, quasi porrò extinctus sit. Agricolæ quidē occisi sunt, & filius occisus, sed reuixisset, nec aliter se res habebit cum filio, ac cū lapide quē reprobauerunt ædificantes, qui factus est in caput anguli. Coloni, hoc est, Scribæ & Pharisæi, & seniores populi, improbi ædificatores, lapidem reprobabunt, filium extra ciuitatem cruci affigent, sed ipse filius per hanc contumeliā ad maximam gloriam perueniet. Quo autore? inquis. A domino factum est istud, Nō humana industria hic aliquid factum est, sed diuina dispositione. Sicque lapis ille exaltatus est, vt sit mirabile in oculis nostris. Cæterū quō Christus lapis angularis sit, Paulus ad Ephesios multis docet. Sed illi Pontifices & Seniores populi, intelligentes, quoniam dominus contra illos hanc parabolam dixisset, iam conantur filio insidiari, iam incipiūt reprobare lapidem, quærunt enim ipsum tenere, sed timebant turbam, imò nondum venerat hora eius, vt transiret ex hoc mundo ad patrem. Ioan.13.

*Et relicto eo abierunt, & mittunt ad eum quosdam ex Pharisæis & Herodianis, vt eum caperent in verbo. Qui venientes dicunt ei: Magister scimus quia verax es, & non curas quenquam. Nec enim vides in faciem hominū, sed in veritate viam Dei doces: Licet dare tributū Cæsari, an non dabimus?*

Non videbatur Principibus Sacerdotum tutum, sic manus iniicere Iesu, turbam enim non passuram hoc, vt quæ sublimius aliquid de Christo sentiebat. Consultum igitur videbatur, quomodocunque hoc ipsum fieri posset, alienarent animos vulgi à Christo, vt ipsum sic sine tumultu perdere possent. Mittunt ergo ad eum quosdam ex Pharisæis & Herodianis, vt eum caperent in sermone. Qui venientes dicunt ei: Magister scimus quia verax es, & non curas quenquam. Nec enim vides in faciem hominum, sed in veritate viam Dei doces. Licet dare tributum Cæsari, an non dabimus? Stabimus tuo iudicio: Vide quàm melliti sermones hi sunt. Exordiuntur à blādissimo proœmio, quasi falli posset blandimento, qui toties declararat sese nihil nescire. Magister, inquiunt, nouimus te veridicum esse, neque te vereri quenquam, sed citra respectum personarum liberè quod verum est pronunciare. Nec enim te mouet dignitas aut sublimitas cuiusquam, quemadmodum faciunt multi, qui potentibus assentantur, sed contemptis hominibus liberè doces, quod Deus præcepit. Dic igitur & nobis, licetne censum dare Cæsari, an non licet? Pharisæi defendebant, populum Deo dicatum non oportere tributarium esse pphanis Cæsaribus, & simulachrorum cultoribus: Contra Herodiani ius Cæsaris tuebantur. Et huc tendebat insidiosa præfatiuncula: vt pro Pharisæis pronuncians, ab Herodianis deferretur, velut autor rebellionis aduersus Cæsarem. Quòd si pronunciasset pro Cæsare, deferretur à Pharisæis apud populum, qui libertatē amabāt.

*Qui sciens versutiam illorum, ait illis: Quid me tentatis? afferte mihi denariū vt videam: At illi obtulerunt ei. Et ait illis: Cuius est imago hæc & superscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Respondens autem Iesus, dixit illis: Reddite igitur quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Et mirabantur super eo.*

Impij tētatores sic videbāt sibimetipsis instituisse quæstionē, vt nō posset Christus has tendiculas effugere, cogeretur enim vel pro Herodianis vel pro Pharisæis respondere. Iesus autem quo cōmodius effugeret eorum captiones, iubet ostendi nomisma, quærit de imagine & superscriptione. Cumq; ipsi tentatores responderent, Cæsaris esse omnia: Respōdet, Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Si igitē Cesar tātū potestatis in Iudæos habet, vt cogantē ipsius numismatis vti, æquū est vt ipsi pateant, & quod debent soluant. Sic ergo Christus tēperauit responsum, vt nemo posset eum reprehendere, quippe qui nullius potestati derogarit, sed iubens omnibus dare debita: Reddite, inquit, quæ sunt Cæsaris Cæsari: nec hic subsistit, sed addit, & quæ sunt Dei Deo. Vide nomisma titulū & imaginē habet Cæsaris. Si hūc agnoscis, & pendis Cæsari quod debetur, quāto magis reddendū est Deo, cuius imaginē reddit homo? In baptismo Dei character impressus est animo tuo, cur eū tradis diabolo? Christiani titulo gloriaris? cur nō reddis illi quod debes expfessiōe? Corpus & anima Dei sunt, ab eo vtique accepisti, vide vt rursum suo tēpore reddas. Iram, odiū, malitiā, superbiam, à cacodæmone accepisti, redde illi suas spurcitias.

*Et venerunt ad eū Saducæi, qui dicūt resurrectionē non esse, & interrogabant eū dicentes: Magister, Moyses nobis scripsit* Act.23.

*scripsit, vt si cuius frater mortuus fuerit, & dimiserit vxorem, & filios non reliquerit, accipiat frater eius vxorem illius, & resuscitet semen fratri suo. Septem ergo fratres erant, & primus accepit vxorem, & mortuus est non relicto semine, & secundus accepit eam & mortuus est, & nec iste reliquit semen, & tertius similiter. Et acceperunt eam similiter septem, & non reliquerunt semen. Nouißimè omnium defuncta est & mulier, in resurrectione ergo cū resurrexerint, cuius de his erit vxor? Septem enim habuerunt eam vxorem.*

Deut. 25

Saducæi neque resurrectionem, neque angelum, neque spiritum esse credebant. Prophetarum vaticinia non acceptabant, sed tantùm quinque libros Moysis. Hi ergo instructi, nimirum ab Herodianis, veniunt ad Iesum, sibi non pœnitendam de Christo victoriam pollicētes. Fingunt factum quod fortaßis nunquam factum est, neque fiet. Historiam accepimus: vis in eo latet. Multi habuerunt, ordine à Moyse præscripto, vnicam vxorem. Si igitur resurrectio erit, in resurrectione cuius erit vxor? Neque enim credibile est, vnicam habere pluros viros. Et cū vni non debeatur potius quàm alteri, nū quid magna absurditas erit fratrum inter se belligerantium de vxore? Præstat igitur non credere futuram resurrectionē, quàm credere tantam confusionem. Hæc absurda Christo proponunt, ridiculo eum cupientes exponere. Et obserua hic duplicem Saducæorum errorem circa resurrectionem. Nō credunt vllam futuram resurrectionē, quemadmodum diximus, sed animam simul interire cū corpore: Deinde existimant Pharisæos non aliam opinionem de resurrectione habere, quàm de hac vita, in qua coniugio copulantur viri ac mulieres. Moriuntur, nascūtur, esuriunt, sitiunt, &c. Sed Christus commodè ad vtrumque respondet. Sed principio, ante responsionem Christi, videnda lex Moysis in Deutronomio quæ sic habet: Quando habitauerint fratres simul, & vnus ex eis absque liberis fuerit mortuus, vxor defūcti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ei⁹, & suscitabit semen fratris sui, & primo genitum ex ea filium nomine illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Israel, &c. Hactenus Moyses iussu domini instituit hanc legem, tum vt non cessarent, sed augerentur familiæ, tum vt viduis prouideretur de altoribus. Noluit item dominus commisceri diuersos tribus, vt certo agnosceret an Christus ex ꝓmissa tribu prognat⁹ fuerit vel nō. Ad hæc pertinet quod iussum est, vt vnusquisque de tribu ac familia sua duceret vxorē: vt dum veniret, dū nasceretur, non incertum sciri posset, quia sicut promisit & iurauit, sic & fecit dominus. Cæterùm, vt & hoc obiter admoneam, ex hac lege, quam Moyses supra posuit, bene considerata, multæ soluuntur in scriptura quæstiones, quod alij sunt patres secūdum legem, alij secūdum naturam, & tamen vtriq; veri patres. Verè enim pater est quem sua lege & voluntate dominus patrem facit & declarat. Hinc Ioseph sponsus Mariæ virginis duos habet patres, alterum carnis, qui vocatur Iacob, alterum legis, qui vocatur secundum Lucam Heli. &c.

Errordu plex Saducæorū circa resurrectionē.

Deut. 25

Obseru.

*Et respondens Iesus, ait illis: Nonne ideo erratis, non scientes scripturas, neque virtutem Dei? Cum enim à mortuis resurrexerint, neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli Dei in cælis. De mortuis autem quòd resurgant, non legistis in libro Moysi super rubum, quomodo dixerit illi Deus, inquiēs: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Non est Deus mortuorum sed viuorum: Vos ergo multum erratis.*

Potißimæ Saducæorum rationes, quare non credunt mortuorum resur-

rectionem hæ duæ sunt, quas illis dominus obijcit, quia scilicet non intelligunt scripturas, nec agnoscunt virtutem Dei. Scriptura siquidem docet, quia mortui resurgunt, & virtus Dei tam magna est, vt etiam maiora possit. Duo ergo probat dominus, resurrectionem esse, & non talem esse qualem illi imaginabantur. Et ad quæstionem Saducæorum ita respondet: Non opus est multa disputatione, cui tandem ex septem fratribus sit cessura. Cum enim resurrexerint à mortuis, neq; quisquam ducet vxorem, neque quisquam locabit filiā nuptū, sed quo ad immortalitatem, & vsum matrimonij, erunt sicut angeli Dei in cælo. Coniugium enim ad hoc repertum est inter mortales, vt quod per se perpetuum nō est, aliud ex alio propagando propagetur. Cæterùm vbi nullæ sunt vices nascentium ac morientium, quid opus est matrimonio. Propter mori enim, nasci inuentū est. Possent iam obijcere Saducæi dicentes: Esto sanè, si resurrectio est, talis est qualem depingis, sed nondum certò constat resurrectionem esse. Addit ergo dominus: Porrò mortuos resurgere, quomodo vobis absurdum videtur? Nonne legistis in sacris libris, quorum vobis sacrosancta est autoritas, quibus verbis vsus sit Deus è rubo loquens ad Moysen, Ego sum Deus Abraham, Isaac & Iacob: Illi iam mortui erant, & tamen se vocat illorum Deum. Viuunt ergo mortui, propter superstites animas. Quæ si supersunt, quid magni est eas in pristini corporis domicilium reuocare? Quod si prorsus interierūt, absurdè dicitē Deus mortuorum. Quemadmodum enim nemo se gloriatur regem esse eorum, qui nō sunt, ita Deus non se vocat Deum, nisi qui viuunt. Deus dicitur à benefaciē do, quid igitur boni faciet eis qui non sunt. Cum autem perpetuò se vocat Deum, hoc est, benefactorē Abraam, Isaac, & Iacob, manifestum est eos viuere. Si viuunt, quod verissimum est, vos Saducæi vehementer erratis. Obseruandum hoc loci, clariora esse in prophetis & Psalmis, & in alijs bibliæ libris testimonia de resurrectione mortuorum, sed vsus est dominus testimonijs, quæ autoritatem suam habent apud Saducæos. Hi autem quemadmodum supra diximus, solo Pentateucho vtuntur, solus Moyses apud eos sacrosanctus est, cæteras scripturas nihil curant. Hoc manifestissimum est, apud Saducæos Moyse pugnandum est, apud gentiles vatibus & scriptoribus prophanis, apud hæreticos biblijs, apud Christianos biblijs & autoritate sacrosanctæ ecclesiæ, quemadmodum etiam super Matthæum admonuimus.

*Obseru.*

*Et accessit vnus de scribis qui audierat illos conquirentes, & videns quoniā bene illis responderit, interrogauit eum quod esset primū omniū mandatū. Iesus autē respondit ei: Quia primū omniū mādatum est, Audi Israel, dominus Deus tuus, Deus vnus est. Et diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Hoc est primū mandatum. Secundum autem simile est illi, Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Maius horum aliud mandatum non est.*

Multæ quæstiones magis difficiles quàm piæ vel necessariæ iactabātur apud Pharisæos, imò in vniuerso Iudeorum populo: de quibus Apostolus ad Timothæum scribit, Stultas autē & sine disciplina quæstiones deuita, sciens quia generant lites. Et possum citra impietatem dicere, hanc quæstionē domino propositam, fuisse stultam & inutilem. Quid enim refert vtrum præceptum maius sit, cum dominus velit nos omnia implere, & qui primum verè & ex animo seruat, non possit vllum transgredi domini mandatum. Diligendus quidem est Deus primò omnium

*2. Tim. 2*

*Obseru.*

nium

nium, sed qui hunc diligit, eius reliqua mandata non negliget: Sed ad rem; Aiunt Hebræi (I. Stapulensi autore) quinque priora præcepta Deum respi cere, & quinque posteriora proximũ, & in vnoquoque quinque priorũ, nomine tetragrammaton, quod scribitur sed non legitur, quod & nomen dicitur ineffabile, contineri. Ac primum omnium esse maximum, deinde secũdum maius tertio, & tertium quarto, atque ita deinceps vsque ad extremum, quod existimant omnium minimũ. Hac autem ratione dicunt primum maius secundo, quia non credere in Deum, est maius peccatum, quàm idola colere: quãdoquidẽ multi, & si idololatræ sint, credunt tamen in Deum, sicut scriptum est. Timuerunt dñm, & sculptilibus suis seruierunt, nam isti quidem confitebantur Deum, sed ei adiungebant alterum. Porrò secundum tertio, quia idololatriam maius peccatum ponunt, quàm sumptionem nominis Dei in vanum, & ita deinceps, quæ ad longum explorare, nimis videtur à proposito nostro alienum. Cæterùm quandoquidem de præcipuo legis quæstio erat inter Pharisæos, videntur sibi habere quo tentant dominum. Cum igitur iam audissent Pharisæi, vt Matthæus autor est, quòd dominus silentium imposuisset Saducæis, conuenerunt in vnum, & interrogauit eum vnus ex eis legis Doctor, tentans eum; Magister quod est mandatum magnum in lege? Iesus autem incunctanter respondet illis ex Deutronomio. Audi Israel dominus Deus tuus Deus vnus est, id est, crede Deum vnum esse, dominum cæli & terræ, & omnium quæ in cælo & terra sunt. Proinde illius nutu omnia fieri, citra illius nutum accidere nihil, crede illum in sua manu omnia habere. Quare diliges dominum Deum tuum, id est, qui est defensor tuus, à quo tu habes omnia, qui tibi nihil deesse patitur. Ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua, vt dum viuis, aliud quid plus quàm Deum non diligas, semper de illo cogites, hoc est præcipuum ac maximum mandatum. Huic proximum & simile est illud, Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Quomodo hoc? audiamus quid dicat Ioannes in epistola sua cap. iiij. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & proximum. Ex his, opinor, facilè intelligimus hanc Christi collationem auditam. Quomodo verò proximus diligendus sit, Christus docet, vt te diligis, ita proximum, hoc est, obuium quenque qui tua opera opus habet dilige, id est, vt tecum velis fieri, ita cum proximo quoque facito. Tibi in aduersis ab alijs succurri velis, ergo & proximo in aduersis succurre. Te in mœrore consolari velis, quare & proximum dum ei ægrè est consolare, & cæt.

4. Reg. 17

Deut. 6

1. Ioan. 4

*Et ait illi Scriba: Bone magister in veritate respondisti, quia vnus est Deus, & non est alius præter eum. Et vt diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine, & diligere proximum tanquam se ipsum, maius est omnibus holocaustomatibus & sacrificijs. Iesus autẽ videns, quòd sapienter respõdisset, dixit illi: Non longe es à regno Dei. Et nemo iã audebat eum interrogare.*

Ex responsione huius Scribæ apparet, non tantùm quæstionem fuisse de præceptis decalogi, quod nam horum maius sit, sed etiam sacrificia aliquando Decalogo fuisse collata, quibus, videlicet Scribis & Pharisæis

hostias & sacrificia laudantibus, aliis verò maiore auctoritate fidei & dilectionis opera præferentibus, eo quod plurimi patrũ ante legem absq; omniũ victimarum & sacrificiorum cõsuetudine, ex fide tantũ quæ per dilectionẽ operatur, placerẽt Deo, summiq; apud eũ loci haberentur. Nemo autẽ vnquã absq; fide ac dilectione per holocausta solũ & sacrificia Deo placuisse inueniretur. Et in hac sentẽtia hic scriba fuit, cũ ait, Diligere Deum & proximũ, maius esse omnibus sacrificiis & holocaustomatibus. Sacrificia temperaria sunt, dilectio autem perpetua. Possunt impii sacrificare, sed non possunt diligere. Sapienter ergo respondet scriba, & merito à Christo prædicatur non longe esse à regno Dei. Qui enim inuentã veritatem amplectitur, non potest malus esse. Nihil hoc loci difficultatis est: Sententia in hoc stat, dilectionem Dei & proximi omnibus rebus præponderare. Ait autem Christus: Si quis diligit me, mandata mea seruabit, & cæt. Porrò hactenus tentarunt Pharisæi, Herodiani, Saducæi, Scribæ, & nihil respondit Christus quod patere posset calumniæ, sed tentatores omnes confusi sunt, ideóque nemo audebat eum amplius interrogare.

*Et respondens Iesus dicebat docens in templo: Quomodo dicunt scribæ Christũ filiũ Dauid esse? Ipse enim dicit in spiritu sancto: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Ipse enim Dauid dicit eum dominum, & vnde est filius eius? Et multa turba eum libenter audiuit.*

Psal.109

Matthæus sic habet: Congregatis autem Pharisæis interrogauit eos dicens. Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? Dicunt ei: Dauid, Et te respondet eis Iesus, quemadmodum Marcus noster habet. Res autem se sic habet. Iudæi nouerant ex multis vaticiniis, Messiam fore filiũ Dauidis, hinc est quod multi infirmi, leprosi, & cæci clamabant: Iesu præceptor, fili Dauid, miserere mei, & cætera. Sed nolebant credere eundem etiam esse filium Dei, & ex hoc etiam dominum Dauidis. Quod concedunt bonum est, quod negant blasphemia est. Nisi fuisset filius Dauidis, hoc est, filius hominis, non potuisset mori: & nisi fuisset filius Dei & dominus Dauidis, non potuisset resurgere. Interrogat ergo domi nus Pharisæos & Scribas dicens: Quo modo Dauid vocat Messiam dominũ suum, si tantùm filius eius est? Nec cogitandum est quod Dauid hoc ex ignorantia dixerit, cum in spiritu hæc prædixerit, Dominum suum sessurum ad dexteram Dei patris, hoc est, habere æqualem cum patre potestatem. Igitur non sufficit credere filium hominis, sed & filium Dei. Hæc cum Iesus doctè & sapienter prosequeretur, turba eum libenter audiebat, quod ægrè habebat Scribas & Pharisæos, qui suæ autoritati timebant.

Matt.22

*Et dicebat eis in doctrina sua: Cauete à Scribis qui volunt in stolis ambulare, et salutari in foro, & in primis cathedris sedere in synagogis, & primos discubitus in cœnis, qui deuorant domos viduarum, sub obtentu prolixæ orationis, hi accipient prolixius iudicium.*

Hæc omnia multis verbis & non vulgari austeritate conquestus est dominus apud Matthæum. Nos paucis sic rem expediemus. Obticescentibus scribis & Pharisæis, pleraque multitudo fauebat Iesu, eũque libenter audiebat dissserentem. Quam quum videret sanabilem, Sacerdotes autẽ, Scribas, & Pharisæos, destinata malitia tendere quo cœperant, cœpit eos palam apud populum traducere, non vt illis obtrectaret, sed ne post hac populum fallerent, detraxit illis falsæ pietatis ac sanctimoniæ personam. Cauete, inquit

inquit, ne vos fallat magnifica species Scribarum & Pharisæorum: non student vestræ saluti, sed suæ gloriæ. Cupiunt enim, vt magni videantur, ambulare in vestibus ad talos vsque demissis, venanturque salutationes in foro, captantque primorum sedilium honorem in consessibus, & in conuiuijs primum locum in accubitu. Habent prolixas preces, quo videantur cæteris religiosiores. Hæc omnia non fiunt vel ad Dei gloriam, vel commodum proximorum, sed tantùm vt sic venentur pecunias à simplicibus & pijs viduis. Sed adeo non effugient iudicium Dei, adeo non proderit illis ista simulatæ religionis species, vt grauius etiam sint à Deo condemnandi, quòd malitiam suam obnubilarint fuco sanctimoniæ, & Dei armis diabolo militarunt. Obseruandum hic prolixas vel breues vestes, per se neminem vel iustum vel iniustum facere, sed Christianos omnis decet modestia & pudor, luxus Deo abominationi est. Diuiti epuloni exprobratur, quòd indutus fuerit purpura & bysso, etc. De prolixis & succinctis orationibus alibi multa diximus, vt non sit necesse repetere. Auaritiam & Hypocrisin vbique detestantur sacræ literæ. Ad sequentia respiciemus.

Obser.

Luc.16.

*Et sedens Iesus contra Gazophylatiũ, aspiciebat quomodo turba iactaret æs in gazophylatium, & multi diuites iactabant multa: Cum venisset autem vna vidua pauper, misit duo minuta quod est quadrans. Et conuocans disipulos suos ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in Gazophylatium: Omnes enim ex eo quod abundabat illis, miserunt: Hæc verò de penuria sua omnia quæ habuit misit, totum victum suum.*

Pulcherrima hæc est historia, quam non multis tractare animus est, ne videar meum negotium agere. De muneribus dandis, nõ est acceptabilis sermo. Iesus miraculosè cibans turbam, in regem quæritur constituendus, sed iubẽs dare tributa Cæsari, malè audit. Sed ad rem: Domini sententia est, Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Et quantum recipientẽ attinet, dicit, dignus est operarius mercede sua. Iam potest fieri, vt vterque peccet, & exponens & recipiens. Si exponens non Dei gloriam, & commodum proximi spectat, non meritoriè exponit: Si recipiens nõ satisfacit suo muneri, etiam impiè facit. Quantum autẽ dantem respicit, testatur dominus se non respicere munus, sed animum, nõ factum, sed intẽtionem. Hinc de Abelo legitur: Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Primum ad Abelum, deinde ad munera. Primum ad intentionem, deinde ad factum. Credibile est diuites hic in Euangelio, nõ omnes eadem ratione obtulisse, sed quia Christus eos non accusat, committẽdi sunt eius iudicio, qui nouit abscondita cordium. Sed vidua hæc omnibus præponitur, vt quæ maluerit satisfacere legi, quàm sibi aliquid reseruare. Et obserua quòd vidua quæ omnẽ substantiam suam obtulit, laudatur. Si autem sacerdotes hoc extorsissent, non considerata viduæ paupertate, tyrannidis & crudelitatis notam nõ effugissent. Breuiter: Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit, ait Christus, hoc est, sola intẽtio facit opus bonum vel malum. Nihil autẽ tã bonum, quod non possit mala mens viciare. Oratio, Eleemosyna, Ieiunium, Oblatio, de qua nobis iam sermo, vtique bona sunt, sed hæc omnia à mala mẽte viciari possunt. Obseruandum itẽ tantam esse bonitatem Dei, vt nemo possit verè se excusare, quòd defuerit pietatis operibus. Acceptat Deus duo minuta æra, acceptat calicem aquæ frigidæ, acceptat tandem & laudat, & coronat promptam voluntatẽ, si faciendi

desit

desit facultas. Hanc rem multis tractat diuus Paulus, ad Corinthios scribēs in 2.Co,8. hæc verba: Si voluntas prompta est, secundum id quod habet accepta est, non secundum id quod nō habet. Hoc dicit. Si modo adsit animi beneuolētia & promptitudo, iam acceptum Deo est quicquid tandem secundum vestras facultates conferaris. Non enim est acceptum beneficium, quod cōfertur ab inuito. Neque exigitur à quoquam, vt donet quod non habet. Sed iam colligenda sunt vela, & finis huic capiti imponendus, gratia Domini nostri Iesu Christi, qui in nobis operatur velle & perficere.

## CAPVT XIII.

*Et cum egrederetur de templo, ait illi vnus ex discipulis suis: Magister aspice quales lapides, & quales structuræ? Et respondens Iesus ait illi: Vides has oēs magnas ædificationes, non relinquetur lapis super lapidē, qui non destruatur. Et cum sederet in monte Oliuarum contra templum, interrogabant eum separatim Petrus & Iacobus, & Ioannes, & Andreas. Dic nobis quando ista erunt? & quod signum erit, quando hæc omnia incipient consummari.*

Quandoquidem textus hic idem est, Mat.24 cum eo quem habuimus, Matth.xxiiij. paucis hic immorandum erit. Dixerat dominus multa de ruina, siue destructione templi Hierosolymitani, in vniuerso mundo celeberrimi, cum igitur Dominus iam cum discipulis suis ciuitate egreditur, accesserunt iuxta Matthæum discipuli eius, vt ostenderent ei ædificationem templi, non quasi antea non viderit, sed vt ipsum dominum ad commiserationem perducant, quo minus super eam veniant, quæ iam futura Christus prædixerat. Aut fortassis, discipuli nihil supra hominem sentiētes, putant vix possibile esse, vt tam vasta & munitissima ciuitas, tam ingēs multitudo hominū, expugnari possit. Et hæc proxima ratio vero propius videtur. Respondit enim Iesus dicens: Videris has omnes magnas ædificationes? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem qui non destruatur. Nihil est omnium horum tā munitum, aut pulchrum aut sanctum, quod non sit demoliendum, adeoque dissipandum, vt nec lapis vllus lapidi cohæreat. Porrò consueuerat dominus ferè semper, egressus vrbem Hierosolymorum, montem conscendere, vt vel in hoc loco patrem secretius oraret, vel discipulos suos seorsim doceret. Cū igitur dominus sic sederet in mōte oliuarum, vnde templum erat in prospectu, renouata est discipulis memoria sermonis, quo prædixerat fore, vt templum funditus dirueretur. Adeunt ergo Iesum ita sedentem secretò quatuor è discipulis, Petrus, Iacobus, Ioannes, & Andreas, hoc agentes, vt quemadmodum trāsfigurationis archanum, paucis seorsum crediderat, ita de tempore venturi regni paucis communicaret, quod alijs omnibus crediturus nō esset. Dicunt itaque ei: Dic nobis quando fient ista, & quo signo poterimus depræhendere iam adesse tempus illud? Et iuxta Matthæum dicunt: Dic nobis quando hæc erunt, & quod signū aduentus tui, & consummationis seculi. Simul enim hæc omnia fore existimabant, vastandā Hierosolymam, ipsum in gloria venturum, & mundum hunc accepturum finem. Existimabant nimirum tam celeberrimum in toto orbe templum, ad finem vsque mundi permansurum.

*Et respondens Iesus cœpit dicere illis: Videtene quis vos seducat, multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego sum, & multos seducent. Cum audieritis autem bella, & opiniones bellorum, ne timueritis, oportet enim hec fieri, sed*

*nondũ finis. Exurget enim gens cõtra gẽtem & regnũ super regnũ, & erũt terræ mot⁹ per loca, et fames: initiũ dolorũ hæc.*

Omnino necessaria erat hæc Christi admonitio. Quum enim certò futuri essent pseudochristi, qui se pro Christo, pro Messyah venditarent, & verus ille Messias discipulos elegerat, qui Christum mundo prædicarent, periculum erat, ne & ipsi seducerentur, pro Christo recipientes antichristum. Dicit ergo Christus: Videte ne quis vos seducat, quorum est aliis ostendere viã veritatis. Veniẽt enim multi in nomine meo (quos nõ misi) vt seducãt populũ, & quãdoquidẽ multi sunt, nõ omnino frustrabitur conat⁹ eorũ, sed multos seducent. Hæc oĩa facta sunt inter Domini ascensionẽ, & Hierosolymorũ destructionẽ, cuius iã meminit dicens, hoc vrbis excidiũ nõ inopinatũ fore, sed prius præcessurũ rumorẽ præliorum, nec tamẽ hiis rumoribus auditis, iam finem esse. Plerumque enim vani sunt rumores, quod hoc loci non eueniet. Exurget enim gẽs cõtra gẽtem, & regnũ aduersus regnũ, & erũt terræ motus, nimitũ ad ruinã prouocantia ædificia, & fames, quod in preliis, maximẽ obsidionibus, nõ nouũ est fieri. Magna quidem hæc, crudeliss. & terribiliss. sed tantũ initium dolorũ: Peiora sequũtur.

*Videte autem vosmetipsos. Tradent enim vos in conciliis & in Synagogis vapulabitis, & ante præsides & Reges stabitis propter me, in testimonium illis: Et in omnes gentes oportet prædicari euangelium. Et cum duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini, sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquamini. Non enim vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus: Tradet autẽ frater fratrẽ in mortẽ, & pater filiũ, & cõsurgẽt filii in parẽtes, & morte afficiẽt eos. Et eritis odio omnibus ꝑpter nomẽ meũ. Qui aũt sustinuerit in finẽ, hic saluus erit.*

Quod ait de discipulorum persecutione, facilè intelligendum est, cum sic factum esse ex actis Apostolorũ apertè cognoscatur, Luca referente ac dicẽte: Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii, quando digni habiti sunt, pro Christo cõtumeliã pati. Boni discipuli prædicabant eũ filiũ Dei, qui prædicabatur à multis tantùm filius hominis. Prædicabant à mortuis resurrexisse, quem multi viderant in patibulo crucis morientem. Cùm igitur discipuli tã diuersa docerẽt à Scribis & Pharisæis, tradebãtur & ducebãtur ante præsides ac reges, vt lata cõtra ipsos discipulos sententia, iustè viderẽtur trucidati. Sed possent obiicere discipuli: Sed abscondemus nos, nihil prædicabim⁹, in tuto nauigabimus. Respõdet Christus, Nõ ita erit, sed oportet prædicari Euangeliũ in omnes gentes. Non præcipitabit dñs vltionẽ suã, verũ primũ omniũ faciet manifestari & prædicari Euãgeliũ, vt nemo possit prætendere ignorantiã suam, sed qui perit sua malitia pereat. Aliã obiectionem rursus diluit. Potuissent enim dicere discipuli: Qui nos sumus, in quos totus mũdus insurget? Qui poterimus tibi adesse? Idiotæ sumus, facilè à doctis Scribis & Pharisæis superabimur. Respondet Christus: Cũ duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini, sed quod datũ fuerit vobis in illa hora id loquamini. Non enim vos estis loquẽtes, sed Spiritus sanctus, hic erit patronus & aduocat⁹ vester. Huc pertinet quod in Actis de Petro & Ioanne dicitur: Vidẽtes aũt Petri constantiã & Ioannis, comperto quòd hoĩes essent sine literis & idiotæ, admirabãtur, & cognoscebãt eos q cũ Iesu fuerãt: hominẽ quoq; vidẽtes stãtẽ cũ eis q curat⁹ fuerat, nihil poterãt cõtradicere. Et de Stephano: Surrexerunt quidã de synagoga, disputãtes cũ Stephano, & nõ poterãt resistere sapiẽtiæ & spiritui q loquebaẽ. Adiũgit deinde dñs psecutiões huiusmodi discipulis, nõ tãtũ expectãdas esse ab alienis & hostib⁹ verũ etiã ab amicis & cognatis. Frater enĩ fratrẽ inqt ꝑtrahet in ius, & capitis

Act. 5.

Act. 4.

Act. 6.

accersẽt

accerset, contempto naturali affectu: & pater filium, præter naturæ pietatem. Quin & filii vicissim erigent se aduersus parentes, & ad mortem adigent. Et quum nemini noceatis, sed offeratis salutis nuncium omnibus, tamen eritis omnibus inuisi, qui mundum hunc diligunt, ob mei nominis quod prædicabitis inuidiam. Cæterùm in his malis opus erit perseueráti animo. Quisquis enim perstiterit in bene cœptis vsq; ad finem, hic saluus erit. Persecutoribus pertinacia nocebit, vos perseuerantia saluabit.

*Cùm autem videritis abominationem desolationis stantem vbi non debet, qui legit, intelligat. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant in montes, & qui super tectum, non descendat in domum, nec introeat, vt tollat quid de domo sua. Et qui in agro erit, non reuertatur retro tollere vestimentum suum.*

Quidam dicunt abominationẽ desolationis esse imaginem Cæsaris, sicut in Matthæo recensuimus. Verius autem quid sit, Lucas Euangelista interpretatur. Nam in quo loco Marcus & Matthæus ponunt: cum videritis abominationem desolationis, in ipso loco Lucas sic ponit: Cum videritis circũdari Hierusalem ab exercitu, tunc scitote quia propinquauit desolatio eius. Et sic dicit, qui in Iudæa sunt, fugiãt ad montes, &c. vt non sit dubium, quin Lucas cæteros exponat. Fuerat enim exercitus alienigenarum, & Romani Imperatoris stans circa Hierusalẽ, quæ dicta est ciuitas sancta, immo tota Palæstina terra sancta dicitur. Exercitus autem Romanus dictus est abominatio desolationis, quia ad desolationem redacturus erat Hierusalẽ, iuxta quod prædictum fuerat à Christo: Non relinquetur lapis super lapidem, &c. Cætera quæ sequuntur præliorum grauitatem designant, & intellectu facillima sunt. Nihil enim aliud vult Dominus his significare, quàm tantum instare prælium, vt vnusquisque conabitur fuga quærere salutem, & contentum esse, si tantum saluam potest seruare vitam: vnde sequitur.

Abominatio desolationis.

*Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Orate verò vt hyeme non fiant. Erunt enim dies illi tribulationis tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ quam condidit Deus vsq; nũc, neque fient. Et nisi breuiasset Dominus dies, nõ fuisset salua omnis caro: Sed propter electos quos elegit, breuiabit dies.*

Quare væ prægnantibus & nutrientibus? Quia illas non sinit natura onus abiĳcere, has prohibet pietas. Nec grauidæ possunt fugere imminens periculum, nec nutrices alere infantes in tanta omnium rerum penuria. Lege Regum historiam, vbi nutrix filĳ masum captiuitatis præpropera fuga visitando, lapsum Ionathæ filium perpetuo claudum recepit. Orare autem eos iubet, etiam iuxta Matthæum, ne fuga illorum fiat hyeme vel Sabbato, quia in altero duritia frigoris prohibet, ad solitudinem pergere, & in montibus deserti sque latitare, in altero autẽ trãsgressio legis est, si fugere voluerint, aut mors imminens si manere voluerint. Quæ sequuntur quidam existimant ad extremum mundi pertinere diem, sed citra piaculum de vtroque intelligi potest, tã de deuastatione Hierosolymorum, quàm cõsummatione mundi. Nos de priore omnia interpretabimur, quemadmodum & in Matthæo à nobis factum est. Si quis nouerit saltem aliquam huius tragœdiæ partem, facilè pronunciabit hæc domini verba vera esse, cum dicit: Erunt enim dies illi tribulationis tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam cõdidit Deus vsque nunc, neque fient. Quis enim in obsidione vrbis cuiuscunque legit vndecies centena millia fame & gladio periisse, quod in Hierusalem factum

2. Re. 4

Iosephus

Iosephus docet, & vrbe capta sexcenta millia virorũ interfici iussa, & hoc in solenitate Paschæ, qua dominum gloriæ supplicio affecerãt, captiuorũ aũt publicè venũdata centũ millia. Tãta & talis ab initio mũdi nõ legitur, neq; (ipso prædicẽte domino) aliquãdo tãta, talisq; futura est. Ab hoc ostẽdit dñs grauioribus illos supplitijs dignos, sed electos & fideles illis fuisse prectiõi. Nõ est igitur, vt dicãt Iudæi hæc mala, ꝓpter prædicationẽ & adorationẽ Christi accidisse sibi, cum horũ gratia citius finis bello impositus sit. Nõ rarũ est exẽplũ, pios impijs apud Deũ patrocinari, vt det hijs pœnitẽtiæ locũ. Hinc dñs Abrahæ olim ꝑ Sodomis intercedẽti & petẽti, ne ꝑderet iustos tãq̃ iniquos, & interroganti si fuerint. l. iusti in ciuitate, perdes illos? respõdit: Non perdã ciuitatem si fuerint in ea. l. iusti, & totum locum seruabo. Et sic per ordinem interrogationum & responsionum vicẽ, etiã si decẽ iustos inuenerit in ciuitate, tamẽ propter paucorũ iustitiã impunitatẽ toti populo promittit. Vnde discimus, Amb. teste, quãtus murus sit patriæ vir iustus, &c. Sed de his hactenus satis.

Amb. li. de Ab. & ca. 6.

*Et tũc, si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, ecce illic, ne credideritis. Exurgẽt enim pseudoprophetæ, & dabũt signa atq; prodigia, ad seducẽdos, si fieri potest, etiam electos: Vos ergo videte, ecce prædixi vobis omnia.*

Iam iterũ ad memoriã reuocandũ est, quod superius diximus, scilicet discipulos arbitratos fuisse cõsummationẽ seculi, & aduentũ filij hominis, & excidium Hierosolymorũ simul & semel ventura. Scientes igitur verũ tẽpus destructionis Hierusalem & desolationis templi, putabãt se cætera non posse latere. Hanc igitur stultã opinionẽ volẽs Dominus animis discipulorũ eximere, in eã sententiã loquitur: Vos arbitramini me reuersurũ, statim post exeidiũ Hierosolymorũ: non ita fiet. Destrueẽ quidẽ Hierusalẽ, & ego reuersurus sum sicut prædixi, sed nõ immediatè post expugnationẽ vrbis. Tunc ergo si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, ecce illic, ne credideritis. Exorientur enim in illis diebus pseudochristi, qui sibi meũ nomẽ, meãq; personã falso vindicabũt. Exorientur etiã pseudoprophetæ, qui fucata sanctimoniæ specie, se mẽtienẽ esse prophetas: magicisq; ꝓdigijs ac dæmonũ arte adũbratis miraculis imitabũtur prophetas ac me, sic vt eiusmodi præstigijs falli possint, si qua vis valeret aduersus Deum, etiam electi. Vos igitur non remorentur signa vel prodigia, quæ & à pijs & impijs fieri possunt, quàm maxima, plus his omnibus valeat apud vos, quod prædixi vobis, & admonui. Sequitur continenter.

*Sed in illis diebus post tribulationẽ illã sol cõtenebrabitur, & luna nõ dabit splẽdorẽ suũ, & stellæ cæli erunt decidentes, et virtutes quæ in cælis sunt, mouebũtur. Et tũc videbũt filiũ hominis venientẽ in nubibus, cũ virtute multa & gloria. Et tunc mittet angelos suos, & congregabit electos suos à iiij. ventis, à summo terræ, vsque ad summum cæli.*

Alia res est, vult dicere Christus, cũ fine mundi, & cũ aduẽtu filij hois. Nõ citra maxima prodigia, non citra maximos terrores veniẽt illi dies, vt nõ sit necesse dicere: Hic vel illic est Christus. Quæritis, ô mei discipuli, signũ aduẽtus filij hois? Accipite: Post multas tribulationes hominũ, circa finẽ mũdi existẽtiũ, sol cõtenebrabit̃, & luna nõ dabit lumẽ suũ. Adhæc videbũẽ & stellæ de cælo decidentes in terrã, quæ tot seculis illic affixæ fuerãt, in vsum humani generis. Qui & cælorũ virtutes, quarum potẽtia mirãda illa corpora, seruarũt à Deo ꝓscriptos cursus, ac functiões suas ab orbe cõdito, cõcutiẽtur. Hijs signis vtiq; cognosci poteſt, aduẽtus filii hominis, qui nõ diu tardabit, sed tũc videbũt oẽs qui vixerint filiũ hominis, nũc humilẽ & cõtemptum, emicantẽ in altiss. nubibus, cũ potestate multa, & gloria patris, & innumeris angelorũ copiis. Tũc emittet angelos suos, qui nullum electũ patientur abesse, sed omnes vndiq; colligẽt, seu viuos seu mortuos,

subitò in vitam reuocādos, vt qui fuerant consortes afflictionū, consortes sint æternæ felicitatis. Longè distabit aduentus Christi secūdus, à primo eiusdem aduentu: Christo siquidem in terris nato, Angelus domini astitit iuxta pastores, & claritas Dei circumfulsit illos. Et post pauca, facta est cum Angelo multitudo cælestis exercitus laudātium Deum, &c. Christus in Bethleem nascitur, in præsepio collocatur, à paucis noscitur. Stella ipsum Magis demōstrat. Sed quomodo venturus iam sit, in secundo aduentu iam auditum est.

*A ficu autem discite parabolam. Cùm iam ramus eius tener fuerit, & nata fuerint folia, cognoscitis quia in proximo sit æstas. Sic & vos cum videritis hæc fieri, scitote quòd in proximo sit in hostijs: Amen dico vobis, non transibit generatio hæc, donec omnia ista fiant. Cælū & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.*

Vult dicere Christus: Sicut nemo vos persuadebit æstatē in foribus esse, cum adhuc ne gemmas quidē videtis, ita & non patiamini vobis persuaderi diē domini instare, nisi prius signa quæ prædixi vobis futura, facta sint. Nemo ergo vos decipiat, quasi excidiū Hierosolymorum verum signū sit, instare diem domini magnū, sed cum sol obtenebrabitur, & iuxta Ioelem, luna cōuertetur in sanguinem, tūc vobis certo persuasum sit, diē domini instare. Nolo vobis verba dare, sed in veritate dico vobis, quia non præteribit generatio ista humana, nisi omnia ista facta fuerint. Cœlum & terra transmutabūtur, atque renouabuntur, verba autem mea non possunt esse inania.

*De die autem illa vel hora nemo scit, neq; angeli in cœlo, neq; filius, nisi pater.*

Vide Hilar. li. 9. pa. 182. Multa quidem signa prædixit dominus præcessura diem domini magnum & terribilem, sed non descripsit numerum signorum, vt certo possit sciri hora illius diei. Futurum quidem est extremum iudicium, futura sunt prædicta signa ante illum iudicij diem, sed nemo potest dicere, quæ nā sint vltima signa. Hinc ait dominus: De die autem illa vel hora nemo scit, neque angeli in cœlo, neque filius, nisi pater. Quod ergo & angelis & hominibus immo ipsi filio hominis absconditum est, vobis nescire periculum non est. In Actis legimus dominū discipulis dicere: Non est vestrum scire tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate. Sed quare non expediat nobis illa scire, immo quid nescios nos oporteat facere, subiungit. Acto. 1.

*Videte, vigilate & orate, nescitis enim quando tempus sit: Sicut homo qui peregre profectus reliquit domum suam, & dedit seruis suis potestatem cuiusque operis, & ianitori præcepit vt vigilet: Vigilate ergo, nescitis enim quādo dominus veniat, sero, an media nocte, an gallicantu, an mane, ne cum venerit repēte, inueniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate.*

Perspicuè ostendit dominus, quare dixerit: De die autem illa vel hora nemo scit, neque angeli in cœlo, neque filius, nisi pater, quia scilicet non expediebat scire apostolis, vt pēdulæ expectationis incerti, semper eum credant esse venturum, quem ignorant quando venturus sit. Vnde subiungit exemplum patrisfamilias, ac fidelium seruorum, quasi in hanc sententiam loquens. Simulat à vobis hinc abiero, ita vos gerite, vt se gerunt serui fideles, quibus dominus peregrè profectus, credidit authoritatē administrandæ rei familiaris, & suū cuiq; imposuit munus. Hi quādo ignorāt, quādo dominus sit domū rediturus, sedulo dāt operam, vt suū quisq; officium faciat, vt quocūq; tēpore dominus domū redeat, reperiat eos vigilare, id est, officijs quēlibet suis

defungi

defungi, ita & vos curate, vt dies domini vos imparatos nõ inueniat. Porrò ne quis putare posset, discipulis tantum præsentibus, hæc à Christo dici, addit: Quòd autem vobis dico, non vobis solũ dico, sed omnibus dico, vigilate, hoc est vestro nomini satisfacite: Hinc apud Lucam dicit. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectãtibus dominum suũ, quando reuertatur à nuptijs. Sed quæ est ista lucerna: Apud Matthæum inuenire est, vbi dominus dicit: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est: Sed hæc clariora sunt, quàm in lõgiori interpretatione opus sit, sed facto tantùm opus est. Quanquam enim in fine mundi Dominus semel veniet omnibus, tamen singulo cuiq; venit, quum adest mortis tẽpus. In hoc igitur, quoniam æque incertũ est, priuatim cuiq; vigilandum est. Quibusdam enim venit sero, velut in adolescẽtia, quibusdã intẽpesta nocte, velut in florẽti. ætate, quibusdam in gallicinio, puta in senectute, Nec viribus, nec ætati fidẽdum: omnibus ex æquo incertus est mortis dies. Memorare igitur nouissima tua, & in æternum non peccabis. Quod vtinã nobis cõtingat gratia, & benignitate Domini nostri Iesu Christi: Amẽ.

Luc.11. Math.5. Obser. Eccl.7.

## CAPVT XIIII.

*ERat autẽ pascha & azyma post biduum, & quærebant Summi sacerdotes & scribæ, quomodo eũ dolo tenerẽt & occiderent, dicebãt autem: Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo.*

Educturus Dominus filios Israel de seruitute Aegyptiaca, præscribit eis vt manducarent agnum anniculũ masculum sine macula, non coctum aqua, sed tantum assum igni. Mandat item vt septem diebus vescantur azymis panibus. Adiungens ceremonias, quæ ad hoc conuiuium pertineant, & cum omnia ferè persoluerit, subiũgit dicẽs: Habebitis autem hunc diem in monumentum, & celebrabitis eam solennẽ domino in generationibus vestris cultu sempiterno. Septem diebus comedetis azyma, &c. Hæc autem festiuitas pascha dicebatur: Vult igitur iã Marcus dicere. Eo tempore quo post biduum Iudæi lege cogebantur manducare agnum paschalem, & vesci septem diebus azymis panibus, tum quærebant summi sacerdotes, quomodo Iesum dolo tenerent & occiderent, sed quoniam id palam non audebant ob populi metum, & tamen certum consilium cœperant occidendi Iesum, visum est, vt per dolum illi manus inijcerent, & occiderẽt. Hoc ipsum sæpius antea tentatum fuerat, sed frustra, quia nondum venerat hora eius. Cæterùm quæ illos summos sacerdotes mouerint, ex alijs euangelistis docemur, sed visum est nihil alieni hic adducere: Matthæus omnia copiosius docebit. Sed vide hic sacerdotum & scribarum impietatem non vulgarem, quem iure accusare nõ possunt, dolo tenere & occidere tentant: Tales sacerdotes & scribas, rales iudices, & apud hoc seculum inuenire est, qui innocentes opprimũt, blasphemos defendunt. De his apud Esaiã dominus loquitur in hæc verba: Principes tui infideles socij furum, omnes diligunt munera, sequũtur retributiones. Pupillo non iudicant, & causa viduæ nõ ingreditur ad eos. Deinde hoc in sacerdotibus & scribis perpetuum est, magis timere homines, quàm Deum. Statutum enim fuerat, & certò deliberatum apud eos perdere Iesum per dolũ, ab hac mala mente nõ prohibebãtur, vel innocẽtia & beneficentia Christi, vel Dei timore, vel paschæ tandẽ religione, sed tantũ timebãt plebẽ, timẽt tumultũ, timẽt ne nõ desint Christo, sui satellites & propugnatores

Exo.12. Obser. Esa.1.

natores: Sy forchten vberfall. Pessima quidem sunt hæc, sed quorsum illi, quos nec amor virtutis, nec pœnæ formido à vitijs cohibet, sed quasi laxatis habenis, in omne ruunt nephas!

Obser. Hier. 8.

*Et cum esset Bethaniæ in domo Simonis leprosi, & recumberet, venit mulier habens alabastrum vnguenti, nardi spicati pretiosi, & fracto alabastro, effudit super caput eius.*

Nouerat dominus Iesus iã instare tẽpus suæ passionis, nouerat Sacerdotũ & Scribarũ cõsiliũ, noluit igitur lõgè fugere, vel se subducere morti, sed tãtũ cõcessit Bethaniam, quæ quàm prope sit Hierosolymam, Diuus Ioãnes alibi docet, in resuscitatione Lazari dicens. Erat autem Bethania iuxta Hierosolymam quasi stadijs xv. Cùm igitur esset Iesus Bethaniæ, in domo Simonis leprosi (nõ qui iã leprosus sit, sed olim leprosus existens, mundatus à Christo fuerat) & recũberet, venit mulier habens alabastrum vnguenti, nardi spicati pretiosi, & fracto alabastro effudit super caput eius. Hæc mulieris secunda est vnctio, nã primo, vt cognouit quod Iesus esset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti, & stans retro sec⁹ pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & vnguẽto vngebat. Hic autem tantum effudit super caput Iesu recumbentis. Cæterùm hæc vnctio referenda est ad morẽ terræ Palæstinæ. Nam Iudæis vnctionem frequẽtem fuisse, ex multis Euangelij locis patet, vt apud Matthæum. Tu autẽ cũ ieiunas, vnge caput tuum, & faciẽ tuã laua, &c. Obseruandũ hic qualia oporteat Deo offerre, pretiosa nimirum, non pessima: Sed hac de re, & supra quædam diximus, & infra quædam adiungemus.

Ioan. 11.

Luc. 7.

Vnctiones in terra Palæstina.

*Erant autem quidam indigne ferentes intra semetipsos, & dicentes: Vt quid perditio ista vnguenti facta est? Poterat enim vnguentum istud venundari, plusquam trecentis denarijs, & dari pauperibus: Et fremebant in eam.*

Non opinor necessarium esse multis disputare, qui nam super muliere indignati fuerint. Ioannes de vnico Iuda proditore hæc scribit, qui loculos habebat, & fur erat. Credibile autem est & alios indignatos, quòd tantum sumptus fecerit mulier, sed longe alia mente. Indignatus Iudas furtum meditabatur, alij alia cogitabant, fortassis putantes Christum hæc ægrè ferre, & magis ex animo Christi esse, si vẽditi vnguenti pretium, pauperibus erogaretur. Nolo hic huius seculi, Iudas impios & fures, pro merito traducere: sed velim diligenter examines murmuratorum verba: Poterat vnguentũ istud vendidari, &c. Vt quid perditio ista vnguenti facta est? Respondeo murmuratoribus: Quàm mihi perditionẽ occinis? Nunquid perditũ est, quod Christo tribuitur? Nunquid rependere potest? & vt magis verè dicam: Nunquid aliquid habes, quod non à domino acceperis? Sed aiunt: Verùm non moratur Christus hæc? Interrogo, Quare non moratur huiusmodi delicias dominus? Respõdes, Quia nihil pietatis habent: Benè est, Imitare igitur, o Pharisæe Christum, & noli tam delicatè luxuriari, tam pretiosis vnguẽtis. Sed addunt: Poterat autem vnguentum istud venundari plusquam trecentis denarijs, & dari pauperibus. Quid tũ? Poterat quidẽ venundari, sed nunquid peccauit mulier, non vendens vnguentum, sed in caput Christi effundens? Posses quidem bibere aquam, cur tu potius vino vteris? Poteras citra luxũ vestiri, cur luxũ nõ abominaris? Lõgè aliud est, mihi crede, aliquid posse fieri, & aliquid necesse esse fieri. Et Pauli vox est: Omnia quidem licent, sed non omnia expediunt. Sed hæc non curant aduersarij, & nouatores putidi, quorum perpetua vox est: Poterat vnguentum hoc venundari multo, &c.

Ioan. 12.

Poterat vnguẽtũ istud.

Nunquid

Nunquid possét sacerdos, aiunt, (exemplis quid velim docebo) citra casulam,&c.sacrum facere? Respondeo: De hoc non est controuersia quid possit,sed an hoc quod facit, impium sit: Sed nolo hunc latissimũ dicendi campum ingredi.

*Iesus autem dixit:Sinite eã: Quid illi molesti estis?Bonum opus operata est in me. Semper enim pauperes habetis vobiscum,& cũ volueritis, potestis illis benefacere,me autem non semper habebitis:Quod habuit hæc fecit, præuenit vngere corpus meum in sepulturã. Amẽ dico vobis,vbicunq; prædicatũ fuerit Euãgelium istud in vniuerso mũdo, & quod fecit hæc, narrabitur in memoriam eius.*

Christus ter patrocinatur Magdal. Luc.7. Luc.10.

Ter legimus in Euangelio dominum Mariæ huic patrocinari, primò in domo Pharisæi cuiusdam,qui videns dominũ attrectari à Magdalena, dicebat intra se:Hic si ppheta esset, sciret vtiq; quæ & qualis esset ista mulier. Respõdens autẽ Iesus:Simon habeo tibi aliquid dicere. At ille, Magister dic: Respondit Iesus, Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuã, aquã pedibus meis non dedisti,&c. Secũdò,cũ intrasset dominus domũ Marthæ, & Maria sederet ad pedes domini, audiẽs verbũ illius, Martha autẽ stans dicebat: Domine non est tibi curæ quòd soror mea relinquit me solam ministrare? dic illi vt me adiuuet. Quomodo Dominus patrocinatus fuerit Mariæ, obscurum nõ est. Dicebat enim, Martha Martha solicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum est necessariũ, Maria optimam partẽ elegit, quæ nõ auferetur ab ea. Tertiò iam hoc loci multis excusat dominus deuotã mulierẽ: Dicit enim, Quur negotium facessitis huic mulieri? Sinite illam obsequi animo suo. Cur calumniamini innocentẽ? Bonum opus operata est in me: nec est quod pauperũ inopiam prætendatis, Semper enim pauperes habebitis vobiscum,& cum volueritis potestis illis benefacere, me autẽ nõ semper habebitis,vt officijs corporalibus possitis demereri. Quod habuit hæc fecit, pius animus non potest improbari. Instat mors, cupiet tunc corpus meũ vngere sepeliendum,id quoniam tũ nõ licebit, anteuertit:& viuo impendit honorem, quem mortuo non poterit. Cæterùm huius mulieris pietas,cui vos obstrepitis, adeo nõ carebit laude sua, vt cum mors mea per euangeliũ celebrata fuerit,per omnes orbis regiones,simul & huius mulieris memoria celebrãda sit, quæ mortẽ meam antequam morerer, tali munere honorarit. Hijs dictis dominus discipulorũ suorũ murmur cõpescuit. Et certè quod ad vltimũ encomium huius Mariæ attinet,apertũ est, quomodo in vniuerso mundo prædicetur. Quis enim hoc pietatis studiũ, non statim laudat & probat? Sed audiamus quid ad hæc discipuli dixerint.

*Et Iudas Iscariotes vnus de duodecim, abijt ad summos sacerdotes, vt proderet eũ illis. Qui audiẽtes gauisi sunt, & promiserũt ei pecuniam se daturos. Et quærebat quomodo eum oportunè traderet.*

Vnus de 12.

Omnia hæc maximum pondus habent: Iudas vnus de xij.non alienus,nõ ex septuaginta duobus discipulis, sed vnus de duodecim,quẽ dominus discipulatu & Apostulatu dignatus fuerat, cui potestatem super omnes morbos, & omnia dæmonia cõmiserat, hic Iudas Iscariotes abijt,nõ iussus, sed sua pre spontè, immo suapte malitia, ad Summos sacerdotes. Quid facturus? num Christo patrocinaturus apud illos? num pecuniã emendicaturus, quo subleuaret pauperum inopiam? Non, sed vt proderet Iesum illis: Quid ad hæc Summi sacerdotes? Stulte Iuda, quid apud Summos sacerdotes facis, hoc malo animo? Frustra accedis tam sanctos viros,patraturus tale crimen: auersabũtur tui vmbram. Sed nouerat Iudas,quàm infensos haberet,

Abijt

Iesus summos sacerdotes, ideoq; abijt ad eos. Qui audientes gauisi sunt, & promiserunt ei pecuniam se daturos. Placuit author sceleris domesticus Iesu: placet Iudæ pactum, vt sic posit resarcire vnguenti iacturam. Credidit itaque Iudas simplici promisso sacerdotum, absq; tabulis ac testibus, absq; sponsore aut vade. Cogitat apud sese quo pacto posset Iesum prodere Sacerdotibus ac Scribis, ex ipsorum animi sententia, hoc est, loco & tempore cōmodo, ne quid oriretur tumultus. Nā hæc in pacto intercesserat conditio. Multi hodie Iudæ scelus, vt Beda admonuit, quod Dominum ac Magistrū Deúmque suum pecunia vendiderit; velut immane & nepharium exhorrent, nec tamen cauent. Nam cùm pro muneribus falsum contra quemlibet testimonium dicunt, profectò quia veritatem pro pecunia negant, Deum pecunia vendunt. Ipse enim dixit: Ego sum veritas.

Obser.

*Et primo die azymorū, quando Pascha immolabāt, dicunt ei discipuli: Quo vis eamus & paremus tibi comedere Pascha? Et mittit duos ex discipulis suis, & dicit eis: Ite in ciuitatem, & occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans, sequimini eum, & quocunque introierit, dicite domino domus, quia magister dicit: Vbi est refectio mea, vbi Pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande stratum, & illic parate nobis. Et abierunt discipuli eius, & venerunt in ciuitatem, & inuenerunt sicut dixerat illis, & parauerunt Pascha.*

Nouerant boni discipuli dominum suum, non transgredi legem domini, de esu agni Paschalis, instāte igitur à Deo præscripto tempore, hoc est, primo die azymorum, accedunt dominum dicentes: Quo vis eamus & paremus tibi comedere Pascha? Tempus est vt legi satisfiat, tuum igitur erit ostendere locum, vbi commodè præparare posimus. Nos à proprijs ædibus absumus, in alienis vescamur agnū paschalem necesse est. Interrogatus ergo dominus ablegat ad apparādam cœnam, duos ex discipulis, Petrum nimirum & Ioannem, Luca teste. Et ait illis: Ite in ciuitatem, & ingresis occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans, eum sequamini, & quocunque introierit, dicite domino domus, hæc verba meo nomine: Magister dicit, vbi est cœnaculum, vbi Pascha cum discipulis meis edam? Is nihil moratus, ostendet vobis cœnaculum grāde stratum, illic nobis quæ ad esum agni paschalis necessaria sunt parate. Crediderunt discipuli verbis domini, abierunt, & inuenerunt omnia iuxta domini verba, & præparauerunt. Vide hic dominū nihil omnino latere, vt palam sit illum præscium, ac volētem omnia passum, quæ nostra causa passus est. Ad hæc vide authoritatem, ad domini vocem statim ostenditur cœnaculum, vt perspicuum sit, illi in manu fuisse, facere quicquid vellet. Nutu poterat coercere sacerdotes ac Pharisæos crudelia molientes. Nec silentio præterire posum, promptam discipulorum obedientiam, quibus videbatur tutius Christi verba sequi, quàm suam rationem. Ratio enim proculdubio aliud dictabat, quàm in hoc rerū tumultu Christum intratum Hierosolymam, vel etiamsi intraret, inuenturum qui Christum cum suis susciperet. Neque enim tutum erat cuiquam suscipere hospitio eum, quem Summi sacerdotes & Scribæ ad occidendum quærebāt, &c.

Luc. 22.

*Vespere autem facto, venit cum xij. Et discumbentibus eis & manducantibus, ait Iesus: Amē dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me, qui manducat mecū. At illi cœperunt contristari, & dicere ei singulatim: Nunquid ego?*

Hæc omnia testantur magnā Christi benigni-

benignitatem,& patientiam in peccatores,in quos non præcipitat iudiciũ: Quid enim ait Marcus? Vespere autẽ facto venit cum duodecim, nimirum Hierosolymam in domum destinatã. Cũm duodecim,inquit, non repudiauit traditorem, sed propria mensa dignatus est. Quis nostrum tam patiens est,vt vel amico responso dignetur inimicum. Pius autem dominus noster Iesus Christus,noluit eum excludere, à quo nouerat se in mortem tradendum esse: Nec est, vt quisquam existimet Christum latuisse traditorem, vel cœnæ non interfuisse Iudã,ait enim Euãgelista: Discumbentibus verò eis, & manducantibus, ait Iesus: Amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me, ex vobis inquam qui manducant mecum.Hæc verba tam apertè eloquutus fuit dominus,vt statim ingẽs mœror animos discipulorum corripuerit. Nullus quidem præter vnum Iudam, sibi malè conscius erat,sed tamen non possunt æquo animo ferre, vel mali tantùm suspicionem in se. Singuli igitur dicunt: Nunquid ego sum?

*Qui ait illis: Vnus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino. Et filius quidem hominis vadit, sicut scriptũ est de eo: Væ autem homini illi per quem filius hominis tradetur, bonum erat ei, si non esset natus homo ille.*

Apparet ex hijs verbis, vndecim discipulos, ex verbis domini sic terrefactos, vt cõtinuerint apud se man⁹ suas, nihilque præ tristitia magna commemdisse, donec dominum diligentius interrogarent. Iudam autẽ ea fuisse impudentia, vt audiens domini verba, nihilo secius intinxerit manũ cum Christo in catino, vt audacia bonam conscientiam mentiretur. Interrogatus ergo dominus de proditore, ait iterum: Vnus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino. Addit deinde dominus: Et filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de eo. Nihil ei accciderit, nisi quod scriptura prædixit. Peius longe peius habebit traditor, quã traditus. Passio Christi, maximæ gloriæ initium erit. Sed traditio Iudæ, proditori initium maximi cruciatus erit. Væ enim homini illi, per quem filius hominis tradetur. Bonum erat ei, si nõ natus fuisset homo ille, qui nulla re ad pœnitentiam prouocari potest, non benignitate domini, non conscientiæ morsu, non denique pœnæ, & supplicij prædictione. Sed sic habet scriptura: Peccator cum in profundũ peccatorum venerit, contemnit. Morbus grauior est, quàm vt vllam medicinam admittat. Obseruandũ hic Iudæ similes esse, qui ad conuiuium accedẽtes, non exuunt omnem iram & inuidiam. Sed tales multos habet præsens mundus, qui tantum alienas accedunt mensas, quo peius nocere possint, vt sic verificetur quod dicit: Et inimici hominis domestici eius, &c.

*Et manducantibus illis, accepit Iesus panem, & benedicens, fregit & dedit eis, & ait: Sumite, hoc est corpus meũ. Et accepto calice gratias agens dedit eis. Et biberunt ex illo omnes, & ait illis: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur. Amen dico vobis, quod iam nõ bibam de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, cum illud bibam nouum in regno Dei.*

Quid est quod Christus hic facit? Cur accipit panem, & facit corpus suũ? Ecce pollicitus fuerat hoc apud Ioannem dicens. Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et panis quem ego dabo, inquit, caro mea est, quam dabo pro mundi vita. Accipit igitur iam panem & benedixit, fregit, dátque discipulis suis dicens: Sumite, hoc est corpus meum. Et accepto calice gratias agens, dat eis dicens: Hic est sanguis meus noui testamenti, (Ioan. 6.)

qui pro multis effundetur. Neque enim sufficiebat Christi benignitati, atque misericordiæ corpus suū tradere in mortem, sanguinem item pro peccatis nostris fundere, nisi & hoc pignus amoris post se nobis relinqueret, nimirū corpus suum in cibum, & sanguinem suū in potum, vt sic passio illius, & mors magis memoriæ nostræ inhærerèt, fidémque nostram magis confirmarent. Quis enim non credat se ipsius morte liberatum, cuius corpore & sanguine pascitur? Si semetipsum nobis donauit, quid iam reliquum est, quod dubitemus nos ab illo recepturos? Sed ad textum. Veteri legi iā satisfactū fuerat, & agnus paschalis, iuxta quod Moyses à domino mandatum acceperat, comestus. Porrò agnus ille paschalis comedebatur, in memoriam liberationis populi Israel ex Aegypto, quo huius rei memoria nunquam esset intermoritura. Sed ea liberatio, qua nos liberauit Christus, maior est tāto, quāto captiuitas nostra erat nocentior. Illi liberati sunt à Pharaone, nos autem à diabolo. Noluit igitur Christus nobis deesse memoriale huius excellentissimæ, & summè necessariæ liberationis, præscripsit itaque, & instituit suis aliū agnum edendum, nimirum agnū qui tollit peccata mundi. Præterea agnus ille typicus, nō carebat suo sanguine, & testamentum quod pepigit Dominus cum Israelitis, sanguine confirmatum est. Accipit igitur & Christus calicem vini, & benedicit, dat discipulis dicens: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur. Quod autem sequitur: Amen dico vobis, quòd iam non bibam de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, cū illud bibam nouum in regno Dei, voluit significare iam in proximo esse horam passionis, in qua triumpharet regnum satanæ, qui hactenus regnabat potenter in mundo. Mortem autem passus Christus pro nobis, ipse regnabat, & Regnum Dei sese exerebat. Noluit ergo Christus post institutionem huius sacramenti amplius bibere, donec passione sua completa, Regnum Dei appropinquaret, profligato diabolo scilicet. In hoc ergo regno, hoc est, dum iam regnaret Deus, tunc bibit & manducauit dominus cum discipulis suis, quod ex Apostolorum verbis clarum est. Nouum autem illud bibit, hoc est, nouo quodam modo & insolito: non enim vltra habebat corpus passibile, quod cibo indigeret, sed immortale & incorruptibile. Sufficiant hæc iam. In Matthæo copiosius hæc tractantur.

Ioan. 1. (margin)

*Et hymno dicto, exierunt in montem Oliuarum, & ait illis Iesus. Omnes scandalizabimini in me in ista nocte, quia scriptum est; Percutiam pastorem, & dispergentur oues. Sed postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam.* Zach. 13 (margin)

Qualis fuerit hymnus, non est certum, gratiarum actionem fuisse, nō videtur à vero alienum. Oportet enim semper agere gratias, semper laudes Deo canendæ sunt, siue contingunt prospera, siue aduersa. Et sicut Deus rogandus est, vt nobis det escam in tempore, ita & illi agendæ sunt gratiæ sumpto cibo. Cæterùm Dominus in eum locū profectus est, qui Iudæ traditori suo notissimus erat, vt ostenderet se spōtè sua capi, ac pro vita mundi immolari voluisse. Porrò in exitu ad montem Oliuarum, alloquitur discipulos suos, quorum imbecillitatē nouerat, dicitque eis. Omnes scandalizabimini in me in ista nocte. Comites quidem huius itineris estis, quia nihil adhuc est periculi, sed in hac ipsa nocte omnes vos scandalum patiemini, omnes vos à me aufugietis. Implebitur enim & hæc scriptura, quæ dicit: Percutiam pastorem, & dispergentur oues. Ego pastor sum, vos oues: Si ego percutiar, certè vos aufugietis. Nō potest mētiri propheta, qui

qui certò cognouit, hæc futura esse, certóque prædixit: Hoc & si contingat, nolite tamen desperare. Noui infirmitatem vestram, possum etiã condolere vobis. Non abnegabo vos, etiã si à me fugietis. Sed postquam resurrexero, præcedã vos in Galilæã: Obserua hũc locum, nam exemplo debet nobis esse, vt præmoneamus amicos nostros ab imminente periculo, si modò id nobis cognitum fuerit.

Obser.

*Petrus autem ait illi: Etsi omnes scãdalizati fuerint, sed non ego. Et ait illi Iesus: Amen dico tibi, quia tu hodie in hac nocte, priusquam bis gallus vocem dederit, ter me es negaturus. At ille amplius loquebatur: Etsi oportuerit me simul commori tibi, non te negabo. Similiter autem & omnes dicebant.*

Quàm ardentissimus Christi amator fuerit Petrus, obscurum non est. Vnde cum dominũ audit dicere: Omnes vos scandalizabimini in me in ista nocte, non potest hæc æquo animo ferre, nec potest dissimulando prætcrire, ait igitur illi: Et si omnes scandalizati fuerint, sed non ego. De aliis nihil promitto, quid mihi sit animi accipe. Cùm igitur Petrus fortiter quidem, sed temerè respondisset, & quasi contempsisset præ se cæteros omnes, respondet illi Iesus. Amen dico tibi, quia tu hodie in hac nocte, priusquam bis gallus vocem dederit, ter me negabis, ac si diceret: Petre non credis prophetiæ, neque verbis meis, & alios præ te contemnis. Amaram tibi rem putas à me aufugere: grauiora tibi dicam. Nõ enim à me aufugies sicut cæteri, sed in hac ipsa nocte, priusquam bis gallus vocem dederit, in paruo nimirum tẽpore, ter me es negaturus. Hac oratione adeo non coercita est Petri confidẽtia, vt tanto fortius, etiam ac magnificentius, de se polliceretur dicens: Imo si me necesse fuerit etiam cõmori tibi, tamen haud vnquã te abnegabo. Tantum abest, inquit Petrus, vt te deserã vel negem, vt etiam paratus sim mortem, vel pro te, vel tecum subire. Audientes cæteri discipuli magnam Petri confidentiam, & ipsi cœperũt plurima Christo polliceri. Sed nemini suæ vires satis notæ sunt, & non potest esse vanum, quod ex Christi ore processit. Obseruandum deinde ne quis præ se alium contemnat, plerumque enim fit, vt huiusmodi contemptores proximorum, in grauiora delicta ruant. Non est contemnendus frater qui peccauit, sed magis emendandus. Apostolus enim dicit: Fratres si aliquis præoccupatus fuerit aliquo delicto, vos qui spiritales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans temetipsum, ne & tu tenteris.

Petrus ardẽtiss. Christi amator.

Obser.

Gala. 6.

*Et veniunt in prædium, cui nomen Gethsemani, & ait discipulis suis: Sedete hic, donec orem. Et assumit Petrum, & Ioannem, & Iacobum secum, & cœpit pauere & tedere, Et ait illis: Tristis est anima mea vsque ad mortem: Sustinete hic & vigilate.*

Gethsemani vallis est ad radicem montis Oliueti, & hic iubet subsistere reliquos octo discipulos. Iudas traditor sua curabat, ipse autem Iesus adiunctis sibi tribus, Petro, Iacobo, & Ioanne, non magno interuallo, vt vacaret precibus. Accepit autẽ hos tres, vt quos habuerat spectatores sublimitatis & maiestatis, in monte ostensæ, eosdem haberet, & testes humilitatis. Nusquam hic facies, solis in morem fulgurans, nusquam vestis niue candidior, nusquam confabulatur Moyses vel Helias, sed quod illi in monte præ dixetãt, hoc iam agitur. Christus enim, vt homo, omnium prorsus destitutus auxilio, cœpit pauere, conturbari, & anxietate mentis exanimari. Nimirum homo verus erat, & insigniter in se expressit, quod imminẽte tali tempestate solet his accidere, qui nihil aliud sunt

Gethsemani.

Mat. 17.

quàm

quàm homines. Nec dissimulauit anxietatem hanc, apud amicos suos discipulos. Tristis est anima mea, inquit, vsque ad mortem. Quærens pius dominus vndiq; solatium, non inuenit. Obser. Est & hoc aliquod solatij genus, apud amicos, tametsi nihil opitulaturos, queri de calamitate. Hic igitur iubet & hos subsistere ac vigilare.

*Et cum processisset paulum procidit super terrã, & orabat vt si fieri posset, transiret ab eo hora, & dixit. Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me, sed non quod ego volo, sed quod tu.*

Dictum iam est, Christum per omnia se habuisse (excepto peccato, quod semper exceptum volo) sicut homo verus, cui naturale est horrere mortẽ, & vndique consolationem quærere. Christus igitur, iuxta quod verus homo fuit, plurimum horrens mortem, procedit paulum, procidit super terram, & orat patrem, vt si fieri posset, transiret ab eo hora, & dixit: Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt, trãsfer hunc calicem à me. Horret animus ad cogitationem, tã acerbissimæ passionis, trepidat totum corpus, atque torqueri refugit: Omnia tibi possibilia sunt, potuisses alia ratione huic morbo mederi, sed quandoquidem nõ aliter tibi visum est, fiat voluntas tua, quæ semper optima vult: Obseruandum hic verum exemplum orandi, vt nos proijciamus in terram, hoc est humiliemus, & magno ardore animi Christi opem imploremus, nostram itẽ voluntatem voluntati diuinæ subijciamus. Non potest quidẽ fieri quin voluntas nostra sese ostendat, sed hæc cogenda & reprimenda est, vt etiam quæ non volumus, faciamus.

Obser. exẽplũ orandi.

*Et venit & inuenit eos dormientes: Et ait Petro: Simon dormis? Non potuisti vna hora vigilare? Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: Et iterum abiens, orauit eũdem sermonem dicens. Et reuersus, denuo inuenit eos dormientes (erant enim oculi eorum grauati) & ignorabant quid responderent ei.*

Christus à petitione ad patrem, redijt ad tres relictos apostolos, ac reperit illos iam dormientes: Quia verò Petrus tam magnifica iam pollicitus fuerat, ipsum appellat dicens, Simon dormis? In somnis pro me cũ vmbris pugnabis? Non potuisti vna hora vigilare mecum? Quomodo paratus igitur es mecum subire mortem? Si me præsente dormis, quid tecum fiet me absente? Sic increpato Petro, cæteros etiam alloquitur dicens: Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem: Spiritus quidẽ promptus est, caro autẽ infirma. Et vt nos vulgò loquimur: Das hertz ist vvol gut, aber es vvill sunst nit noher. Sic Christus: Voluntas vestra satis prõpta est, satis magnificè pollicemini, sed caro infirmior est, quàm vt pollicitis stare possitis, vigilate itaque & orate, vt quod carnis infirmitati deest, Deus cœlestis pater perficiat. Admonitis discipulis, iterũ abit oraturus, vt & nobis daret exemplum perseuerãdum esse in orationibus pijs. Et reuersus denuo, inuenit eos dormientes, (erant enim eorum oculi grauati) & ignorabant quid responderẽt. Ecce dormitabant in visione maiestatis, nec sciebat Petrus quid loqueretur, dormiuit & hic in spectaculo infirmitatis, nec satis intelligunt, quid respõdeant obiurganti Iesu. Obseruandum hoc loco, quomodo dominus noster Iesus Christus aliquando nostrum negotium agit, etiam stertentibus nobis & altum dormientibus.

Mat. 17.

Obser.

*Et venit tertiò, & ait illis: Dormite iam & requiescite, sufficit, venit hora, ecce filius hominis tradetur in manus peccatorum: Surgite eamus, ecce qui me tradet*

*tradet prope est.*

Tertio iam orauerat Dominus, & venit ad suos tres discipulos, quos iusserat orare & vigilare, & rursum alloquitur eos dicens. Dormite iam & requiescite. Non iubet eos hic dormire, sed dormitionem eis exprobrat, ac si diceret. Non est huius temporis status tam tranquillus, vt liceat vobis tutos dormire. Sed vos dormitis & requiescitis, parum de me vel vobis ipsis solliciti: Sufficit. Satis iam dormitum est. Ipsa res vos volentes nolentes excitabit. Adest articulus tempestatis. Ecce filius hominis mox prodetur, tradēdus in manus scelerosorum. Surgite eamus illis obuiam: Ecce qui me tradet propè est. Iam Dominus Iesus ex precatione robur animi collegerat aduersus instātem procellam afflictionum. Nec post vllum signum dedit pauoris aut tædij, sed exemplum constantissimæ tolerātiæ nobis præbuit, vsque ad mortem.

Obseru.

*Et adhuc eo loquēte, venit Iudas Iscariotes, vnus de duodecim, & cum eo turba multa, cum gladijs & lignis missi à summis sacerdotibus, & scribis, & senioribus. Dedit autem traditor eis signū dicens: Quemcunq; osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite cautè. Et statim, cum venisset accedens ad eum ait: Aue rabbi, & osculatus est eum. At illi manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum.*

Astutia filiorū huius seculi.

Vides hic astutiam filiorum huius seculi, quomodo scilicet nihil intentatum relinquunt. Venit Iudas Schariorh, vnus de duodecim, quem dominus tanto honore decorarat. Quid facturus? Nunquid cum cæteris Apostolis vigilaturus & oraturus? Minimè. Venit cum eo turba multa, cum gladijs & fustibus: Quid? Nunquid tumultus hic exortus est, inscio magistratu? Non, sed missi à summis sacerdotibus, & scribis, & senioribus. Sed nunquid milites illos a senatu exorauerat in defensionem Christi? Nihil minus: Sed traditor pessimus dat eis signum dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est: Quid tum? Propugnabimus pro eo? Tenete eum, inquit, & ducite eum cautè, ne scilicet sicut aliás, ita & iam elabatur de manibus vestris, sicque ego pecuniæ iacturam facerem, qui promissis non stetisse accusarer. Considera iam singula. Traditor vnus est de duodecim, nouit locū in quo solitus erat dominus orare. Adest turba multa, vt etiam nolentem & se defendentem opprimere possent. Nec est periculum, ne aliquis seditionis reus agatur, cū omnia scitu & iussu Senatus & magistratus fiant. Accipiūt deinde signum à Iuda, ne Apostolum aliquem, pro Christo ignari capiant. Admonet traditor, vt omnia cautè agant, ne conatus ipsorum frustretur. Et statim accedens, omnis honestatis & decoris oblitus, ait ad dominū, Aue rabbi: Et osculatus est eum. Ad osculi venenati signum, milites manum iniecerunt in Iesum, ac vinxerunt. Obseruandum hic eos omnes esse Iudæ socios, qui sub prætextu pietatis suum agunt negotium, qui prætextu amicitiæ proximo fraudem faciunt.

Obseru.

*Vnus autem quidam de circumstantibus educens gladium, percussit seruum summi sacerdotis, & amputauit illi auriculam.*

Petrus is fuerat, qui hoc facinus perpetrauit. Videns enim milites canū rabidorum more in Iesum irruere, oblitus eorum, quæ ei Iesus dixerat, iudicat tempus adesse, quo præstaret aliquid dignum fortibus promissis. Educto ergo gladio, percussit seruum summi Pontificis nomine Malchū, quod is fortasis cæteris ferocior, primus festinaret manus inijcere in Iesum, ac domino dexteræ ictū proculdubio moderante, tantùm amputauit auriculam

illius

illius dexteram, quam Dominus, iuxta alios Euangelistas, illi rursus restituit, nonnihil exprobrans etiam Petro crudelitatem.

*Et respondẽs Iesus, ait illis: Tanquam ad latronem existis cum gladijs & lignis comprehendere me, quotidie eram apud vos in tẽplo docens, & non me tenuistis. Sed vt impleantur scripturæ.*

Vult dicere Christus: Quid accidit, vt intempesta nocte cum gladijs & fustibus exiretis huc ad me, tanquam ad latronem sese similibus armis defensurum. Quotidie eram Hierosolymis, nõ clam sed clara luce, & in loco omnium celeberrimo, videlicet templo, sanans ægrotos, ac docens veritatem. Semper inermis fui, cum inermi raróque discipulorum comitatu. Quur ibi me non cõprehendistis? Certè minore negotio tum poteratis, si decretum hoc erat: Sed sic oportet impleri scripturas, iuxta quas omnia fiunt. Quãdo in templo docebat, non potuerunt illum cõprehendere, quamuis in illorum manibus esset, quia nondum tempus erat patiendi: quando autem voluit, tunc seipsum obtulit, vt impleantur scripturæ, quòd sicut ouis ad occisionem ductus sit, non contendens, neque clamans, sed sua sponte sequens.

Esa. 53.

*Tunc discipuli eius relinquentes eum, omnes fugerunt. Adolescens autem quidam sequebatur eum, amictus sindone super nudo, & tenuerũt eum. At ille reiecta sindone, nudus profugit ab eis.*

Impleta est scriptura de captione Christi, oportebat & impleri scripturam de fuga discipulorum, quæ sic habet, ipso Domino supra referente. Percutiam pastorem, & dispergẽtur oues. Non fit quod discipuli promiserant, sed quod Christus prædixerat. Omnes enim discipuli eius relinquentes eum fugiunt, timentes ne & ipsi cum Christo captiui ducantur. Porrò quisquis adolescens ille fuerit, neque notum est, neque necessarium cognitu. Quidam autumant eum fuisse è domo, in qua comederant pascha. Quidam autem dicunt illum fuisse Iacobum fratrem domini, qui cognominabatur Iustus. Hic enim vna veste vsus est per omnẽ vitam suam, qui & sedem Hierosolymitanam ab apostolis accepit, post domini ascensionem. Nec desunt, qui per adolescentem hunc Ioannem intelligunt. Quisquis tandem fuit, minorem in se quàm in cæteris amorẽ domini permansisse comprobat, qui illis iam fugientibus, ipse donec ab hostibus comprehenderetur, vinculo charitatis astrictus, eum prosequi nõ omisit. Cæterùm de fuga in persequutione hoc obseruandum est: Vbi plus est dispendij, quàm compendij Euãgelio ex morte tua, fugito, latita: Vbi est fruct9 copiosus, si moriaris, dispendium ingens si te subducas, occurre carnifici: Tutius est perdere sindonẽ quàm corpus, tutius corpus perdere quàm animam. Quod enim sindon est corpori, hoc corpus animæ.

Zach. 13.

Epiphan. pag. 502

De fuga in persecutione.

*Et adduxerunt Iesum ad summum sacerdotem, & conuenerunt omnes sacerdotes, & scribæ, & seniores. Petrus autem à longe secutus est eum, vsque intrò in atrium summi sacerdotis, & sedebat cũ ministris ad ignẽ, & calefaciebat se.*

Cayphas fuit hic summus Pontifex anni illius, ad quem ductus est Iesus. Annas quidem etiã erat summus Põtifex, sed nõ illius anni. In domum igitur Cayphæ, conueniunt omnes sacerdotes, & scribæ, & seniores. Astiterunt reges terræ, iuxta Psalmistam, & principes conuenerunt in vnum, aduersus dominum, & aduersus Christum eius. Conuenerunt autem aduersus Iesum damnata concordia, inter quos sanctior discordia extitisset. Et omne consilium illorum erat, quomodo Christũ per aperram iustitiam occidissent, & non prout erant homicidæ in occulto, in pu-

Psal. 2.

in publico vocarentur, aduersus inno- centiã testimonia conquirebant, sicut statim audiemus. Sed ais, vbi interim Petrus, qui tã magnifica pollicitus fue- rat? Petrus à longe secutus est eũ, vsq; intro in atriũ summi sacerdotis, Cay- phæ nimirũ. Quid illic negotij Petro? Sedebat cum ministris ad ignem, & ca- lefaciebat se. Videtur Petrus hic se ca- lefacere, quum verisimile sit ipsum præ timore, nõ multũ frigoris sensisse, sed iuxta vulgatum prouerbiũ: Er wermbt sich do in nit frahr. Immiscuit se bonus Petrus Pontificum ministris, vt vide- ret rei exitũ, aut ad minus audiret ali- quid super hoc negotio à ministris, &c. Plerũq; enim fit, vt à iudicũ ministris cõdemnetur, qui à iudicibus nondum est examinatus. Potest tamen fieri, vt verè frigoris causa accesserit. Sed au- diamus quid in hoc concilio factum.

Obseru.

*Summi sacerdotes verò, & omne cõci- lium, quærebant aduersus Iesum testimo- niũ, vt eũ morti traderẽt, nec inueniebãt. Multi autẽ falsum testimoniũ dicebant aduersus eum, & cõuenientia testimonia nõ erãt. Et quidã surgentes falsum testi- monium ferebant aduersus eum, dicẽtes: Quoniã nos audiuimus eũ dicentem: Ego dissoluã tẽplum hoc manu factũ, & post triduũ aliud non manufactum ædificabo. Et nõ erat cõuensẽs testimoniũ illorum.*

Indoles concilij Malig- nãtium.

Indolem hic videmus cõcilij Malig- nantium: Quæ est enim iustitia, quæ- rere primo omnium testimonia, vt ali- quis morte mulctetur? Nunquid iusti- tiæ veræ est, quærere quid accusatus fecerit vel dixerit? Deinde an verè ac- cusatus sit? Postea de pœna quæstio mouenda est, quãdo scilicet aliquis cri- minis alicuius cõuictus fuerit. Deinde vides innocentiæ exẽplum, cõtra quã nullũ testimonium cõueniens produci potest. Quis item nõ videt, q̃ pessimè omnia ad occasionẽ malitiæ arripiãt. Magnum scilicet nephas est, & omni- no capite plectendũ, si aliquis dixerit: Ego dissoluam templum hoc manufa- ctum, &c. Obserua item falsorum te- stium fraudem, qui Christi verbis vim faciunt. Saluator dixerat, Soluite tem- plum hoc, isti cõmutant & aiunt: Ego dissoluam templum hoc manufactum. Vos inquit, soluite, non ego soluam: Quia illicitum est, vt ipsi nobis infe- ramus mortem. Deinde illi vertunt, & post triduum aliud non manufactum ædificabo, vt propriè de templo Iudai- co dixisse videatur. Dominus autem dixerat, ego in triduo suscitabo illud. Aliud est ædificare, aliud suscitare. Sed quid multis opus? Ipsi iudices, quan- tumuis impij, vident hoc testimoni- um inconueniens esse. Quid igitur de cætero? num absoluitur? num faten- tur male narratum? nunquid falsos testes puniunt, quod conati sunt inno- centem opprimere? Nihil minus.

*Et exurgens summus sacerdos in me- dium, interrogauit Iesum, dicẽs: Non re- spondes quicquam ad ea quæ tibi obijci- untur ab his? Ille autẽ tacebat, & nihil respondit. Rursum summus sacerdos in- terrogabat eum, & dixit ei: Tu es Chri- stus filius Dei benedicti? Iesus autẽ dixit illi: Ego sum. Et videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & ve- nientem cum nubibus cœli. Summus autẽ sacerdos scindẽs vestimẽta sua ait: Quid adhuc desideramus testes? Audistis blas- phemiã, Quid vobis videtur? Qui oẽs cõ- dẽnauerunt eũ esse reũ mortis. Et cœperũt quidã conspuere eũ, & velare faciẽ eius, & colaphis eũ cædere, & dicere ei. Pro- phetiza. Et ministri alapis eũ cædebant.*

Ira præceps & impatiens, non in- ueniens calũniæ locũ, excurit de solio Pontificẽ, vt insaniã mẽtis motu cor- poris demõstraret. Quanto plus Iesus tacebat, ad indignos respõsione sua fal- sos testes, & sacerdotes impios, tanto magis Põtifex furore superatus, eũ ad respõdendũ prouocat, vt ex qualibet oc- casione sermõis, locũ inueniat accusãdi.

 Nihilo-

Nihilominus Iesus tacet: Sciebat enim quàm si Deus quicquid respondisset torquendum ad calumniam: Hinc apud Lucā dicit: Si dixero vobis, nō credetis, & si interrogauero vos nō respondebitis mihi. Porrò Pōtifex latiꝰ instat quærens, nō vt discat & credat, sed vt captet contra eū occasionē. Adiicit aūt ad dictū: Tu es Christus, etiā hoc, filius Dei benedicti. Multi enim fuerūt Christi, reges inquam & pōtifices, sed nullus horum fuit filius Dei benedicti. Ad hanc ergo interrogationē respōdet Iesus dicēs: Ego sum, &c. Sciebat quidē Iesus quod non essent credituri, nec propter veritatē auditā ipsum liberaturi, attamē respōdit, vt ne habeāt postea quod dicāt: Si manifestè ipsum audiuissemus hoc dixisse, credidissemus. Porrò quod addit dominus: Et videbitis filiū hominis sedentē à dextris virtutis Dei, & venientē in nubibus cæli, ostēdere voluit se olim lōge aliū võturū, q̄ nunc venerit, & qui iam iudicatur ab impijs, eū postea iudicaturū vniuersum terrarū orbē. Quod aūt Cayphas vestimēta discindit, Iudæorū more facit. Quòd impii ministri sic Christo illudunt, nō alia ratione faciunt, q̄ vt sic magis placeāt dominis suis. Nolo hic diutiꝰ immorari. Præstat iā audire quomodo se Petrꝰ habuerit ad prunas sedēs

*Et cū esset Petrus in atrio deorsum, venit vna ex ancillis summi sacerdotis, & cū vidisset Petrū calefacientē se, aspiciēs illū ait: Et tu cū Iesu Nazareno eras: At ille negauit dicens, Neq; scio, neque noui quid dicas. Et exijt foras ante atriū, & gallus cantauit. Rursus aūt cum vidisset illū ancilla, cœpit dicere circūstantibus, quia hic ex illis est: At ille iterū negauit. Et post pusillū rursus qui adstabant, dicebāt Petro: Verè ex illis es, nā & Galilæus es. Ille aūt cœpit anathematizare & iurare, Quia nescio hominē istū quē dicitis: Et statim gallus iterū cātauit. Et recordatus est Petrus verbi, quod dixerat ei Iesus, priusquam gallus cantet bis, ter me negabis, & cœpit flere.*

Vide quid prauorū hominum colloquia pariant. Petrus inter discipulos fatetur Christū filiū Dei esse viuentis, in colloquio aūt militum ipsum domi num ter negat. Præstat hoc loci discere exemplo Petri, non plus quàm æquū est in nobismetipsis fidere, & post peccatū pœnitentiæ remediū nō negligere, quàm pluribus disputare, quo ordine negationes illæ tres factæ fuerint. Qui has negationes mysticè interpretantur, dicunt primā ancillā quæ Petrum allocuta est, significare titubationem, vel cogitare peccatum: Alteram verò cōsensionem: Virum autem, operis executionem, & ipsum peccati actum. Nā hiis quasi tribus vitiosis gradibus ad peccatū peruenitur. Primo enim mala cogitamus, hæc cogitatio nisi statim opprimatur, crescit in consensum, ex consensu actus elicitur. Qui ergo hos gradus ascendit, videat ne altius ascendat, sed cum diuo Petro, retrahat pedē, pudeat & cogitationis, & cōsensus, & operis, sicque quod fecit nō erit letale. Habet adhuc Christus suos Gallos, qui peccantem ad pœnitentiam inuitāt. Tunc enim nobis gallus cantat, quando prædicator quisque per pœnitentiam corda nostra ad compunctionem excitat. Talis gallus talis excitator erat Paulus, cum dicit: Hora est iam nos de somno surgere. Et diuus Petrus suo periculo sapientior factus, alios admonet, ne similem iacturā faciant. Fratres, inquit, Sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide. Et in Psalmis est: Nunquid qui dormit non adijciet vt resurgat, &c. Huiusmodi plura sunt in sacræ scripturæ cāpo, quæ peccatorē ad pœnitētiā stimulāt, quæ Petrū Petróq; similes ad amaras illas lachrymas excitant. Nostrum igitur est, vt gallum canentem

Marginalia: Luc.22. | Prauorū colloquium. | Gradus ad peccandum | Galli. | Ro.13. | 1.Pet.5. | Psal.40.

canentem non obaudiamus, ne lectum voluptatis non plus æquo amemus, neq; in peccatorũ volutabro torpeamus. Pœnitentia est, quæ nos statim Deo recõciliare poterit, hãc si arripuerimus, facilè vitabimus gehẽnæ supplicium, facilè hæreditabimus regnum cælorum, quod vtinam nobis contingat gratia Domini nostri Iesu. Amen.

## CAPVT XV.

*ET confestim mane conciliũ facientes summi sacerdotes cũ senioribus & Scribis, & vniuerso cõcilio, vincientes Iesum, duxerunt & tradiderunt Pilato. Et interrogauit eum Pilatus: Tu es Rex Iudæorũ? At ille respõdens ait illi: Tu dicis. Et accusabant eum summi sacerdotes in multis. Pilatus autẽ rursus interrogauit eũ dicens. Non respõdes quicq̃? vide in quãtis te accusant. Iesus aũt amplius nihil respondit, ita vt miraretur Pilatus.*

Luc. 16. Verificatur hoc loci, quod dominus alibi dixerat. Filij huius seculi prudentiores sunt filiis lucis, in generatione sua. Discipuli etenim domini, sicut in superioribus auditũ est, nõ poterãt vnica hora vigilare cum Iesu. Impij autem sacerdotes, totã noctẽ transigunt vigiles, tantùm vt illudãt Iesu, puniant, atq; perdant. Nec cõtenti totã noctẽ insumpsisse in Christi contumelias, sed mane cõcilium faciunt summi sacerdotes cũ Senioribus & Scribis, & vniuerso cõcilio, & videtur ipsis bene cõsultum, Christũ non vi vel clam perdere, sed processu & ordine iuris. Vinciunt ergo pium dominũ, qui suapte spontè paratus fuerat omnia pati, & sic vinctũ offerunt Pilato præsidi. De quibus aũt ipsum dominũ accusauerint, alij Euãgelistæ habent copiosius. Hic tantum Obser. nostra interpretabimur. Pilatus nihil moratur ea quæ ad Deũ spectant, sed tantũ quæ Cæsarẽ attinent. Interrogat itaq;: Tu es Rex Iudæorũ? Iesus respõdit: Tu dicis, tacitè agnoscẽs quod erat. Quanq̃ ea vox nihil mouebat Pilatũ, quũ in Iesu nihil appareret, quod argueret regni mũdani affectatorẽ. Porrò summi sacerdotes, ne qua posset elabi Iesus, varios criminũ articulos in illũ congerunt, vt ex multis tandẽ aliquid saltem esset, quod moueret Iudicẽ, nõ admodũ iniquũ. Pilatus autẽ animaduertens, quod res ageretur odijs priuatis, captabat occasionem liberandi reũ à causa. Itaque quum rursus adijsset Iesum, nec ille quicquã responderet, ait: Non respõdes quicquam in tanto capitis periculo? Vide quot articulos isti tibi obijciunt. Iesus autẽ ad calumnias sacerdotũ nihil respõdit. Et hic probè Obseruа obserua, quod dominus ethnico, & ignoranti scripturas, satis modestè respondit, alijs autẽ sacerdotibus nimirum, & reliquis accusatoribus nihil respondet: cũ omnia potuissent ex scripturis discere, neq; ignorãtia, sed malitia & odio peccabant. Deinde obserua Obseruа quàm prudenter Pilatus ordinem iuris hactenus seruarit, cum summi Sacerdotes Christum indicta causa morti adiudicauerunt.

*Per diẽ autẽ festũ solebat dimittere illis vnũ ex vinctis quẽcunq; petissent. Erat autẽ qui dicebatur Barrabas, qui cũ seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium. Et cum ascendisset turba, cœpit rogare sicut semper faciebat illis. Pilatus aũt respondit eis & dixit: Vultis dimittã vobis regẽ Iudæorũ? Sciebat enim quòd per inuidiã tradidissent eũ summi sacerdotes. Pontifices autẽ concitauerunt turbã, vt magis Barrabã dimitteret eis. Pilatus aũt iterũ respõdens, ait illis: Quid ergo vultis faciã regi Iudæorũ? At illi iterũ clamauerunt, Crucifige eũ. Pilatus vero dicebat illis: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, crucifige eũ. Pilatus ergo volens populo satisfacere, dimisit illis Barrabã, & tradidit illis Iesum flagellis cæsum, vt crucifigeretur.*

Historia clara est, nec aliquã expositione opus habet. Sed tantum considerandum venit, quòd Christus dominus Iudæos suos sibi magis offensos habet, quàm gẽtiles. Pilatus omnia conatur, & omnẽ mouet lapidẽ, vt Iesum absoluat, quẽ sola Põtificũ inuidia traditũ nouerat, in quo nec ipse, nec Herodes causam mortis inuenire poterat. Rursus Principes sacerdotũ, nihil intentatũ relinquũt, donec Pilatus ferat super Iesum mortis sententiam. Vide q̃ multas causas Iudæi habuerint liberandi Iesum. Consuetudo illa vetus, quæ in Paschæ festo debebat Iudæis vnũ ex vinctis. Secundò nõ cõferebatur innocens quispiã alius cũ Iesu, sed cũ hoc, insignis latro Barrabas, qui fuerat homo seditiosus, & homicidiũ fecerat. Vnde nõ erat periculũ, vt Iudæi postea audirent, Innocentẽ occidi pestistis, & seditiosum liberastis. Tertiò facillimũ erat Iudæis liberare Iesum, cũ ipse tam beneuolũ Iudicẽ Pilatum haberet. Verũ hæc nihil mouẽt Iudæos, sed multò irritatiores facti, nõ desistunt à vociferando, donec exoratus sit Pilatus, & ferat sententiam. E cõuerso quibus modis & artibus, Pilatus conatus fuerit Iesum liberare, obscurum nõ est, cũ Pilatus ipse Iudæis obijciat hãc cõsuetudinẽ, offert Iesum liberandũ, non semel fatetur Iesum innocentẽ, & vix potest improbitate Iudæorum co cõpelli, vt illorum arbitrio permittat Iesum. Cũ igitur omnia frustra tentasset Pilatus, voluit tandem populo satisfacere, & dimisit eis Barrabã, & tradidit illis Iesum, more Romano flagellis cæsum, vt crucifigeretur. Bene dicit Euangelista, Pilatũ voluisse satisfacere populo, neq; enim Pilatus sibi satis fecit, neq; iuri, in quo nõ excusatur. Vereor ne adhuc sint, qui pro Barraba Iesum nolunt sibi dimitti. Vereor ne nõ desint huic seculo sui Pilati, qui innocentiam cognitam prætextu iuris impugnant, tantùm vt sibi inseruiant.

*Milites aũt duxerũt eũ in atriũ prætorij, & cõuocant totã cohortẽ, & induũt eum purpura, & imponunt ei plectentes spineã coronã, & cœperũt salutare eum: Aue Rex Iudæorum. Et percutiebãt caput eius arundine, & cõspuebãt eum, & ponentes genua adorabant eum. Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpura, & induerunt eum vestimẽtis suis, & educunt illum, vt crucifigerent eum.*

Rectè in Psalmis dicit: Nolite confidere in principibus, in filijs hominũ, in quibus non est salus. (Psal. 145) Accepistis quibus modis hactenus Pilatus tutatus fuerit innocentiã Christi, & iã eo deuenit, vt ipsum dominũ innocẽtissimũ, omnino voluntati scelestissimorũ militum tradiderit, qui quicquid ad cõtumeliã, passionẽ & turpitudinem facere potuit, nõ neglexerũt. Milites enim ducũt Iesum in prætorij atriũ, & cõuocant totã cohortẽ, nõ vt pro Iesu sic vnanimes intercederent, sed vt illudentium maior esset numerus. Primũ ergo denudãt eũ turpiter, qui omnis verecundiæ & pudoris exemplar fuit. Secundò imponũt ei spineã coronã, dant arundinẽ in manu eius, cõspuunt in faciem eius, in quẽ angeli prospicere desiderant, nihilominus salutãtes ipsum, Aue Rex Iudæorum, sic (nisi quod huiusmodi tormẽta (1. Pet. 1) lusus non sunt) ex rege omnium regũ, regem morionẽ facientes. Sed sic placuit Deo patri, vt qui omnibus redimẽdis venerat, ab omniũ hominũ genere calũnias pateretur. Porrò post diutinã illusionẽ, post crudelissimos lusus, exuunt eum purpura, & induunt eum vestimentis suis proprijs, vt sic ab omnibus cognosceretur, ducũtq; eum ad crucifigendũ. Qua crudelitate verò ipsum duxerint, nõ describit Marcus, sed singulis nobis hoc iudicãdum reliquit. Sed quid in hac miserrima eductione cõtigerit, statim subiũgit Marcus dicẽs.

*Et angariauerunt prætereuntem quẽpiam Simonem Cyrenæum venientem de*

*villa, patrem Alexādri & Rufi, vt tolleret crucem eius. Et perducunt illum in Golgoltha locum, quod est interpretatū, Caluariæ locus: Et dabant ei bibere, myrrhatum vinum, & non accepit.*

Obser. Apparet ex Euangelistarum narratione, Christum principio sibi crucem baiulasse, sed cū prae nimia debilitate videretur nō sufficere portandæ cruci, ne in via itaq; succumberet, & tūc ipsum crucifigere non possent, coëgerūt hunc Simonem Cyrenæum, vt vicem Iesu impleret. Neq; enim existimauerim milites commiseratione quadam motos hoc fecisse, sed tātum hoc quod dixi, timebant, ne scilicet non in cruce moreretur. Porrò quòd tam graphicè Simonē depingit, inditio est eū fuisse virum magni nominis, & tunc quādo hæc scribebat Marcus, multis notum. Quod autem ipsum Dominum ad locum Caluariæ ducunt, ideo fit, vt nihil contumeliæ desit. Loco enim isto omnes sceIesti plectebantur. Sed quare dant myrrhatum vinum? Non vt sitim eius subleuarent, sed vt suam crudelitatem satiarent, sicq; impleretur quòd in Psalmis est: Dederunt in escam meā fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Porrò discamus hic cū Simone Christi crucem portare, vt quod ipse Christus in cruce pro nobis passus est, nobis proficuum sit. Ait enim Petrus ille Apostolorum vertex: Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.

Psal. 21.

1. Pet. 5.

*Et crucifigentes eum, diuiserunt vestimenta eius, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret. Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum. Et erat titulus causæ eius inscriptus: Rex Iudæorū. Et cum eo crucifigunt duos latrones, vnum à dextris, & aliū à sinistris eius. Et impleta est scriptura quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est.*

Esa. 53. Lusus tantùm fuit hæc missio sortiū, nihilominus tamen sic implebātur scripturæ. Prædictū enim fuerat olim à Regio Propheta in persona Christi: Diuiserunt sibi vestimēta mea, & super vestem meam miserunt sortē. Deinde vide quàm paucis rem magnificā Marcus describat, dicens: Erat autem hora tertia, nimirum sicut ex aliis liquet, circa meridiē: & crucifixerunt eū. Quid simplicius dici potuit, Et crucifixerunt eum: Quid tum? qua crudelitate? Nihil huiusmodi Marcus scribit, sed ex Propheta intelligitur, qui dicit: Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerūt omnia ossa mea. Quòd verò adfigunt titulū, ideo fit, vt ab omnibus cognoscatur: & quod Regē Iudæorū nominārt, in despectionē Iudæorū procul dubio factū est. Posuit autē Iesum in medio, tanq; latronē insigniorē. Nec tū his cōtumeliis satiatus est militū furor.

Psal. 21.

Ibidem.

*Et prætereuntes blasphemabant eum, mouentes capita sua & dicentes: Vah qui destruis templū Dei, & in tribus diebus reædificas. Saluum fac teipsum, descendens de cruce. Similiter & summi sacerdotes, illudentes ad alterutrum cum scribis, dicebant: Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere: Christus Rex Israel descēdat nunc de cruce, vt videamus & credamus. Et qui cum eo erant crucifixi, conuiciabantur ei.*

Vide Chriso. Hom. 4. in cap. 1. Cor. 1.

Nihil hic fortuitò fit, sed omnia iuxta prophetiā veterem. De detisione enim domini, in Psalmis prædictū erat: Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis, & mouerunt caput. Sperauit in Domino, eripiat eum, saluū faciat cum nūc si vult. Et Psal. lxx. Quia dixerunt inimici mei mihi, & qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in vnum dicentes: Deus dereliquit eū, persequimini, & cōprehendite eū, quia nō est qui eripiat. Et in libro Sapientiæ, dicūt impii: Si est verus filius Dei, suscipiet illū, & liberabit illū de manibus cōtrariorū. Sic ergo illudit dominus, à militibus, à sacerdotibus, &

Psal. 21.

Psal. 70.

Sap. 2.

Pacientiæ exemplum. Scribis, à latronibus denique. Omnia autem nobis in exemplum, vt à patientia in aduersis nunquam excidamus. Cæterùm quod sacerdotes iã signum petunt, frustra petunt, & hoc duplici nomine. Primò enim antea illis dominus responderat: Generatio praua & adultera signum petit, & non dabitur ei signum, nisi signum Ionæ prophetæ, &c. Secundò, maius signum fuit resurgere à mortuis, quàm descẽdere de cruce viuentem. Si ergo signis mouentur impij sacerdotes, credant ei quem nouerunt à mortuis resurrexisse. Sed quid ad hæc conuitia Christus? (Mat. 12.)

*Et facta hora sexta, tenebræ factæ sunt per totam terram, vsque in horam nonam: Et hora nona exclamauit voce magna, dicens: Elohi, Elohi, lema sabaktani, quod est interpretatum: Deus meus, deus meus, vt quid dereliquisti me.*

De tenebris an super vniuersam terrã fuerint. An tenebræ hæ factæ sint per totã terram, an solum per totam terram Iudæorum, vel Hierosolymitanam, nos parum curamus, citius crediderim tamen, per vniuersam terram has tenebras visas, quàm per solam terram Iudæorum. Porrò quod Iesus clamat: Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me, non anxiè disputandum est. Christus verus homo erat, & præter peccatũ, nihil alieni ab homine habuit. Qui ergo pro me famem, sitim, frigus, vel æstum passus est, pro me & hanc vocem emisit. Naturale est hominum ad supremum spiritum, ad animæ & spiritus diuisionem plurimum angi. Et verè quantum humanam naturam attinet, derelictus erat Christus militum & Iudæorũ libidini, vt in eum quodcunque vellent facerent.

*Et quidam de circunstantibus audientes dicebant: Ecce Heliam vocat. Currens autem vnus, & implens spongiam aceto, circumponensque calamo, potum dabat ei, dicens: Sinite, videamus si veniat Helias ad deponendum eum.*

Heliam vocat iste. Qui dicebant Heliam vocat iste, ij erant gentiles, qui cum Hebraicæ linguæ essent ignari, cum clamaret Eli Eli, arbitrati sunt quod vocaret Eliã, & Eli, Eliam significare. Aut fortaßis militari scurrilitate, sic studio Christi verba inuertunt. Quomodocunque autẽ sit, Christus non opus habebat Helia saluatore, sed Helias opus habebat Christo redemptore. Frustra igitur expectant, videntes num veniet Helias Christum depositurus de cruce. Tales sunt hodie multi, sempérque futuri sunt pseudoprophetæ, nihilo melius interpretantes verba Iesu, quàm irrisores illi sunt interpretati. Cæterùm, acetum dari solitũ affixis, putant quod mortẽ eorum acceleraret: ad hoc enim acetum ipsum facere credunt. Aduertendum item hic est, non ad illam vocem domini Eli, Eli, &c. Militem accurrisse, vt præberet acetum, sed (quod ex Ioanne cognoscitur) ad hanc vocẽ: Sitio, quanquam non tantum de illa vulgati siti diceret, sed etiam de siti salutis hominum, sicut in superioribus esuriebat, quærens ficus. Quo fit, vt bis dominus acceperit acetum, semel felle mixtum, & deinde non mixtum, sed acetum purum. Sequitur.

*Iesus autem emissa voce magna expirauit: Et velum tẽpli scissum est in duo, à summo vsque deorsum. Videns autẽ Centurio, qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expiraßet, ait: Verè hic homo filius Dei erat.*

Quæ erat illa magna vox Christi? Cognoscimus ex Luca, qui scribit Dominum clamasse: Pater in manus tuas, commendo spiritum meum. Multa siquidem præterit Marcus, quæ alij Euangelistæ copiosius descripserunt. Sed quare velum templi scissum est? Vt ostenderet iam viam cœli apertam esse, & mediam inter Deum & homines inimicitiatum maceriẽ dissolutã, & velamẽ antiquæ legis sublatum, (Luc. 23.) (Velũ templi quid significet.)

summúmque pontificem iam ingredi sanctum sanctorum, omniaque prophetarum dicta, omnes veteris legis figuras de passione domini, impleta esse. Et iam considera, quomodo mortuo Christo, statim se exerit, quod Iudæis relictis, Christus ad gentes transfertur. Vix enim potest mori Christus, & statim gentiles suæ laudis præcones habet. Centurio enim vidẽs Christum tam magno clamore, cõtra hominum consuetudinem expirare, statim in hæc erumpit verba: Verè hic homo filius Dei erat.

Obseru.

*Erant autem & mulieres de longe aspicientes, inter quas erat Maria Magdalenæ, & Maria Iacobi iunioris, & Ioseph mater, & Salome: Et cum esset in Galilæa, sequebantur eum, & ministrabant ei, & aliæ multæ quæ simul cum eo ascenderant Hierosolymam.*

Vide ordinem inuersum: Iudæi calumniantur, gentiles cõfitentur, discipuli aufugerunt, mulieres Christum in cruce affixum non relinquunt, vt verum appareat quod dominus dixerat: Multi erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. Maria illa Magdalena, qualis olim mulier fuerit, obscurum non est, qualis autem iam sit, quis non videt? Bonis & honestis mulieribus, nõ satis videbatur Christo in pace ministrasse, nisi & morienti adessent. Et hic obserua exemplum discipulo Christi præpositum. Qui verus vult esse Christi minister, hunc oportet, & in pace & in persecutione, ne latum quidem vnguem discedere, sed paratum esse ad durissima quæq; pro Christi nomine, & gloria patiendum: vt non sit de illis, qualem Psalmista perstringit dicens: Confitebitur tibi cũ benefeceris ei, &c.

Obseru.

Psal.

*Et cum iam sero esset factum, quia erat Parasceue, quod est ante sabbatum, venit Ioseph ab Arimathia, nobilis decurio, qui & ipse erat expectans regnũ Dei, & audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu: Pilatus autem mirabatur, si iam obijsset, & accersito Centurione, interrogauit eũ, si iam mortuus esset, Et cum cognouisset à Centurione, donauit corpus Ioseph. Ioseph autẽ mercatus sindonem, & deponens eum, inuoluit sindone, & posuit eum in monumento, quod erat excisum de petra, & aduoluit lapidem ad ostium monumenti.*

Et in hoc Iosepho, habemus exemplum veri discipuli, qui pro nomine & gloria Christi domini sui, non dubitat tam ingens periculũ subire. Quis enim non videt, quale sit periculum, in tanto rerum tumultu ire ad Pilatum, & petere corpus Iesu. Nobilis erat decurio, vir senatorius, periculum ei timendum fuerat ab inuidis Iudæis, qui Iesum tanquam latronem fecerãt educi & crucifigi, ipse autem illum vellet tã honesta dignari sepultura. Certè ipse euangelista satis innuit, non caruisse periculo, petere corpus Iesu, cum dicit, Iosephum audacter introijsse ad Pilatum, quod quid aliud est, quàm Iosephum aliquid præter cæteros ausum. Sed vide quomodo omnia suo ordine diuina prouidentia fiant. Pilatum rogasse an Iesus iam mortuus fuerit, ad hoc facit, ne Iudæi deinde calũniari possent, Christum non à mortuis resurrexisse, sed adhuc viuum de cruce sublatum, & medica arte à vulneribus curatum. Deinde quod tam honorificè sepelitur, non præter opinionem fit, sed vt impleatur scriptura quæ dixerat. Et erit sepulchrum eius gloriosum. Obseruandũ autem hic venit, vt quemadmodum Ioseph corpus Iesu monumento nouo, & sindone munda excepit, ita & nos Christi corpus & sanguinem mundo corde suscipiamus, per pœnitentiam renouati scilicet,

Audacter introiuit.

Esa.11

Obser.

*Maria autem Magdalenæ, & Maria Ioseph, aspiciebant vbi poneretur.*

Multa quæ circa sepulturã domini conti-

contigerunt. Marcus silentio præterit, quæ etiam in alijs copiosius explicatur. Porrò, quare bonæ & honestæ mulieres, tam diligenter aspexerint, vbi poneretur Iesus, ideo factum est, vt quum liceret, ex more gentis illius officium, & honorem sepulturæ exhiberent, quod quàm diligẽter fecerint, principium sequentis, hoc est postremi capitis satis aperit: Sequitur enim.

## CAPVT XVI.

*ET. cum transisset sabbatum, Maria Magdalenæ, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum. Et valde mane vna sabbatorũ, veniunt ad monumentũ orto iam sole, & dicebant ad inuicem. Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?*

Luc. 23. In Euangelio Lucæ scriptum est, quod reuertentes à monumento, parauerunt aromata & vnguẽta, & Sabbato quidem, quia religio erat Iudæis operari, cessauerunt. Mandatum enim legis erat, vt Sabbati silentium à vespera vsque ad vesperam seruaretur, ideoq; religiosæ mulieres sepulto domino, quamdiu licebat operari, id est, vsque ad solis occasum, in vnguentis præparandis erãt occupatæ, vt Lucas scribit. Et quia tunc præ angustia temporis opus explere nequibant, cũ transisset Sabbatum, vbi remeauerat licẽtia operandi, festinauerunt emere aromata, vt venientes mane vngerent Iesum, secundum consuetudinẽ Iudæorum, vt scilicet fragrans maneat, & ne quid fœtidum ex corruptione oriatur, & vt vnguenta, & alia quæ virtutem siccandi habent, humoremque corporis absorbẽt, incorruptum corpus seruent. Cùm igitur religiosæ illæ mulieres, omnia ex animi sentẽtia præparassent, valde mane prima Sabbatorum, hoc est, Dominica die, veniunt ad monumentum, oriente iam sole, & dicebãt ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Erat enim ingens, nec muliebrium erat virium eum amoliri. Hoc præ nimio studio, non cogitauerant bonæ mulieres: Sed quid dico, de lapide nõ cogitasse: Tantus erat ardor Christo, etiamnũ mortuo inseruire, vt non periculo noctis, nec periculo militum, qui domini sepulchrum custodiebant, nec Iudæorũ tandem, qui excommunicationem interminabant, his qui Christum cõfiterentur, retardari potuerint ab hoc officio. Sed amant viuum ambulantem, amant cruci affixum, nec minus amãt sepultum. Ah quàm parum dormierũt, quàm longa fuit bonis mulieribus hæc nox, quàm dein conceperunt mœstitiam, recordantes lapidem non reuolutum!

*Et respicientes viderunt reuolutum lapidem, erat quippe magnus valde: Et introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem sedentem in dextris, coopertũ stola candida, & obstupuerunt, Qui dixit illis: Nolite expauescere, Iesum quæritis Nazarenum crucifixum, surrexit non est hic. Ecce locus vbi posuerunt eum: Sed ite, dicite discipulis eius & Petro, quia præcedet vos in Galilæã, ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. At illæ exeuntes fugerunt de monumento. Inuaserat enim eas tremor & pauor, & nemini quicquã dixerunt, timebãt enim.*

Pios conatus Deus nõ deserit, sed adiuuat. Videmus hic quàm nõ deserat Deus pios conatus hominum religiosorum: Ecce enim piæ mulieres plurimum sollicitæ fuerant, de reuoluendo lapide, & circumspexerunt, si quem nãcisci possent, cuius ad id vterentur opera. Ac dum respiciunt, viderunt lapidem iam amotum. Et quod maius est, non quidem inueniunt quod quærebant, sed multo plausibiliora. Quem enim ipsi quærunt mortuum, accipiunt rursum viuere. Circumspiciunt de homine qui

lapidem

lapidem reuoluat, & inueniunt Angelum, qui omnem resurrectionis historiam ordine recenset. Sed iuuat singula perpendere: Quòd angelus stola candida induitur, ostendit lætitiam resurrectionis: Mulieres autem obstupescere nouum nō est, cum & Domina virgo Maria, ad ingressum angeli turbata fuerit, & Zacharias ad vocem angeli omnino animo consternatus. Porrò Mariæ dicitur: Ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud dominum. Zachariæ dicitur: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua. Religiosis autē muliercutis, dicit Angelus: Nolite expauescere: Iesum quæritis Nazarenum crucifixum, scio, surrexit non est hic. Et vt certo agnoscatis rem se sic habere: Ecce locus vbi posuerunt eum. Possent mulieres dicere, Sed quid iuuat scire ipsum resurrexisse, cum non liceat videre. Addit ergo angelus dicens: Ite dicite discipulis eius & Petro, quia præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. Vbi autem hoc prædixit? In via versus montē oliuarum. Sic enim verba sonabant: Percutiam Pastorem, & dispergentur oues. Postquam autē resurrexero, præcedam vos in Galilæā. Cæterùm mulieres illæ partim insolito gaudio, partim nouo spectaculo expauefactæ, fugerunt è monumento, neq; quicquam ibi loquutæ sunt: tantus pauor illas corripuerat.

Luc.1.

Mat.26.

*Surgens autem Iesus mane prima Sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat septem dæmonia: Illa vadens nunciauit his qui cum eo fuerant, lugentibus & flentibus: Et illi audientes quia viueret, & visus esset ab ea, non crediderunt.*

Quomodo Christus apparuerit Mariæ Magdalenæ, Ioannes copiosius refert, in hæc verba dicens: Discedentibus Petro & Ioanne à monumento, Maria stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinauit se & prospexit in monumentum, & vidit duos angelos in albis sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu. Dicunt ei illi: Mulier quid ploras? Dicit eis, Quia tulerunt dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum. Hæc cum dixisset, conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem, & non sciebat quia Iesus est. Dicit ei Iesus: Mulier quid ploras? Quem quæris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine si sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollam. Dicit ei Iesus, Maria. Conuersa illa dicit ei, Rabboni, quod dicitur magister. Dicit ei Iesus, noli me tangere, nondum enim ascēdi ad patrem meum. Vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad patrē meum, &c. Venit Maria annuncians discipulis, quia vidi dominum, & hæc dixit mihi. Huic iam addendum est, quòd Marcus dicit: Et illi nimirū discipuli, audientes quia viueret, & visus esset ab ea, nō crediderunt. Et hanc discipulorum incredulitatem etiā illi duo peregrini apud Lucam, referunt domino sibi ignoto. Sunt & hæc verba apud Lucā: Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, & non crediderunt illis. Porrò incredulitas illorum fidem nostram corroborat.

Ioan.20.

Luc.24.

*Post hæc autem duobus ex his ambulantibus, ostensus est in alia effigie, euntibus in villam, & illi euntes nunciauerunt cæteris, nec illis crediderunt.*

Quomodo hoc factum sit, Lucas exponit latius. Quòd autē dicit Marcus, ostēsus est in alia effigie, hoc apertius dicit Lucas, quia oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent, donec cum illo venientes in castellum, quo ibant, & ponentes ei mēsam, quasi peregrino, tandem cognouerunt eum in fractione panis. Aperit & Lucas nomē villæ vocās Emaus, nec nō & alterum discipu-

Luc.24.

discipulorum indicat, vocans ipsum Clepham. Est autē hic scrupulus, quo *Scrupus* modo verū sit quod Marcus hic dicit: Et illi nunciauerūt cæteris, nec illis crediderunt, Lucas verò dicit, quod reuersi inuenerunt congregatos vndecim dicentes, quod surrexit dominus. Dicimus igitur, quod annunciauere reliquis, non de vndecim loquitur discipulis, sed de quibusdam aliis. Aut fortasse aliqui fuerunt ex Apostolis, qui hoc noluerūt credere, quēadmodū & Ioānes de Thoma Apostolo refert.

*Nouissimè autem recumbentibus illis vndecim apparuit, & exprobrauit incredulitatem illorum, & duritiam cordis, quia his qui viderant eū resurrexisse à mortuis, non crediderunt.*

Hæc videntur esse facta quadragesimo die à resurrectione, hoc est, ipso die quando ascensurus erat Dominus ad patrem. Nam multis aliis in locis apparuit Iesus discipulis suis, sicut ex Euangeliis & actibus Apostolicis patet. Nouissimè autem, hoc est, cum vltimo sese manifestaret, exprobrauit illorum incredulitatem, & duritiā cordis, quia hijs qui viderāt eū, &c. Multa quidem discipulis debebant fidem fecisse. Prophetarum enim vaticinia hoc docebant, sicut Christus duobus peregrinis, & deinde cæteris Apostolis interpretatus fuit. Et ipse Christus omnia hæc prædixerat, scilicet se nō tantū moriturum cruce, sed & tertia die resurrecturum. Dixerat, Præcedam vos in Galilæam. Postquàm autem resurrexisset, testes habuit, Angelos, mulieres, ministros Pilati, peregrinos, ipsum dominum met, parum tamen credebant. Et deinde totus mundus, solis illis Apostolis fidem habuit Christum reuixisse. Rectè ergo dominus exprobrat eis incredulitatem ipsorum, & duritiam cordis, quod etiam noluerunt credere his, qui viderant ipsis oculis eum à mortuis resurrexisse. Sed nemo propter hanc incredulitatē insultet Apostolis, cum illorum sera credulitas magis prosit nobis, q̄ Magdalenæ credulitas repentina. Neq; enim possunt *Obseruat.* iam nobis, vel Iudæi, vel gentiles obijcere, Apostolos aliàs facilè credidisse Christū resurrexisse: diuersum siquidē scriptum est, scilicet illos non nisi multis argumētis certiores factos credidisse.

*Et dixit eis: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangeliū omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui verò non crediderit condemnabitur.*

Non iam dicit in viam gentium ne *Mat.10.* abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ: Non dixit prædicate hijs, qui obtemperant, sed omni creaturæ, siue recipiant, siue non. Prædicate Euangelium, non vestra somnia, non aniles fabulas, non hæreticorum impura dogmata. Prædicate, inquit, Euangelium. Quod? Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui verò non crediderit, condemnabitur. Nihil igitur proderit sine fide baptismus. Fides autem sine baptismo *Obseru.* aquæ prodesse potest, cum & baptismus sit flaminis, vel etiam sanguinis reliquus. Quid igitur de infantibus dicemus, qui fidem vel non habēt, vel non confiteri possunt, & tamen baptizantur? An ne condemnabuntur, vel saluabuntur? Respondeo: Si adoleuerint, & baptismo fidem per dilectionem operantem non addiderint, nihil eis profuerit baptismus. Sed obijciunt Anabaptistæ: Credere non possunt, quare ergo baptizantur? Responsio in promptu est: Quicquid possunt, ad id obligantur, & cuius capaces sunt, hoc eis non negamus. Baptismi capaces sunt, & ideo baptizamus, ad fidei con- *Anabap. perstare obiectio* fessionem non obligantur, cum sit extra ipsorum posse. Quomodo. enim possunt

possunt cõfiteri fidẽ, quã prædicatã nõ intelligũt? Sed hac de re in Matt. plura.

*Signa autẽ eos qui crediderint, hæc sequẽtur. In nõie meo dæmonia ejciẽt, linguis loquẽtur nouis, serpẽtes tollẽt: Et si mortiferũ quid biberint, nihil eis nocebit. Super ægros manus imponẽt, & bene habebũt.*

Et dominus apud Ioannẽ loquitur: Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora his faciet. Et in prima ablegatione dixerat discipulis suis: Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mũdate, dæmones eijcite, gratis accepistis gratis date. Et Lucæ ix. legimus. Cõuocatis Iesus xij. apostolis, dedit illis virtutẽ & potestatẽ, super omnia dæmonia, & vt lãguores curarẽt. Et misit illos prædicare regnũ Dei, & sanare infirmos. Sic & hoc loci, nõ vult ipsos inermes obijcere toti mundo, sed sic eos armat potestate, vt sola beneficentia sibi totum mundum cõcilient. Sed nunquid quia ista signa nõ facimus, ideo non est vera fides in mundo? Absit: Miracula Christi, nõ ad ostentationẽ, neq; frustra, sed necessitate fiunt. Iã cum vniuersus mundus Christi fidẽ cõfitetur, nõ opus est multis miraculis, quibus fides nostra confirmetur. Apostolus dicit: Linguæ in signũ sunt, nõ fidelibus, sed infidelibus. Quod ergo Paulus de linguis, hoc ego de oĩbus miraculis verè dicere possum. Si quis à nobis petet miracula, statim audiet: Habẽt Mosẽ, & Prophetas, &c.

Ioan. 14. | Mat. 10. | Luc. 9. | 1. Co. 14 | Luc. 16.

*Et quidem Dominus Iesus postquam loquutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei.*

Quid amplius locutus fuerit Iesus, apud alios Euangelistas inuenitur: Et gloriosam domini ascensionẽ Lucas eruditissimè describit in principio Actorum Apostolorum. Sed quid est, quod Marcus Christũ sedere facit ad dexterã patris, & Stephanus stantẽ videt? Respõdeo. Scimus quia sedere iudicantis est, stare verò pugnantis, vel adiuuantis. Quia ergo redẽptor noster in cælo assumptus, & nunc omnia iudicat, & ad extremũ iudex omniũ veniet, hunc post assumptionẽ Marcus sedere scribit, Stephanus verò in laboris certamine positus, stãtem vidit, quem adiutorẽ habuit. Breuiter Christum ad dexteram patris sedere nihil aliud est, q̃ potestate sua oĩa implere, & salutem in electis suo spiritu perficiẽdo patris regnũ administrare. Proinde cũ ad patris dexterã sedere ab Euangelistis annunciatur Christus, nihil est quàm si dicatur Christus ipse, qui cum summa humilitate, multisq; pressuris, ac immenso labore, in terris opus nostræ salutis cõsummauit, iã cũ sũma gloria in cælis cũ patre super cuncta regnat, etiã qua parte est homo, qui ea quoque parte summo genitori, vsq; ad crucis mortem paruit. Sed hac de re plus satis.

Quomodo Christus ad dexterã Patris stat, vel sedet.

*Illi autem profecti, prædicauerunt vbique domino cooperãte, & sermonem confirmante, sequentibus signis.*

Non sic sentiendũ est, quasi discipuli statim assumpto Christo in cælũ, profecti fuerint. Prius etenim expectauerunt, iuxta Christi admonitionẽ, donec induerentur virtute ex alto. Accepto igitur prius spiritus sancti locupletiore gratia, sub speciebus linguarũ, profecti sunt, & prædicauerũt vbiq;. Quomodo? Primũ in Iudæa, deinde in cæteris regionibus. Dixerat siquidem dominus: Et eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsq; ad vltimũ terræ. Quo adiuuante prædicauerũt? Domino cooperãte, & sermonẽ cõfirmante, sequẽtibus signis. Sic apostolus Paulus plantat, Apollo rigat, Deus autem incrementum dedit, quemadmodum & Actus apostolorũ, imo totus mundus clamat: In omnem terrã exiuit sonus eorũ, & in fines orbis terræ verba eorũ. Tu igitẽ Domine Iesu cui⁹ auxilio ad optatũ finẽ peruenim⁹, perfunde nos spiritu tuo sancto, vt veritati agnitæ vera in te fide, & bona virtutum operatione nõ desimus. Amen.

Act. 1. & 2.

# COMMENTARIORVM V. P. IOANNIS HOFMEISTE-RI IN EVANGELIVM

## Lucæ Prooemium.

QVI CORPORVM CORPORALES CVRARE MORbos instituunt, nihil non tentant, imo omnem mouent lapidem, solum in hoc intenti, vt quod bene sperantes instituerunt, ex voto et iuxta animi sententiam perficere possint. Idipsum & spirituali, hoc est, animarum medico faciundum esse, nemo est, modò sanæ mentis is sit, qui non videat. Iam primum ac præcipuum est, vt corporalis ille medicus, si modò curare velit, iuxta mutationem morbi, etiam pharmaca mutet, neque enim opinor vnicum pharmacum, qualecunque tandem illud sit, ad omnes omnium pellendum morbos sufficere. At spiritualis medicus vnicum habet pharmacum, quo facilè omnes animæ infirmitates & ægritudines sanare, imò propulsare & extinguere possit. Vnicum est pharmacum spiritualis medici, inquam, sed vt prosit, multum situm est in duabus, hoc est, offerente medico, & sumente infirmo. Periculo non caret, si vel importunè offeratur, vel non commodè recipiatur. Hoc voluit significare Christus cum diceret: Nolite quod sanctum est, dare canibus; neque proijciatis margaritas ante porcos. Huic obediuit & Paulus Apostolus, quoniam verè dicit: Factus sum omnibus omnia, vt omnes lucrifacerem: Ipse enim nouerat quibus vel lacte vel solido cibo opus sit. Quod si ego ipse præstare possim, & talem in docendo referre Apostolum, an non vos fœlices putaretis? Sed faciam quod potero, imò faciam, quantum per me humilem famulum Deus in vestri commodum operari dignabitur. Velle quidem adiacet mihi, sed omnis sufficientia mea ex Deo est. Quantum voluerim, ipsi, ò mihi charissimi auditores nostis, quantum autem profecerim, Deus nouit. Porrò vt ad intermissam similitudinem reuertar, Quilibet verbi minister iustè & meritò medicus animarum vocari & debet & potest. Præcipuus autem & summus medicorum est Christus Iesus, filius Dei viui, cui & his verbis in euangelio illuditur: Medice cura teipsum. qui & de semetipso dixit: Non est medicus necessarius bene habentibus, sed male habentibus. Et iterum: Venit enim filius hominis quærere & saluum facere quod perierat. An non egregius medicus est, qui in Euangelio audet dicere: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos? Diffidis talia pollicenti de semetipso? Audi quid Scriptura dicat diuina. Misit verbum suum, & sanauit eos ab interitionibus eorum. Et in libro Sapientiæ ad Medicum nostrum Christum dicitur: Etenim neque herba, neque malagma sanauit eos, sed tuus Domine sermo, qui sanat omnia. Hic medicus noster vulneratum illum, qui in latrones inciderat, curauit, simulacq; vinum & oleum vulneribus illius infuderat. Nolo autem te moueat quod de ipso Samaritano in persona Christi legitur, quod abierit, & negotium stabulario commiserit, neque enim ideo minus sanabimur. Quemadmodum enim amici medici, si quando non licet semper adesse ægrotis, relinquere solent pharmacum aliquod, quo minus defraudetur vel negligatur qui laborat: ita Dominus Iesus Christus in cœlum reuersus, reliquit nobis non solū pharmacum, sed & viros rei medicæ peritos, qui nobis curandis vices ipsius agant. Pharmacum, Euāgelij sana doctrina est. Medici, id est Christi vicarij, sunt Euāgelistæ et Apostoli, qui & ipsi quoad sibi licuerit in terris versati, ægrotātes animas neglexerunt

Math. 7
1. Cor. 6
1. Cor. 3
Hebr. 5.
Rom. 7.
2. Cor. 3
Luc. 4.
Math. 9
Luc. 19.
Math. 11
Psa. 106
Cap. 16.
Luc. 10.
Pharmacum spiritualis medici, quod.

runt minimè: nec opus est exemplis, cũ res ipsa clamitet rem se sic habere. Quis enim ignorat, quàm diligens, & quàm peritus in hac arte, animas scilicet curandi, fuerit Paulus? Quàm sedulo suo muneri incubuerit Petrus? Idem de reliquis dictũ puta: In

Psal. 18. omnẽ terrã exiuit sonus eorũ, & in fines orbis terræ verba eorũ. Nõ sunt loquelæ neq; sermones, quibus nõ audiãtur voces eorũ. De vnico Paulo dicemus: An nõ curauit à grauißimis idololatriæ morbis Romanos, Corinthios, Ephesios, Galatas, & aliòs populos ac gẽtes, ad quas sua doctrina, vel viua voce, vel literis mißis peruenit? Et cum ipse nõ sufficeret omnibus curãdis, acciuit & alios quos spiritualiter infirmis præficeret. Quid per alios profecerit, in Timotheo & Tito accepimus, qualem ipse habuerit medicã manũ, in Corinthijs puto manifestũ fecimus: Sed quid loquamur de Euangelistis? Neq; enim hos putamus suo defuiße officio. De Matthæo & Ioãne Euãgelia ipsa satis testãtur: De Marco suo loco diximus. De Luca (quoniã & hic iã nobis interpretãdus venit) vt sic varietate & permutatione quadã medicinarũ ægrotis vestris animabus fastidiũ tollã, aliquam dicemus. Illi, inquã, Euangelistæ, donec illis cõcessum est, vel cũ Christo, vel cum huius Apostolis in terrarũ orbe versari, nusquam nõ promouere studuerunt animarum salutẽ: Verũ quoniã cognitũ habuerunt, hominibus omni-

Heb. 9. bus statutũ esse mori, & ideo se etiã aliquando solem relicturos, ne animabus miseris deforet medicina, pharmacũ illud cæleste literis tradiderunt, vt qui in ipsorum locum succederent, vnde debilibus prodeßent in prõptu haberent. Quod quàm fideliter præstiterint, in prioribus Matthæo & Marco ostendimus, de tertio, hoc est diuo Luca, idem re ipsa demonstrabimus. Nec est vt hoc loci multis nominibus pium & fi-

Lucas quis. delem commendem Euangelistam, cum hoc ipsum à Paulo & alijs abunde factum fuerit. Satis enim constat inter eruditos Lucam Antiochensem hunc esse, cuius

2.Co. 8. Colo. 4. 2.Ti. 4. toties in epistolis meminit Paulus, velut in epistola ad Corinthios posteriore: Misimus etiam, inquit, cũ illo fratrẽ nostrũ, cuius laus est in Euangelio: Rursus ad Colossenses. Salutat, inquit, vos Lucas medicus charißimus: Et ad Timotheũ secunda, Lucas est mecũ solus. Fuit enim hic Lucas præcipuus assectator Pauli, atq; peregrinationis illius indiuiduus comes. Sunt qui ipsum putãt fuiße ex collegio septuaginta discipulorũ, & ipso die resurrectionis Dominicæ, cum Cleopha Emauntẽ peregrinatũ: Sed hic nihil asserimus. Hoc est ex historijs testatißimũ, Lucã neq; vxorẽ neq; filios habuiße, & vsq; ad annũ octuagesimũ quartũ vixiße. Huius itaq; sanctißimi viri euangelicum pharmacum penitus sumus contẽplaturi, donec animabus nostris (nam & ego plurimum infirmor) verã sanitatẽ recuperauerimus. Ego sicut & ante diximus, paratus sum panem verbi Dei, à Iesu Christo seruatore meo, à filio Dei benedictũ & fractũ, vobis ministrare, vobis apponere, vestrũ est, vt praeparetis animas vestras, vt esuriẽtes impleatis. Audiemus enim Diuã virginẽ, in Myropoleio hoc euangelij cantillantẽ

Luc. 1. Luc. 6. suauiter. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Et Virginis filius, summus medicus: Beati, inquit, qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Ego talentulum meum, quantulum quantulum sit, non fodiam in terra, sed exponam, ne mihi dicatur: Oportebat te dare pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum vsuris vtiq; exigissem eam. Ego semen verbi Dei cum benedictionibus, hoc est abundanter proyciã, vos curate ne in petrosam vel aridã, vel spinis deprauatam terrã cadat. Ego nuptias cœlestes vobis occultare nolim, vestrũ est solicitos eße de veste nuptiali. Dominus noster Iesus Christus det nobis verbum suum virtute multa.

# V. P. IOANNIS HOFMEISTERII IN IPSIVS LVCAE PRAEFATIONEM EXPOSITIO.

*Voniam quidem multi sunt conati ordinare narrationes, quæ in nobis completæ sunt rerum, sicut tradiderunt nobis, qui ad initio viderunt, & ministri fuerunt sermonis: visum est & mihi assecuto omnia, à principio diligenter, ex ordine tibi scribere optime Theophile, vt cognoscas eorum sermonum, de quibus eruditus es, veritatem.*

Inter omnes quatuor Euangelistas, solus Lucas in euangelij sui historiam præfatur, præfatione autem breui & necessaria, qua ostendit, quid scripturus sit, & quare hanc scribendi prouinciam subierit. Igitur vt præfatiunculam hanc minimè contemnendam intelligamus, obseruandum est: verum Christi euangelium, etiam verè & syncere prædicatum in Ecclesia, antequã illi Euangelistæ, vel cogitarunt de texenda historia. Quòd enim Christus dixit: Euntes in mundum vniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ, non intelligendum est de euangelio scripto, quum tunc ne litera quidẽ ex his quatuor scriptoribus extaret. Vocat autem Christus euangelium, totius redemptionis humanæ mysteriũ. Et Christus Apostolos suos emisit, non vt scriberent, sed vt prædicarent. Et illi profecti, non primum scripserunt, sed prædicauerunt vbiq; domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis. Quoniã autem facilius vitiatur narrationis syncœritas, quæ voce ceu per manus tradita promanat ad plurimos, quàm quæ scriptis proditur, idcirco Matthæus Apostolus, vnus è numero duodecim, & Marcus Petri discipulus, afflatu diuini spiritus cõmoniti, summam euangelicæ narrationis in literas miserunt, non hoc agentes, vt alijs præriperent, ijsdem de rebus scribendi facultatem, sed ne per pseudapostolos quis circumuentus, Iudaismum aut ineptas fabulas pro euangelio sequeretur. Nec opinor ante Matthæi vel Marci euangelia, aliquem conatũ euangelij summam in literas mittere. At illis primum aggressis & absolutis, continuo & alij exorti sunt, qui & ipsi scribere attentarent euangelia, sed infœliciter attentarunt, Deo ipsorũ conatus frustrante. Aggressi enim sunt contexere seriem euangelicæ narrationis, quemadmodum alij rerũ scriptores ab hominibus gestarũ solent, sæpe falsa veris miscentes, quæque ex incertis vulgi rumoribus hauserant, pro compertis narrãtes. Neq; dubium est, quoniam non pauci fuerunt scriptores, sed vt Lucas ait, multi, quoniam in ipsorum numero fuerint, qui ex composito & studiosè conati fuerint, suis narrationibus Christi Domini nostri obfuscare gloriam, id quod Satanas nusquam non per suos molitur. Hæc igitur quoniam non latebant D. Lucam, Diui Pauli dilectum comitem, diuino quodam afflatu impulsus, & ipse aggressus est euãgelij historiã, historico filo per omnia texere, id quod & in præfatione sua pollicetur, & in narrationis progressu fidelissimè præstitit. Præfationem itaque ipsius audiemus. Multi, inquit, conati sunt ordinare narrationes, quæ in nobis completæ sunt rerum, sicut tradiderunt nobis qui ab initio viderunt, & ministri fuerũt sermonis, &c. Hoc est: Multi conati sunt euangelium scribere. Quid

autem in se cõplectitur euangeliũ: Hoc ipsum quod viua voce nos docuerunt apostoli. Hij enim ab initio viderunt euãgelij negotiũ, & nõnullã hui⁹ partẽ ipsi præstiterunt. Quis enim nesciat apostolos ministros fuisse Christi, in euãgelij negotio? Multi ergo conati sũt hoc ipsum in literas mittere. Qui sunt illi multi? Nõ Matthæ⁹, nõ Marc⁹, Sed qui? Basilides, Apelles, & alij qui nobis suas hæreticas opiniones obtruserunt, sub prætextu euãgelij ab apostolis scri pti. Circũferebantur enim, tũ euãgelia sub titulo Thomæ, Mathiæ, Bartholomæi, Nicodemi, & aliud duodecĩ apostolorũ nomine, quũ tamẽ nullus horũ, quicq̃ taliũ scriptorũ agnosceret. Dicit ergo Lucas, multos fuisse conatos scribere euãgelia: Et benè dicit conati sũt, quasi diceret, sed implere nequiuerũt, quoniã conatus ipsorũ frustratus est. Matthæus autẽ, Marcus, Lucas, & Ioãnes, nõ sunt conati scribere, sed spiritu sancto pleni & impulsi scripserũt euãgelia, & spe sua frustrati sunt minime, quoniã id quod scripserunt ab Ecclesia receptum & approbatũ est. In literas enim euangelistæ miserũt, quod Ecclesia à Christo & apostolis viua voce acceperat. Quicquid aũt ab aliis, extra horũ quatuor, scripta producitur euãgelij nomine, iam diu explosum est, & eneruatũ. Dicit itaq; Lucas: Quoniã illi pseudapostoli suo conatu, suoq; labore frustrati sunt, ita vt quod instituerũt, perficere nequiuerint, visum est & mihi assecuto omnia, à principio diligenter ex ordine tibi scribere ô Theophile. Hoc est quod Lucas dicit: Se ex vago populi rumore nõ accepisse quod statuerit scribere, sed omnia diligenter inuestigasse, ne aliquo modo vel falli, vel fallere posset. Deinde addit se scripturũ, ea quæ certa fide, & à grauissimis authoribus hauserat, à principio, diligẽter, & ex ordine. Quod autẽ omnia diligenter inuestigauerit Lucas, nihil dubitamus, hoc ipsum enim ex aliis

D.Amb.

Euseb. Histor. Eccle. li. 3. ca. 25.

euangelistis facilẽ cõiicere possumus. Quod diligẽter omnia scripserit, nihilominus credimus, id quod dictãti spiritui sancto acceptũ ferimus. Postremò pollicetur se à principio, & ex ordine narrationẽ suã texere, & hoc sufficiẽter præstitit, id quod ante nos D. Irenæus annotauit. Plurima enim & magis necessaria euãgelij per hũc cognouimus, sicut Ioãnis generationẽ, & Zachariæ historiã, & aduentũ angeli ad Mariã, & exclamationẽ Elizabet, & angelorũ ad pastores descẽsum, & breuiter illa oĩa, quæ primo & secũdo capit. ib⁹ ipse Lucas fusiori stilo prosequitur, quæ ab aliis aut nihil, aut carptim degustata sunt. Habet & alia multa quæ alij euãgelistæ præterierũt, siue de miraculis, quæ ante dñi resurrectionẽ, siue post hãc facta sunt, dixeris. Porrò D. Euangelista hoc suũ euangeliũ dicatũ vult Theophilo cuidã, ad quẽ scribit, vt & tu, inquit, cognoscas horũ sermonũ, de qbus eruditus es, veritatẽ, hoc est, vt quæ viua voce pridẽ ab aliis audieras, certiore fide scripto nostro percipias, repudiatis cõplurium fabulis, quæ se nũc falso euãgelij noĩe vẽditant. De Theophilo illo, quisqs tandẽ fuerit, nõ erimus plurimũ anxij. Et hactenus de præfatione Lucæ in Lucã. Obserua aũt ex his primum, q̃ solicitus, immo q̃ malitiosus fuerit statim ab initio satanæ angelus, qui statim ab initio nascentis Ecclesiæ nõ dubitauerit, etiã scriptis ministrorũ suorũ euãgelicã interturbare doctrinã: vnde nõ mirũ est, quod & hoc nostro seculo nõ cessat facessere piis negotiũ. At qui Theophili sunt, hoc est, qui piis studiis ambiũt amicitiã Dei, nihil mali à pseudoprophetis patiuntur. Nouit enim Dñs qui sunt sui. Oues itẽ Dñi alienũ nõ sequũtur, sed fugiunt ab eo. Obserua secũdo, & caue ne Lucæ scripta vel contẽnas, vel irrideas. Sũt enim fide digna, & quibus certò inhærere, quibus fidere possis indubitatò. Ad hunc enim, nõ minus q̃ ad Apostolos dictum

Li. 3. ca. 14.

dictum credimus: Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit. Obſeruia irem Lucæ non ſatis viſum, veritatem vt ſcriberet, niſi etiam alibi falſa ſcripſiſſe ſignificaret, vt hæc declinantes ad illa, hoc eſt verè Euangelica, reſpiceremus. Neque enim voluit Dominus, vt ſui Prophetæ, Apoſtoli aut Euangeliſtæ, tantùm plantarent, ſed vt prius euellerent & eradicarent ea quæ mala ſunt, quo bonis potior ſit locus. Vix enim malum non cognitum fugias: & primus ad ſanitatem gradus eſt, agnoſcere morbum. Igitur nemo mihi vitio vertat, ſi aliquando errores traduxero pſeudoprophetarum, aut hæreticorum, ſic enim facilius caueri & vitari poſſunt. Profectò mihi non eſt perſuaſum, tempore Lucæ tot fuiſſe pſeudoprophetas, qui ſub Euangelij prætextu ſimplicibus impoſuerint, atque nunc ſunt. Qualis enim iam turba pſeudoprophetarum, quorum nullus non ſibi egregiè blanditur, de renato euangelio, quorum nullus non alterum præ ſe contemnit, & ad ſe vocat, clamitans: Ecce hic eſt Chriſtus. Sed valeant illi, nos Lucam noſtrum audiemus.

De hæreticis.

*CAPVT PRIMVM.*

*FVit in diebus Herodis Regis Iudaeae, sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia, & vxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Elizabeth.*

Diuo Euangelistæ nostro Lucæ in votis fuit, nõ solùm scribere Christum verum à Deo promissum Messiam venisse, sed etiam quo tempore venerit: quod posterius, non vulgare veritati prioris testimonium reddit. Nouerunt enim sacrarum literarum studiosi indagatores, in literis veteris testamenti, non minus prædictum tempus aduẽtus Christi in carnem, quàm aduẽtum ipsum. Iacob enim Patriarcha morti vicinus, fatidico afflatus spiritu, cum futura prædicens filiis, ad Iudam venisset, è cuius tribu proditurus erat Christus iuxta carnem, vaticinium huiusmodi deprompsit: Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Hæc prophetia satis euidenter significabat, tum venturum Messiam, quum Iudaica natio, quæ semper à suæ gentis ducibus, iudicibus, regibus, & sacerdotibus, fuerat gubernata, pareret alienigenæ principi. Sed primus omnium Herodes Antipatri filius, quum nõ esset Iudaici generis, & alioqui vir impius, fauore Cæsaris regnum in Iudæos obtinuit, id quod Lucas noster significare voluit, scribens Herodem Regem Iudææ. Proinde vel hoc inditio conlicere poterant Scribæ & Pharisæi, legis scientiam profitentes, iã adesse tempus quo nasceretur ille, quem iam diu promissum expectauerãt Messias. Suffecerint hæc, quoniã in sequentibus & alia eius generis adiiciẽda veniẽt. Porrò quomodo intelligẽdum sit, quod scribit Zachariam de vice Abia sacerdotem fuisse, & hoc planè explicandum est: Dauid ille Rex verè religiosus, vniuersum sacerdotum genus, in viginti quatuor sortes distinxerat, vt singulæ per suas vices sacris operarentur, diebus septem. Dum igitur hic ordo sortibus digeritur, inter viginti quatuor familias, octauus locus obtigit Abiæ, à quo descenderat Zacharias, in cuius quoque vices successerat. Iã itaq; textũ explicemus. Fuit in diebus Herodis regis, &c. quasi diceret: Erat sub impio Rege sacerdos pius, nomine Zacharias de vice Abia, & vxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Elizabeth. Neque enim id temporis nephas putabatur, sacerdotes si vxorem ducerent, sed tamen cancellis quibusdã prohibebantur, ne quascunq; vellent ducerent, adde quod nõ licebat illis perpetuo vxoribus cohabitare, quod vtrũq; ex lege Moysis probatu facillimũ erit. De primo enim legitur: Sacerdos scortum & vile prostibulum non ducet vxorem, nec eam quæ repudiata est à marito. Virginem ducet vxorem, viduam autem & repudiatam, & sordidam atque meretricẽ non accipiet. De altero legimus hoc loco quòd Zacharias peractis diebus officij sui, tũ demũ abijt in domum suam. Ad hæc certum est, quod nõ licuerit sacerdotibus vesci panibus propositionis, nisi forẽt mũdi à mulieribus. Et Paulus iubet subinde abstinere à matrimonij actibus, quo parationes sint ad orãdum: Sed de hoc negotio multa diximus in Corinthijs. Obseruandum hic, quòd pius sacerdos Zacharias non moratus est impietatem Herodis Regis, sed suo officio gnauiter functus est, id quod & nobis obseruandum, ne scilicet superiores nostros in impietate vel nequitia imitemur. Vnusquisque enim onus suum portabit. Sequitur quod Elizabeth fuerit de filiabus Aaron, ad demonstrandum stirpem & tribum vtriusq; coniugis. Neque enim licebat ex alia tribu vxorem ducere, sed ex eadem.

Ge.49.

L.Pa.14

Leui.21

Eze.44

Gal.6.

*Erant*

*Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus domini sine querela.*

Magna hæc piorum hominum laus est, & diligenter tractanda, non tantum vt sciamus illos fuisse laudabiles, sed vt sanctum zelum assumentes, etiam ipsi laude digni efficiamur. Potuerat simpliciter scribere: Erant iusti ambo, ambulantes in mandatis domini: nunc autem necessariò addit: Erant autem iusti ambo ante Deum, siue in conspectu Domini. Potest quippe fieri, vt sit aliquis iustus in conspectu hominum, sed in conspectu Dei non. Verbi gratia, quando non habet homo quod de me mali loquatur, & in me vniuersa considerans, nihil cui detrahat reperit, iustus sum in conspectu hominum. Difficilis autem res est, in conspectu Dei iustum esse, sicut Apostolus de quibusdam dicit: Quorũ laus, inquit, nõ ex hominibus, sed ex Deo: Et Christus de Nathanaële: Ecce, inquit, verus Israëlita in quo dolus nõ est. sed pinguiori, quod dicitur, minerua rem explicabimus. Finge omnes homines æquam de te habere opinionem, nec posse inuenire quod tibi detrahant, sed consono ore te laudare, iam iustus es in conspectu hominum: Verùm horum non est certum iudicium. Nesciunt enim quid in abscondito cordis tui lateat, nesciunt quo animo, quod facis, facias, sed hoc Deus nouit, qui scrutator est cordium, & cuius oculi vniuersam cõtemplantur terram. Sic Pharisæi & hypocritæ, eleemosynas faciẽtes, orãtes, & ieiunantes, iusti quidem videntur ab hominibus, sed quales in veritate sint, Christus ipse apud Mattheũ satis aperuit: Væ vobis, inquit, scribæ & pharisæi, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris hominibus videntur speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum. Sic & vos à foris quidem paretis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate. Sed ne tale quid suspicemur de Zacharia & Elizabeth, præcauet diuus Lucas dicens: Erant autem ambo iusti ante Deũ, qui solus verus & infallibilis iudex est. Quomodo iusti? aut quibus exemplis iusti probantur? Noui euangelistæ respondent, ex sola fide: Quid Lucas? ex operibus etiam. Sed audiamus huius verba: Incedebant, inquit, in omnibus mãdatis & iustificationibus domini sine querela. Quid est incedere in omnibus mandatis domini? Est studere cum diligentia timori diuino & ipsius voluntati, multa diligentia omnia odire, quæ Deo nosti displicere. Iustificationes autem dicuntur ceremoniæ legis, & alia quæ Moyses extra Decalogum præscripsit. Sed quid est quod annectit: Sine querela? Nos vulgo sic efferimus. Man vvuste nichts dan liebs vnd guts von inem zusagen: hoc est, sic omnia sua negotia instituebant, vt nemo iure de hĳs cõqueri potuerit. Tu iam non tantum considera, quales fuerint cõiugati illi, sed omni studio conare, sic vitam tuã instituere, vt & de re nemo iure queri possit. Si enim laude dignum est, quod de Zacharia & Elizabeth legitur, certè qui diuersum facit vituperio dignissimus erit. Et profectò fœlix coniugium, vbi vterque cõiugum pari zelo sectatur quæ pietatis sunt. Sic infœlicissimũ coniugium, vbi sic viuitur, vt nescias gentiles ne sint, an Christiani, sicut & apud nos inuenire licet, qui Ecclesiasticos conuentus cane peius & angue odiunt. Obserua deinde, quod nõ suffecerit vnicam tantùm sectari virtutẽ, sed curandum, vt in omnibus domini mãdatis feliciter ambules. Quid enim proderit, aut quid magni feceris, etiam si non fueris homicida, fur, vel raptor, vel sacrilegus: es autem adulter, ebriosus, lusor. Quid magni feceris, si etiam aliena non furaris, nisi & tua dispensas pauperibus? Addo non suffecerit in mandatis domini ambulare, nisi & iustificationes

Rom. 2.

Ioh. 1.

Mat. 23.

In nouos Euangelistas.

stificationes non negligantur: A malo quidem abstinendum, sed quod bonũ est, etiam sectandum. Sed ad sequentia, quæ de felicissimo matrimonio hoc dicuntur.

*Et non erat illis filius, eo quòd esset Elizabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis.*

Vt magnifica apud sanctos veteris testamenti, semper habita est matrimonij fœcunditas, ita sterilitas cum primis erat in probro, & inter præcipua vitæ mala habebatur, sacrum populum locupletare aliqua prole non posse. Sæpe tamẽ steriles legũtur iustæ fœminæ, & iustorum vxores, vt Dei gloria ex miraculoso partu, tandem inclaresceret magis. Adde quod ij qui ex sterilibus nati perhibentur, plerũq; viri magni, & apud Deum preciosi habiti sunt. Sic Isaac, sic Iacob, sic Samson, sic Samuel, & alij quorum memoria sacrosancta est. Quoniam itaq; & Dominus præclarum quid perficere voluit, per ministerium Ioannis, statuit & ipsum ex sterili tandem nasciturum, ne scilicet homines plebeium aliquid expectarent ab eo, qui nõ iuxta vulgarem naturæ cursum, sed cœlesti beneficio natus esset. Itaque non præter pregnantem causam, Lucas noster nos scire voluit, Elizabetham fuisse sterilẽ, & prouectæ ætatis, ita vt iuxta naturæ cursum amplius non potuerit sperare prolem. Subest & alia ratio, quam etiam non possumus silentio præterire, ea scilicet, vt discamus quomodo se Deus habeat erga suos charissimos, scilicet quomodo & ipsos subinde permittat tribulationibus vexari, neque tamen perpetuo deserat. Omnipotens enim Deus, præcellens quoddam munus daturus suis, dura & aspera illis præmittit, vt eo charius sit, quo tardius exhibetur, maximè posteaquam grauia multa prius pertulerunt. Hinc est, quod antequam quietis locum traderet Abrahamo, illum peregrinari voluit. Antequam Iacob super gloria filij sui Ioseph lætaretur, illum à fera deuoratum credidit, & grauissimos interea dolores sustinuit. Sic & Ioseph ipse, antequã Aegypti princeps fieret, quanta mala pertulit? Ita & beati illi coniuges Zacharias & Elizabeth, antequam pro sancti filij natiuitate lætarentur, sterilitatis opprobriũ pertulere. Hæc dum vides semper in electis Deum operari, argumentum suscipe, eos qui diutius aduersa perferunt (modo necessariæ in Deum fiduciæ non obliuiscantur) plurimum esse felices. Sentiant tantum de illo, quòd bonus verax & potens sit, quòd scilicet implere velit & possit, quæ in se credentibus promisit. Precentur quoque illum, in fide nihil dubitantes, & liberabuntur. Habes pariter inde magnũ argumentum, quod illis valde timendum est, quibus omnia prosperè secũdum carnem succedunt. In tempore itaque bonorum, nõ immemor sis malorum. Et in tempore turbulento ne despondeas animum. Et tantùm de sterilitatis opprobrio, de quo fortassis in sequentibus plura.

Vide Orig. in Exod. Hom. 8.

*Factum est autẽ cum sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deum, secundum cõsuetudinem sacerdotij, sorte exijt vt incensum poneret ingressus in templum domini: & omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi.*

Quod hic dicit, non magno verborum apparatu opus habet ad explanandum. Sensus enim est: Quum Zacharias sacerdotij munere fungeretur in ordine vicis suæ, & in templo versans in conspectu Dei, purus & castus sacris operaretur, iamq; ex more, sorte deligendus esset, quis introire templi secretissimum secessum, quod dicitur sanctum sanctorũ, quò nemini fas erat, ingredi præter Pontificem, aut huius loco designatum, vt ex præscriptis odori-

odoribus sacrum suffitum poneret in altari, quod erat in secreto templi recessu. Habebatur enim apud Iudæos hoc sacrificij gen⁹ omniũ sanctissimũ; nec ad huius conspectum admittebatur cæteræ plebes. Sed manebant foris secluso velo, deprecantes interim, vt quod pro totius populi salute offerebatur, Deus ratum habere dignaretur; donec sacerdos peracto intus sacrificio prodiret in publicum, reliquaque perageret, quæ ad sacrificij legitimos ritus pertinebant. Sic enim in Leuitico legimus: Nullus hominum sit in tabernaculo, quando Pontifex sanctuarium ingreditur, vt roget pro se & pro domo sua, & pro vniuerso cœtu Israel, donec egrediatur tabernaculum. Et hoc est quod Lucas dicit: Omnis multitudo populi erat orans foris hora incẽsi. Hora incensi erat mane & vesperi, sicut in Exo. xxx. capite legimus. Apertum iam putamus, quod ad historiam ipsam pertinet. Iam quæ ad formãdos mores nostros faciunt nõ negligamus. Obseruandũ itaque quod de Zacharia dicitur, ipsum scilicet sacerdotali munere functũ ante Deum, hoc est in cõspectu domini. Et certè quicquid agimus siue bonum siue malum sit, in cõspectu domini agimus. Omnia enim aperta & nuda sunt ante oculos suos, etiam occultissima quæque. Quod si cogitaremus, cautius vtique ageremus. Sed nos omnia nostra opera sic instituimus, quasi ad Deum nihil pertineant, aut si ad ipsum pertineant, tamen opus ipsum, nõ operis finem, aut operantis intentionem examinet. Et quod peius est, hominum apud nos maior est reuerentia, quàm Dei. In conspectu Dei facimus, quæ in cõspectu hominum non faceremus. Et hæc maximè sacerdotibus dicta esse volumus, vt dum sunt in officio suo, meminerint se in conspectu Dei stare. Hæc enim vera & legitima sacerdotij consuetudo est, vt omnia honestè & secundũ ordinem fiant. Consuetudo autem quæ iam in nostris templis seruatur, de immodestia & impudentia loquimur, abusus est pestilentissimus, non consuetudo. Obseruandum item quid te plebeium facere oporteat, dum sacerdos sacris operatur. Omnis multitudo populi, inquit Lucas, erat orans foris. Et tu itaque, dũ sacerdos quæ sua sunt agit, noli detractionib⁹, vel risui vacare, sed ora vt quod sacerdos suo totiusque Ecclesiæ nomine precatur, Deus pro sua misericordia ratum habere velit.

Leuit. 16.

Ex nomine cõsuetudinis occasionem arripe aduersus Nouatores.

*Apparuit autem illi angelus domini, stans à dextris altaris incensi: Et Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum.*

Pulchrè hæc cũ superioribus cohærent. Neque enim dubiũ est, quin angeli boni adsint hominibus bonis, hoc est, ijs qui semper cogitãt se in conspectu Dñi dei ambulare, qui quæ bonæ sunt consuetudinis non negligunt, qui in multitudine orantium nõ grauatè numerantur. Sicut enim angeli mali, hoc est dæmones, non possunt non præsentes esse, vbi sibi sacra fiunt, hoc est, vbi vicijs & sceleribus vacatur, ita & boni angeli nusquam certius inueniuntur, quàm vbi virtutibus & pietatis operibus vacatur. Itaque qualem operum tuorum habere desideras spectatorem, talia & operare. Sed de angelorum ministerio in cõsequentibus. Textus planus est: Apparere angelus dicitur, quoniã non sese quibuslibet cõspiciendum præbet, sed solum ab his videtur, à quibus videri vult. Stat autem à dextris altaris incensi, non à sinistris, quo argumento declaret, se non infelicia, sed prospera annunciare. Porrò quod Zacharias turbatur, nihil mirum est. Non potest enim fieri, quin corporales ab incorporalibus & supercœlestibus quasi abhorreant, & timore suffundantur. Neque enim ad homines, vulgato hominum more veniunt, sed repentè & præ-

& præ

& præter opinionem sese conspicuos exhibere solent. Verùm vt humanæ imbecillitatis est, ad subitum angeli conspectum inhorrescere, ita angelorum benignitatis est, nostrum pauorē blando alloquio tollere. Sed roget aliquis, Qui fit igitur quod Abraā, Loth, vel Tobias nō fuerunt turbati ad angelorum præsentiam? Sic respondemus, Quoniam non angelico, sed humano more se conspiciendos præbuerunt angeli. Adijciam & hoc, Zachariam non temerè turbatum ad conspectum angeli. Vulgo enim celebratum erat, statim moriturum eum, qui Deum vel illius angelum sibi apparentem vidisset, quod verum esse Gedeonis testatur historia. Hic enim videns quòd angelus sibi locutus esset, ait, heu mihi domine Deus, quia vidi angelum domini facie ad faciē. Dixitq; ei dominus: Pax tecum, ne timeas, nō morieris. Sic etiam vbi Manue pater Sampsonis intellexisset sibi angelum apparuisse, dixit ad vxorē suam: Morte moriemur, quia vidimus Dominum. Ita fortaſsis & Zacharias cogitauit, vnde & turbatus est: sed videamus consequentia.

Iudic. 6.

Iud. 13.

*Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua. Et vxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem. Et erit gaudium tibi & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt.*

Iam paulò ante diximus, quia sicut humanæ fragilitatis est, spiritalis creaturæ visione turbari, ita & angelicæ benignitatis esse, pauentes de aspectu suo mortales, mox blandiendo consolari. At contra dæmoniacæ est ferocitatis, quos sui præsentia territos senserit, ampliori semper horrore concutere, quæ nulla melius ratione, quàm fide superatur intrepida. Sic & hoc loci, blando vultu & blando alloquio, compellans Zachariam angelus, ait: Non est quod expauescas Zacharia, sed est quod gaudeas, nam adfero tibi, totiq; populo pro quo intercedis, lætum nūcium: Exaudita est deprecatio tua, annuit Deus pijs votis tuis. Quid petierat Zacharias? Nō est verisimile, iuxta Augustinum, vt eum pro peccatis populi, vel salute, vel redemptione sacrificium illic offerret, quod potuerit publicis votis relictis, homo senex vxorē habens sterilem pro accipienda prole orare, præsertim cum nemo orat accipere, quod accepturum se esse desperat. Vsque adeò autem ille iam se habiturum filium desperauerat, vt hoc etiam Angelo promittenti non crederet. Magis itaque credimus Zachariam orasse pro peccatis populi, admonuisseque Deum promiſsi, vt scilicet tandē mitteret, quē missurus esset, & de hoc dicit angelus: Exaudita est oratio tua, quasi diceret, Venturus enim est ille tā olim promissus, multisq; iā seculis expectatus Mesſias, liberator ac seruator populi sui: Et hæc quidem tibi cū cæteris communia. Est & aliud quod peculiariter ad te pertinet: Hoc enim ad votorum cumulum adijcit diuina bonitas, quod tu iam petere non ausus es. Vxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomē eius Ioannem: Et erit gaudium tibi & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt. Omnia hic pondus quoddam habent, & cum magno affectu dicuntur. Neq; enim solum dicit, vxor tua, sed addit Elizabet, quasi diceret, Hæc vxor quā iā habes, quæ iam annorū numero etiā sterilis putatur, quā vnicè amas, hæc, inquit, tibi pariet filium. Tu suscipies filium, nec est vt aliam vxorem accipias præter Elizabetam. Et illa pariet, non alio cōiugi, sed tibi. Pariet autem, non filiam quæ & ipsa grata foret, sed filium, qui multo gratiſsimus erit. Et vocabis nomen eius Ioannes. Hoc etiā ad gloriam Ioannis, & ad gaudium Zacha-

Quid orauerit Zacharias.

Quæstio tul ge...lib. cap.

Zachariæ pertinet, quod nondum na
to filio nomen imponitur, & nomen
Ioannes suo officio satis accommodum. A gra
tia enim nomen accepit, qui summæ
gratiæ & benignitatis præco esse debe-
bat. Ioannes enim, si in Latinum trās-
fuderis, gratiosum significat, quē alio
nomine germanico nimirū Huldrey-
cus vocamus. Et iam olim solebat Do
minus ijs nomina imponere antequam
nascerentur, qui magni apud eum futu
ri essent, sicut Isaac, Iosias, & alij no-
men suum ante diem natalis sui ha-
buerunt. Hinc & Ioanni, qui Christum
præsentem iam orbi indicare & prædi
care debebat, nomen hoc impositum
fuit diuinitùs priusquam nasceretur.
Addit angelus ad Zachariam dicens:
Et erit gaudium tibi & exultatio quasi
dicat: mœror quem hactenus attulit
tibi coniugis sterilitas, vbere gaudio
pensabitur. Sequitur: Et multi in nati-
uitate eius gaudebunt: Nec istud gau-
dium, inquit, intra tuæ domus parietes
continebitur: gaudebunt tuo gaudio
complures amici, qui prius tuo dolore
dolebant. Bene ponderanda sunt quæ
hic dicuntur. Multi enim nascuntur
pueri, qui causa existunt maximi dolo-
ris, qui simulatque adoleuerint, statim
& parentibus & vicinis redduntur o-
diosi. Sed vide quales filij lætitia sint
Pro. 10. parentum. Filius sapiens lætificat pa-
trem, ait Salomon: filius verò stultus
mœstitia est matris suæ. Si autē quæ-
ras, quis porrò sit filius sapiens? Audi
Pro. 28. eundem: Qui custodit legem, filius sa-
piens est: qui autem comessatores pa-
scit, confundit patrem suum. Et rur-
Eccl. 22. sum: Confusio est patris de filio indi-
sciplinato. Sed de educatione & disci-
plina puerorum aliàs. Obseruandum
autem ex hac historia, quòd fidelium
preces exaudiuntur, & id quidem op-
portunè, sicut omnipotens Deus no-
bis expedire cognouit. Non frangatur
ergo mens deprecantis, vbi de altissimi
bonitate est certissimus. Impossibile
enim est fideles non exaudiri. Nam si
non habes quod postulas, aut sicut po
stulas, quæ tibi magis cōducunt, quàm
quæ petis, tempore opportuno recipies.
Denique verus fidelis semper habet,
quod petit. Nihil enim cupit aut petit,
nisi sicut sibi Deus expedire nouit. Et
quæcunque accipit, cum gratiarum a-
ctione accipit, sciens quia à Deo venit.
Et hactenus de exauditione petitionis
Zachariæ. Iā quod reliquū est encōmij
de sancto Ioanne nondū nato audiem⁹

*Erit enim magnus coram Domino, Vinum & siceram non bibet, & spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ. & multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum.*

Non tam encomium est Ioannis,
quàm ipsius officij descriptio. Quatuor
autem sunt, quæ de illo prædicantur:
& ea ipsa suo ordine explicabimus. Pri
mo inquit: Erit enim magnus, & hoc
coram Domino. Quid hoc? Nunquid
refert coram Deo quis sit magnus vel
pusillus? Goliath magnus Polyphemus
fuit, at Zachæus pusillus. Non loqui-
tur hic angelus de quantitate staturæ
hominis, sed de æstimatione, vt ita lo-
quar, hoīs. Nā & nobis magn⁹ dicitur,
qui, etiāsi sit statura pusillus, tamē ma-
gni noīs & reputationis est. Virtus, vt
Origenes ait, eminentē præstat & ma- Ho. 11. in Leuit. cap. 11.
gnum. Peccatū autem hoīem paruum
facit & exiguum. Sicut enim ægritudo
corporis exile & exiguū facit corp⁹ ho
minis, sanitas verò lætū reddit & vali-
dum: ita intellige quia & animam æ-
gritudo quidē peccati facit humilem et
paruam: sanitas verò interioris homi-
nis, & virtutis opera magnā faciūt eam
& eminentem, & quantū in virtutibus
crescit, tāto prolixiorē reddit magnitu
dinem suā. Nā secundū corpus crescere
& magnum fieri in nobis non est.
Anima verò in nobis habet causas & Math. 7.
arbitrij libertatem, vt ille idem ait,
vt vel magna vel parua sit. Sic in

cedet ante Messiam, in spiritu & virtute Heliæ, nihil est aliud, quàm si diceret. Pari se modo habebit in officio suo, atque olim Helias Propheta. Helias in hoc totus fuit, vt Dei populum in viam virtutis cogeret. idipsum faciet etiam Ioannes. Habuerunt olim Iudæi sub Achab rege, suum Heliam, qui ipsos in ordine cohiberet. Habebũt & iam sub Herode suum Heliam, hoe est, non minorem prophetã, qui ipsos in ordinem cogat. De Helia legimus: Et surrexit Helias propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat. De Ioanne verò dicitur: Ille erat lucerna ardens & lucens. Lucerna autem hæc ideo igne sancti spiritus accensa est, & ideo splendorem ex se dedit, vt conuerteret corda patrum in filios, & vt conuerteret incredulos ad prudentiam iustorũ, in hoc nimirum, vt paret Domino plebem perfectam. Sed qui sunt patres illi? Et qui sunt filij de quibus hic fit mentio? Patres intelligimus pios & iustos homines veteris testamenti. Filios autem, pios homines noui testamenti, vt sit sensus: Ioannem Baptistam eò instituere prædicationem suam, vt quemadmodum patres in futurum Messiam crediderũt, ita filij credant in præsentem, sieq; cor quod fuit in patribus, iam quasi renouatum videatur in filiis, Messiæ credentibus. D. Augustinus hunc vult esse sensum, vt etiam filij sic intelligant legem, id est, Iudæi, quẽadmodum patres. i. Moyses & prophetæ intellexerunt, nimirum spiritualiter de Christo. Idem igitur vult Augustinus, quod nos aliis verbis diximus. Sequitur: Vt conuertat incredulos ad prudentiam iustorum, quod idem esse videtur cum proximè præcedenti. Hæc enim fuit prudentia veterum iustorum, vt in actionibus veteris testamenti aliud viderent, & aliud intelligerent, scientes legem nihil aliud esse, quàm vmbram futurorum bonorum. De talibus iustis dicit in Euangelio Christ9: Amen, amen dico vobis, qa multi prophetæ & iusti cupierũt videre quæ videtis, & nõ viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Et verè prudentia iustorum est, intelligere sapientiam quam Paulus inter perfectos loquitur, & intelligentia assequi mysterium Christi siue Euangelij, quod nemo Principum huius seculi cognouit. Adiungam & Bedæ sententiam, qui dixit: Prudentia iustorum est, non de legis operibus iustitiam præsumere, sed ex fide salutem quærere. Vt quamuis in lege positi, legis iussa perficiant, gratia se tamen Dei per Christum saluandos intelligant. Sequitur, Ioannem Baptistam in hoc mittendum, vt paret Domino plebem perfectam. Pulchrè enim & rectè parati sunt, qui promissum Christum humiliter & grato animo suscipiunt. Parauit autem eos, quando iussit illos pœnitentiam agere, & baptisari credendo in eum qui venturus erat, vt deleret peccata totius mundi. Sed hæc omnia in prædicatione Ioannis Baptistæ clariora futura sunt.

[Margin: Eccl. 48; Mat. 11; Lib. 20. de ciui. Dei. ca. 29.; Math. 13]

*Et dixit Zacharias ad Angelum: Vnde hoc sciam? Ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis.*

Quòd signum petit Zacharias, incredulitatis est argumentum: & quòd insuper rationem in oppositum subiungit, dicens & suam & vxoris suæ ætatem, suscipiendæ proli accommodam, iam esse exactam. Quo nam argumento cognoscere queam, certum esse quod polliceris? Nam alioqui reclamat naturæ sensus. Siquidem ipse iam consenui, & vxor prouectioris ætatis est, quàm vt ex ea partus sperari posit vel debeat. Quomodo continget vetulis & effœtis, quod iuuenibus & corpore vigentibus non contigit? Non sic fecerat fidelis Abraham, sed cõtra spẽ in spem credidit, vt fieret

pater multarum gentium. Et non infirmatus est in fide, nec cōsiderauit corpus suū emortuum, cùm iam fere cētum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ. In repromissione etiā Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens est & facere. Et ob hāc fiduciam meritò vbique commēdatur Abraham. Accedente enim Dei promisso, non interrogandus est naturæ cursus, sed simpliciter credendum est Dei promissis. Plura enim nobis præstare potest Deus, quàm nos intelligere possumus. Et plerunque sensus nostri nos decipiunt, quum Deus verbumqꝫ eius nos decipere possint minimè.

Rom. 4.

*Et respondens Angelus dixit ei: Ego sum Gabriel qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare. Et ecce eris tacens, & non poteris loqui, vsque in diem quo hæc fiant: pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo.*

Multis argumentis instituit Angelus Gabriel Zachariæ fidem. Non est, inquit, quod de promissis meis dubites: ego enim sum angelus Gabriel, neque ab homine didici, quod tibi futurum prædico. Si tibi promitteret tale quid homo ab homine missus, non iniuria de promisso dubitares. Fateor enim esse supra vires humanas, fateor esse præter communem naturæ ordinem quod promitto: sed ego quod promitto, ab homine non accepi, sed à Deo, cui semper assisto, & à quo missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare. Huius igitur promissi, ne quid diffidas, Deus author est, ego tantùm nuncius, qui tibi, quod Deus ipse tecum facere instituerit, annunciare iubeor. Porrò quoniam non credidisti verbis meis (quæ tamen implebuntur tempore suo, siue credas siue non credas) tu iam ex hac hora eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem quo hæc fiant: hoc est, donec certò videris te ex vxore tua Elizabetha sustulisse filium. Apertum est quod Angelus hic dicit. Nos itaque quæ ad mores nostros reformandos facere possunt, adijciemus. Primo omnium ponderemus, quod Angelus Gabriel dicit se astare ante Deum, quo nimirum declarat se semper expectare Dei iussa, & semper ad ea implenda paratum esse: & in hoc nobis imitandus venit, vt scilicet & nos ipsi ad mandata Domini facienda simus promptissimi. Sic paratus & promptus fuit Dauid, quando dixerat: Paratus sum & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua. Funes peccatorum circumplexi sunt me, & legem tuam non sum oblitus. Parati erant ad faciendas iustificationes Domini illi Machabæi, qui dicebant: Parati sumus mori magis quàm patrias & Dei leges præuaricari. Sic paratus erat Esaias, quando dicebat Dominus: Quem mittam? & quis ibit nobis? Et ille respondit: Ecce ego, mitte me. Adiungam & facilem Dei ministrum, Paulum, imò Saulum adhuc, qui simul atque à Domino audiuit: Saul, Saul quid me persequeris? statim respondit: Domine, quid me vis facere? Horum & talium exempla imitari deberemus, vt non grauatè, sed promptè & libere virtutum ingrederemur tramites. Hilarem datorem diligit Deus, ait Apostolus, Non ex tristitia aut ex necessitate, &c. Sed vbi inuenies tales Paulos, tales Esaias, & tales Machabæos, qui facilius præsentem vitam, quàm Dei abnegant legem? Inuenies autem complures qui nusquam non parati sunt ad faciendas iniquitates, de

Psal. 118.

2. Mac. 7.

Esa. 6.

Prou. 1. de quibus Sapiens dicit: Pedes eorum ad malum currunt. Et Hieremias: Sa- Hie. 4. pientes sunt, vt faciant mala, benefacere autem nescierunt. Et rursum: Om- Hier. 8. nes conuersi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium, &c. Hæc certè non arguunt vitam Christianam, sed vitam infideliũ, qui existimant Deum nostra nec respicere nec curare. Hoc non est cum Gabriele in conspectu Domini stare, sed contra Dominum à parte stare Diaboli. Hoc non est angelicam viuere vitam, sed diabolicam, cuius finis perditio erit. Et tantum de hoc quod angelus Gabriel prædicatur semper in conspectu domini Dei stare. Dignum enim est, vt nos qui optamus in resurrectione similes angelis fieri, in præsenti vita etiam illis assimilemur, id quod nobis impossibile non erit. Gabriel fortitudo Dei interpretatur, & nos omnia possumus in eo qui nos confortat. Pios tuos conatus Dei pietas adiuuabit. Satanas ille se solet in angelum lucis transfigurare, tantum vt decipiat, vt noceat, vt perdat. Quanto magis nos decet angelos, quoad licet & datur imitari, vt Deo placeamus, & proximum ædificemus? Dicam & aliud. Omnis sacerdos, omnis verbi Dei præco Angelus Domini est, & cum Gabriele iubetur Domini mandatum populis annunciare, siue hoc libenter audiant, siue minus. Quòd si putas me sacerdotes immeritò Angelorum nomine appellare, audi quid dicat sermo diuinus: Labia sacerdo- Mal. 2. tis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est. Vtinam hæc de omnibus sacerdotibus huius seculi non immeritò dici possent. Sed heu dolor, inuenies qui neque literas, neque natare (iuxta prouerbium) nouerunt, qui in hoc tantum positi sunt à Satana, puto vt sacerdotium contemptui & dedecori dedant. Postremò silentio prætereundum est minimè, quòd Zacharias verbis Angeli diffidens, hac pœna punitus est, vt ad tempus existeret mutus. Ex hoc enim intelligimus, qualia signa Dominus incredulis dare soleat aliquando, nimirum talia, vt malint nulla. Plerumque enim fit, vt qui verbis non credit, post factis credere cogatur, non suo maximo bono. Hieremias Propheta multa prædixerat Iudæis de captiuitate Babilonica, sed illi credere noluerunt, donec re ipsa experti sunt: Phrix plagis sapit. Quod in Luca nostro sequitur, videamus.

*Et erat plebs expectans Zachariam, & mirabantur quod tardaret ipse in templo. Egressus autem non poterat loqui ad illos, & cognouerunt quod vidisset visionem in templo: Et erat ipse innuens illis, & permansit mutus.*

Et in præmissis audiuimus populum orantem stetisse foris templum. Dum igitur hæc quæ enarrata sunt, aguntur in templo inter Zachariam & angelum, populus vniuersus expectabat foris in atrio suo, vt prodiret ex more sacerdos, reliqua peracturus, in conspectu multitudinis. Quoniam autem Zacharias solito diutius morabatur in templo, populus ignorans quid ageretur, admiratione tenebatur. Tandem Zacharias prodit ad populum, elinguis tamen, sic vt verbis non potuerit, quæ gesta erant, populo edicere. Intellexit autem populus, certis quibusdam notis, Zachariam nonnihil numinis vidisse. Porrò quod pius Sacerdos linguæ ministerio enunciate non potuit, nutibus significauit. Quid autem significauit nutibus? Nimirum fœliciter

 esse

esse litatum, sibique angelum apparuisse, gratias igitur agerent Deo, qui vota suorum exaudisset: Hæc pro textus explanatione. Tu porrò hic vide, quod & Theophylactus admonuit, quomodo Iudæi expectabant, & permanebant donec exiret summus sacerdos? At nos Christiani, nisi mox vt ingressi sumus in templum, iterum egrediamur, existimamus male nobiscum agi. Quid dixi? Inuenies hominem qui per annum, ne semel quidem templum à limine salutarit: Qui principium sacri non videnr, nedum finem. Qui statim atque è nido se proripuerint, quærunt vbi rursus Baccho & Cereri sacrificare possint. Olim impius habebatur, qui ante finem sacri dominicis diebus aliquid gustasset: at iam euangelicissimus reputatur, qui ante auroram ebrio quàm sissimus existit. Sed quid Propheta? Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & porandum vsque ad vesperam, vt vino æstueris. Obseruandus itaque præsens euangelistæ locus bibonibus & helluonibus istis, quòd de Iudæis prædicatur. Erat plebs expectans Zachariam, & mirabantur, quòd tardaret ipse in remplo. Nos porrò non expectamus, sed fugimus: non miramur, sed calumniamur, nostro maximo malo: Sequitur de Zacharia.

*Qui nõ perſiſtũt in tẽplo imo nec illud frequẽtant.*

*Esa. 5.*

*Et factum est vt impleti sunt dies officij eius, abijt in domum suam.*

In superioribus annotauimus, quod vicis suæ tempore Pontifices, templi tantum officijs mancipati, non solum à complexu vxorum, sed ab ipso quoque domorum suarum abstinerent ingressu: Quales igitur nouum testamentum sacerdotes postulet, quis non videt? Et quod iam admonuimus in genere omnes, rursum admonemus sacerdotes, vt & ipsi finem sacrorum expectent. Nolo hic contentionem instituere contra eos, qui impollutis & impijs latratibus Missæ sacrum blasphemant. Quomodo possunt bona loqui, qui tantùm de malis cogitant. Missa nostra stabit, at hæresis illorum epicureorum ruet, & stirpitus eradicabitur.

*Detrahentes missæ.*

*Post hos autem dies concepit Elizabeth vxor eius, & occultabat se mẽsibus quinque, dicens: Quia sic fecit mihi Dominus in diebus quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.*

Magna sanctis cura est verecundiæ, sicut Ambrosius loquitur, sicut in sancta Elizabeth hoc loci cernimus. Quæ enim alia causa occultationis in ipsa, nisi pudoris? Verebatur enim quod ipsa his qui nondum nouerant, hæc autore Deo geri, iam anus adhuc libidini vacasse, posset videri. Nec enim ignorabat, quàm sit pronum ad male suspicandum, simul & male loquendum, vulgus hominum: Sic & vxor Abrahæ audiens, se iam vetulam concepturam, risit dicens: Postquàm consenui, & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo: Sic & Elizabetham pudet se concepisse coràm populo, ne scilicet videretur mulier libidinosa. Est enim iuxta Sapientem, tempus amplexãdi, & tempus longe fieri ab amplexibus. Et, iuxta Diuum Ambrosium, est vnicuique officio præscripta ætas, & quod tempore decet, tempore non decet, æuique mutatio facti vniuscuiusque mutat sæpe naturam. Adolescenti conceditur, quod seni vitio datur: & rursum in sene toleratur æquo animo, quod in iuuene detestamur pessimè: Sed ad textum. Occultat quidem se Elizabeth, pudore ad hoc compulsa, at nihilominus Deo grata est, qui vel in senecta tandem prolem concesserit, quam iam non poterant sperare amplius.

*Gen. 18.*

*Eccle. 3.*

amplius. Possem ex præsentis historiæ vltimis verbis multa adducere ad reformandos hominum quorundam mores, sed malitia hominum, & iniuria temporis suadet digito, vt ille ait, compescere labellum. Quod matrimonij negotium, eiusdemque copulam attinet, in Corinthijs nostris tractauimus, vtinam tam fœliciter, quàm verè & quàm catholicè. Quid porro tam circumspectè dici possit, quod calumniæ malitiosorum non etiam patere possit? Et Christo & prophetis sua inuerterunt verba, quomodo ergo non idem mihi fieri possit? Matrimonium suos certos & præfixos limites habet, quos citra peccatum transgredi tibi licebit minimè. Possunt & maritatæ & mariti sic agere in statu matrimoniali, vt ne latum quidem vnguem sint à vilissimo scotto. Quid enim refert matrimonio iunctum esse, & nihilominus & moribus & verbis per omnia referre Glycerium, ne dicam Laidem. Sed nolo hanc rem pluribus agere. Conscientiam tuam interrogato, num omnia iuxta Dei voluntatem fiant. Cæterùm non possum nõ laudare D. Elizabetham, quæ & ipsa nouerat non esse à matrimonio alienũ liberis operam dare: at nihilominus verecundia mouetur, & quasi ipsam pudet in senili ætate tale quid de se suspicari. Qualis porrò iam in mundo est verecundia? Qualis pudor? Quos quæso traducam? Nusquam non exulat modestia. Verecundia locum inuenire non potest. Apostolus vult habere Episcopum & Diaconum pudicos. at iam sacerdotes talia & loquuntur & faciũt, qualia referre militem sanguinariũ pudet. Omnis sermo spurcus ex ore vestro non procedat, inquit Apostolus, sed si quis est bonus ad ædificationem. Et D. Iacobus: Si quis videtur sibi religiosus esse, non refrenans linguam suam, huius vana est religio. Qualis in senibus pudor? Quæ ipsi per se perficere nequeunt (de malis loquimur) ad hæc alios instigant: & illos ipsos iuuat vel meminisse tantùm perfectæ malitiæ. Quid parentes? Minus cauent scandalizare suos pueros, quàm parietes. Quid mulieres? Gratia super gratiam, inquit Sapiens, mulier sancta & pudorata. Et Paulus vult mulierem ornari non auro vel argento, sed verecundia, de quo in Timotheo & Tito diximus. Nolo hic traducere qualem subinde videre licet in puellis & adolescentulis petulantiam, qualem in vestitu luxum, qualem in verbis & canticis impuritatem, &c. Breuiter, Bona Elizabeth non habet quæ ipsius imitentur modestiam. Sed quod sequitur, impregnatam Elizabeth videamus.

Coniugati sint pudici.

Vide Hiero., sub finẽ li. i. aduersus Iouinianum

Eph. 4.

Iacob. i.

Eccl. 26.

*In mense autem sexto, missus est angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomen virginis Maria.*

Mulieris vetulæ ac sterilis mirabilem accepimus conceptum, sed quod iam sequetur, longè mirabilius est: nimirum quòd virgo adolescentula sic conceperit, vt nihilo secius virgo permanserit, tam in partu, quàm in conceptu. Quod in Elizabeth vetula audiuimus, nouum non fuit, quoniam & similia in veteri testamento legimus. Quod autem in Virgine Maria audiemus, antea nunquam factum est, nec post vnquàm fiet. Cæterùm nos verba Lucæ ea qua possimus fide & breuitate explicabimus, paulùm morati alias & pias piorum, in præsentem historiam, cogitationes. Non patiemur nos facilè à literæ contextu abstrahere, sed recta ad mentem Lucæ. In mense autem sexto, inquit Lucas,

Gen. 18.

missus est angelus Gabriel à Deo: Singula huius præclarissimæ legationis verba ponderanda sunt. Quis fuit mēsis ille sextus? Sextus fuit ab Helizabeth conceptu. Fuit mensis ab æterno in hoc selectus, vt tam necessaria emitteretur legatio, qua promitteretur vnigenitum Dei filium, iam iam velle assumere carnem hominis, vt hominem lapsum, & qui tam miserè disperierat saluaret. De hoc mense, de hoc tempore Paulus dicit: Vbi venit plenitudo temporis, emisit Deus filium suum, factū ex muliere, &c. vt eos qui sub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorū acciperemus. In sexto hoc mense, in tempore hoc ab æterno præfinito, missus est Gabriel angelus, angelus nimirum ille, qui & præcursoris natiuitatem prædixerat, angelus ille, qui Danieli prophetæ ipsum Christum venturum, & occidendum prænunciarat: Gabriel, qui à fortitudine Dei nomen habet, missus est, annunciare illum iam iam concipiendum, qui fortis & potens olim prædicabatur futurus in prelio, qui congressurus erat cum infernali & tartareo illo Goliath. A quo autem mittitur? A Deo. Non ab alio angelo, nō à Moyse, nō ab alio aliquo homine, sed à Deo, vt sic re ipsa patefieret negotium esse magni momenti, non de lana caprina, aut quod dicitur, de asini vmbra. Quo missus est? In ciuitatem Galileæ, cui nomē Nazareth, est aūt Nazareth sita in Galilæa, in sorte Zabulō, vicina tribui Neptalim, de quib9 Esaiæ præcesserat oraculū. Primo tēpore alleuiata est terra Zabulō, & terra Neptalim, & nouissimo aggrauata est via maris trans Iordanem Galileæ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Et ab alio propheta prædictum est, quoniam Christus Nazaræus vocari debeat, id quod & Matthæus admonuit. Missus porrò est Angelus Gabriel, ad virginem desponsatam viro nomine Ioseph, & nomen virginis Maria. Vir autem fuit de domo Dauid. Quare ad virginem missus? Quoniam scriptura iam olim sic prophetauerat: Ecce virgo concipiet, & pariet filium. Sic quod Lucas testatur Ioseph fuisse de domo Dauid, etiam ad prophetiam illam respexit, quæ habet Psalm. cxxxi. Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Et alia prophetia dixit: Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eū spiritus domini. Quare porro desponsata fuerit Ioseph, quæ tamen erat virgo conceptura & paritura, in Matthæo nostro multis ostendimus. Sic conueniebat, & maluit Dominus, iuxta Ambrosiū, aliquos de sui ortu, quàm de matris pudore dubitare. Adde quòd desponsatio hæc patrum prophetijs patrocinatur, cum ex illa probare possumus virginem, ex qua Christus carnem assumpsit, de tribu Dauid fuisse. Quoniam itaque audis omnia iuxta Dei promissa fieri, disce & alia, quæ ex ore Dei prodeunt, non fore irrita. Disce item Dei & Domini nostri exemplo famæ proximi tui curam agere, id quod delatoribus, & susurronibus dictum volumus.

Gal. 4. | Filiorū. | Dan. 9. | Psal. 22. | Esa. 9. | Esa. 11. | Mat. 2. | Esa. 7. | Psal. 131. | Esa. 11. | Doct. | Doct.

*Et ingressus ad eam Angelus dixit: Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.*

Vbi angelus Mariā inuenerit, quidue rerum gesserit, ex euangelicis literis constat minimè, neque tamen possumus reprehendere cogitationes piorum, qui putant illam fuisse in interiori domus suæ cubiculo, & hunc Esaiæ locum legisse: Ecce virgo concipiet & pariet filium, &c. Hoc certè vero similius est, quòd Angelus illam in publico non inuenerit, multo minus vanis

vanis & ludicris rebus vacantem. Cùm itaque in suo conclaui Maria virgo vacaret, rerum cœlestium contemplationi, Gabriel angelus multa luce conspicuus, ingressus ad eam, & nouo salutationis genere salutauit eam, dicens: Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Aue, inquit, & gaude virgo gratiosa & fauorabilis, Dominum tibi habes fauẽtem ac propitium, & ob hoc eris vnicè celebris ac laudatissimi nominis inter omnes mulieres. Sed singula verba diligẽter quidem, sed breuiter explicemus. Aue, salutationis dictio est, & significat gaude vel lætare. Est autem hæc salutatio omnium bonorum omnisq; felicitatis ac salutis imprecatio, qua sic proximo imprecamur optima quæque, vt si liceret, re ipsa, quod imprecamur, etiam præstaremus ex animo. Quum itaque Angelus ad Mariam dicit Aue, idẽ est, ac si Dei nomine illam iuberet esse lætam, & de Dei fauore ac gratia securã. Sequitur enim: Gratia plena, quod Græcis est κεχαριτωμένη, & à nostris Pseudeuangelicis non vsque adeo purè interpretari solet. Egrè ferũt enim Mariam plena gratia prædicari, & malunt nescio quid amatorũ hic intelligere, quàm id quod Ecclesia hactenus intellexit. Nos autem qui Christiani & Ecclesiastici sumus, illam diuã virginem libenter fatebimur plenam gratia: & meriro, neq; citra pregnãtes rationes. Si admitti cogimur, Mariam plenam spiritu sancto fateri, quomodo alterum negari potest? Quasi scilicet gratia non sit, vbi spiritus sanctus est. Et quasi gratia vacua fuerit, quæ fontem omnis gratiæ & bonitatis in vtero suo portauit. Angelus ita dicit, & nos cum angelo dicamus: Aue gratia plena. Et bene, iuxta Ambrosium, Maria sola plena gratia dicitur, quæ sola gratiam quam nulla alia meruerat, consequuta est, vt gratiæ repleretur autore. Et D. Hieron. ad Principiam virginẽ, inquit, Mariam dici plenam gratia, quòd in ea sit omnis plenitudo deitatis. Sequitur, Dominus tecũ. Qui ad virginem nuntium misit, ipse nuntium anteuertit. Dominus tecum. Qui angelum ad virginem miserat, ab angelo apud virginem inuenitur. Verè enim Dominus cum Maria fuit, & longè alio modo quàm cum alijs sanctis fuisse prædicatur. Olim angelus Gedeoni dixerat: Dominus tecum virorum fortissime. Dominus, inquam, prædicatur fuisse cum Abraham, cũ Isaac, cum Moyse, cum Iosue, cum Saul, cum Dauide item: & iam ab angelo Mariæ dicitur: Domin9 tecum. Cum illis fuit gratia, auxilio atque fauore suo, cum Maria autem non tantùm gratia, sed & totus quantus quantus est, vt quæ ipsum conceperit, sicut audiemus. Sic cum diua Maria fuit Dominus, vt eam ab omni labe peccati tam originalis quàm actualis præseruarit, vt ne per momẽtum quidem sub potestate Satanæ fuerit. Sic cum Maria fuit Dominus, quod & de ipsius carne & sanguine nasci voluerit. Vnde merito in hac salutatione sequitur: Benedicta tu in mulieribus. Leguntur & aliæ mulieres inter mulieres benedictæ, sed non per angelum. Ad Iahel enim dicitur: Benedicta tu inter mulieres Iahel. Et ad Iudith viduam, dicit Ioachim: Benedicta tu filia à Domino, Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, &c. Et hæc quidem verè & merito prædicantur de sanctis mulieribus, sed longè verius prædicantur de diua virgine, & maiori cum laude. Nisi enim aliæ præcessissent benedictæ mulieres, minor videretur laus Mariæ. Neq; enim magnum videtur, inter malos reputari bonus, sed inter bonos censeri optimus, hoc tandem honestissimum est. Sic itaque dicimus: Multæ sanctæ, piæ ac beatæ mulieres præcesserunt in populo Dei, sed omnibus his quamuis honestissimis, longè præstat diua virgo

Iudic.6. Iud.5. Iudith 13

Maria, cuius ministerio non Sisar, non Holofernes, sed infernalis draco, hostis humani generis nocentissimus, deuictus est, ita vt ipsa merito inter omnes virgines vel mulieres benedicta, ab Angelo audire meruerit. Pereant igitur quotquot se Mariæ vel æquare, vel præferre temerario ausu & impolluto ore conantur. Pereāt, inquam, blasphemi. Quod in angelica salutatione sequitur, quoniam ex verbis Elizabeth sumptum est, suo loco interpretabimur. Hoc vnicum hic mirari solemus, quomodo angelica salutatio in eā despectionem tā apud catholicos, quàm schismaticos venerit, quum tamen in ipsa nihil impij sit, & semper in magno pretio apud maiores nostros fuerit. Nemo enim potest negare, quin non temere populus mane & vesperi ad hanc salutationem, campana solitus fuerit inuitari. Quo nomine verò apud cacangelicos habeatur, facile ex eo conijcimus quod nusquam in suis catechismis eius meminerunt. Sed valeant bestiæ nocentes, qui Salutationem Angelicam hoc tantùm nomine contemnunt aut negligunt, quod nihil in ipsa precemur, indigni sunt, quibus vel verbo respondeatur. Videamus itaque reliquum.

Qui angelicam salutationem despiciant

*Quæ cùm audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio.*

Sacratissima virgo ad subitum aspectum angeli, simulq; ad nouā & inauditam salutationis formā auditam, quum ipsa de se nihil magnifice sentiret, nonnihil animo turbata est. Nam quod expauit ad inexpectatum ingressum, verè virginei cuiusdam ac teneri pudoris erat, quod non ilicò respondit, sed secum in animo versabat, quid vellet tam noua tamq; magnifica salutatio, partim erat prudentiæ, partim modestiæ. De qua D. Ambrosius: Trepidare virginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, omnes viri affatus vereri. Discant & virgines, exemplo Mariæ, verborum vitare lasciuiam, discāt & eiusdem exemplo rarò inueniri in publico. Necessariam hanc putamus admonitionem. Tam impura certè est virginum quarundam loquacitas, vt non possint non male audire. Tam frequens & immodestus est illarum incessus, vt excusari non possit. Sic comuntur ac amiciuntur, vt nescias ament ne videri honestæ, an turpes. Et vide, obsecro, quàm diuersè ac præposterè oīa fiant. Quæ corpore pudicæ sunt, speciem probitatis negligunt, & quæ impudici sunt corporis, vt plurimum amant videri honestæ. Mulier innupta & virgo, inquit Paulus, cogitat quæ Domini sunt, vt sit casta corpore & spiritu. Hæc vt dicerem, modestia & verecundia virginis Mariæ admonuit. Iam consolatorem Angelū audiemus.

Virgines reprehensione dignæ.

*Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in vtero, & paries filium, et vocabis nomen eius Iesum.*

Quum non lateret angelum, quid illa secum agitaret in corde, solicita de salutationis insolita forma, non passus est eam diutius animo fluctuare, sed & pauorem blando ademit alloquio, & nouæ huius salutationis causam exposuit. Ne timeas, inquit Maria, quasi ad fallendum te missus fuerim, quasi verbis te decipere velim. Dixi, iussi te gaudere ac auere, nec est, vt vel tantillum turberis. Dixi, gratia plenā, & verè nacta es gratiam apud Dominum, fauorem eius assecuta es, & ei summopere places. Dixi, Dominum esse tecum, neque hoc falsum est. Sic enim est, & sic erit tecum, vt cum nemine alio est, vel fuit, vel vnquam futurus est. Concipies enim ipsum in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hæc simplicissima verborum angeli videtur expositio. Militat autem hic locus

Nota.

locus maximè contra eos hæreticos, qui negarunt Christum natum ex carne & sanguine diuæ virginis, quam hæresim & nostri seculi Anabaptistæ quidam resuscitare conati sunt. Nolumus hanc camarinam pestilentiss. hæreticorum latius mouere. De nomine porrò Iesu, in Mattheo diximus, & in sequentibus, si oportunitas sese obtulerit, nonnihil adijciemus.

M. Hofman.

*Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.*

Sicut cum diua virgine peculiari & præcipuo quodam modo fuit Dn̄s, & non tantùm sicut cum alijs pijs, ita & Christus magnus prædicatur peculiari & præcipuo modo. De Ioanne Baptista audiuimus eundem Angelum ad Zachariam dicere: Hic erit magnꝰ coram domino: & iam de Christo Iesu idipsum audiuimus, non quòd fuerint pares, sed quòd neuter contemnendus. Fuit enim Ioannes verè magnus & magnæ æstimationis coram Deo & hominibus: at quod hic de Christo prædicatur, Ioanni conuenire potest minimè. Ioannes enim Zachariæ, non altissimi filius vocabitur. Nec regnabit Ioannes vel hic vel alibi. De Christo autem verissimè dicitur, quoniam magnus erit, & filius altissimi vocabitur. Filius autem altissimi vocabitur, non sicut cæteri pij homines per adoptionem, sed per naturam. In principio enim erat verbum apud Deum, quod dein tempore suo, in vtero virginis gloriosæ caro factum est. Et bene dixit: Vocabitur, non dixit, & erit filius altissimi. Fuit enim filius altissimi ab æterno, sed tum demum rectè à nobis & cognitus & vocatus est, quando exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, hoc est, quando iuxta prophetiam veterem, in terra visus est, & cum hominibus conuersatus est. Tum enim dicebatur Deus Abraham, & Deus Iacob, & Deus Isaac, nunc verò Deus pater, Deus filius, Deus spiritus sanctus. Cæterùm quod sequitur de regno æterno Christi in domo Iacob, candidè & spiritualiter interpretandum est, non Iudaicè, hoc est, secundum literã. Nam quàm falsi sint Iudæi, temporale Christi regnum somniantes, quis est qui nesciat? Regnum meum, inquit Christus, non est de hoc mundo. Et nihilominus apud Mattheũ loquitur: Omnia tradita sunt mihi à patre meo. Et iterum: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Videtur autem angelus respexisse ad caput Esaiæ nonum, vbi sic legimus: Multiplicabitur imperium eius, & pacis non erit finis. Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia, amodo & vsque in æternum. Quale itaq; regnum habebit? Quid sedes Dauid? Quid domus Iacob? Vnũ est quod hic triphariam nominatur, & omnia de credentium tam ex Gentibus quàm ex Iudæis Ecclesia intelligenda sunt. Verè enim in Ecclesia sua regnat Christus, donec omnes inimicos suos ponat sub pedibus suis. Quale porrò regnum sit, ex Daniele intelligimus: vbi sic scriptum est: Ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquũ dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem & honorem & regnum, & omnes populi tribus & linguæ seruient ei. Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod nõ corrumpetur. Regnum itaque eius in hoc est, vt omnes populi tribus & linguæ ipsi seruiant, ipsum pro rege habeant, sub ipsius signis, aduersus mundum & principem huius mundi militent, sic vt in nostro mortali corpore non amplius regnet peccatum, sed ipse Dominus Iesus Christus. Diuus Augustinus intelligit

Ioan. 1. Philip. 2. Baru. 4. Esa. 9. Dani. 7.

intelligit hoc quod Angelus dicit, Regnabit in domo Iacob in æternum, vt idem ſit atque dixiſſet, ſanctos & electos cum Chriſto ſine fine regnaturos. Et quod additum, Regni eius non erit finis, ideo additum putat, ne quiſquam æternum hic ſic acciperet, quemadmodum ſeculum finem quandolibet habiturum. Sed de regno Chriſti aliàs copioſiora dabimus.

Ad Oro tiũ contra Priſcillia. & Origen. cap. 3.

*Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?*

Ne quis hic intelligat diuam virginem verbis angeli non credidiſſe, ſicut & Zacharias non crediderat, diligenter verba prudentis virginis tractāda ſunt. Dicamus igitur cum D. Ambroſio id quod res eſt: Cùm Maria dicit: Quomodo fiet iſtud? non de effectu dubitauit, ſed qualitatem ipſius effectꝰ quæſiuit. Legerat apud Eſaiam: Ecce virgo in vtero concipiet, & ideo credidit futurum: ſed quomodo fieret, ante non legerat. Quod autem Angeli verbis crediderit, obſcurũ nõ eſt ex verbis Elizabethæ ad virginẽ: Beata quæ credidiſti, inquit, illa. Sic igitur intelligenda ſunt verba virginis, vt paucis dicam. D. virgo Maria, vt Auguſtinus teſtatur, perpetuam Deo vouerat caſtitatem, nec animus ipſi fuit vnquam à bono illo propoſito referre pedem: neque dubium eſt, quin & Ioſeph in hoc conſenſerit, qui & cuſtos & teſtis huius cõtinentiæ eſſe & potuit & debuit. Cum igitur iam angelus pollicetur Mariam fore matrem, & parituram filium, cùm ipſa nihil tale in animo vnquam habuiſſet antea, ſed, vt diximus, perpetuæ caſtitatis habuerat votum, non diffidit Angeli dictis, ſed tantùm quærit quid ſibi faciendum, vt Dei propoſito reluctetur minimè, ac ſi vellet dicere: Quanam ratione fiet, vt pariam filiũ, quandoquidem ita ſum deſponſa viro, quo cum nunc viuo, vt mihi tamẽ cum eo non ſit conſuetudo connubialis: quæ ſi mihi eſſet, non foret incredibile me parituram filiũ. Doce igitur ò Angele Dei, quid me facere conueniat, quid à me velit Deus fieri. Sic mihi placet perpetui cœlibatꝰ integritas, vt tamen & ipſi & omnibus cæteris, altiſsimi præferam voluntatem. Et quemadmodum eo volente, cælebs perſiſtere volui, co etiã volente, ſi iuſſerit, à priore propoſito deſiſtam. Quid porrò ad hæc reſponderit angelus, accipite.

De ſancta virgin. ca. 4 Quæſt. ſup Nu. li. 4. q. 19

Auguſt. de ciuit. Dei. li. 1. cap. 13.

*Et reſpondens Angelus dixit ei: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſsimi obumbrabit tibi. Ideoq; & quod naſcetur ex te ſanctũ, vocabitur filiꝰ dei*

Quoniã in Eſaia legimus de Chriſti generatione: Generationẽ eius quis enarrabit? quo nimirum Propheta intelligi voluit, rem eſſe ſupra captum humanum, & quæ nullis hominũ verbis eloqui poſsit. Quoniam, inquam, ſic nos præmonuit Eſaias, cauebimus ne quid in hoc mirabiliſsimo negotio effutiamus temerè, ſed verba angeli quàm ſimpliciſsimè interpretabimur. Neque enim Angelus oĩa huius negotij ad amuſsim expreſsit: ſed tñ opificem, non modũ operis ſignificauit. Eſt itaq; ſenſus angelicorũ verborũ, hunc Mariæ partũ opera Dei patris, Dei filij, & ſpiritus ſancti fieri: vt nõ ſit opus aliquo humano opere. Vnde quidã nõ indoctè nec impiè ſenſum ſic expoſuit: Nihil hic, ò Virgo, geretur iuxta cõmunem naturæ curſum: cæleſtis erit partus, ac cæleſti peragetur opifice: caſtũ ſpõſum tuũ caſto perges pſequi amore: cõtingat te fieri matrẽ abſq; vllo virginitatis detrimẽto. Non enim tibi in hoc datus eſt ſpõſus Ioſeph, vt is te matrẽ faciat, aut tu illum patrẽ. At ſpiritus ſanctus cælitus illabetur in te, inque tuo vtero mirabile opificium peraget, & virtus altiſsimi obumbrabit tibi. Vnde & quod ex te naſcetur, quoniam ex opificio ſancti ſpiritꝰ, qui ſanctificat omnia,

Eſa. 53.

omnia, quoniam è purissima virgine, quam vnam Deus in hoc delegit immunem ab omni labe vitiorum, mox sanctum erit, vt conceptum fuerit, ac propter corpus humanum de tui corporis substantia desumptum, vocatur rectè filius virginis ac filius hominis. Tempore autem suo, vocabitur filius Dei, id quod & ab æterno fuit. Obseruanda nonnulla hic sunt, pro maiori intelligentia. Et primum quidem dicimus, hoc firmiter credendum, Christũ ex virginis sanguine & carne verũ hominem natum, sic tamen vt diuinitatis non senserit ipse vllum detrimentum. Quod enim ab æterno erat, nimirum Deus, permansit, & quod non erat, assumpsit. In hoc conceptu Christi in virgine Maria nulla viri opera appropinquauit, sed spiritus sanctus, & virtus altissimi, patris nimirũ cælestis, hoc negotium perfecit: quomodo autem hoc factum sit, captum excedit humanum. Simplicissimè rem omnem exposuit Angelus: ego spinosum adducere nolim. Præstat sic instituere vitam nostram, vt & nobis, hoc est, nostro emolumento conceptus & natus sit Christus, quàm anxiè inuestigare quomodo natus sit, vel quomodo conceptus fuerit. Obseruandum secundo, quòd solus Christus & sanctus conceptus sit, & sanctus natus. Nos autem iuxta communem naturæ legem & in peccatis concipimur, & in peccatis nascimur. Sic solus Christus filius Dei & conceptus sanctus & natus est. Nos autem & concipimur & nascimur natura filij iræ & mortis. Regenerati autem tandem efficimur adoptione filij gratiæ, filij Dei. Quod hoc loci diximus de generali naturæ cursu & lege, nolo præiudicet quorundam hominum priuilegijs, qui vel ab omni labe peccati præseruati sunt, vel antequam nascerentur in hunc mundum sanctificati. De D. virgine, inquit Augustinus, propter honorem Domini, nullam prorsus cum de peccatis agitur, haberi volo quæstionem. Ad Hieremiã autem dicitur: Priusquam formarem te in vtero noui te, & antequam exires de vulua sanctificaui te, &c. Et D. Ioannes Baptista adhuc ex vtero matris suæ repletus est spiritu sancto. De ijs itaque & similibus peculiari quodam modo loquendum est. Aliud est, sanctum esse ex natura, sicut Christus, aliud ex gratia sanctũ esse, quod regeneratorũ hominum est. Immaculatum autem & sanctum esse præter patrem & filium & spiritum sanctum, vt Origenes ait, nulli substantialiter inest: sed sanctitas in omni creatura accidens res est. Præmissis addit Angelus:

Obser. | Obser. | Nota. | De natu ra & gra tia cõtra Pelag. cap. 36. | Libro 1. Peri ar-chon. cap. 5.

*Et ecce Elizabeth cognata tua & ipsa concepit filium in senectute sua, & hic mensis sextus est illi quæ vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

Quæ hic Angelus adiunxit, non opus habent longiori tractatu: nisi fortassis aliquem moueat, quod Elizabeth cognata Mariæ prædicatur, cùm ex Scripturis constet Mariam regalis, Elizabetham verò sacerdotalis fuisse stirpis. Sed hunc nodum facile soluemus. Legitur enim in Exodo, quod Aaron primus in lege sacerdos duxerit ex tribu Iuda vxorem Elizabeth nomine, filiam Aminadab, sororem Naasson, quia mbo à Matthæo in genealogia Christi numerantur. Fuit itaq; Elizabeth vxor Zachariæ, à patre quidẽ tribus Leui, à matre autem tribus Iudæ, vnde & non immerito cognata dici potest Mariæ virginis, quæ ex tribu Iuda prognata esse probatur. Lex autem de nõ permixtione Tribuum post Aaronis cõiugiũ lata est: ne quis calumnietur bonũ sacerdotem. Diuino certè nutu diuinaq; prouidẽtia factum est, vt regiũ genus sacerdotali iungeretur, vt Christ⁹ qui rex est & sacerdos ab vtrisq; secundum carnem nasceretur. Et tantum

Exod. 6 | Num. 36

tum de eo quod cognationem Mariæ & Elizabeth attinet. Iam quare angelus in hac legatione Elizabethæ meminerit, non est quod existimemus ideo factum, vt ex hac relatione Mariæ fides confirmaretur: Aliàs enim virgo Deipara credebat. Et nõ rarum erat Mariæ in scripturis legere, de Sara, Rebecca, Rachele, vel Anna (matre Samuelis) sterilibus scilicet mulieribus: neque vlla est comparatio sterilis conceptus ex viri semine, ad conceptum virginis citra omnem viri operam. Alia igitur sit ratio necesse est, nimirum vt Maria audiens & secum & cum Elizabeth Deũ magnifica quædam moliri, haberet vnde plus lætaretur, cognatamq; suam non sine matris & filij fructu visitaret, id quod factum esse, non multo post audiemus. Est ergo sensus verbo Angeli talis. Vt gaudium tuum cumulatius sit, ecce Elizabeth cognata tua, anus illa iam diu deploratæ sterilitatis, præter oẽm spem, præter naturæ vires, concepit filium, & hoc in senectute sua, cùm in iuuenta id illi datum non fuerit. Et hic mensis illi sextus est, ex quo concepit illa, vulgo dicta sterilis, etiam antequam senesceret. Sed nõ curat Deus ætatem, nec opus habet Deus communi cursu naturæ, quoniam apud ipsum non est impossibile omne verbum. Nihilque est apud homines tam incredibile, quod non præstet diuina virtus, si voluerit. Hæc quoniam aperta sunt, & omnibus Christianis indubitata, sic absoluta volumus. De voluntate Dei possumus esse incerti, de potestate nõ item. Quæcunque voluerit Deus, facere potest: at multa posset facere, quæ noluit: hinc scriptum est: Oĩa quæcũq; voluit Deus, fecit: non, Omnia quæcunque potuit facere, fecit. Nunquid Deo quicquam est difficile? ait Dñs ad Abrahã. Et in Hieremia legimus prophetam Deo dicere: Non erit tibi difficile omne verbũ. Sequitur in Luca:

Vide Chrysosto. Ho. 49. in Genes.

Gen. 18. Hier. 32.

*Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit angelus ab ea.*

Breuis quidem gloriosæ virginis responsio est, sed supra modũ mirabilis, non solùm ob hoc, quòd virgo humilis persuaderi potuit, se fore matrem vnigeniti Dei filij, & hoc citra omnem viri operam, saluaq; virginitatis honestate: sed etiam quòd virgo Deipara sua responsione tam miram referat humilitatẽ. Audit enim ab angelo se futuram matrem saluatoris, matrem Messiæ, matrẽ filij altissimi, matrẽ regis qui regnaturus esset in domo Iacob in æternum, & cuius regni non esset futur[9] finis. Neque tamen respõdet D. virgo: Ecce futura mater Messiæ, mater filij Dei, mater regis æterni. Sed quomodo? Ecce ancilla, ecce serua Dñi: nihil sibi tribuit, sed suæ conditionis & diuinæ bonitatis conscia, se suaq; oĩa Dei esse protestãs, ac se suaq; oĩa Deo subijciens: Ecce ancilla Dñi, inquit, fiat mihi secundum verbũ tuum. Ac si diceret: Scio promissum esse per os Esaiæ, vt virgo conciperet & pareret filium: nec dubito quin Deus omnia possit quæ velit, nec fallet in promissis suis. Quòd si ita illi visum est, me humilem nec magni nominis puellã ad hui[9] mysterij deligere ministerium, offero me ancillã Domino, cui semel dicata sum, paratam ad omne obsequium. Credo quod promittis, & opto vt mihi contingat quod promittis. Et hactenus quidem audiuimus colloquiũ non minus vtile quàm iucundum D. virginis & angeli, quo colloquio De[9] auspicari voluit restituendi generis humani negotium. Legimus & de alio quodam colloquio, sed pestifero, cuius interuentu totum humanum genus periebat. Euæ & Serpentis putamus colloquium verè noxium. Corrumpunt bonos mores colloq; praua, inquit Apls. Tu itaque vide quo cum loquaris.

Christus octauo Calend. Aprilis conceptus, octauo vero calend. Ianuar. nat[9] traditur, aut B. Augustin. de Trin. li. 4. ca. 5

Ex

Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis: Angelos bonos, hoc est, qui diuina loquuntur, ad colloquia admitte: non serpentes qui linguis suis, & videntes & audientes veneno inficiunt. Vtinam frequentiora virginei colloquij cernerentur exempla, nō serpentini colloquij. Vtinam sermo noster, iuxta Apostoli admonitionem esset in gratia sale conditus: Vtinam omnis immunditia, turpiloquium vel scurrilitas, nec nominaretur in nobis: Sed qualia sunt iam huius mundi colloquia? Quales confabulationes sacerdotum, virginum, virorum, mulierum, senum ac iuuenum? Lætæ confabulationes res turpes habent: Seueræ autem detractiones, maledictiones & blasphemias. Sed de hac re aliàs. De Mariæ humilitate aliàs etiam dicemus. Meminerint autem mulieres, quæ sibi ipsis non nihil videntur esse, quid Mater Domini responderit, nimirum humilia, ecce angelo respondit, ancilla domini: Illæ autem gratiosæ volunt vocari Dominæ. Ad coruos cum tanto fastu. Quæ sequuntur videamus.

*Exurgens autem Maria in diebus illis, abijt in montanā cum festinatione, in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elizabeth.*

Quoniam diua virgo ex angeli sermone didicerat Elizabeth çognatā suā sextum iam mensem esse grauidam, relictis ædibus suis, profecta est in montana, magnáq; celeritate peruenit in ciuitatē Iudæ, vbi habitabat Zacharias, & ingressa domū illius, salutationē & gratulationē obtulit cognatæ. Siquidē vera pietas, potius gaudet de fœlicitate aliena, quàm studet iactare suā: Abijt ergo Maria Dei mater in montana, nō quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuncio, nec quasi dubitās de exemplo, sed tantùm ob hoc abiit, vt iam grauidæ Elizabeth ministraret. Vnde exemplo D. virginis discant sanctæ mulieres (id quod & Ambrosius admonuit) sedulitatem quam pregnātibus exhibere debeant. Mariam, quæ ante sola in penetralibus versabatur, non à publico virginitatis pudor, non ab studio asperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardauit. Admonendi sunt & mariti vt vxorum grauidarum solicitam habeant curam, ne scilicet ex parentibus fiant homicidæ: Obseruent item virgines quod de virginum Regina hic legimus: Mariam scilicet festinasse, & in vnicam Zachariæ domum intrasse, nec primum Zachariam vel famulos, sed Elizabetham salutasse. Discant itaque virgines non circumcursare per alienas ædes, non demorari in plateis, non aliquos in publico, vel in alienis ædibus miscere sermones. Neque enim laudari potest puella, quæ nusquam non circumuagatur, quæ omnes sequitur choreas, &c. Discant & virgines Mariæ humilitatem. Venit propinqua ad proximam, iunior ad seniorem, Mater Dei ad matrem hominis. Nec solum prior venit, sed etiam prior salutauit. Decet enim vt quanto castior virgo, tanto sit & humilior. Subiungemus & generales obseruationes: Exurgit Maria: Surgamus & nos, admonente nos apostolo: Hora iam est nos de somno surgere. Filij hominum vsque quó graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Surgamus, inquam, à peccatis, & festinemus ad montana, hoc est, ad Regiam viam, ad viam virtutis, quæ nos cælo mittat: Satis indultum est genio, satis dormitum est, satis cessatum est. Surgamus, abeamus, nec differamus de die in diem, sed cum festinatione in domum Zachariæ, hóc est, memores simus Dei (hoc enim sonat Zacharias) memores, inquam, simus Dei,

qui propterea nos expectat, vt misereatur nostri. Procedamus, omnia enim plena sunt.

*Et factum est vt audiuit salutationem Mariæ Elizabeth, exultauit infans in vtero eius: & repleta est spiritusancto Elizabeth, & exclamauit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.*

Quis fuerit salutationis Mariæ tenor, dicere non possumus, quoniã hoc à Luca expressum nõ est, sed quicunque tandem fuerit, certum est eam & Elizabethæ & filio veram salutẽ optasse, imprecatámque fore felicem & lætum partum: Verum quãuis sterilis fuerit Mariæ salutatio, Euãgelista nõ tacuit, Ioannes enim nondũ natus, cognito Christo, ingenti perfunditur gaudio: Et Elizabeth spiritusancto repletur, prophetissáque efficitur: Verè enim prophetissa fuit, quæ per spiritũ sanctum cognouit, quid Maria gestaret in vtero. Neque enim frustra dixit. Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Humano certè iudicio, vel naturalibus signis aduertere nõ potuit Elizabeth: Mariam matrẽ filij Dei effectã, sed vt diximus, per spiritumsanctũ quo ad salutationẽ Mariæ repleta est, intellexit: Omnia itaque hic magnifica & pretiosa sunt. Vide autẽ quàm distinctè euangelista omnia recenseat. Elizabeth prior vocẽ Mariæ audit, sed Ioannes prior Christi aduẽtum sensit: Exultat infans, repleta est mater. Neque prius mater repleta quàm filius, sed cũ esset filius repletus, repleuit & matrẽ: sicque repleuit, vt quemadmodum diximus, prophetissa effecta fuerit, alijsque hominibus occultata, ipsa sola cognouerit. Dixit enim, Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui: Tu iam obserua quàm conueniat spiritui sancto in Elizabetha cũ verbis angeli. Hic enim supra dixerat: Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres. Et non ita multo post: Quod nascetur ex te sanctum, filius Dei vocabitur.: Priora angeli verba Elizabeth repetit, & ipsa dicens ad diuam Virginem: Benedicta tu inter mulieres: Et posteriora verba angeli, alijs verbis exponens, Benedictus, inquit, fructus ventris tui. Verè enim benedicta est virgo Maria super omnes mulieres, vt quæ similem nunquam habuit, nec vnquã habebit. Et verè benedictus fructus ventris ipsius, vt à quo omnes benedicti, & à maledicto liberati sumus: Condemnantur autem hoc verbo Elizabethæ omnium seculorum Hæretici, qui vel negant Christum de carne & sanguine virginis Mariæ natum, vel carnem virginis maledictioni obnoxiam prædicare non verentur. Priorẽ hæresim Valentiniani, & nostro seculo Anabaptistæ sequũtur posteriorẽ. Sed valeãt pestilentissima illa mõstra: Nos iuxta fidem catholicã fatemur, & Christum fructũ esse de vẽtre virginis, & virginem esse benedictam inter & super omnes mulieres. De exultatione Ioannis in vtero matris nihil dicemus, nisi speciali quodam priuilegio, & Christum nondum natum cognouisse, & ob hoc ipsum exultasse (De sanctificatione eius in vtero non est quod addam, quoniam audiuimus angelũ dixisse: Replebitur spiritu sancto adhuc ex vtero matris suæ.) Neque enim somniandum est infantes, post quinque menses in maternis vteris, etiam aliquem rationis vsum habere, id quod etiam D. Augustinus cauet alibi: Nam quod Euangelici nostri de infantum propria fide effutiunt, somnium est, aut si mauis, opinio non admodum certa: Postremò quoniam audimus talem effectum virgineæ salutationis, formandæ sunt & nostræ salutationes sic vt sanctum spirent spirirum, & audientes inde ædificentur. Nã quales aliquando sint quorundã in congres-

De præsentia Dei ad Dardanum.

cōgreſsib⁹ ſalutationes pudet referre. Aut enī impuritatem, aut blaſphemiā, aut aliqd aliud vitij habēt. Procedam⁹

*Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim, vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit præ gaudio infās in vtero meo. Et beata quæ credidiſti, quoniam perficientur ea quæ dicta ſunt tibi à Domino.*

Iam diximus Elizabetham ſpiritu ſancto ſic impletam, vt etiam Propheтiſſa fieret, id quod etiam præſenti loco probatur. Loquitur enim bona Elizabeth de præſentibus, præteritis & futuris. Agnoſcit eam eſſe matrem filij Dei, quæ nondum pepererat. Nouit quid loquutus fuerit Angelus Mariæ, & quòd hæc angelo crediderit: deinde prædicit hæc omnia certò ventura quæ ab Angelo prædicta ſunt ad virginem. Sed tu vide humilitatem D. Elizabeth. Vnde hoc, inquit, mihi, vt veniat mater Dñi mei ad me? quaſi dicat: Quid boni feci? quæ opera mea tanta ſunt, vt mater Dñi mei ad me veniat? Dignum fuerat, vt ego tibi miniſtratura occurrerem, & tu venis ad me? Ego hominis mater ſum, tu mater Dei: Ego prophetam, tu prophetarum Dominum in vtero habes. Vnde igitur mihi hoc, ex quibus bonis, de qua fidelitate mentis hoc merui, vt veniat mater Domini mei ad me? Nec putes me latere tuam fœlicitatem. Scio enim, & certis quibuſdā argumentis intelligo, qualis & quanta effecta ſis. Ecce enim ſimulatq; vox ſalutationis tuæ perſonuit aures meas, ſenſi infantem ſubſultantem in vtero meo, velut occurrere geſtientem Dño ſuo, ac debitum honorem exhibentem. Noui quid tibi angelus locutus fuerit, & hoc nomine beata es, quòd credidiſti. Omnia enim quæ tibi dicta ſunt, nuncio angelo, à Domino perficiētur. Hactenus verba ſanctæ Elizabeth audiuimus, ex quibus rurſum virtus illa magna humilitatis commendatur, nimirum vt diſcamus illius exemplo humiliter de nobis ſentire, & Dei donis nos verè indignos eſſe. Diſcamus & eiuſdem exemplo eos qui honore digni ſunt, meritis proſequi honoribus. Væ autem illis qui dicunt bonum malum, & malum bonum, &c.

*Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit ſpiritus meus, in Deo ſalutari meo.*

Ante Ioannem prophetauit Elizabeth, & ante ortū Dñi ſaluatoris prophetat Maria. Prophetat, inquam, qm̄ non ſolùm ea dicit quæ facta ſunt ſeculis præteritis, ſed etiam quæ futura erant. Eſt autem hic hymnus D. virginis lōgè oīm excellentiſsimus, & quē perpetuò magnificit Eccleſia, vt quem habere ſolita eſt in quotidiano vſu. Nos ſingulos verſus & dilucidè & breuiter explicemus. Canit ergo in hæc verba: Magnificat anima mea Dominum.

Magnificare Dominū quis poſsit.

Quæ rat hic aliquis: Si Dominus nec augmentum nec decremētum accipit, quomodo aīa glorioſæ virginis Dñm magnificare poteſt? Scripturæ vſus obſeruandus eſt, ne impiè vel de Deo, vel de diua virgine ſentiamus. Neq; enim Deus ſe maior fieri poteſt, neque diua virgo abſurdè locuta eſt, ſed qm̄ ſcripturam ſacram & amauit & nouit, etiā iuxta eius formā loqui voluit. Certè in Pſalmis ſic ait Propheta: Magnificate Dñm mecum. Cōmodè hunc nodū ſecemus. Magnificare in Scripturis diuinis idem eſt, quòd aliquē laudibus extollere, magnifica de aliquo prædicare: Sic Lucæ vij. legimus de populo: Magnificabant Dñm dicentes, Propheta magnus ſurrexit in nobis, hoc eſt, laudib⁹ ſummis vehebāt Deū, mirabātur, nec ſatis laudare poterāt diuinā bñficentiam. Sic nobis præcepit Exod. xx. Deus, vt magnificemus parentes noſtros, hoc eſt, magnificè de eis ſentiamus, vt pretioſi nobis ſint, etiamſi ſint viliſsimi & pauperrimi. Et vult

Pſal. 34.

Magnificare.

Luc. 7.

Exo. 20.

O ij quidem

quidem Deus, vt magnificemus eum, hoc est, vt magnificè sentiam⁹ de ipso, vt virtutes ipsius praedicemus, vt à laudibus eius non taceamus, etiamsi ipse ex laudibus nostris nihil emolumenti capiat, neque ex vituperio nostro detrimenti quippiam. Quemadmodum enim is, qui aperris oculis solis intuetur lucem, sibi ipsi prodest, admirãs pulchritudinem syderis, neque illi aliquid confert, quippe clariorem facere ipse admirando non potest, sed permanet idem solis fulgor: ita & qui Deum admiratur, eumq; honorat, sibi ipsi praemia promeretur, non Deo aliquid addit. Hinc est quod Dominus dicat: Ego glorificantes me glorificabo. Et Psalmista ad Dñm: Bonorũ meorum non eges. Et Iob xxij. inquit Eliphas Themanites: Quid prodest Deo si iustus fueris? &c. Sed reuertamur vnde digressi sum⁹. D. deipara virgo, dicẽs Magnificat anima mea Dominum, nihil aliud voluit indicare, quàm si dixisset, Ego, quam tu Elizabeth beatam praedicas, & matrem Domini Dei tui agnoscis, non possum negare me esse id quod sum, nec habeo quod agã aliud, nisi vt laudibus summis summum extollam Deum. Anima itaque mea, hoc est, cor meum, & corpus meum, quantum vires meae possunt, laudant Dominum. Magnificè sentio de ipso, preciosus mihi est, & omni honore & laude dignissimus à me habetur. Sequitur: Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Paulò ante audiuimus Ioannem Baptistam prae gaudio exultasse in vtero matris: Iam & spiritus Mariae prae gaudio exultat in Deo seruatore nostro. Vult enim dicere: Tanto amore prosequor Deum & saluatorem meum, vt vix me contineam, ne prae gaudio exultem. Imo tantus est in eum amor meus, vt externè testatum facere non possim, sed spiritus meus intra me miro gaudio gestit, & ineffabiliter laetatur in Deo salutari meo.

Simile. — Psal. 34. — Iob. 22.

Videtur secundus versus primi esse interpres. Obserua autem quomodo laudandus & honorandus sit Deus, non externa rantùm larua, quod hypocritarum est, sed ex corde, & intimo affectu, id quod & aliis scripturae exemplis docemur. Exultauit cor meum in Domino, inquiebat Anna mater Samuelis. Et Psalm. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. De Hypocritis autem loquitur Dominus: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Verum autem gaudium & vera exultatio Christianorũ est, gaudere & gloriari in Domino Deo seruatore nostro: nõ in hui⁹ mũdi diuitiis vel voluptatibus. Procedamus.

1. Reg. 2. — Psal. 84. — Esa. 29.

*Quia respexit humilitatẽ ancillae suae, ecce enim ex hoc beatã me dicent omnes generationes.*

Rationem reddit, quare non possit non magnificè sentire de Domino, & quare sic exultet in Deo seruatore suo. Vult ergo dicere: Dignũ equidem est, vt aĩa mea, hoc est, quicquid virium & sensus in me est, Deũ laudibus extollat immẽsis, Quia respexit humilitatẽ ancillae suae. Quid est respexit? An non oĩa aperta sunt oculis Dei? Obseruandũ ex scripturis verbũ, Respicere, plerunq; in bono accipi, rarò aũt in malo. Est aũt respicere Dei, misereri, vel auxiliari. Sic in Exodo: Respexit Dñs filios Israel, & liberauit eos. Et Iudith vi. Respice ad humilitatẽ nostrã. i. iuua nos. Et psal. ci. Respexit in orationẽ humiliũ: & nõ spreuit precẽ eorũ. Sic in Gen̄. Respexit Dñs ad Abel & munera ei⁹, ad Cayn aũt & munera ei⁹ nõ respexit. Hoc est, Abel & munera eius placuerunt Deo, Cayn verò nequaquam. Sic respexit dñs Petrũ flentẽ, &c. Sumitur tñ subinde & in malã partẽ, vt libr. Iudith, ca. ix. Respice castra Assyriorũ. i. euerte, puni, destrue. Et apud Abac. ca. i. Quare nõ respicis iniquos. i. quare non punis. In priori itaq; significatu à Ma-

Exod. 2.

ria accipitur, quo voluit significare: se minimè adeo contemptã fuisse à Deo, vtcũq; nõ fuerit magni nominis apud huius mundi homines. Fuerunt & aliæ puellæ & virgines in Iudæa, immò in toto mundo, & fuerunt apud mundũ preciosæ, magnæ reputationis, genere & diuitiis claræ, sed nulla illarũ Deo placuit. At ego vilis puella apud mundũ, sponsa miseri fabri, incola & ciuis nõ celeberrimæ vrbis Hierusalem, sed contẽpti hactenus oppiduli Nazareth, visa sum Deo digna ancilla, per quã mirifica quædam perficeret. Tu autẽ vide quàm se totam deijciat. Potuisset verè se vocare Matrem Dei, & vocat se ancillam Dei: Potuisset verè dicere se præferri multis aliis, sed nihil hic gloriatur de suis virtutibus, hoc vnico cõtenta est, demonstrasse scilicet seipsam Deo placuisse, etiamsi indigna sit ad tantam dignitatem euehi: Solent enim verè sancti & virtuosi homines, suas virtutes nec agnoscere, nec magnificè iactare. Subdit autem diua virgo: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes: Et hæc propheticè loquitur. Et si enim tum tẽporis quando Christum in vtero gerebat Maria, nõ magni nominis habita fuerit, vt cuius fœlicitas mundo incognita tunc fuerat, tamen à nato Christo vbique, & beata & gloriosa prædicata est, non tã à gentilibus conuersis ad Christũ quã à Iudæis. In euangelio certè mulier illa plebea clamabat dicens ad Christum: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. Et quanto maiore temeritate hæretici aliquot Diuæ virgini labem aspergere conati fuerunt, tanto maiore splendore dignitas & eminentia ipsius emicuit. Ex hoc igitur, inquit, quando mater facta sum filii Dei, quando tantam gratiam inueni apud Dominum, beatam me dicent, laudabunt & glorificabunt me omnes generationes. Addit diua virgo & alias suæ beatitatis causas.

Luk.

*Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius.*

Quæ sunt illa magnalia Mariæ à Deo facta? Ab æterno ipsam præ omnibus mulieribus delegit, ab omni labe tam originalis quàm actualis peccati præseruauit, Spiritusancto repleuit, Archangelum Gabrielem legatum ipsi misit, in virginitate perpetuo seruatam matrem filii Dei fecit, in ipsius vtero verbum Dei caro, id est, homo fieri voluit: Hæc magnifica illa sunt, & adeò magna, vt maiora ab æterno non audierit mundus. Quid enim mirabilius, quid magnificentius vnquam auditum est, quàm quod virgo in vtero conciperet & pareret filium, & filiũ à quo ipsa creata est? Hinc rectè in Ecclesiastico cantico dicitur, beata es virgo Maria, quæ portasti creatorẽ mundi, genuisti eũ qui te fecit, & in æternum permanes virgo. Porrò ne quis dubitaret de tã magnifico facto, addit Maria: Qui fecit mecũ magnalia potens est, & sanctum nomẽ eius. Et in superioribus eadem accepimus ab Angelo, & sacræ literæ alibi eadẽ de Domino prædicãt: Ab angelo audiuim⁹. Apud deũ nõ est impossibile omne verbum. Et deinde: Quod nascetur ex te, sanctũ vocabitur filius Dei. In Psalmis autẽ: dñs fortis & potens. In Moyse: Omnipotens est nomẽ eius. Et rursum in Psal. Nomẽ eius sanctũ est. Quid est? Sanctũ nomẽ eius. Quidã interpretantur, Nomẽ eius, id est, Deus ipse, & quicquid de ipso verè prædicari potest, sanctum est, & sic sanctum est, vt quicquid præter ipsum sanctum est aut dicitur, ab illo qui naturaliter sanctus est, participium sumpserit: Quoniam vero in sacris id sanctũ dicitur, quod Deo cõsecratum est, quódq; prophanare nemini licet. Videtur diuina Maria hoc loci, nomen pro laude siue gloria Dei sumpsisse, sicut & vsus sermonis obtinuit, vt dicatur de viro laudabili, magni nominis est. Vt sit sensus huius versus:

Psal. 24.

Psal. 111.

Sanctũ.

Qui tam magnifica mecum egit, verè potens est, vt nihil ipsi sit impossibile, & nomen eius sanctum est, hoc est, Nemo hominum de hoc magnifico, & verè diuino opere gloriari, vel debet vel merito potest, sed omnis laus & gloria huius facti vni Deo debetur, vt sic ab opere solus artifex laudetur: Hactenus de versu quarto. Tu porrò disce prædicare & laudibus vehere magnalia Dei, sic vt nihil tuis meritis, sed omnia diuinæ bonitati ascribas. Audis Dominum potentem, disce illi fidere, disce in illum sperare. Audis nomen eius sanctum, tu caue ne per tuam malitiam polluatur, sicut Deus de quibusdam conqueritur: Nomen meum, inquiens, propter vos male audit inter gentes. Vide item ne nomen sanctum Dei in vanum accipias, sed audi dominum dicentem, sancti estote, quoniam & ego sanctus sum, &c. Sequitur versus quintus.

Doct.

Esa. 25.
Rom. 2.

*Et misericordia eius à progenie in progenies, timentibus eum.*

Id quod ego prædixi, iam à Maria diua virgine confirmatur. Dixi autem in Deo sperandum esse, quoniam potens est, & sperantibus in eum benefacere potest. Ne igitur quis mihi obstrepat dicens: Scio quidem Deum esse potentem, immo omnipotentem vt benefacere possit. Verùm an etiam velit, vnde mihi persuadetur? Audi itaque Mariam potentis Dei matrem: Misericordia, inquit, eius à progenie in progenies, timentibus eum: Apertum est quod dicit, omnibus quàm aliis diuinis scripturis conforme. In Exodo legimus: Ego sum dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, vsque in tertiam & quartam generationem, eorum qui oderunt me: & faciens misericordiam in milia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. In Psalmis item frequens est Dei misericordia. Misericordia Domini super omnia opera eius. Et misericordia domini plena est terra. Et diuus Apostolus Deum vocat patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis. Nolo hic diuinæ misericordiæ enumerare testimonia, quòd scilicet dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam, quod propterea expectat nos, vt misereatur nostri. Neque enim tales sumus, quibus multis commendari conueniat misericordiæ Dei magnitudo. Vnusquisque nostrum descendat in cubiculũ conscientiæ suæ, considerans quot modis, quoties, q̃ grauiter offenderit Deum, quàm omnia etiam benefacta nostra sint variis vitiis inquinata, atque ita intelliget quantum debeat immensæ misericordiæ Dei, qui nostram imbecillitatem tam patiẽter tolerat, qui tot occasionibus inuitat ad pœnitentiam, qui resipiscentibus tam placidè omnẽ remittit noxam. Sed audiamus etiam Paulum. An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te inuitat? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, &c. Quid infamius aut deploratius, quàm hominem, qui terra est ac cinis, qui quicquid est, aut potest, id totum debet diuinæ beneficentiæ, cornua tollere aduersus eum à quo conditus est, à quo redemptus est, à quo tot modis ad æternæ vitæ consortium inuitatur? Ingratitudinis est, eum contemnere, vnde tantum beneficiorum acceperis: demẽtiæ est, ei velle rebellare, qui nutu potest perdere, impietatis est, non agnoscere conditorem, non vereri parentem, non amare seruatorem. Non tutum est, ô boni, non tutum est sic fidere Dei misericordiæ, vt interim à peccato nõ desistas. Neque enim contenta fuit virginum Regina dixisse: Et misericordia eius à progenie in progenies, sed addit,

Exo. 2.

Psal. 44

Rom. 2.

dit, cum differentia: Timentibus eum: non contenentibus, sed timentibus eũ. Sic canit etiam Psalmista: Misericordia Domini ab æterno & vsque in æternum, super timenres eum. Qui autem sunt isti timentes? Audi Sapientẽ: Qui timet Deum, faciet bona. Et Psal. Timete Dominum, quoniam nihil deest timentibus eum. Et in prouerbiis: Timor Domini expellit peccatum: Qui enim Deum timẽt, verbo eius salubriter terrentur, semper metuẽtes ne trãsgressores illius inueniantur. Sed videamus in sequentibus & misericordiæ & iustitiæ Dei manifestissima exempla. Subdit enim Maria:

Psal. 110
Pro. 15.
Pro. 8.

*Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.*

Prædicauit diua virgo Deum esse potentem, esse & misericordẽ, id quàm verum sit, iam ordine demõstrare saragit. Fecit, inquiens, potentiam in brachio suo. Nemo hic imaginerur Deo patri cœlesti esse manus vel pedes, id quod Antropomorphitæ olim somniabant, sed cogitet scripturam sic loqui hominibus de Deo, vt quid de Deo Deique operibus sentiẽdum sit, intelligant. Sicut itaque in alio Euangelij loco per digitum Dei, Spiritus Dei intelligitur, id quod concordia Euangelistarum docet, ita & hoc loci brachium Dei, filius Dei Christus Iesus intelligitur. Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Sic exodi xv. legimus: Dextera tua domine, magnificata est in fortitudine: dextera manus tuæ confregit inimicos. Et iterum ibidem: Irruat super eos formido & pauor, in magnitudine brachij tui. Sic in Psalmis legimus: Redemisti in brachio tuo populum tuum. Apud Esaiã item: Ecce Dominus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur. Et rursum idem: Parauit Dominus brachiũ suum sanctum in oculis omnium gentium: & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Intelligimus itaque ex præmissis, Christum in scripturis subinde vocari brachium Dei: generali porrò voce intelligimus per Domini brachium, ipsius virtutem & potenriã. Suffecerint hæc. Deinde obseruãdum, D. virginem morem propherarum sic obseruare, vt indifferenter vtatur temporibus, vt quæ dicit iam fieri, vel facta, vel futura esse indifferenter intelligi possint. Certè in superioribus continuò mutauit tempora, inquiens: Magnificat anima mea Dominum: hic in præsenti loquitur, dein in præterito: Et exultauit spiritus meus, dictum est, pro exultat spiritus meus. Pari modo quod dicit iam: Fecit potentiam in brachio suo, non tam intelligendum est de præteritis, quàm de præsentibus & futuris. Potẽter enim egit Dominus aduersus superbos veteris testamenti: & dispersit disiecitque eos proprijs ipsorum consilijs, idipsumque fecit temporibus Apostolorum, & in finem vsque faciet. Quæris exempla? An non proprijs cõsilijs suis perierunt atque dispersi sunt Babylonij illi fabricarores, qui dicebãt: Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim cuius culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen nostrum antequàm diuidamur in vniuersas terras. Audis superba superborum hominum cõsilia? Audi quomodo falsi sunt suis ipsorum consilijs. Ait enim Dñs: Venite descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocẽ proximi sui: & quod proposuit Dominus fecit. Quid referã Pharaonem illum propria sua obduratum malitia? An ne conatus est Domino illudere sæpissimè? An non frequẽter ambiuit orationes Moysis & Aaronis, pollicitus pœnitentiã? Sed quoniam Deus tempore oportuno potentiam brachij sui ostẽdere voluit, ille impius, fastuosus & versipellis Tyrannus pœnas meritas dedit. Nolo hic referre Sennacherib Regẽ illum Assyriorum.

Brachiũ Dei.
Luc. 11.
Mat. 12.
Ioan. 1.
Exo. 15.
Psal. 76.
Esa. 40.
Esa. 52.
Brachiũ Domini
Mos prophetarũ nõ habere temporum rationem.
Nota.
Gen. 11.
Exod. 6

An nō egregiè & hic dedit pœnas? Venio ad Nouū Testamentū. Nolo aūt recensere quoties Dñs Iesus Christus Scribas & Pharisæos suis ipsorum vicerit consilijs. Vnico contenti erimus exemplo. Superbi illi Pharisæi, Scribæ & Pontifices, quale collegerint consilium aduersus Dominum, obscurum non est. Quid facimus? inquiunt, Hic homo multa signa facit, Si dimittim⁹ eum sic, omnes credent in eum: Et venient Romani, &c. Vidisti cōsultores: audisti consilium. Crucifixus est iuxta illorum mentem Christus Iesus. Et hic tandē contra illorū consilium, omnes crediderunt Christo, & venientes Romani deuastarunt & locum & gētem. Hæreticorum, qui & ipsi superbis nisibus aut conatibus consultarūt contra Christum, nolo referre interitus. Vbiq; certè brachium Domini vicit, cepitq; astutos in prudentia sua, & omne consilium ipsorum euertit. Ego Dominus, apud Esaiam legimus, conuertens sapientes retrorsum, & scientiam eorum stultam faciens. Intelligimus itaque iam quid D. Virgo versu hoc sexto cecinerit. Sequitur in septimo:

Ioan. 11.

Esa. 44.

*Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.*

Fastus hominum impiorum plerunque in tribus consistit: aut enim gloriantur homines de sua sapientia, aut de sua potentia, aut de diuitijs suis. Iam quemadmodum nulla est sapientia, qua consilium Dei euerti possit, ita nulla est potentia, quæ Deo resistere possit, ita & nullæ sunt diuitiæ quas Deus non possit perdere. Pulcherrimo ergo ordine Deipara virgo tria hæc prosequitur, id quod & à Hieremia olim factum fuerat. Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitijs suis: sed in hoc glorietur, scire & nosse me, &c. quæ sequūtur. Sed exemplis facilè probatur, quod gloriosa virgo canit. Deposuit certè Dominus potentes de sede, & exaltauit humiles. Deposuit potentes Angelos, Luciferum cū apostaticis angelis suis: deposuit & potentes homines de thronis suis: Exaltauit humiles angelos qui libero suo arbitrio malos angelos non sunt secuti. Exaltauit & humiles hoīes qui suæ cōditionis nō sunt obliti. Quis sicut Dominus Deus noster, inquit Psal. qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra. Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem, vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui. Quoties repetitur sententia Christi in Euangelijs: Qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur? Adducemus vtriusque exempla, & mixtim quidem. Apud Danielem legim⁹, superbiam & fastum regis Nabuchodonozoris cum sua statua aurea: legimus ibidem eiusdem deiectionem, & quia fœnum vt bos comedit. In eodem libro prophetico legim⁹, quàm Daniel cū tribus pueris à miserijs magnis ad maiores honores exaltati fuerint. Quis nesciat Aman fastuosissimū oppressorē Iudæorū non solùm sede deiectum, sed etiam patibulo affixū, meritas dedisse pœnas? At humilis & contempt⁹ Mardochæus in illius substituitur honoris locū. Audis bonū virum Ioseph patriarchā in ergastulo carceris, audi eundem Saluatorē mundi in Aegypto vocari. Huius generis exempla petas licet ex Ethnicorum monumētis copiosissima. Annotauit nonnihil eius gñis Valerius Maximus. Perpetuò eñ verū est quod hic canit Maria: Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Sic Samuelis mater Anna olim cecinit: Dominus suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem, vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. Obseruandum hic diligenter, quid Maria dicat: Deposuit, inquit, potentes de sedibus: non dicit:

Hier. 9.

Psal. 112.

Dan. 4.

Dan. 3

Hest. 6. & 7.

Gen. 41.

1. Reg. 2

Depoſuit ſedes potentum. Magiſtratus enim, quoniam à Deo ordinatus eſt, vituperari non poteſt: at qui poteſtate abutuntur, hi culpandi ſunt, & de ſedibus ſuis deijcientur. Nec quis arbitretur quæ Maria hic canit, non ſemper venire ad effectum, quum videamus multos potentes ſua poteſtate peſtilentiſsimè abuti, nec tamē deijci: ſed cogitandum eſt Deo laneos quidē eſſe pedes, at plumbeas manus, ita vt tarditatem ſupplicij grauitate pœnæ compenſare poſsit. Diu ſuſtinuit Pharaonis contumaciam, nec ſtatim oppreſsit Manaſsis tyrannidem. Impietatem Achab regis patienter vidit: quis autem neſciat illos & ſimiles grauiſsimas dediſſe pœnas? Noſtra malitia talibus principibus puniri debet: meretur enim peiora, & ſolent mali principes dari propter malitiam populi. Sic enim Iob loquitur: Propter peccata populi facit regnare hypocritam. Sequitur:

Iob.34.

*Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes.*

Quæ de ſapientia, potentia, & diuitijs in hoc ſanctiſsimo hymno dicuntur, ſic intelligenda ſunt, vt non dona Dei (ſunt enim illa tria certè dona Dei) ſed donorum vſus damnari noſcatur. Neque enim ideo diſperguntur ſapiētes, quia ſapientes ſunt: ſed quia ſapiētia ſua in derogationem diuini honoris vtuntur. Sic de potentibus & diuitibus etiam dictum eſto. Pari modo quod de ijs dicitur qui in infimis numerantur, vel qui paupertate premuntur, non ſic intelligendum eſt, quaſi infimatem eſſe vel pauperem eſſe certus ſit ad beatitudinem gradus: neq; enim omnes humiles exaltantur, neque omnes pauperes bonis implentur. Sic autem negotium hoc intelligendū venit. Qui ſortem ſuā æquo fert aīo, & in humili loco poſitus, maiores non appetit honores, hic meretur à Deo exaltari, ſi non in præſenti, certè in futuro. Qui autem nunquam ſua ſorte cōtentus exiſtit, ſed ſemper altiora cogitat, quiq; alienis inuidet honoribus, hic tantum abeſt vt exaltetur, vt etiam ad inferos vſque demergatur. Quod de dignitatibus diximus, idem & de diuitijs dicemus. Multos inuenire licet pauperes & eſurientes, qui profectò indigni ſunt, vt vel communi vtantur aura. Nebulones enim ſunt, latrones, helluones: & vt ſummatim dicam, mancipia diaboli. Hi ad Chriſtum non ſpectant, Deo non placent, & iudicium illorum non tardabit. Si autem ſunt qui ob iuſtitiam, paupertate, vel eſurie, vel infirmitate premuntur, & patienter omnia ferunt, ſuaq; ſorte contenti ſunt, hi ſunt quos ſubleuandos à Deo diua virgo canit, dicens: Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes. Eſurientes hic paupetes intelligimus, quibus opponit diuites. Vide aūt quàm pregnantibus verbis omnia efferat. Eſurientes, inquit, hoc eſt, qui miſeria & paupertate premuntur immeritò, hi non tantùm accipiunt bonum, ſed implentur, inquit bonis, vt abundēt etiā. Diuites porrò, qui gloriantur in diuitijs ſuis, qui exiſtimant ſeipſos ſibi ſufficere, quiq; bonis ſuis abutuntur, vel luxu dilapidantes, vel in pauperes non erogantes, tales, inquit, ne minimum quidem à Deo recipient, ſed dimittentur inanes, & euacuatis loculis. De his canunt Pſalmographi. Dauidis hæc ſunt: Iunior fui, etenim ſenui, & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem. Et ibidem: Vidi impium ſuperexaltatum & eleuatum ſuper cedros Libani, & tranſiui, & ecce non erat, & quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius. Rurſus in alio pſalmo legimus: Diuites eguerunt & eſurierunt, inquirentes autem dominum non minuentur omni bono. Sufficerint hæc. Quòd ſi qs rem penitius introſpexerit, inueniet hæc Mariæ verba etiam alio modo poſſe intelligi, nimirum

Eſurien tes.

Pſal.36.

Pſal.33.

mirum de his qui etiam spiritualiter sibi videntur diuites, hoc est, qui præsumunt plus æquo de probitate & iustitia suis, aliosque fideles præ se contemnunt. Hi certè audient olim: Amen dico vobis, nescio vos. Qui verò esuriũt & sitiunt iustitiam, hoc est, qui infirmitatis suæ memores nunquam non ambiunt Dei misericordiam, hi, inquam, saturabuntur. Sic ergo iuxta hãc interpretationem committimus Pharisæum cum publicano: In priori verò diuitem purpuratum cũ Lazaro mendico. Iam rursus ordo diuam virginem vocat.

*Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.*

Quis est Israel ille puer siue seruus Domini. Primùm intelligimus Iudæos, qui nato Christo crediderunt. Secundò, intelligimus eos qui ex Hellenismo ad Christianam religionẽ peruenerunt: sic enim Apostolus noster Israelem bifariam interpretatur. (Rom.9.) Quid autem est, quod ait, Suscepit: ex alio scripturæ loco intelligere licet, vbi sic legitur: Custodiens paruulos Dominus, humilians autem peccatores vsque ad terram. (Psal.114) Et rursum: Suscipiens mansuetos Dominus, humiliatus sum & liberauit me. (Psal.145) Idem ergo est suscipere, quod liberare, protegere, vel auxiliari. Quasi vellet dicere: Hactenus quidem videbatur Deus & misericordiæ suæ, & gentis nostræ oblitus, videbatur itẽ vniuersum Israelem reiecisse. At nunc declarauit, sese nequaquam immemorem sui populi, declarauit item, se adhuc misericordẽ. Suscepit enim Israel, id est, curam eius in se suscepit, auxiliatus est ei, Er hat sich der Iuden angenummen, manum labenti Israel porrexit, vt ipsum rursum erigeret. Loquitur autem hic diua virgo tectis verbis, de eo quod ipsa iam in vtero habebat, verum Messiam, quem præcipuè pater cælestis populo Israel promiserat, Tectis autem verbis, inquam, de eo negotio, de incarnatione nimirum Christi loquitur, vt nusquam non referat piam humilitatem. Potuisset certè dicere: Ecce ego mater sum filij Dei, ego electa sum vt Messiam vniuerso orbi parerem, meoque ministerio salus mũdi peragetur. Sed ne inanis gloriæ notam incurreret, neve aliis gloriandi exemplum præberet, maluit tectis verbis & gloriam Dei, & veritatem rei indicare. Quod enim in hoc versu dicit: Suscepit Israel puerum suum, & recordatus est misericordiæ suæ, statim sequenti versu, cùm de promissionibus Dei, patribus factis loquitur, declarat quid velit. Sed obserua, quod ait: Recordatus est, misericordiæ suæ, ne quis putet nostris meritis, vel nostra probitate patrẽ cælestem commotum, vt filium suum mitteret in mundum. (Misericordia) Nõ enim nostra probitas, aut nostra iustitia in causa est, sed misericordia Dei, id quod Apostolus multis locis ostendit. Cùm inimici eramus, recõciliati sumus, inquit, Deo, per mortem filij sui. Et diuus Ioannes in canonica sua: In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filiũ suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum. (1.Ioh.4.) In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris, &c. Idem Christus ipse in euangelio Ioan. testatur: Sic Deus dilexit mundum, inquit, vt filiũ suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. (Ioan.3.) Sed videamus vltimum huius cantici versum.

*Sicut loquutus est ad patres nostros, Abraham & semini eius in secula.*

Nihil fortuitu hic geritur, inquit, sed quod olim Deus promiserat patribus nostris, Abraham & posteris eius, hoc nunc exhibitum est. Dictum est enim ad Abraham: In semine tuo benedi- (Gen.22.)

nedicentur omnes gentes. Dictum est David: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Dictum est Esaiæ: Egredietur virga de radice Iessæ, & flos de radice eius ascendet, & requiescet su per eum spiritus Domini. Et eidem ve loqueretur ad Achaz regem: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. Ad Hieremiam autem: Creauit Dominus nouũ super terram: fœmina circundabit virum. Quid ad Baruch: Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Sed desinam recensere omnes veteres prophetias, quoniam aliàs certi sumus Deum præstare, Abraham & semini eius vsque in sæculum, quæcunque pollicitus est: Quæ procedunt de labijs meis, ait alibi, non faciam irrita. Sed satis diu cantico huic sumus immorati, ad reliqua properamus.

Psal. 131. Esa. 11. Esa. 7. Hier. 30 Baruc. 3 Psal. 88.

*Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, & reuersa est in domum suam.*

Sex mensium à conceptu erat infans, quando beatissima virgo salutauit Elizabeth, quæ & puero in ventre ipsius sanctificato, repleta est spiritu sancto, & tres ferè menses mansit apud eam. At ferè sex & ferè tres, nouem non excedunt menses. Tempus autem naturalis partus, ad initiũ decimi peruenit: Vnde ex præsenti loco colligimus, virginem discessisse circa tempus pariendi Elizabeth, hoc est, cùm iam iam esset paritura. Mansit autem quàm diu potuit, & abijt quando debuit. Indecens enim est, virginem parientibus adesse: & Maria virginum omnium regina & speculum, fugiebat multitudinem hominum qui ad partum venturi erant. Mansit itaq; Maria tribus mẽsibus cũ Elizabeth, nec dubium, quin cum magno & Ioannis & matris profectu. Si enim eo quod tantum venit Maria ad Elizabeth, & salutauit eam, exultauit infãs in gaudio, & spiritu sancto plena Elizabeth pphetauit ea quæ in Euangelio scripta sunt, & in vna hora tantos profectus habuit, nostræ cõiecturæ relinquitur, quid in trib' mẽsibus profecerit assistente Maria Elizabeth. Valde quippe indignũ est in pũcto horæ atque momẽto exultare, spiritu sancto repleri, & per tres mẽses ex vicina matris Dñi saluatorisq; præsentia non profecisse. Quid & quãtum eis credimus affuisse gaudij, dũ de diuinis solæ cõfabularẽtur, dũ referebãt quod non proprijs meritis, sed ex diuina gratia talium fœtuum factæ fuerant portatrices, tam magnorũ filiorũ se præcognoscerent esse matres? Nesciebant diuortiari ab inuicem, quas amor cœlestis coniunxerat. Neque enim tam citò dimittenda bonorum consortia, vbi possibilitas est morandi, nec leuitate animi recedendum est ab his, in quibus verè virtus adesse cognoscitur. Et sicut vtile ac laudabile est non repente bonorum consortia derelinquere, ita vtilissimum est impiorum conuentibus non accedere. Sequitur.

Obseruatio. Obseruatio.

*Elizabeth autem impletũ est tempus pariendi, & peperit filium. Et audierunt vicini & cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei.*

Si quis cogitauerit quo dictãte Lucas Sanctus scripserit Euangelium, non mirabitur nos longiori tractatu Euangelistæ verba persequi. In Ethnicorum scriptis vtcunq; dormitare licebit: at in sacris non item. Quæcunque scripta sunt, inquit Apostolus, ad nostram doctrinam scripta sunt. Itaque vbi textus facilioris interpretationis fuerit, ad moralem locum expatiemur. An non facillima videntur verba iam ex Luca recitata? At pregnantia sunt. Cæterùm omissis longioribus ambagibus, quæ Dominus dederit, differemus qua poterimus fide. Primò itaque hic vide quàm omnia respon-

Rom. 15

respondeant praemissae prophetiae. Angelus ad Zachariam dixerat: Vxor tua Elizabeth pariet tibi filium. Et iterum: Multi in natiuitate eius gaudebunt. Et Elizabeth ipsa dixerat: Sic fecit mihi Dominus in diebus quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines. Iam vides omnia haec impleta. Peperit enim Elizabeth filium, laetantur & congratulantur vicini, & agnoscunt Dei in hoc partu misericordiam. Iam, si placet, verba ipsa inspiciamus. Elizabeth impletum est tempus pariendi. Quod hic quidam obseruarunt & annotarunt, verbum implendi tātùm poni vbi de iustorū partubus fit mentio, non autem de impiorum, nolumus longiori tractatu discutere. Neque tamen otiose putamus positum, tempus hoc impletum esse, cùm potuisset simpliciter dici: Elizabeth peperit filium. Hoc igitur mihi videtur spiritus sanctus in Luca voluisse intelligi, iuuentam Elizabethae non fuisse tempus pariendi, sed potius senectam. Credibilius enim fuerat Elizabetham parituram in ipsa iuuenta, quàm in senectute. At Domino totius creaturae, qui etiam citra communē cursum operari potest, visum est, vt tandem in senectute impleretur tempus pariendi. Itaque quae in iuuentute sterilis fuit, in senectute, iuxta Dei pollicita, peperit filium, filium talem, cuius laus ante suam natiuitatem, ab Angelo Gabriele decantata est. Et audierunt vicini & cognati eius, Elizabethae intellige, quia magnificauit Dominus misericordiam suàm cum illa, & congratulabātur ei. Mirum fortassis alicui videbitur, quòd vicini sic celebrant hunc partum, quasi in hoc Deus Elizabethae maximè misericors fuerit, & quasi minus propitium videatur habere Dominum, quae mater fieri non possit. Hoc negotiū expediemus, id quod nos facturos recepimus. Primò itaque obseruandum, qualis fuerit Iudaici populi sup sterilitate sentētia.

*Orig. Ambr. Theo. Beda.*

*Impletū tempus.*

*De sterilib9 matribus.*

In Deuteronomio sic legimus: Si postquàm audieris haec iudicia, custodieris ea, & feceris, custodiet & Dominus De9 tuus pactum tibi, & misericordiā quam iurauit patribus tuis, & diliget te & multiplicabit, benedicetq; fructui ventris tui, &c. Eadem & in Exodo dicta sunt, & vtroque loco additum: Non erit apud te sterilis vtriusque sexus. Foecunditas itaque in populo testabatur Dei fauorem, sterilitas autem rudi populo indignationem Dei testari videbatur. Sic & in Psalmis legimus: Beat9 es, & bene tibi erit, vxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tuae. Filij tui sicut nouellae oliuarum, in circuitu mensae tuae. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum. Et Psal. cxliij. Quorum filij sicut nouellae plātationes, in iuuētute sua. Filiae eorum compositae, circumornatae vt similitudo templi, &c. Beatum dixerunt populum cui haec sunt. Vides foecundos bene audire in Israel, steriles autem blasphemari. Accedit quod & quaedā mulieres, propter impietatem, sterilitatis opprobrium pertulerunt. Sic in Genesi legimus: Concluserat Dn̄s omnē vuluā domus Abimelech, propter Saram vxorem Abrahae. Sic Michol filia Saul quoniam temere despexerat Dauidem coram arca Domini saltantem, nō accepit filium vsque in diem mortis suae. Et in Propheta Oseae, de Iudaeis idololatris dicit Dominus: Quòd si enutrierint liberos suos, absque liberis faciam eos in hominibus. Et statim: Quod etsi genuerint, interficiam amantissima vteri eorum. Ex his itaque & similibus sumpserunt Iudaei occasionem, sterilitatem verum esse indignationis Dei argumentum. Sed falsi sunt. Dominus enim subinde solebat impios sic punire, at non omnes steriles in poenam suam steriles sunt. Apud Esaiam enim legimus: Eunuchis nihil obesse, etiamsi nō possint post se relinquere semen: modo legem Dei non praeuaricarentur:

*Deut. 7.*

*Exo. 23.*

*Psal. 127*

*psal. 143*

*Gen. 20*

*2. Reg. 6*

*Osee 9.*

*Esa. 56.*

&

& docuit ibidem nihil obesse, si quis aut non posset habere filios, aut nollet, dummodo legem Dei seruaret. Maledictum enim illis comperebat, qui cùm possent aut vellent diuino obstante iudicio, steriles erant, ne fructum haberet creationis Dei, quem spernebant. Vnde cùm viderent generare se non posse, aut genitos minimè possidere, cognoscerent indignantis Dei iram esse, & conuersi satisfacerent. Et tamen falsa opinio illa, non infimos tantùm, sed etiam magnos tenebat homines. Nam & sancti viri, cùm cupidi essent filiorū, & id non obtinerent, æstimabant peccata obstare, & dolebant, ignorantes Dei esse obseruantiam, cui seruabantur. De Abraham, Isaac & Iacob loquimur, qui omnes steriles habuerunt vxores. Non possum carpere eorum vitam, & dicere, quòd sterilitatē illam peccata fuerint operata. Omnes iusti, omnes virtute præditi, omnes à Deo testimoniū habentes. Nam de ipsis dicebat: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Beatus autem Paulus: Ideo nō confunditur Deus, vt inuocetur eorum Deus. Multæ ipsorum laudes in nouo, multæ in veteri testamento. Vndique clari & nobiles, & omnes habuerūt steriles vxores, multóque tempore caruerunt liberis. Falsa itaque eorum est opinio, qui existimant sterilitatem sem per esse peccati pœnam, quum tam clari viri, tam Deo dilecti viri, omnes steriles habuerunt vxores. Videmus itaq; vnde hanc falsam persuasionem hauserint tam magnates quàm infimates: & inde possumus conijcere quare Elizabeth suam sterilitatem opprobrium vocarit, & quare vicini fœcunditatem Elizabethæ Dei misericordiæ adscripserint. Congratulati sunt itaque vicini & cognati Elizabeth, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, ita vt in senectute potuerit parere filium, & sic potuerit veterum Patriarcharum assimilari vxoribus, quæ & ipsæ in senectute tandem effectæ fuerunt matres. Laude digni sunt profectò vicini & cognati illi, qui oēm inuidiam exuētes, alienæ fœlicitati cōgratulantur. Diabolicum est enim aliena torqueri fœlicitate. Laude digna etiam est Elizabeth, quæ sua probitate & suis commodis moribus potuerit sic à se omnem propellere maleuolentiam eorum quibus cum conuersari debuit. Inuenias enim familiam sic exorbitantem, vt non possit non contemni à vicinis. Sis tu Elizabeth, & inuenies qui fœlicitati tuæ non inuidebunt. Sequitur:

Aug. Quæst. Veter. et Nou. te. sta. ca. 17

Chryso stomus Ho. 48. in Gen. cap. 25

Heb. 11

*Et factum est in die octauo venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam.*

In Genesi Dominus ad Abraham dixerat: Masculus octo dierum circuncidetur. Nato itaque Ioanne à partu ipsius octauo die venerunt, vicini nimirum & cognati in ædes Zachariæ ad circuncidendum puerum. Neque enim lex circuncisionis in Ioanne, sed in Christo cessare debuit, quoniam Ioannes promissionem Abrahæ à Deo factam implere non potuit, quam vnus Christus Dei filius, Messias noster implere debuit. Porrò sicut nos in baptismo, ita illi in circūcisione pueris noīa indere solebant. Dū itaq; circuncideretur puer, & ipsi nomen imponi debebat. Pater aūt mutus, cùm loqui non posset, qui tamen autor esse debebat imponendi nominis, Cognati & vicini suspicantes id patrē velle, quòd vulgo solet esse gratissimum, appellarunt eū nomine patris sui Zachariam. Sed quàm hoc displicuerit vtrique parenti, statim audiemus. Tu hic primùm disce in rebus prosperis, inq; temporibus lætitiæ Dei non obliuisci. Magna quidem erat omnium lætitia, neque tamen vel negligebāt vel differebāt Dei mādatū. Nos porrò acceptis q̄ volumꝰ, ne pili quidē facimꝰ Deū. Cura itē ne negligas circun-

Gen. 17

circumcisionem tuam ; sed amputato omnia superflua, ne os plus loquatur quàm deceat, ne auris non audienda audiat, ne oculus fugiẽda cõcupiscat, &c.

*Et respondens mater eius dixit: Nequaquam, sed vocabitur Ioannes. Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine.*

Amici & vicini, quemadmodum diximus, bono animo nomen patris volebant puero imponere, at aliud visum est parentibus, imò spiritui sancto qui aliud iusserat: & dignum est, vt nostram voluntatem quantumuis bonã, semper postponamus Dei beneplacito, id quod in superioribus etiam admonuimus. Sed ad propositum. Bono, inquam, animo cognati & vicini volebãt vt puer iam natus vel ipso nomine referret patrem, tum quòd & primogenitus & vnigenitus videbatur esse patris, tum etiam, quòd patris nomen nihil absurdi haberet, imò quòd per omnia videretur cõuenire. Zacharias enim interpretatur, memor Dei: et conueniebat vt puellus iã natus nunquam nõ foret memor Dei. Cæterùm hoc pium vicinorum votum non placebat Elizabethæ, quæ haud dubiè à spiritu sancto edocta fuerat nomẽ prolis, ideoq; ait: Nequaquam id fiet quod vestra pietas suggerit, sed vocabitur Ioannes: non quòd mihi matri displiceat nomen, sed quòd aliud visum sit Deo. Non cesserunt autoritati matris cognati, sed è regione contendebãt potius appellãdum Zachariam, eo quòd nullus esset in tota gẽte Zachariæ, qui dictus sit Ioannes. Hoc de affinibus & cognatis præsentibus intelligendũ est, aut qui non diu adeò defuncti ex familia illa fuerant. Nam inter maiores eius pleriq; hoc nomine vocati fuerunt. De impositione nominis paruulorum, suo loco dicemus. Neque enim dici potest, quàm superstitiosi quidam in hoc negotio sint. Quod sequitur videam9.

*Innuebãt autem patri eius, quem vellet vocari eum, & postulans pugillarem, scripsit, dicens: Ioannes est nomen eius. Et mirati sunt vniuersi.*

Quum non conueniret inter puerperam & cognatos, opus erat autoritate patris, quæ contentionem finiret: at is nondum habebat linguam ; nutibus igitur vtcunq; significabant illi, quod nomen placeret puero indi, pluris enim huius, quàm matris faciebant autoritatem. Ille, re intellecta, poposcit tabellas pugillares, vt mutis literis indicaret quod viua voce eloqui non poterat. Allatis pugillarib9 scripsit in hunc modum: Ioannes est nomen eius. Ac si apertè dicat: Non sibi mater, non ego potior parens huic nomen imponimus, sed hoc est penitus nomen eius. Nos sibi non damus, vosq; cognati, more solito in aliis, nato huic nomen non imponetis: habet nomen, tenet nomen. Frustra de huic imponendo nomine litigatis. Ioannes est nomen eius. Quod igitur de supernis est sancitum, humanis iudiciis non transfertur. Hæc cùm cognati intellexissent, mirati sunt vniuersi, nimirum quòd placeret nomen nouum, & quòd inter matrem, & patrẽ mutum de nomine conueniret. De etymologia nominum Zachariæ & Ioannis, diximus suo loco. Laudamus hic cognatos quoniam præter volũtatem parentum, quorũ intererat, nihil voluerunt facere. Et iã videm9 Zachariã melius sapere, qui nomen quod ab angelo, Ioanni nondum nato impositum fuerat, mutare non ausit. Sequitur:

*Apertum est autem ilicò os eius, & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum.*

Prædixerat Angelus Zachariam voce priuandum, quousque hoc quod dixerat compleretur: sed iam videbatur completũ, qñ filius erat natus. Cur igitur in natiuitate aut in ipso ortu Ioãnis

os Zachariæ nō fuit apertum, sed vsque in octauum diem dilatum? Ecce in natiuitate Ioannis, verba Angeli nondum fuere in totum completa, ideoque differri debuit loquela Zachariæ. Neque enim tantū prædixerat angelus, quod Zachariæ nasciturus esset filius; sed quod in natiuitate eius plures essent gauisuri, & quod vocandus esset puer Ioannes. Itaque non debuit Zacharias loqui, donec pueri innotuisset nomen. Adde quod miraculū hoc in circumcisionis die clarius erat ob populi frequentiam, quàm in die natalis. Et præstabat hæc populum scire, vt magnificentius postea tractaretur Ioannes, maiórque huius esset apud populum autoritas: Nihil difficultatis hoc loci est. Obseruandum tamen, quod Zacharias suum loqui à laude Dei accipit, quod vtinam idem facerent liberi quorundam parentum malè religiosorum: Certè oportebat pueros primum omnium paternas preces, non diabolicas blasphemias voce pedissequa, vt ita loquar, imitari. At non sumus Zachariæ, hoc est, memores Dei, cui de omni verbo ocioso reddenda erit ratio: Cæterùm quomodo Zacharias benedixerit dominū, nō ita multo pòst audiemus: Sequitur.

Obseru.

*Et factus est timor super omnes vicinos eorum, & super omnia montana Iudeæ diuulgabantur omnia verba hæc. Et posuerūt omnes qui audierāt in corde suo dicentes: Quis putas puer iste erit? Etenim manus domini erat cum illo.*

Omnia quæ hactenus enumerata sunt, scilicet de anu puerpera, de nouitate nominis, de filio per angeli promissum nato, de patre prius ex loquente facto muto, rursus ex muto in laudem Dei facundo facto, omnia, inquam, hæc rumore sparsa sunt, non iam per cognatos tantum ac vicinos, verum etiā per vniuersam illā Iudææ regionē, quæ montana dicitur, adeo vt non solum admiratio, sed stupor quidam & horror, ex tot tam insolitis miraculis conceptus, occuparet animos hominum. Siquidem ex his præludijs colligebant, natum puerum olim magna & inaudita patraturum, cuius conceptus & natiuitas iam tum prodigijs insigniretur. Videbant patris effœtam senectutem, anus deplorarant sterilitatem; audierant, haud dubiè, Gabrielis intercessisse ministerium, sentiebāt in vtroque parēte spiritus cælestis afflatum, nihil nō esse præter morē cōmunem, nihil non præ se ferre virtutē diuinam. Hæc in suo corde quique contēplantes, dicebant apud se: Quis nam futurus est iste puer? Q. d. Nemo prophetarum tam prodigiosè natus est. Similia nō vidimus, & necesse est vt mira & singularia velit Dominus per hunc infantem operari. Addit Euangelista: Erat enim manus Dei cū illo: hoc est, diuina non humana virtus sese tum magnificè exerebat in puero, & in vtroque etiam parenre: Vtinam & in nobis manus Dei, id est virtus diuina sese exerat, vt nemo non magnificè de nobis sentire possit. Nam profectò ea est iam complurium Christianorum vita, vt meritò de singulis dici possit: Quis putas puer iste erit? Quòd si interrogares verè Christianum, vtique responderet: Nisi pœnitentiam egerit, mancipium diaboli futurus est. Neque enim manus domini, sed diabolicus quidam genius sese in illo exerit. Sic itaque vitā & tuā & tuorū instituas, vt etiā qui certò nesciunt qualis futurus sis, tamen nihil mali de te opinari possint: vt ex primis herbis sibi polliceri possint quā optimos fructus. Obseruandum postremò est, vt & nos ea quæ de diuinis operibus, vel videmus vel audimus, in corde nostro ponamus, iuxta illud quod in Psalmis est: In corde meo abscōdi eloqa tua, vt nō peccē tibi. Hoc est, ponēda sunt verba diuina in cordib⁹ nostris vt ea credamus & diligamus, vt in eis

Obseru.

Obseru.

Psal. 118.

P ij sedulò

sedulò meditemur, vt ex eis fiat directio gressuum nostrorum, ne à vero deuiantes, in falsa incidamus: Quæ sequuntur videamus.

*Et Zacharias pater eius repletus est Spiritu sancto & prophetauit dicens: Benedictus dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit redēptionē plebis suæ.*

Vide quàm bonus Deus, & facilis indulgere peccatis. Non solum ablata restituit, sed etiam non sperata concedit. Amissam loquelam Zachariæ reddidit, & Spiritum sanctū, spiritū propheticū eidem donauit, sic vt nō solum de præsentibus & futuris loqui, sed etiā de futuris prophetare potuerit: Quod enim hoc loci canit Zacharias sacerdos, verè prophetia est, demonstrans quid Christus nondum natus suo tempore operaturus esset, adiungens itē de puero suo Ioanne, id quod iam pridē ab angelo didicerat. Incipit autem sic, Benedictus dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit redemptionem plebi suæ: Audiuimus in prioribus canticum Diuæ & gloriosæ virginis Mariæ, quod spiritusancto repleta cecinerat, audiemus iam carmen, aut si mauis hymnum, quem eodem Spiritu sancto dictante, lætus atque iocundus cecinit Zacharias, quémque S. Mater Ecclesia, vt magnificum & consolatione plenū, in quotidiano vsu habet. Vult itaque Zacharias in hunc modum dicere. Prædicanda est, inquit, & omnis laudis genere vehenda Dei bonitas, qui cum sit Deus omnium, tamē peculiariter vult dici De⁹ Israel, non quòd non esset aliarum gentium quoque Deus & dominus, sed quia sese Deū Israel semper exhibuerit, ab illo agnitus adoratúsque fuerat & prædicatus, prædicanda inquā Dei bonitas est, quæ tandē dignatus est inuisere populum suum, iam miseræ diutinæque seruitutis tædio laborantem, ac desperationi proximū, aduersus quē Satanas, peccatum & mūdus inualuerat, dignatus est redimere. Iam si placet singula prophetæ Zachariæ verba discutiemus: Benedictus, inquit, domin⁹ Deus Israel: Vbi nos consueuimus dicere: Laudandus Deus, siue Deo sit laus, Hebræi, hoc est Iudæi, dicere solent benedictus Deus. Sic diuus Apostolus in Corinthijs ait: benedictus Deus & pater domini nostri Iesu Christi. Et in Psal. Benedic anima mea dominum, hoc est, lauda, magnifica dominū, magnalia eius prædica, vt & ab aliis prædicet & glorificetur ab omnib⁹: Quare autem vocat dominū & Deum Israelis, cū sit dominus omni ratione creationis & possessionis. Ideo nominat eū Deū Israel, quoniam excludere voluit omnes alios gentiū Deos, qui & si vocentur dii, nihilominus sunt dæmonia, sicut Psalmus dicit: Omnes dij gētium dæmonia. Est alia ratio quoniā De⁹ verus à nullo alio populo rectius colebatē quàm ab Israelitis, vnde & Deus Israel specialiter dici voluit. Eò iam referri debet, quod in Deutronomio legimus, Moysen ad Israelitas dicere, te elegit dominus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terrā, quia dilexit vos dominus. Et in Psalmis: Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomē eius. Et rursum: Annunciat verbū suū Iacob, iustitias & iudicia sua Israel: Accedit ad hoc quod Christus in euangelio dicit. Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Habes itaque quare Deus vniuersorum, peculiariter Deus Israelitarum dici voluerit, nimirum quoniam à solis Israelitis vero cultu, nimirum quem ipse instituerat, colebatur, & quoniam peculiariter horum rationē habuit semper: Iam autem, iuxta Pauli mentem, omnes dicuntur Israelitæ, qui vera & viua fide Christum amplectuntur, siue carne fuerint Israelitæ, siue Moabitæ: Iam quid sibi velit verbum, visitauit, videamus.

Et pri-

Benedictus Dominus. Cor. 5.

Psal. 102

Deus Israel.

Deut. 7.

Psal. 147

Mat. 15.

Israelitæ Rom. 9.

Et primò quidem in rationibus temporum obseruandus est mos prophetarum, qui rem futuram sic exprimunt, ac si iam perfecta fuisset, id quod certitudinis est propheticæ. Quod enim hic Zacharias de visitatione & redemptione canit, vix dum quando hæc canebat, occeperat, neque enim tum Christus natus fuerat, nedum passus & mortuus. At morte Christi redempti sumus, hinc liquet Zachariam de morte Christi futura dicere, ac si iã præterita fuisset. Iam ordo nos vocat vt & de visitationis appellatione dicamus, quoniam huius appellatio latè patet. Visitare dicitur Deus hominem, sicut medicus dicitur visitare ægrotum, nimirum vt eius infirmitates subleuet, vt miserũ curet, vt benefaciat, vt dolori & tribulationi finem imponat. Sic in Exodo legimus: Visitando visitaui vos, & vidi afflictiones vestras. Sic Sophoniæ ij. Visitabit eos Dominus Deus eorum, & auertet captiuitatem eorum. Et in Psalmis: Visita nos in salutari tuo. In Euangelio autem populus dicit: Propheta magnus surrexit in nobis, & Deus visitauit plebem suam. Postremò Christus ruinam Hierosolymorum deflens, dicit illa omnia super Hierusalem futura, eo quòd non cognouerint tempus visitationis suæ. Et ita plerunque fit, vt qui Iesum sanantem & miserantem contemnit, pòst iratum & plectentem effugere non posSit. Sic itaque Zacharias canit Christum venturum nostro bono, nimirum vt nos redimat & liberet à peccati & Satanæ iugo, vt nos patri cœlesti conciliet, vt nos ad vitam æternam erudiat, id quod & in sequentibus demõstrabit ordo carminis, huius verè sancti sacerdotis. Et tu vide ne tam benignum Dominũ excludas, ne tam peritum medicum contemnas, ne huius recepta, quæ vocant, contemptim negligas: hoc enim impunè tibi non licebit. Si visitationem illam benignam agnoscere nolis, vereor non prorsus amicam aliam in tempore sensurus sis visitationem, puta de qua scriptum est: In die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum. Et in Leuitico: Quòd si non audieritis me, sed spreueritis leges meas, &c. visitabo vos velociter in egestate & ardore qui conficiat oculos vestros, & consumat animas vestras, &c. Addam & ex Psalmis: Si iustitias meas, inquit, prophanauerint, & mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Simus itaque & nos populus Israel, simus plebs Domini obediens, vt visitatione misericordiæ suæ nos visitet, vt digni habeamur stare ante filium in postremo visitationis die, cuius. ¶ Diuus Petrus in Canonicis suis meminit, dicens: Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis. Quod postremo Zacharias dicit: fecit redemptionem, idem est, atque redemit nos. Venit enim filius hominis ministrare, & animam suam dare in redemptionem pro multis. Captiui enim tenebamur, & in carcere peccatorum positi eramus, nec erat aliqua creatura siue in cœlis siue in terris, quæ nos redimere potuisset. Venit itaque Dominus Deus Israel, misericorditer nos visitauit, & pretioso sanguine suo nos redemit, de quo Paulus in Corinthijs: Empti, inquit, estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro. Et Diuus Petrus: Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi & incontaminati. Dicamus itaque cum Zacharia ex animo, in exultatione spiritus nostri: Benedictus & laude dignissimus Dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit redemptionem plebi suæ. Sequitur:

*Et erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui.*

Quid est erigere, vel vt alij legunt,



Margin notes: Visitare; Exod. 3; Psal. 105; Luc. 7; Luc. 19; Exo. 32; Leui. 26; Psal. 88; 1. Pet. 5; 1. Cor. 6; 1. Pet. 1

Cornu. excitare cornu? Cornu vulgari phrasi scripturæ, pro victoria, virtute, gloria, regno, amplitudine, potentia, & maiestate sumitur, vel quòd quadrupedum animalium potentia & robur cornua sint: illis enim bestiæ pugnāt & superbiunt: vel quòd Reges oleo & cornu sumpto inungebātur. Sic Zachariæ ij. Ecce quatuor cornua, id est, regna. In Threnis autem ij. Confregit in ira sua omne cornu Israel, id est, fortitudinem. Hoc ergo in loco cornu pro fortitudine, & regia potentia sumitur, vt sit sensus: Excitauit potentissimum & robustissimum regem, in domo Dauid, hoc est, de familia Dauid, nimirū qui eum Satana congredi, & ipsum vincere posset. Potens enim erat Tyrānus, qui multo satellitio stipatus, regnabat per omne genus hominum, à quo viribus humanis non poterat vindicari libertas Israelitarum. Solus Deus hoste potentior, addidit infirmis robur, misso duce inuicto, qui cornu diuinæ virtutis deijceret aduersariorum opes, quiq; deuicta morte gratis conferret per fidem salutem æternam omnibus. Breuiter, Christus Iesus Dei filius, in hoc à patre missus est, vt expugnaret Satanā principē hui⁹ mundi, nosq; oēs qui ipsi per veram & viuā fidem adhærerent, ab illius liberaret tyrannide. Huius pugnæ præludium fuit pugna Dauidis aduersus fastuosissimum illum Philisthæū Goliath. Huius pugnæ meminit Christus in Euangelio, quando abstergebat à se calumniam Iudæorum, qui dicebant ipsum præsidio principis dæmoniorum eiicere dæmonia: dicit enim ibidem: Cùm fortis armatus custodit atrium suum, &c. Huius pugnæ etiam meminit Paulus, cùm in Colossensium epistola dicit: Et vos cùm essetis mortui in delictis & in præputio carnis vestræ, hoc est, in Gentilismo & Idololatria vestra, conuiuificauit Deus cum Christo, donans vobis omnia delicta, delens quod aduersum vos erat chirohraphum decreti, quod erat contrarium vobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, & expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. Docet itaque Paulus hoc loco aduersarios nostros à Christo non tantùm victos, sed etiam omnibus armis & præsidijs spoliatos, id quod & Euangelium docet. Et in Hebræis apostolus testatur Christum per mortem suam eum destruxisse qui mortis habebat imperium, hoc est, diabolum. Sequitur:

Zach. 1. Threu. Threu. 1. reg. 17 Luc. 11. Colos. 2 Heb. 2.

*Sicut loquutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt prophetarum eius.*

In sanctissimo simul & præclarissimo hymno D. virginis Mariæ audiuim⁹, quomodo omnia sua dicta ad promissiones Dei retulerit, dicens: Sicut locutus est ad patres nostros, &c. ita & Zacharias in hoc suo hymno testatur omnia fieri iuxta condictum. Hæc, inquit, quæ enumero, non casu sic eueniunt: sed quod nunc præstat, iam olim promiserat Deus per omnium prophetarum ora, quos suo spiritu afflauerat, qui ab orbe condito vaticinati sunt. Huc pertinet quod D. Petrus in Actis dicit paria cū Zacharia, & addit, Moyses quidem dixit, Quoniā Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris tanquam me: ipsum audietis iuxta omnia quæcunque locutus fuerit vobis. Erit autem: omnis anima quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe. Et omnes prophetæ à Samuel, & deinceps qui locuti sunt, etiam annunciauerunt dies istos, &c. Et rursum idem Petrus in Actis cap. x. Huic, Christo scilicet, omnes prophetæ testimoniū perhibent, remissionem accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Porrò omnia prophetarū testimonia super Christo enumerare, non est præsentis instituti. Nonnulla in hymno virginis gloriosæ

Deut. 18. Act. 3 Act. 10

riosæ adduximus. Nihil enim vel egit, vel passus est Christus, quod non in veteri lege prædictum & prophetatũ fuerat ipsum vel acturum vel passurum. Natiuitatis ipsius & locus, & tempus, & genus, iam olim fuerat prædictum, quoniam scilicet de semine Abrahæ, de familia Dauid, & in Bethlehẽ terræ Iudæ, & tunc tãdem quando ablatum fuisset regnum à Iudæis, id quod Iacob prædixerat. Nec solum prædixerunt futurum Christum prophetæ veteres, sed etiam modum aduentus notarunt. Nã affuturus erat, nõ iaciẽs vel fulmina vel fulgetra è supernis, neque concutiens terram, nec rotans cælum, nec alia id genus prodigia operans: sed absque strepitu, & ita absq; tumultu & turbatione, vt nemo persentisceret. In Bethlehem enim, in diuersorio publico natus est, vnico Ioseph fabro teste. Vnde in propheta prædictum fuerat: Descendet sicut pluuia in vellus, quo nimirum ostendit, quàm placidè venturus esset. Quid vltra: Herodes Christum inquisiturus erat, & interempturus propter eum omnes qui ibi erant pueros: & neque hoc siluerunt prophetæ, sed multis antea temporibus prædixerunt, dicentes: Vox in Rhama audita est, &c. Nam hanc prophetiam adduxit Matthæus ipse. Erat Christus in locis insignibus manifestandus, vbi statim signa faceret & doceret. Et hoc ipsum prædictum est à Propheta Esaia dicente, quoniã in tribu Zabulon & Nephthalim, ijs qui in tenebris ambulabant, lux orta sit. Subiungit idem propheta futura per Christum miracula, dicens: Tunc aperientur oculi cæcorũ, & aures surdorũ audient, tunc saltabit quasi ceruus claudus, & clara erit vox inexpeditè loquentium: quod scilicet nunquam factum est, nisi in aduentu Christi. Breuiter, doctrina, miracula, passio, resurrectio, in cælum ascensio, Spiritus sancti missio, imò & Mathiæ in Iudæ traditoris locum surrogatio à prophe-

Psal. 71. Hier. 31. Math. 2. Esa. 9. Esa. 35.

tis longè antea prædicta, quàm facta fuerunt. Nusquam enim non aperta sunt in Euangelicis & Apostolicis literis prophetarum testimonia. Et Christus non temerè dixit: Scrutamini scripturas, hæc enim testimonium perhibent de me. Et iterum: Si Moysi crederetis, crederetis vtique & mihi, de me enim ille scripsit. Et rursum: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & ita intrare in gloriã suam. Ex his itaque manifestum est Zachariã verè dicere, cùm dicit: Quoniam Deus omnia facit, iuxta quod locutus fuerat per os sanctorum prophetarũ, qui ab initio seculi fuerunt. Obserua hic authoritatem prophetarum, & vide ne illos contemnas, sancti enim dicuntur, et Deus per os illorum locutus prædicatur. Obserua item, quòd non dicit per ora, sed per os, scilicet, prophetarum, vt declaret illos, etiam diuersis locis & diuersis temporibus eadem docuisse. Sed procedamus.

Ioan. 5. Luc. 24. Prophetæ non contemnendi.

*Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos.*

Quod plus sacerdos & sanctus propheta paulò antea obscuris verbis dixerat de cornu salutis excitato, hoc iam ipse interpretatur, Salutem esse ex inimicis nostris, & de manu omnium qui nobis male volunt. Hoc ipsum & in priori versu dixerat, his scilicet verbis: Visitauit & fecit redemptionem plebis suæ. Hanc enim visitationem, redemptionem, hanc salutem, die errettung, ex inimicis iam olim promiserat Deus Ecclesiæ suæ per prophetam, inquiẽs: Exaltabitur manus tua super hostes tuos, & omnes inimici tui interibunt. Et D. Ioannes in canonica sua, inquit: In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli. Neque enim hic locus de corporalibus inimicis intelligendus est, sicut Iudæi persuadent sibi ipsis in aduentu Meßiæ liberationem à iugo Romani imperij, & nescio quæ alia

Mich. 5. 1. Ioan. 3.

sed de spiritualibus inimicis, qui dæmones dicuntur, qui nos maximè oderunt, vt qui nobis vitam inuident, et nos in perpetuum perdere festināt. De his paulò ante diximus. Liberati enim sumus atque redempti à iugo Satanæ; non quidem vt ne nobis posthac insultet, sed ne nolentes vi opprimat: tentare enim potest nolentes, sed non potest vincere nisi volētes. Dedit enim nobis potestatem conculcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici. Hinc & in Psal. xc. legimus: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Omnia enim superamus, teste apostolo, per eum qui dilexit nos. Fractæ & diminutæ sunt vires aduersariorum nostrorum: nostræ autem vires auctæ, & præsidia nostra aucta. Fidelis item est Deus, qui nō patitur nos tentari super id quod possumus. Nec habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris. Sufficerint hæc pro præsentis loci interpretatione: nam multis aliis locis earundem rerum erit tractatus. Præmissis addit Zacharias.

Psal. 90.

Rom. 8.

1. Cor. 10

*Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, & memorari testamenti sui sancti.*

Pulcherrima hæc sunt, & rursum cantico diuæ virginis Mariæ respondētia. Hæc enim cecinit: Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. Iam canit Zacharias eadem. Non erat hoc meriti nostri quibus præstitit hoc tantum beneficium, neq; patrum quibus promiserat quod nobis exhibuit. Sic illius bonitati est visum, vt rem tantam largiretur immerentibus: sic illius iustitiæ visum est, vt quod promiserat præstaret suo tempore, vt ab omnibus intelligeretur non modo misericors atque beneficus, verùm etiam verax & promissi tenax. Sed examinanda sunt singula. Quod addit, Deum facere misericordiam cum patribus nostris, principio testatur humanis meritis hic nihil tribui. Nullus enim hominum, imò nulla creatura siue in cœlis siue in terris mereri potuit, vt filius Dei hominem assumeret, nedum vt turpissima morte moreretur. Quid enim mereri possunt, qui omnes cum propheta clamare coguntur: Omnes iustitiæ nostræ quasi pannus mēstruatæ. Et Sapiens dicit: Non est qui faciat bonum & non peccet. Non quòd opera bona, iuxta Euangelicorum nostrorum somnium, peccata sint, sed quòd defectu non carebant, cùm fiebant ab iis qui in indignatione Dei & mortis rei tenebātur: & præterea quia hæc lōgè excedebant omne meritum humanum. Redemptio itaque humani generis, non nostris bonis operibus, sed misericordiæ & gratiæ Dei adscribi debet, id quod Paulus vbique testatur, & nos in superioribus etiam admonuimus. Imò audemus & hoc adiicere: Redemptio nostri erat & misericordiæ & debiti. Dicet quispiam: Quodnā ænigma hoc? Si misericordiæ, quomodo debiti? Si debiti, quomodo misericordiæ? Audacter dico, & piè dico; tu modò quod dico rectè intelligas. Rem paucis ita accipe: Debebat nobis aut potius sibi ipsi, quoniam promiserat, redemptionem, sed vt promitteret, nullis nostris meritis prouocatus, nec demeritis nostris prohibitus, hoc totum misericordiæ & gratiæ fuit. Vide autem gratiam & misericordiam. Adam & Eua præuaricantur diuinam legem, & ob hoc merentur pœnam æternam. Verùm Deus ab his non rogatus, nullis meritis prouocatus, vltro pollicetur seruatorem dicens: Inimicitias ponam inter te, mulierem & serpentem, inter semen tuum & semen illius, & ipsum suū semen conteret caput tuum. Hic certè promissus est Messias, vt quemadmodum sola bonitate ductus Deus hominem creauerat, ita & eadē ductus bonitate,

Esa. 64.

Eccl. 7

Redemptio nostra ex misericordia & debito.

Gen. 3

tate ductus Deus hominem creauerat, ita & eadem ductus bonitate, hominem suapte malitia lapsum restitueret. Et hoc est quod opus redemptæ & restaurataræ humanæ naturæ ad misericordiā Dei retulimus, sic tamen vt etiam debiti fuisse assereremus. Misericordiæ est, iuuat enim repetere, quod promiserit, debiti autem, quòd promissa exhibuerit. Fidelis enim est Deus, promissique sui tenax. Hinc est, quod Dauid in Psalmis clamat: Memor esto verbi tui, in quo mihi spem dedisti. Nemo sperare potuisset redemptionem, nisi Deus pollicitus fuisset, at pollicitatione facta, iam tutò & fidenter sperare licet. Huic pollicitationi nitebantur patres veteris testamenti, & nouerant ipsam non fore irritam, sed tantùm rogabant vt cito impleretur. Hinc illæ voces: Obsecro Domine, mitte quem missurus es. Et alius: Vtinam disrumperes cælum & descenderes. Huc etiam facit quod Christus in Euangelio discipulis suis dicit: Beati oculi qui vident quæ vos videtis, &c. Multi enim reges & prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, &c. Et apud Ioannem Iudæis loquitur: Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum, vidit & gauisus est. Quis est dies ille Christi? Dies reparationis humanæ naturæ, dies in quo descendit Iesus Christus Dei filius in vterum virginis, vnde & verus Deus & verus homo natus est, ad faciendam misericordiā cum patribus nostris, cum ijs nimirum qui promissum Messiam expectauerant, & futurum certò crediderant. Neque enim dubitauerant quin aliquando futurus esset memor testamēti sui sancti, quod ex mera misericordia cum ipsis fecerat. Videbant differri, sed non timebant auferri: differebatur enim, nec tamen negabatur: imò in ipsa dilatione subinde renouabatur pollicitatio. Neque enim semel Messias promissus est, sed sæpissimè, id quod Moyses & prophetæ testantur. Nulla tamen promissio sic celebris erat, atque ea quæ facta est ad Abraham, cuius etiam Zacharias hoc loci meminit dicens continenter:

*Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis. Vt sine timore de manu inimicorum nostrorū liberati seruiamus illi: In sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris.*

Quid De⁹ Abrahæ p̄miserit, notius est in Christiano orbe q̄ vt longiori tractatu opus sit, dicamus tamen nō nihil, id scilicet quod propius ad rem facit. In Genes. cap. xxij. legimus angelum Abrahæ loqui in hæc verba: Per memetipsum iuraui, dicit Dominus, quia fecisti hanc rē, & nō pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam quæ est in littore maris. Possidebit semen tuū portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. Hoc iusiurandum quomodo interpretetur Paulus adijciendum est. Sic inquit in Hebræorum epistola: Abrahæ p̄mittens De⁹, quoniam neminem habuit per quem iuraret maiorem, iurauit per semetipsum dicens: Nisi benedicēs benedicam te, & multiplicans multiplicabo te. Et sic longanimiter ferens adeptus est repromissionem: intellige quando Messias apparuit redempturus filios germanos Abrahæ. De eodem testamēto loquēs in Galathis dicit: Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit: Et seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno: Et semini tuo, qui est Christus. Fecerat itaque Deus testamentum cum Abraham, etiam interposito iuramento, quod esset benedicturus in semine, hoc est, per semē suū, omnes gentes. Iam Maria diua theoteros, ex semine Abrahæ orta est, & ex carne & sanguine Mariæ Christus: ergo Deus

Psal. 118. · Esa. 64. · Luc. 10 · Joan. 8 · Gen. 22 · Heb. 6 · Gal. 3.

Deus exhibuit: Iuramentum & iusiurandum quod iurauerat ad Abraham patrem nostrum, quod ipsum D. virgo in suo hymno etiam annotauit. Rogetiam quis: Ad quid igitur omnia hæc spectant? in quem finem omnia facta sunt? Quis redemptionis nostræ finis? Addit Zacharias: Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi. Hoc est quod in testamento Dei cum Abraham ponitur: Possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum: per portas intellige ciuitates. Hebræus enim per portas aliquando ciuitates & omnem munitionem intelligit: hinc nimirum, quod circum portas omnia sunt munitissima. Quod igitur Abrahæ dicitur: Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, idem est, ac si dixisset: Occupabit ciuitates & munitissima quæque loca inimicorum suorum. Et huc alludit sanctus Sacerdos, dicens: Vt sine timore de manu inimicorũ nostrorum liberati seruiamus illi. De inimicis nostris spiritualibus in superioribus diximus. Porrò manus inimicorum, hoc loci significat oppreßionem siue violentiam, tyrannidem & seruitutem, sicut & in Exod. xiiij. Liberauit Dominus Israelem de manu Aegyptiorum. Est & nobis Germanis hic tropus quàm familiatiss. vvere ich in sijner handr. i. si in potestate huius essem, peßimè me tractaret, &c. Sed propius ad rem: In hoc de hostium nostrorum potestate liberati sum⁹, vt posthac seruiam⁹ Deo, in sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris. Vide quàm diligẽter omnia enunciet vates, certis. s. numeris. Primùm ostẽdit cui seruiẽdũ sit, Deo, nõ diabolo, nõ libidini, nõ auaritiæ & cæteris vitijs, sed Deo. Sic Paul⁹ in Rom. Liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ. Quomodo seruiendum Deo? sine timore, hoc est, nõ coactè, nõ violenter, sed libere & hilariter. Hilarẽ enim datorẽ diligit Deus. Tertio. Quis

Exo. 14.

Rom. 6

verus Dei cultus? In sanctitate & iustitia. Sãctitas fidei est, iustitia operũ. Sanctitas cõsciẽtiæ est, iustitia vitæ. Ante Christum natũ Deus colebatur varijs variorũ animaliũ victimis, iã coli vult vera fide, quo ad ipsum: & vera dilectiõe quoad proximũ. Eadẽ docet Paulus Tit. ij. Vt abnegantes oẽm impietatem & secularia desideria, sobriè & iustè, & piè viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei & saluatoris nostri Iesu Christi, q dedit semetipsum pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate, & mũdaret sibi populũ acceptabilem sectatorẽ bonorũ operũ. Quarto, sic seruiendum est Deo coram ipso, nõ coram hominib⁹, vt hypocritæ faciũt, & sic mercedem suam perdunt: sed coram Deo ipso: à quo vno bonorũ operum mercedẽ sperare cõuenit. Attendite itaque, ait Christus, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, &c. Et Apl's: Si adhuc, inquit, hominibus placerem, Christi seruus non essem. Postremo addit Zacharias, cultũ hunc Deo exhibendũ, non vno atq; altero die, sed omnibus dieb⁹ nostris. Qui perseuerauerit vsque in finem, ait Christus, saluus erit. Et apostolus: Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.

*Et tu puer propheta altißimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.*

Hactenus enumerauit pius sacerdos Zacharias, quãta facturus sit Dñs populo suo per Meßiã multis retro seculis pmissũ: & qd hic rursum à nobis quærat, nimirũ vt vero cultu illi seruiamus ppetuò. Iã porro vertit orationẽ ad puerũ iamiã natũ Ioannẽ: & de huius functione pphetat, imò puero annũciat q̃ supra ab angelo audierat. Accepimus eñ angelũ in hæc verba locutũ: Elizabeth pariet tibi filiũ, Erit eñ magn⁹, &c. Et multos filiorum Israel conuertet ad Dñm Deũ ipsorũ, & quæ sequuũtur. Hæc, inq̃, Zacharias puero annũciat in præsen-

Quid sit talia dicere post sese parẽtes de suis

præſentia populi, vt illius apud hunc poſt hac maior ſit authoritas: ſicq; con gratulatur ſibi & ſuis in ſenecta tãdem & filium ſuſtuliſſe ex Elizabetha vxore, & tantum filium. Nec eſt vt quis hic accuſet Zachariam imprudentiæ, quòd puerum recenter natum & lactẽtem, & octo dies natiuitatis ſuæ non excedentem allocutus fuerit, qui nec intelligere, nec in memoria retinere po tuerit verba patris, ſi modò naturæ ordinem aſpexeris. Neque enim dubium eſt, quin qui in vtero matris agnoſcere potuerat Chriſtum non natũ, etiam potuerit percipere verba patris, non quidem iuxta vulgarem naturæ curſum, ſed iuxta eius, à quo in vtero ſanctificatus fuerat, potentiam. Sed verba ipſa audiemus. Et tu puer, inquit, propheta altiſsimi vocaberis, præibis enĩ ante faciem Domini parare vias eius. In hoc non eſt falſus pater. In Euangelij enim progreſſu Ioannes non tãtum propheta, ſed plus quàm propheta, & maior inter natos mulierum dicetur. Nec immeritò, quem enim alij prophetæ futurum prædixerunt, hunc Ioannes non natum agnouit non natus, & natum digito monſtrauit, & in Iordanis flumine baptizauit. Præiuit deinde ante faciem Domini parare vias eius, Chriſti nimirum Domini, id quod in ſuperioribus angelus aliis verbis expreſsit, dicens: Vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iuſtorum. Et iam continenter aliis verbis exponit Zacharias, dicens:

*Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius, in remiſsionem peccatorum eorum.*

Quæ ad munus ſanctiſsimi baptiſtæ pertinent, pater expreſsis deſignat verbis: Tuæ functionis erit populum erudire atque docere quænam ſit vera & compẽdiaria ad veram ſalutem via, quæ ſalus citra remiſsionem peccatorum nulla erit. Tu docebis filios Abrahæ, quid ſe facere oporteat, quò ad remiſsionem peccatorũ peruenire queãt. Audit populus Iſrael omni ſabato legem & prophetas in ſynagogis, & tantum audit, nec aliquid intelligit, quoniam non habet qui verè & ſyncerè erudiant. Fruſtra audiunt Scribas & Phariſæos, qui aliis claudunt regnum cælorum, & ipſi non intrant. Tu itaque ò puer, in hoc à Deo electus es, vt rectè erudias populum, quò agnoſcat veram ſalutem, & inueniat remiſsionem peccatorum. Duo obſeruanda ſunt in his duobus proximè præmiſsis verſibus. Primus teſtatur Chriſtum Mariæ filiũ verè & eſſe & dici Deum & hominem, hoc quod olim multi impugnarunt Hæretici, quum tamen præter cætera Zacharias apertis verbis Chriſtum hoc loci vocat & altiſsimum & Dominum. Obſeruandum deinde ad quid conducant verbi diuini præcones, nimirum vt populus ipſos audiens ad agnitionẽ veræ ſalutis perueniat, & remiſsionem peccatorum apud Dominũ inueniat. Cæterùm de officio Ioannnis in ſequentibus.

*Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto.*

His oſtendit, vnde nobis proueniat remiſsio peccatorum, nimirum à miſericordia & bonitate Dei noſtri, qua etiam ſola ductus venit in hunc mundum. Vocat enim Chriſtũ Orientem, iuxta illud prophetæ: Exorietur vobis timentibus nomen meum ſol iuſtitiæ. Et in Zacharia: Ecce ego adducam ſeruum meum Orientem. Et cap. vi. eiuſdem prophetæ: Et ecce vir, Oriens nomen eius. Quod autem hic dicit per viſcera miſericordiæ Dei noſtri nos & remiſsionem conſequi peccatorum; & nos ab Oriente, hoc eſt, Dei filio viſitatos, id eſt, ac ſi dixiſſet, per intimam & cordialem, vt ita dicam, miſericordiam & omninò effuſam quandam bonitatem ſtudiumque nobis benefaciendi. Sicut enim diua virgo omnia benefi-

Mal. 4

Zach. 3

respondeant præmissæ prophetiæ. Angelus ad Zachariam dixerat: Vxor tua Elizabeth pariet tibi filium. Et iterum: Multi in natiuitate eius gaudebunt. Et Elizabeth ipsa dixerat: Sic fecit mihi Dominus in diebus quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines. Iam vides omnia hæc impleta. Peperit enim Elizabeth filium, lætantur & congratulantur vicini, & agnoscunt Dei in hoc partu misericordiam. Iam, si placet, verba ipsa inspiciamus. Elizabeth impletum est tempus pariendi. Quod hic quidam obseruarunt & annotarunt, verbum implendi tãtùm poni vbi de iustorũ partubus fit mentio, non autem de impiorum, nolumus longiori tractatu discutere. Neque tamen otiose putamus positum, tempus hoc impletum esse, cùm potuisset simpliciter dici: Elizabeth peperit filium. Hoc igitur mihi videtur spiritus sanctus in Luca voluisse intelligi, iuuentam Elizabethæ non fuisse tempus pariendi, sed potius senectam. Credibilius enim fuerat Elizabetham parituram in ipsa iuuenta, quàm in senectute. At Domino totius creaturæ, qui etiam citra communẽ cursum operari potest, visum est, vt tandem in senectute impleretur tempus pariendi. Itaque quæ in iuuentute sterilis fuit, in senectute, iuxta Dei pollicita, peperit filium, filium talem, cuius laus ante suam natiuitatem, ab Angelo Gabriele decantata est. Et audierunt vicini & cognati eius, Elizabethæ intellige, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabãtur ei. Mirum fortaßis alicui videbitur, quòd vicini sic celebrant hunc partum, quasi in hoc Deus Elizabethæ maximè misericors fuerit, & quasi minus propitium videatur habere Dominum, quæ mater fieri non poßit. Hoc negotiũ expediemus, id quod nos facturos recepimus. Primò itaque obseruandum, qualis fuerit Iudaici populi sup sterilitate sentẽtia.

*Orig. Ambr. Theo. Beda.*

*Impletũ tempus.*

*De sterilibus matribus.*

In Deuteronomio sic legimus: Si postquàm audieris hæc iudicia, custodieris ea, & feceris, custodiet & Dominus Deus tuus pactum tibi, & misericordiã quam iurauit patribus tuis, & diliget te & multiplicabit, benedicetque fructui ventris tui, &c. Eadem & in Exodo dicta sunt, & vtroque loco additum: Non erit apud te sterilis vtriusque sexus. Fœcunditas itaque in populo testabatur Dei fauorem, sterilitas autem rudi populo indignationem Dei testari videbatur. Sic & in Psalmis legimus: Beatus es, & bene tibi erit, vxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ. Filij tui sicut nouellæ oliuarum, in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum. Et Psal. cxliij. Quorum filij sicut nouellæ plãtationes, in iuuẽtute sua. Filiæ eorum compositæ, circumornatæ vt similitudo templi, &c. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt. Vides fœcundos benedicere audire in Israel, steriles autem blasphemari. Accedit quod & quædã mulieres, propter impietatem, sterilitatis opprobrium pertulerunt. Sic in Genesi legimus: Concluserat Dñs omnẽ vuluã domus Abimelech, propter Saram vxorem Abrahæ. Sic Michol filia Saul quoniam temere despexerat Dauidem coram arca Domini saltantem, nõ accepit filium vsque in diem mortis suæ. Et in Propheta Oseæ, de Iudæis idololatris dicit Dominus: Quòd si enutrierint liberos suos, absque liberis faciam eos in hominibus. Et statim: Quod etsi genuerint, interficiam amantißima ventri eorum. Ex his itaque & similibus sumpserunt Iudæi occasionem, sterilitatem verum esse indignationis Dei argumentum. Sed falsi sunt. Dominus enim subinde solebat impios sic punire, at non omnes steriles in pœnam suam steriles sunt. Apud Esaiam enim legimus: Eunuchis nihil obesse, etiamsi nõ poßint post se relinquere semen: modo legem Dei non præuaricarentur:

*Deut. 7.*

*Exo. 23.*

*Psal. 127.*

*Psal. 143.*

*Gen. 20.*

*2. Reg. 6.*

*Osee 9.*

*Esa. 56.*

&

& docuit ibidem nihil obesse, si quis aut non posset habere filios, aut nollet, dummodo legem Dei seruaret. Male dictum enim illis competebat, qui cùm possent aut vellent diuino obstante iudicio, steriles erant, ne fructum haberet creationis Dei, quem spernebant. Vnde cùm viderent generare se non posse, aut genitos minime possidere, cognoscerent indignantis Dei iram esse, & conuersi satisfacerent. Et tamen falsa opinio illa, non infimos tantùm, sed etiam magnos tenebat homines. Nam & sancti viri, cùm cupidi essent filiorũ, & id non obtinerent, æstimabant peccata obstare, & dolebant, ignorantes Dei esse obseruantiam, cui seruabantur. De Abraham, Isaac & Iacob loquimur, qui omnes steriles habuerunt vxores. Non possum carpere eorum vitam, & dicere, quòd sterilitatẽ illam peccata fuerint operata. Omnes iusti, omnes virtute præditi, omnes à Deo testimoniũ habentes. Nam de ipsis dicebat: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Beatus autem Paulus: Ideo nõ confunditur Deus, vt inuocetur eorum Deus. Multæ ipsorum laudes in nouo, multæ in veteri testamento. Vndique clari & nobiles, & omnes habuerũt steriles vxores, multóque tempore caruerunt liberis. Falsa itaque eorum est opinio, qui existimant sterilitatem semper esse peccati pœnam, quum tam clari viri, tam Deo dilecti viri, omnes steriles habuerunt vxores. Videmus itaq; vnde hanc falsam persuasionem hauserint tam magnates quàm infimates: & inde possumus conijcere quare Elizabeth suam sterilitatem opprobrium vocarit, & quare vicini fœcunditatem Elizabethæ Dei misericordiæ adscripserint. Congratulati sunt itaque vicini & cognati Elizabeth, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, ita vt in senectute potuerit parere filium, & sic potuerit veterum Patriarcharum assimilari vxoribus, quæ & ipsæ in senectute tandem effœtæ fuerunt matres. Laude digni sunt profectò vicini & cognati illi, qui oẽm inuidiam exuẽtes, alienæ fœlicitati cõgratulantur. Diabolicum est enim aliena torqueri fœlicitate. Laude digna etiam est Elizabeth, quæ sua probitate & suis commodis moribus potuerit sic à se omnem propellere maleuolentiam eorum quibus cum conuersari debuit. Inuenias enim familiam sic exorbitantem, vt non possit non contemni à vicinis. Sis tu Elizabeth, & inuenies qui fœlicitati tuæ non inuidebunt. Sequitur:

Auguſt. Quæſt. Veter. et Noui te. ſta. ca. 17

Chryſoſtomus Ho. 48. in Gen. cap. 15

Heb. 11

*Et factum est in die octauo venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam.*

In Genesi Dominus ad Abraham dixerat: Masculus octo dierum circuncidetur. Nato itaque Ioanne à parentibus ipsius octauo die venerunt, vicini nimirum & cognati in ædes Zachariæ ad circuncidendum puerum. Neque enim lex circuncisionis in Ioanne, sed in Christo cessare debuit, quoniam Ioannes promissionem Abrahæ à Deo factam implere non potuit, quam vnus Christus Dei filius, Messias noster implere debuit. Porrò sicut nos in baptismo, ita illi in circũcisione pueris noĩa indere solebant. Dũ itaq; circuncideretur puer, & ipsi nomen imponi debebat. Pater aũt mutus, cùm loqui non posset, qui tamen autor esse debebat imponendi nominis, Cognati & vicini suspicantes id patrẽ velle, quod vulgo solet esse gratissimum, appellarunt eũ nomine patris sui Zachariam. Sed quàm hoc displicuerit vtrique parenti, statim audiemus. Tu hic primùm disce in rebus prosperis, inq; temporibus lætitiæ Dei non obliuisci. Magna quidem erat omnium lætitia, neque tamen vel negligebãt vel differebãt Dei mãdatũ. Nos porrò acceptis q̃ volumꝰ, ne pili quidẽ facimꝰ Deũ. Cura itẽ ne negligas

Gen. 17

circumcisionem tuam; sed amputato omnia superflua, ne os plus loquatur quàm deceat, ne auris non audienda audiat, ne oculus fugiẽda cõcupiscat, &c.

*Et respondens mater eius dixit: Nequaquam, sed vocabitur Ioannes. Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine.*

Amici & vicini, quemadmodum diximus, bono animo nomen patris volebant puero imponere, at aliud visum est parentibus, imò spiritui sancto qui aliud iusserat: & dignum est, vt nostram voluntatem quantumuis bonã, semper postponamus Dei beneplacito, id quod in superioribus etiam admonuimus. Sed ad propositum. Bono, inquam, animo cognati & vicini volebãt vt puer iam natus vel ipso nomine referret patrem, tum quòd & primogenitus & vnigenitus videbatur esse patris, tum etiam, quòd patris nomen nihil absurdi haberet, imò quòd, per omnia videretur cõuenire. Zacharias enim interpretatur, memor Dei: et conueniebat vt puellus iã natus nunquam nõ foret memor Dei. Cæterùm hoc pium vicinorum votum non placebat Elizabethæ, quæ haud dubiè à spiritu sancto edocta fuerat nomẽ prolis, ideoq; ait: Nequaquam id fiet quod vestra pietas suggerit, sed vocabitur Ioannes: non quòd mihi mariti displiceat nomen, sed quòd aliud visum sit Deo. Non cesserunt autoritati matris cognati, sed è regione contendebãt potius appellãdum Zachariam, eo quòd nullus esset in tota gẽte Zachariæ, qui dictus sit Ioannes. Hoc de affinibus & cognatis præsentibus intelligendũ est, aut qui non diu adeò defuncti ex familia illa fuerant. Nam inter maiores eius plerique hoc nomine vocati fuerunt. De impositione nominis paruulorum, suo loco dicemus. Neque enim dici potest, quàm superstitiosi quidam in hoc negotio sint. Quod sequitur videam9.

*Innuebãt autem patri eius, quem vellet vocari eum, & postulans pugillarem, scripsit, dicens: Ioannes est nomen eius. Et mirati sunt vniuersi.*

Quum non conueniret inter puerperam & cognatos, opus erat autoritate patris, quæ contentionem finiret: at is nondum habebat linguam: nutibus igitur vtcunque significabant illi, quod nomen placeret puero indi, pluris enim huius, quàm matris faciebant autoritatem. Ille, re intellecta, poposcit tabellas pugillares, vt mutis literis indicaret quod viua voce eloqui non poterat. Atque in pugillarib9 scripsit in hunc modum: Ioannes est nomen eius. Ac si aperte dicat: Non sibi mater, non ego potiot parens huic nomen imponimus, sed hoc est penitus nomen eius. Nos sibi non damus, vosq; cognati, more solito in aliis, nato huic nomen imponetis: habet nomen, tenet nomen. Frustra de huic imponendo nomine litigatis. Ioannes est nomen eius. Quod igitur de supernis est sancitum, humanis iudiciis non transfertur. Hæc cùm cognati intellexissent, mirati sunt vniuersi, nimirum quòd placeret nomen nouum, & quòd inter matrem, & patrẽ mutum de nomine conueniret. De etymologia nominum Zachariæ & Ioannis, diximus suo loco. Laudamus hic cognatos quoniam præter volũtatem parentum, quorũ intererat, nihil voluerunt facere. Et iã videm9 Zachariã melius sapere, qui nomen quod ab angelo, Ioanni nondum nato impositum fuerat, mutare non ausit. Sequitur:

*Apertum est autem illicò os eius, & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum.*

Prædixerat Angelus Zachariam voce priuandum, quousque hoc quod dixerat completetur: sed iam videbatur completũ, qñ filius erat natus. Cur igitur in natiuitate aut in ipso ortu Ioãnis os

os Zachariæ nõ fuit apertum, sed vsq; in octauum diem dilatum? Ecce in natiuitate Ioannis, verba Angeli nondum fuere in totum completa, ideoq; differri debuit loquela Zachariæ. Neq; enim tantũ prædixerat angelus, quod Zachariæ nasciturus esset filius; sed quod in natiuitate eius plures essent gauisuri, & quod vocandus esset puer Ioannes. Itaque non debuit Zacharias loqui, donec pueri innotuisset nomen. Adde quod miraculũ hoc in circumcisionis die clarius erat ob populi frequentiam, quàm in die natalis. Et præstabat hæc populum scire, vt magnificentius postea tractaretur Ioannes, maiórque huius esset apud populum autoritas: Nihil difficultatis hoc loci est. Obseruandum tamen quod Zacharias suum loqui à laude Dei accipit, quod vtinam idem facerent liberi quorundam parentum malè religiosorum: Certè oportebat pueros primum omnium paternas preces, non diabolicas blasphemias voce pedissequa, vt ita loquar, imitari. At non sumus Zachariæ, hoc est, memores Dei, cui de omni verbo ocioso reddenda erit ratio: Cæterùm quomodo Zacharias benedixerit dominũ, nõ ita multo pòst audiemus: Sequitur.

Obseru.

*Et factus est timor super omnes vicinos eorum, & super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc. Et posuerũt omnes qui audierãt in corde suo dicentes: Quis putas puer iste erit? Etenim manus domini erat cum illo.*

Omnia quæ hactenus enumerata sunt, scilicet de anu puerpera, de nouitate nominis, de filio per angeli promissum nato, de patre prius ex loquente facto muto, rursus ex muto in laudem Dei facundo facto, omnia, inquam, hæc rumore sparsa sunt, non iam per cognatos tantum ac vicinos, verum etiã per vniuersam illã Iudææ regionẽ, quæ montana dicitur, adeo vt non solum admiratio, sed stupor quidam & horror, ex tot tam insolitis miraculis conceptus, occuparet animos hominum. Siquidem ex his præludijs colligebant, natum puerum olim magna & inaudita patraturum, cuius cõceptus & natiuitas iam tum prodigijs insigniretur. Videbant patris effœtam senectutem, anus deploratam sterilitatem; audierant, haud dubiè, Gabrielis intercessisse ministerium, sentiebãt in vtroq; parẽte spiritus cœlestis afflatum, nihil nõ esse præter morẽ cõmunem, nihil non præ se ferre virtutẽ diuinam. Hæc in suo corde quisq; contẽplantes, dicebant apud se: Quis nam futurus est iste puer? Q. d. Nemo prophetarum tam prodigiosè natus est. Similia nõ vidimus, & necesse est vt mira & singularia velit Dominus per hunc infantem operari. Addit Euangelista: Erat enim manus Dei cũ illo: hoc est, diuina non humana virtus sese tum magnificè exerebat in puero, & in vtroq; etiam parente: Vtinam & in nobis manus Dei, id est virtus diuina sese exerat, vt nemo non magnificè de nobis sentire possit. Nam profectò ea est iam complurium Christianorum vita, vt meritò de singulis dici posfit: Quis putas puer iste erit? Quòd si interrogares verè Christianum, vtique responderet: Nisi pœnitentiam egerit, mancipium diaboli futurus est. Neq; enim manus domini, sed diabolicus quidam genius sese in illo exerit. Sic itaq; vitã & tuã & tuorũ instituas, vt etiã qui certò nesciunt qualis futurus sis, tamen nihil mali de te opinari possint: vt ex primis herbis sibi polliceri possint quã optimos fructus. Obseruandum postremò est, vt & nos ea quæ de diuinis operibus, vel videmus vel audimus, in corde nostro ponamus, iuxta illud quod in Psalmis est: In corde meo abscõdi eloqa tua, vt nõ peccẽ tibi. Hoc est, ponẽda sunt verba diuina in cordib⁹ nostris vt ea credamus & diligamus, vt in eis

Obseru.

Obseru.

Psal. 18.

sedulò meditemur, vt ex eis fiat directio gressuum nostrorum, ne à vero deuiantes, in falsa incidamus: Quæ sequuntur videamus.

*Et Zacharias pater eius repletus est Spiritu sancto & prophetauit dicens: Benedictus dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit redēptionē plebis suæ.*

Vide quàm bonus Deus, & facilis indulgere peccatis. Non solum ablata restituit, sed etiam non sperata concedit. Amissam loquelam Zachariæ reddidit, & Spiritumsanctū, spiritū propheticū eidem donauit, sic vt nō solum de præsentibus & futuris loqui, sed etiā de futuris prophetare potuerit: Quod enim hoc loci canit Zacharias sacerdos, verè prophetia est, demonstrans quid Christus nondum natus suo tempore operaturus esset, adiungens itē de puero suo Ioanne, id quod iam pridē ab angelo didicerat. Incipit autem sic, Benedictus dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit redemptionem plebi suæ: Audiuimus in prioribus canticum Diuæ & gloriosæ virginis Mariæ, quod spiritusancto repleta cecinerat, audiemus iam carmen, aut si mauis hymnum, quem eodem Spiritu sancto dictante, lætus atq; iocundus cecinit Zacharias, quémque S. Mater Ecclesia, vt magnificum & consolatione plenū, in quotidiano vsu habet. Vult itaque Zacharias in hunc modum dicere. Prædicanda est, inquit, & omnis laudis genere vehenda Dei bonitas, qui cum sit Deus omnium, tamē peculiariter vult dici De⁹ Israel, non quòd non esset aliarum gentium quoque Deus & dominus, sed quia sese Deū Israel semper exhibuerit, ab illo agnitus adoratúsq; fuerat & prædicatus, prædicanda inq; Dei bonitas est, quòd tandē dignatus est inuisere populum suum, iam miseræ diuturnæq; seruitutis tædio laborantem, ac desperationi proximū, aduersus quē Satanas, peccatum & mūdus inualuerat, dignatus est redimere. Iam si placet singula prophetæ Zachariæ verba discutiemus: Benedictus, inquit, domin⁹ Deus Israel: Vbi nos consueuimus dicere: Laudandus Deus, siue Deo sit laus, Hebræi, hoc est Iudæi, dicere solent benedictus Deus. Sic diuus Apostolus in Corinthijs ait: benedictus Deus & pater domini nostri Iesu Christi. Et in Psal. Benedic anima mea dominum, hoc est, lauda, magnifica dominū, magnalia eius prædica, vt & ab alijs prædicet & glorificetur ab omnib⁹: Quare autem vocat dominū & Deum Israelis? cū sit dominus omni ratione creationis & possessionis. Ideo nominat eū Deū Israel, quoniam excludere voluit omnes alios gentiū Deos, qui & si vocentur dii, nihilominus sunt dæmonia, sicut Psalmus dicit: Omnes dij gētium dæmonia. Est alia ratio quoniā De⁹ verus à nullo alio populo rectius colebatē quàm ab Israelitis, vnde & Deus Israel specialiter dici voluit. Eò iam referri debet, quod in Deutronomio legimus, Moysen ad Israelitas dicere, te elegit dominus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terrā, quia dilexit vos dominus. Et in Psalmis: Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomē eius. Et rursum: Annunciat verbū suū Iacob, iustitias & iudicia sua Israel: Accedit ad hoc quod Christus in euangelio dicit. Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Habes itaq; quare Deus vniuersorum, peculiariter Deus Israelitarum dici voluerit, nimirum quoniam à solis Israelitis vero cultu, nimirum quem ipse instituerat, colebatur, & quoniam peculiariter horum rationē habuit semper: Iam autem, iuxta Pauli mentem, omnes dicuntur Israelitæ, qui vera & viua fide Christum amplectuntur, siue carne fuerint Israelitæ, siue Moabitæ: Iam quid sibi velit verbum, visitauit, videamus.

Benedictus Dominus. Cor. 5. Psal. 102

Deus Israel.

Deut. 7.

Psal. 147

Mat. 15.

Israelitę Rom. 9.

Et pri-

Et primò quidem in rationibus temporum obſeruandus eſt mos prophetarum, qui rem futuram ſicexprimunt, ac ſi iam perfecta fuiſſet, id quod certitudinis eſt propheticæ. Quod enim hic Zacharias de viſitatione & redemptione canit, vix dum quando hæc canebat, occeperat, neque enim tum Chriſtus natus fuerat, nedum paſſus & mortuus. At morte Chriſti redempti ſum⁹, hinc liquet Zachariam de morte Chriſti futura dicere, ac ſi iã præterita fuiſſet. Iam ordo nos vocat vt & de viſitationis appellatione dicamus, quoniam huius appellatio latè patet. Viſitare dicitur Deus hominem, ſicut medicus dicitur viſitare ægrotum, nimirum vt eius infirmitates ſubleuet, vt miſerſi curet, vt benefaciat, vt dolori & tribulationi finem imponat. Sic in Exodo legimus: Viſitando viſitaui vos, & vidi afflictiones veſtras. Sic Sophoniæ ij. Viſitabit eos Dominus Deus eorum, & auertet captiuitatem eorum. Et in Pſalmis: Viſita nos in ſalutari tuo. In Euangelio autem populus dicit: Propheta magnus ſurrexit in nobis, & De⁹ viſitauit plebem ſuam. Poſtremò Chriſtus ruinam Hieroſolymorum deflens, dicit illa omnia ſuper Hieruſalem futura, eo quòd non cognouerint tempus viſitationis ſuæ. Et ita plerunque fit, vt qui Ieſum ſanantem & miſerantem contemnit, pòſt iratum & plectentem effugere non poſsit. Sic itaque Zacharias canit Chriſtum venturum noſtro bono, nimirum vt nos redimat & liberet à peccati & Satanæ iugo, vt nos patri cœleſti conciliet, vt nos ad vitam æternam erudiat, id quod & in ſequentibus demõſtrabit ordo carminis, hui⁹ verè ſancti ſacerdotis. Et tu vide ne tam benignum Dominũ excludas, ne tam peritum medicum contemnas, ne huius recepta, quæ vocant, contemptim negligas: hoe enim impunè tibi non licebit. Si viſitationem illam benignam agnoſcere nolis, vereor non prorſus amicam aliam in tempore ſenſurus ſis viſitationem, puta de qua ſcriptum eſt: In die vltionis viſitabo & hoc peccatum eorum. Et in Leuitico: Quòd ſi non audieritis me, ſed ſpreueritis leges meas, &c. viſitabo vos velociter in egeſtate & ardore qui conficiat oculos veſtros, & conſumat animas veſtras, &c. Addam & ex Pſalmis: Si iuſtitias meas, inquit, prophanauerint, & mandata mea non cuſtodierint, viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Simus itaq; & nos populus Iſrael, ſimus plebs Domini obediens, vt viſitatione miſericordiæ ſuæ nos viſitet, vt digni habeamur ſtare ante filium in poſtremo viſitationis die, cuius. ¶ Diuus Petrus in Canonicis ſuis meminit, dicens: Humiliamini ſub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore viſitationis. Quod poſtremo Zacharias dicit: fecit redemptionem, idem eſt, atque redemit nos. Venit enim filius hominis miniſtrare, & animam ſuam dare in redemptionem pro multis. Captiui enim tenebamur, & in carcere peccatorum poſiti eramus nec erat aliqua creatura ſiue in cœlis ſiue in terris, quæ nos redimere potuiſſet. Venit itaque Dominus Deus Iſrael, miſericorditer nos viſitauit, & pretioſo ſanguine ſuo nos redemit, de quo Paulus in Corinthijs: Empti, inquit, eſtis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore veſtro. Et Diuus Petrus: Non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti & incontaminati. Dicamus itaque cum Zacharia ex animo, in exultatione ſpiritus noſtri: Benedictus & laude digniſsimus Domin⁹ Deus Iſrael, quia viſitauit & fecit redemptionem plebi ſuæ. Sequitur:

*Et erexit cornu ſalutis nobis, in domo Dauid pueri ſui.*

Quid eſt erigere, vel vt alij legunt,

Viſitare. Exod. 3. pſal. 105. Luc. 7. Luc. 19. Exo. 32. Leui. 26. Pſal. 88. 1. Pet. 5. 1. Cor. 6. 1. Pet. 1.

Cornu. excitare cornu? Cornu vulgari phrasi scripturæ, pro victoria, virtute, gloria, regno, amplitudine, potentia, & maiestate sumitur, vel quòd quadrupedum animalium potentia & robur cornua sint: illis enim bestiæ pugnāt & superbiunt: vel quòd Reges oleo & cornu Zach.1. sumpto inungebātur. Sic Zachariæ ij. Ecce quatuor cornua, id est, regna. In Thren.2. Threnis autem ij. Confregit in ira sua omne cornu Israel, id est, fortitudinem. Hoc ergo in loco cornu pro fortitudine, & regia potentia sumitur, vt sit sensus: Excitauit potentissimum & robustissimum regem, in domo Dauid, hoc est, de familia Dauid, nimirū qui cum Satana congredi, & ipsum vincere posset. Potens enim erat Tyrānus, qui multo satellitio stipatus, regnabat per omne genus hominum, à quo viribus humanis non poterat vindicari libertas Israelitarum. Solus Deus hoste potentior, addidit infirmis robur, misso duce inuicto, qui cornu diuinæ virtutis deijceret aduersariorum opes, quiq; deuicta morte gratis conferret per fidem salutem æternam omnibus. Breuiter, Christus Iesus Dei filius, in hoc à patre missus est, vt expugnaret Satanā principē hui⁹ mundi, nosq; oēs qui ipsi per veram & viuā fidem adhærerent, ab illius liberaret tyrannide. Huius pu 1.Reg. 17 gnæ præludium fuit pugna Dauidis aduersus fastuosissimum illum Philisthæū Goliath. Huius pugnæ meminit Christus in Euangelio, quando ab Luc. 11. stergebat à se calumniam Iudæorum, qui dicebant ipsum præsidio principis dæmoniorum eijcere dæmonia: dicit enim ibidem: Cùm fortis armatus custodit atrium suum, &c. Huius pugnæ etiam meminit Paulus, cùm in Colos Colos.2 sensium epistola dicit: Et vos cùm essetis mortui in delictis & in præputio carnis vestræ, hoc est, in Gentilismo & Idololatria vestra, conuiuificauit Deus cum Christo, donans vobis omnia delicta, delens quod aduersum vos erat chirohraphum decreti, quod erat contrarium vobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, & expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. Docet itaque Paulus hoc loco aduersarios nostros à Christo non tantùm victos, sed etiam omnibus armis & præsidijs spoliatos, id quod & Euangelium docet. Et in Hebræis apostolus testatur Christum Heb.2. per mortem suam eum destruxisse qui mortis habebat imperium, hoc est, diabolum. Sequitur:

*Sicut loquutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt prophetarum eius.*

In sanctissimo simul & præclarissimo hymno D. virginis Mariæ audiuim⁹, quomodo omnia sua dicta ad promissiones Dei retulerit, dicens: Sicut locutus est ad patres nostros, &c. ita & Zacharias in hoc suo hymno testatur omnia fieri iuxta condictum. Hæc, inquit, quæ enumero, non casu sic eueniunt: sed quod nunc præstat, iam olim promiserat Deus per omnium prophetarum ora, quos suo spiritu afflauerat, qui ab orbe condito vaticinati sunt. Huc pertinet quod D. Petrus in Actis dicit pariа cū Zacharia, & addit, Moy Deut.18. ses quidem dixit, Quoniā Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris tanquam me: ipsum audietis iuxta omnia quæcunque locutus fuerit vobis. Erit autem: omnis a Act.3 nima quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe. Et omnes prophetæ à Samuel, & deinceps qui locuti sunt, etiam annunciauerunt dies istos, &c. Et rursum idem Petrus in Actis cap. x. Huic, Christo scilicet, o Act.10 mnes prophetæ testimoniū perhibent, remissionem accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Porrò omnia prophetarū testimonia super Christo enumerare, non est præsentis instituti. Nonnulla in hymno virginis gloriosæ

rioſæ adduximus. Nihil enim vel egit, vel paſſus eſt Chriſtus, quod non in veteri lege prædictum & prophetatū fuerat ipſum vel acturum vel paſſurum. Natiuitatis ipſius & locus, & tempus, & genus, iam olim fuerat prædictum, quoniam ſcilicet de ſemine Abrahæ, de familia Dauid, & in Bethlehē terræ Iudæ, & tunc tādem quando ablatum fuiſſet regnum à Iudæis, id quod Iacob prædixerat. Nec ſolum prædixerunt futurum Chriſtum prophetæ veteres, ſed etiam modum aduentus notarunt. Nā affuturus erat, nō taciēs vel fulmina vel fulgetra è ſupernis, neque concutiens terram, nec rotans cælum, nec alia id genus prodigia operans: ſed abſque ſtrepitu, & ita abſq; tumultu & turbatione, vt nemo perſentiſceret. In Bethlehem enim, in diuerſorio publico natus eſt, vnico Ioſeph fabro teſte. Vnde in propheta prædictum fuerat: Deſcendet ſicut pluuia in vellus, quo nimirum oſtendit, quàm placidè venturus eſſet. Quid vltra: Herodes Chriſtum inquiſiturus erat, & interempturus propter eum omnes qui ibi erant pueros: & neque hoc ſiluerunt prophetæ, ſed multis antea temporibus prædixerunt, dicentes: Vox in Rhama audita eſt, &c. Nam hanc prophetiam adduxit Matthæus ipſe. Erat Chriſtus in locis inſignibus manifeſtandus, vbi ſtatim ſigna faceret & doceret. Et hoc ipſum prædictum eſt à Propheta Eſaia dicente, quoniā in tribu Zabulon & Nephthalim, ijs qui in tenebris ambulabant; lux orta ſit. Subiungit idem propheta futura per Chriſtum miracula, dicens: Tunc aperientur oculi cæcorū, & aures ſurdorū audient, tunc ſaltabit quaſi ceruus claudus, & clara erit vox inexpeditè loquentium: quod ſcilicet nunquam factum eſt, niſi in aduentu Chriſti. Breuiter, doctrina, miracula, paſsio, reſurrectio, in cælum aſcenſio, Spiritus ſancti miſsio, imò & Mathiæ in Iudæ traditoris locum ſurrogatio à prophe-

Psal.71 | Hier.31 | Math.2 | Esa.9 | Esa.35

tis longè antea prædicta, quàm facta fuerunt. Nuſquam enim non aperta ſunt in Euangelicis & Apoſtolicis literis prophetarum teſtimonia. Et Chriſtus non temerè dixit: Scrutamini ſcripturas, hæ enim teſtimonium perhibent de me. Et iterum: Si Moyſi crederetis, crederetis vtique & mihi, de me enim ille ſcripſit. Et rurſum: Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & ita intrare in gloriā ſuam. Ex his itaque manifeſtum eſt Zachariā verè dicere, cùm dicit: Quoniam Deus omnia facit, iuxta quod locutus fuerat per os ſanctorum prophetarū, qui ab initio ſeculi fuerunt. Obſerua hic autoritatem prophetarum, & vide ne illos contemnas, ſancti enim dicuntur, et Deus per os illorum locutus prædicatur. Obſerua item, quòd non dicit per ora, ſed per os, ſcilicet, prophetarum, vt declaret illos, etiam diuerſis locis & diuerſis temporibus eadem docuiſſe. Sed procedamus.

Ioan.5 | Luc.24. | Prophetæ non contemnendi.

*Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos.*

Quod plus ſacerdos & ſanctus propheta paulò antea obſcuris verbis dixerat de cornu ſalutis excitato, hoc iam ipſe interpretatur, Salutem eſſe ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui nobis male volunt. Hoc ipſum & in priori verſu dixerat, his ſcilicet verbis: Viſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ. Hanc enim viſitationem, redemptionem, hanc ſalutem, die erretung, ex inimicis iam olim promiſerat Deus Eccleſiæ ſuæ per prophetam, inquiens: Exaltabitur manus tua ſuper hoſtes tuos, & omnes inimici tui interibunt. Et D. Ioannes in canonica ſua, inquit: In hoc apparuit filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli. Neque enim hic locus de corporalibus inimicis intelligendus eſt, ſicut Iudæi perſuadent ſibi ipſis in aduentu Meſsiæ liberationem à iugo Romani imperij, & neſcio quæ alia

Mich.5. | 1.Ioan.3

sed de spiritualibus inimicis, qui dæmones dicuntur, qui nos maximè oderunt, vt qui nobis vitam inuident, et nos in perpetuum perdere festinãt. De his paulò ante diximus. Liberati enim sumus atque redempti à iugo Satanæ; non quidem vt ne nobis posthac insultet, sed ne nolentes vi opprimat: tentare enim potest nolentes, sed non potest vincere nisi volẽtes. Dedit enim nobis potestatem conculcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici. Hinc & in Psal. xc. legimus: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Omnia enim superamus, teste apostolo, per eum qui dilexit nos. Fractæ & diminutæ sunt vires aduersariorum nostrorum: nostræ autem vires auctæ, & præsidia nostra aucta. Fidelis item est Deus, qui nõ patitur nos tentari super id quod possumus. Nec habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris. Sufficerint hæc pro præsentis loci interpretatione: nam multis aliis locis earundem rerum erit tractatus. Præmissis addit Zacharias.

Psal. 90. Rom. 8. 1. Cor. 10

*Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, & memorari testamenti sui sancti.*

Pulcherrima hæc sunt, & rursum cantico diuæ virginis Mariæ respondẽtia. Hæc enim cecinit: Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. Iam canit Zacharias eadem. Non erat hoc meriti nostri quib⁹ præstitit hoc tantum beneficium, neq; patrum quibus promiserat quod nobis exhibuit. Sic illius bonitati est visum, vt rem tantam largiretur immerentibus: sic illi⁹ iustitiæ visum est, vt quod promiserat præstaret suo tempore, vt ab omnibus intelligeretur non modo misericors atque beneficus, verùm etiam verax & promissi tenax. Sed examinanda sunt singula. Quod addit, Deum facere misericordiam cum patribus nostris, principio testatur humanis meritis hic nihil tribui. Null⁹ enim hominum, imò nulla creatura siue in coelis siue in terris mereri potuit, vt filius Dei hominem assumeret, nedum vt turpissima morte moreretur. Quid enim mereri possunt, qui omnes cum propheta clamare coguntur: Omnes iustitiæ nostræ quasi pannus mẽstruatæ. Et Sapiens dicit: Non est qui faciat bonum & non peccet. Non quòd opera bona, iuxta Euangelicorum nostrorum somnium, peccata sint, sed quòd defectu non carebant, cùm fiebant ab iis qui in indignatione Dei & mortis rei tenebãtur: & præterea quia hæc lõgè excedebant omne meritum humanum. Redemptio itaque humani generis, non nõstris bonis operibus, sed misericordiæ & gratiæ Dei adscribi debet, id quod Paulus vbique testatur, & nos in superioribus etiam admonuimus. Imò audem⁹ & hoc adiicere: Redemptio nostri erat & misericordiæ & debiti. Dicet quispiam: Quodnã ænigma hoc? Si misericordiæ, quomodo debiti? Si debiti, quomodo misericordiæ? Audacter dico, & piè dico, tu modò quod dico rectè intelligas. Rem paucis ita accipe: Debebat nobis aut poti⁹ sibi ipsi, quoniam promiserat, redemptionem, sed vt promitteret, nullis nostris meritis prouocatus, nec demeritis nostris prohibitus, hoc totum misericordiæ & gratiæ fuit. Vide autem gratiam & misericordiam. Adam & Eua præuaricantur diuinam legem, & ob hoc merentur poenam æternam. Verùm Deus ab his non rogatus, nullis meritis prouocatus, vltro pollicetur seruatorem dicens: Inimicitias ponam inter te, mulierem & serpentem, inter semen tuum & semen illius, & ipsum suũ semen conteret caput tuum. Hic certè promissus est Messias, vt quemadmodum sola bonitate ductus Deus hominem creauerat, ita & eadẽ ductus bonitate,

Esa. 64. Eccl. 7. Redemptio nostra ex misericordia & debito. Gen. 3

tate ductus Deus hominem creauerat, ita & eadem ductus bonitate, hominem suapte malitia lapsum restitueret. Et hoc est quod opus redemptæ & restauratæ humanæ naturæ ad misericordiã Dei retulimus, sic tamen vt etiam debiti fuisse assereremus. Misericordiæ est, iuuat enim repetere, quod promiserit, debiti autem, quòd promissa exhibuerit. Fidelis enim est Deus, promissisque sui tenax. Hinc est, quod Dauid in Psalmis clamat: Memor esto verbi tui, in quo mihi spem dedisti. Nemo sperare potuisset redemptionem, nisi Deus pollicitus fuisset, at pollicitatione facta, iam tutò & fidenter sperare licet. Huic pollicitationi nitebantur patres veteris testamenti, & nouerant ipsam non fore irritam, sed tantùm rogabant vt cito impleretur. Hinc illæ voces: Obsecro Domine, mitte quem missurus es. Et alius: Vtinam disrumperes cælum & descenderes. Huc etiam facit quod Christus in Euangelio discipulis suis dicit: Beati oculi qui vident quæ vos videtis, &c. Multi enim reges & prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, &c. Et apud Ioannem Iudæis loquitur: Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum, vidit & gauisus est. Quis est dies ille Christi? Dies reparationis humanæ naturæ, dies in quo descendit Iesus Christus Dei filius in vterum virginis, vnde & verus Deus & verus homo natus est, ad faciendam misericordiã cum patribus nostris, cum ijs nimirum qui promissum Messiam expectauerant, & futurum certò crediderant. Neque enim dubitauerant quin aliquando futurus esset memor testamẽti sui sancti, quod ex mera misericordia cum ipsis fecerat. Videbant differri, sed non timebant auferri: differebatur enim, nec tamen negabatur: imò in ipsa dilatione subinde renouabatur pollicitatio. Neque enim semel Messias promissus est, sed sæpissimè, id quod Moyses & prophetæ testantur. Nulla tamen promissio sic celebris erat, atque eã quæ facta est ad Abraham, cuius etiam Zacharias hoc loci meminit dicens continenter:

Psal. 118. | Esa. 64. | Luc. 10. | Ioan. 8

*Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis. Vt sine timore de manu inimicorum nostrorũ liberati seruiamus illi: In sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris.*

Quid De⁹ Abrahæ pmiserit, notius est in Christiano orbe quàm vt longiori tractatu opus sit; dicamus tamen nõ nihil, id scilicet quod propius ad rem facit. In Genes. cap. xxij. legimus angelum Abrahæ loqui in hæc verba: Per memetipsum iuraui, dicit Dominus, quia fecisti hanc rẽ, & nõ pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam quæ est in littore maris. Possidebit semen tuũ portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. Hoc iusiurandum quomodo interpretetur Paulus adijciendum est. Sic inquit in Hebræorum epistola: Abrahæ pmittens De⁹, quoniam neminem habuit per quem iuraret maiorem, iurauit per semetipsum dicens: Nisi benedicẽs benedicam te, & multiplicans multiplicabo te. Et sic longanimiter ferens adeptus est repromissionem: intellige quando Messias apparuit redempturus filios germanos Abrahæ. De eodem testamẽto loquẽs in Galathis dicit: Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit: Et seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno: Et semini tuo, qui est Christus. Fecerat itaque Deus testamentum cum Abraham, etiam interposito iuramento, quod esset benedicturus in semine, hoc est, per semẽ suũ, omnes gentes. Iam Maria diua theoteros, ex semine Abrahæ orta est, & ex carne & sanguine Mariæ Christus: ergo Deus

Gen. 22. | Heb. 6. | Gal. 3.

præsentia populi, vt illius apud hunc post hac maior sit authoritas: sicque congratulatur sibi & suis in senecta tandem & filium sustulisse ex Elizabetha vxore, & tantum filium. Nec est vt quis hic accuset Zachariam imprudentiæ, quòd puerum recenter natum & lactẽtem, & octo dies natiuitatis suæ non excedentem allocutus fuerit, qui nec intelligere, nec in memoria retinere potuerit verba patris, si modò naturæ ordinem aspexeris. Neque enim dubium est, quin qui in vtero matris agnoscere potuerat Christum non natũ, etiam potuerit percipere verba patris, non quidem iuxta vulgarem naturæ cursum, sed iuxta eius, à quo in vtero sanctificatus fuerat, potentiam. Sed verba ipsa audiemus. Et tu puer, inquit, propheta altissimi vocaberis, præibis em ante faciem Domini parare vias eius. In hoc non est falsus pater. In Euangelijs enim progressu Ioannes non tãtum propheta, sed plus quàm propheta, & maior inter natos mulierum dicetur. Nec immeritò, quem enim alij prophetæ futurum prædixerunt, hunc Ioannes non natum agnouit non natus, & natum digito monstrauit, & in Iordanis flumine baptizauit. Præiuit deinde ante faciem Domini parare vias eius, Christi nimirum Domini, id quod in superioribus angelus aliis verbis expressit, dicens: Vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum. Et iam continenter aliis verbis exponit Zacharias, dicens:

*Ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum.*

Quæ ad munus sanctissimi baptistæ pertinent, patet expressis designat verbis: Tuæ functionis erit populum erudire atque docere quænam sit vera & compẽdiaria ad veram salutem via, quæ salus citra remissionem peccatorum nulla erit. Tu docebis filios Abrahæ, quid se facere oporteat, quò ad remissionem peccatorũ peruenire queãt. Audit populus Israel omni sabato legem & prophetas in synagogis, & tantum audit, nec aliquid intelligit, quoniam non habet qui verè & syncerè erudiant. Frustra audiunt Scribas & Pharisæos, qui alijs claudunt regnum cælorum, & ipsi non intrant. Tu itaque ô puer, in hoc à Deo electus es, vt rectè erudias populum, quò agnoscat veram salutem, & inueniat remissionem peccatorum. Duo obseruanda sunt in his duobus proximè præmissis versibus. Primus testatur Christum Mariæ filiũ verè & esse & dici Deum & hominem, hoc quod olim multi impugnarunt Hæretici, quum tamen præter cætera Zacharias apertis verbis Christum hoc loci vocat & altissimum & Dominum. Obseruandum deinde ad quid conducant verbi diuini præcones, nimirum vt populus ipsos audiens ad agnitionẽ veræ salutis perueniat, & remissionem peccatorum apud Dominũ inueniat. Cæterùm de officio Ioannnis in sequentibus.

*Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto.*

His ostendit, vnde nobis proueniat remissio peccatorum, nimirum à misericordia & bonitate Dei nostri, qua etiam sola ductus venit in hunc mundum. Vocat enim Christũ Orientem, iuxta illud prophetæ: Exorietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ. Et in Zacharia: Ecce ego adducam seruum meum Orientem. Et cap. vi. eiusdem prophetæ: Et ecce vir, Oriens nomen eius. Quod autem hic dicit per viscera misericordiæ Dei nostri nos & remissionem consequi peccatorum, & nos ab Oriente, hoc est, Dei filio visitatos, id est, ac si dixisset, per intimam & cordialem, vt ita dicam, misericordiam & omninò effusam quandam bonitatem studiumque nobis benefaciendi. Sicut enim diua virgo omnia beneficia

Mal. 4
Zach. 3

cia
a

cia quæ accipimus, Dei misericordiæ fert accepta, ita & Zacharias facit. Remissionem enim peccatorum accipimus per Christum, qui vt hanc nobis daret, non nostris meritis prouocatus est, sed sola sua misericordia motus. Non potuit amplius æquo animo ferre tyrannidem Satanæ: dolor erat diuinæ misericordiæ nostra perditio: es that im hertzlich vveh: ideoque misericordia sua quasi coactus, filium suum misit in hunc mundum, vt cuius omnipotentia conditi sumus, eius & potentia restitueremur. Sic Paulus ad Titum scribit: Non ex operibus quæ fecimus nos, sed secũdum suam misericordiam saluos nos fecit. Et ad Galat. Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Ad Ephesios verò, inquit: Propter nimiam charitatem qua dilexit nos Deus, filiũ suum misit in mundum.

Tit.3. Gal.2 Eph.2

*Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.*

Quoniam iamiam dixerat: Visitauit nos oriens ex alto, in cepta perstat metaphora, inquiens, ideo descendisse, vt luceat siue illucescat iis qui in tenebris sedent. Ne autem aliquis opinetur Solem illum naturalem vocari Christum, & de corporali luce hic loqui, tenebris addit vmbram mortis, vt intelligamus quæ hic de luce dicit, spiritualiter esse intelligenda. Necessariũ quidem & iucundum est humanis oculis lumen solis naturalis: quoniam citra huius splẽdorem & lucem misera esset hominis vita. Adde quod calor solis multũ cõmodat ad prouehendos omnis generis fructus: taceo alia & innumera corporalis solis commoda. Verum illa omnia nihil sunt, cum Christo commissa. Christus enim veluti sol quidam cœlitus nobis exortus, dispulit tenebras ignorantiæ nostræ, profligauitque caliginem peccatorum, ac frigida nostra corda charitatis suæ igni accendit. Iacebamus profectò in tenebris, nõ poteramus ad illum oculos attollere, ille se demisit ad nos, suisque radiis in animos nostros immissis, serenus ac salutifer illuxit nobis, qui prius in tenebris peccatorum, ac desperatione salutis, velut in vmbra mortis sedebamus, idololatriis excæcati, mundanis cupiditatibus obtenebrati, currebam⁹ ab impietate ad impietatem, palpitantes in densissima caligine, pro cœlestibus amplectentes terrena, pro veris vmbras, pro spiritualibus carnalia, pro salutiferis pestifera. Exortus itaque est nobis Sol, Christus sol & vera lux mundi, quæ illuminat omnem hominem venictem in hunc mundum, & tenebras ignorantiæ nostræ discusit, ad viam item veritatis reduxit, quam Zacharias viã pacis nominat. Tu porrò vide quàm omnia conueniant. Iam longè antea dixerat Propheta de habitãtibus in regione vmbræ mortis, hoc est, pximè mortem, quoniam lux orta est eis. Et idem propheta clamat: Surge, illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuũ, & gloria Domini super te orta est. Quæris quis lucis nomine intelligatur? Hic audis Zachariam interpretem. Quòd si huic diffidis, audi Ioannem Euangelistam, qui testatur filium Zachariæ nõ esse veram lucem, sed tantùm in hoc missum, vt testimonium perhiberet lumini, de quo lumine nõ ita multò post dicit: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Hoc lumen perhibet Simeon venisse ad reuelationem gẽtium, & ad gloriam plebis suæ Israel. Veni penitius ad Euangelii historiam, & audi Christum dicentem: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Et iterum: Quàm diu sum in mundo, lux sum mundi. Et rursum: Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filii lucis sitis. Quid referam Paulũ, qui ipse nos filios lucis appellitat, & declarat opera tenebrarum, vt induamur armis lucis.

Ioan.1 Esa.9 Esa.60 Ioan.1 Luc.2 Ioan.8 Ioan.12

De

De via porrò pacis, qua Deo scilicet conciliamur, Christus ipse dicit: Ego sum via veritas & vita. Sed fortassis hæc plus æquo extendimus. Ioannis officium, & nostram à Christo illuminationem in corpore euangelij copiosius tractabimus: Cæterùm hactenus plus senex hæc fatidico pectore promens, exemplo prophetarum, sic futura præcinebat, quasi iam essent peracta, quandoquidem intelligebat iam incepta.

Ioã.14.

*Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu, & erat in desertis vsq; in diem ostensionis suæ ad Israel.*

In superioribus satis copiose pulcherrimóq; ordine Lucas nobis descripsit natiuitatem Ioannis Baptistæ, & iam paucissimis compræhendit tẽpus, quod inter circuncisionem & prædicationem eius intercesserat, suo autem loco, quàm sedulo suo incubuerit officio Ioannes, describet pro merito. Puer itaque Ioannes, quemadmodum per ætatem adolescebat corpore, ita per afflatum diuini numinis semper in maius proficiebat firmitate roboréq; spiritus. Nec diu se continebat in parẽtum ædibus, sed ab ipsa statim pueritia subduxit sese ab hominum frequẽtia, ne vel ex vulgi cõmercio labẽ contraheret, qui in vtero fuerat sanctificatus, vel ex nimia populi familiaritate eius authoritas pòst contemptum esset passura. Præstat enim subinde apud feras habitare, quàm apud aliquos homines etiam ipsis feris crudeliores. Diuus itaque Ioannes contemptis huius seculi delicijs, contempta æde paterna, loca deserta petit, vbi habere potuit perpetuum cum Deo colloquium. Talis nimirum vita decebat eum, qui prædicandæ pœnitentiæ destinatus erat: Et locus delectus congruebat prophetiæ, quæ vocat illum vocem clamantis in deserto. Hic latitabat sanctus vir, quo non maior inter natos mulierum: hic silebat, vt suo tẽpore, maiore cum fructu, & maiore authoritate prodiret ac loqueretur. Nõ se ingessit ad munus præconis, sed quũ spiritus impulisset animum ipsius, vt suam lucem proferret, & ostenderet populo Israelitico quantus esset, tum magna autoritate cœpit agere præcursorem. Et hactenus quidem de Ioanne: De vestimentis & cibis Baptistæ suo loco. Obseruandum hoc loci, vt quẽadmodum de Ioanne legimus, quoniã adoleuerit corpore & spiritu, ita & nos in virtutibus crescamus, vt quẽadmodum proficimus corpore, proficiamus & mente. Huius rei exemplum habes in Paulo Apostolo, cuius hæc sunt verba. Cùm essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, posteaquam autem factus sum vir, euacuaui ea quæ sunt paruuli. Cura itaque vitam tuam sic instituas, ne in te conueniat id adagij: Lupus pilum mutat, non animum. Sed esto hic finis primi capitis.

Obseruã.

## CAPVT II.

F*Actum est autẽ in diebus illis, exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrino.*

In prioribus depinxerat nobis S. Euangelista conceptum Diuæ Virginis, eius itaque partum iam depingere, simúlque ea quæ comitata sunt tam mirabilem partum, auspicatur. Et quærat aliquis meritò, qua ratione motus Lucas Augustum Cæsarem, huiúsq; decretum, euangelicæ historiæ apposuerit? Nihil temerè hic agit, sed omnia ex instinctu spiritus, ideoque prudenter: Fecit hoc Lucas, non solum ob veritatem historiæ, sed etiam vt nos doceret quid negotij Mariæ & huius marito Ioseph in Bethleem, quos tamen certum est habitasse Nazareth. Docet itaque Mariam &

Sic se humiliâte Deo superbit Augustus homo.

Ioseph edicto cæsaris coactos, in Bethleem peruenisse. Edictum enim Octauiani Augusti omnes vocabat, quotquot Romano subessent Imperio. Erat & tunc Iudæa Romanis tributaria facta: Voluit autem Cæsar Augustus hoc edicto certò cognoscere quot homines suo subessent imperio, & quanta illorũ facultas. Hoc iã olim fecerat Dauid, iubens numerari populum, at non impunè. Sed finamus hæc, illa solùm tractaturi quæ proximè ad rem faciunt. Sententia Euangelistæ est, ostendere quo tempore Christus natus fuerit, & vbi, & quo medio ad locũ natiuitatis Maria peruenerit. Eo, inquit, tempore quo Cæsar Augustus edicto publico emisso, voluit totum Romanum orbem censeri, & hoc nomine Cirinus Syriæ præses, à Cæsare missus esset in Iudæã, Christus in Bethleem natus est. Hiis autem admonet nos Euangelista rursum, veteris prophetiæ, quæ docuerat primum quidem auferendum à Iudæis sceptrũ & ducem, & tunc tandem nasciturum Messiam. Pulchrè autem hæc conueniunt: Augustus Cæsar emittit præsidem suum, vt subditorum accipiat nomen. Christus verus Cæsar noster etiam suum habebit præsidem, nimirũ Ioãnem Baptistam, qui & ipse numerabit eos, qui sub Christi signis forent militaturi. At hic multa diuersitas: Augustus plerasque mundi regiones obtinebat. Christus porrò verè dicit: Mihi data est omnis potestas in cælo & in terra: Latior itaq; Christi, quàm Augusti patet ditio. Adde: Qui Cæsari dant nomen, quid aliud quàm seruitutem profitentur, & rem familiarem comperiunt arctiorem? Qui autẽ nouo principi Christo dant nomen, longe tolerabiliorem habent seruitutẽ, seruitutẽ omni humana libertate liberiorẽ. Ei enim Domino seruiunt, qui placidiss. regnat, qui non arripit mortalia, & tamen dat cælestia: Augustus quanquam esset omnium in rebus gerendis dextertimus, tamen multas regiones non poterat armis subigere: At Rex noster, sine vi, sine præsidiis huius mundi, vniuersum terrarũ orbem, tot linguas, tot ritus, tot religiones, tot barbaras ac retrusas nationes, in vnam Ecclesiam, velut in vnum regnũ congregauit. Huic potentiss. Regi in baptismatis fonte nomina dedimus, huic necesse est seruiamus, in sanctitate & iustitia, sicut nos docuit Zacharias, hoc est vera fide & bonis operibus. Ab hoc principe, si quis desciuerit ad illius aduersarios dæmones, impunè non fecerit. Restat enim adhuc alia descriptio, quæ futura est in nouissimo die, quando apparebit signum filii hominis in cælo, & congregabuntur ante eum omnes gentes, &c. Sequitur.

Ge. 49.

*Et ibant omnes vt profiterentur, singuli in suam ciuitatem.*

Hoc vrgebat Cæsaris edictum, vt singuli in natiuas suas ciuitates, ad natale solum vnusquisq; remearet, ipsisq; præsidibus Romanis profiterẽtur, nomen, patriam, & substantiam. In hanc enim obedientiam venerunt, qui Deo parere recusauerant, quique hactenus sua imperia imprudenter & impiè administrauerant.

Obserua.

*Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth, in Iudæam ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlẽ, eo quòd esset de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore, prægnante.*

Videmus hoc loci exemplum veræ obedientiæ ac veræ humilitatis, Quoniam diuina prouidentia eò ventum fuerat, vt Imperator idololatra Iudæis tam bonis quàm malis imperaret, non detrectarunt sanctissimi cõiuges officium, sed & ipsi proficiscũtur in suam ciuitatem, vnde & genus & ortum duxerant, vt ibi profiterentur, & ge-

& genus & patriam, & nomen & censum. Plærunque enim fit, vt boni in hoc mundo pari cum impiis premantur iugo. Et bene faciunt Ioseph cum Maria, agnoscunt Dei ordinationem, obediunt Magistratibus, & reddunt Cæsaris quæ sunt, Cæsari, & quæ Dei, Deo. Nec putes sanctissimis coniugib⁹ suam fuisse fœlicitatem ignoram. De Maria non est dubium, quoniam ex Luca omne negotium accepimus: De Ioseph autem nos docet Matthæ⁹, qui huius mysterij negotium ab angelo didicerit. Ad ipsum enim ab angelo dictum est: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuã, quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est. Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluũ faciet populum suum à peccatis eorũ. Facilis est historia. Obseruandũ hoc loci, Lucam nobis rursum in memoriam reducere veterem prophetiam, qua dictum est: Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Docet enim hic Euangelista, Iosephum fuisse de domo & familia Dauid, & de eadem familia etiam diuam Theotocam Mariam. Obserua item, quàm sedulò & diligenter potestatibus obediendum sit. Vides enim hic Mariam prægnãtem & partui proximam, per montana transire à Nazareth in Bethleem, ne videatur velle negligere edictum Cæsaris Augusti iam promulgatum. Porrò quare Bethleem ciuitas Dauid dicta sit, hæc ratio est, quoniam Rex Dauid olim ibi habitauerat, & ipse & pater ipsius Iesse ibi sepulti sunt. Sequitur:

Math. 1. — Obseruat. — Psal. 131. — Obseruat. — 1. Reg. 16.

*Factum est autem cùm essent ibi, impleti sunt dies, vt pareret.*

Factum est, inquit Lucas, cùm essent ibi. Vbi? In Bethleem. Attendite, ô boni, quàm inscrutabilia sint iudicia Domini, quàm verè dixerit: Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Propheta iam olim prædixerat Messiam nasciturum in Bethleem Iudæ. Quis hoc credidisset, compertum habens Mariam & Ioseph non in Bethleem, sed in Nazareth Galilææ habitationem suam haberet At prouidentia Dei factum est, vt Maria quæ in Nazareth conceperat de spiritu sancto, partui proxima in Bethleem veniret. Quæ enim semel procedunt de labiis Domini, non faciet irrita. Augustus itaque Cæsar Dei prouidentiæ & ordinationi ignorans seruit, edicto cogens Mariam à Nazareth in verum & à Deo electum natiuitatis locum venire, & in vtero gestare Imperatorem cœli & terræ. Edictum hoc non debuit vel anticipari vel prorogari, vt sic potuisset Maria post partum illò venire, vel ante partum inde domum reuerti, vt Nazareth talem haberet puerperam: sed sic dispo nebat diuina prouidentia, sic stabat consilium Domini, vt dum esset Maria in Bethleem, implerentur dies, vt pareret eum sine humano semine, qui primum hominem etiam citra humanam operam creauerat. De prophetia quæ testabatur, Christum in Bethleem nasciturum, si quæras, sic habet: Et tu Bethleem Ephrata, paruulus es in milibus Iuda, ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis. His significauit prophetam Christum nasciturum in Bethleem, etiamsi non sit inter magnificas Iudæ ciuitates numerata. Ephrata olim dicta est, quam hic Michæas Bethleem nominat, quo certò demonstret quam Bethleem velit, nimirum eam quæ est tribus Iudæ, non eam quæ ad tribum Zabulon pertinet. Vocat autem Michæas Messiam, Dominatorem in Israel, vt verum significaret esse hominem, &

Mich. 5. — Gen. 35. & 48. — Iosu. 19.

addit egressum illius esse ab initio à diebus æternitatis, quibus verbis manifestissimè probatur Christi diuinitas. Porrò ne quis existimet hanc prophetiam in Christum non conuenire, ex Mathæo discimus, Principes sacerdotum & scribas populi Hierosolymis, ex hoc Michææ loco Herodi probasse Christum Messiam in Bethleem Iudæ fore nascituturum. Sequitur:

*Et peperit filium suum primogenitũ, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eũ in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio.*

Sicut natiuitas Domini nostri Iesu Christi citra omnem fastum mundanum contigit, ita & D. Lucas omnem verborum lasciuiam in describenda natiuitate ipsa vitauit. Quis enim non videt quàm simpliciter tam mirabilem rem describat? Quid enim simplicius dici potuit? Peperit, inquit de Maria, filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, &c. Quæ est illa parens quæ peperit? Est virgo illa, quæ iuxta Esaiæ vaticinium, concipere debuit in vtero. Est Maria illa quam virtus altissimi obumbrauit, in quam Spiritus sanctus descendit, quæ citra omnem viri operam concepit. Hæc, inquam est, quæ inter mulieres benedicta est, quam beatam dicere debent omnes generationes. De hac loquitur Lucas: quoniam peperit filium suum primogenitum, filium altissimi, filium nõ Ioseph, sed Dei, Emanuelem illum, quem nobis propheta Esaias descripserat. Iã igitur tandẽ impletũ est, quod idẽ Esaias dixerat: Puer nobis natus est, & filius datus est, cuius imperiũ super humerũ ipsius, &c. Iã excitauit Dñs, iuxta Hier. Dauidi germen iustum, vt Israel habitare possit confidenter. Iã Lucas testatur, q̃ verè dixerat ꝓpheta in psal. cxxxi Iurauit Dñs Dauid veritatẽ, & nõ frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponã super sedem tuã. Hunc ergo filium Dei, filium altissimi, filium Abrahæ & Dauid, cùm peperisset Maria virgo citra omnem virginalium claustrorum læsionem, pannis inuoluit, & reclinauit eum in præsepio. Vide paupertatẽ. Vbi obstetrix? vbi famulæ? Vbi thorus ante quinque aut sex menses magnis impensis extructus? Ipsa sanctissima Theotocos puerpera est, obstetrix est, famula est: præsepium cunæ sunt, aula regalis stabulum: tapetæ simus: vicinæ quæ puerperæ adstent, animalia. Quid dicam amplius? Qui ab æterno vnigenitus Dei existit filius, fit Mariæ primogenitus & vnigenitus filius. Verbum quod in principio erat apud Deum, caro factum est, & habitauit in nobis. Qui Mariæ creator existit, ex Maria nascitur. Qui prædicatur, amictus lumine sicut vestimento, pãnis inuoluitur. Qui oẽs creaturas vestire solet, pãnis inuoluitur. Et quẽ cœli capere non possunt, in præsepio collocatur. Sic se humiliat redẽptor noster, sic nasci voluit conditor noster, sic humilis Iesus confundere voluit superbiam nostram. Attendite hic diuites, qui vestræ superbiæ & insolentiæ nescitis modum, nec facitis luxuriandi finem. Si principẽ agnoscis tuum, in cuius verba iurasti, ne pigeat illius exẽplum imitari, & pudeat mẽtis tuæ. Attendite, ô pauperes matres, matrẽ Dñi nostri Iesu Christi, benedictã inter mulieres, in summa paupertate puerperam agere. Non te ad impatientiam adducat fastus superbarum matronarum, sed potius tuam paupertatem soletur huius puerperæ exemplum. Si quando videris diuites matronas ab aliis & plurimis honorari, non turberis quasi, infœlicior, sed recordare Christum in præsepio, Mariam in stabulo. Præstat enim cum Maria paupertate contentari, quàm cum vxoribus Herodis & Pilati luxuriari. Qui in hoc mundo Christi paupertatem non contemnit, olim Christi

Christi diuitiis fruetur copiosissimè. Et si enim hic prædicatur iacere in præsepio, & non habere locum in diuersorio, & iuxta alium euangelistam, non habere vbi caput reclinet, tamen post dicet: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Noli itaque contemnere puerulum istum, quoniam imperium eius super humerum eius, & qui iam iacet in præsepio, vocatur Deus, fortis, &c. Bene considerandum est quod hic dicitur, Mariam & Christum non habuisse locum in diuersorio, quod quàm verum sit nemo non intelligit. Satanas enim ipse proculdubio sic occupauit omnia diuersoria, vt Christo ne angulus quidem sit relictus. Sed quid dico de diuersorijs? Olim licebat inuenire Christum in alijs ciuium conuentibus, at Satanas etiam Christo præripuit locum: Christus non habet locum, vbi ebrietatibus & crapulæ studetur, Maria non habet locum, vbi ipsi veneres præferuntur. Sed videamus sequētia: Heluidij impij impiissima commenta nihil moramur

*Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum.*

Natus erat iamiam Christus in summa paupertate, & debuit innotescere. Quibus autem debuit potissimum innotescere pauper, nisi pauperibus, & qui fastum & voluptatem huius seculi non curant? Christus pastor dictus est, & in prophetis & in Apostolis, & in Euangelistis, & pastoribus primū innotescere voluit. Quibus pastoribus? Qui in regione illa non ita longè à Bethleem vigilabant, custodiam habentes gregis sui. Tu porrò hæc, quantumuis simplicia Lucæ verba non negligas. Magna laus pastorum est, qui digni habiti sunt primi videre natum Messyam, sicut statim audiemus. Vtinam & inter Christianos qui vigilant, proximè Christum vigilarent: Multi vigilant, quos præstaret altum dormire. Vigilant lusores, ebriosi, fornicatores, vigilant fures & latrones, sed in regione cacodæmonis vigilant, non vbi Christus nascitur. Horum vigilare in scripturis dormire vocatur, quoniam his sceleribus intendentes non animaduertunt infernalem latronem, suis ipsorum insidiantem animabus. Ad Christianos omnes dictum est: Vigilate quia nescitis diem, neque horam. Et omnes Christiani pastores sunt, & gregem proprium habent. Hic pueros, ille familiam: tu, si nihil aliud, certè animam habes, quam dormitione tua perdere posses. Huc pertinet quod Petrus admonuit dicens: Sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester Diabolus circuit tanquam leo rugiens, cui resistite fortes in fide. Ad exemplum itaque pastorum illorum vigila super gregem tuum, super animam tuam, super familiam tuam, ne Satanas præter omnem opinionē veniat, & aliquid ex tuis deprædetur. Sunt Episcopi & Parœchi pastores, sunt qui Magistratu funguntur pastores, & his incumbit vt nihil somnolēter agāt, sed proximè Christum vigilent, semper ad huius voluntatem respicientes. Sequitur.

*Et ecce angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno.*

Angelus Mariæ, angelus Ioseph, angelus iam postremò etiam Christum verum Messyam annunciat: Erat Herodes Hierosolymis, erant Pharisæi, erant Pontifices & Scribæ, sed ad hos non venit angelus, indigni erant tali nuncio, quoniam non credidissent. At pastoribus vigilantibus adstat angelus, digni enim sunt angelica visitatione, qui aliis stertentibus & dormientibus ipsi super gregem sibi commissum vigilant. Aliis autem quorum paulo supra mentionem fecimus, qui proximè Satanam vigilant, hoc est

qui impuris intenti sunt sceleribus, nõ assistit Angelus, sed Satanas ipse: Sic diuitibus quos sola auaritia insomnes reddit, non bonus Dei angelus, sed angelus Satanæ adstat, non vt consoletur, sed vt in desperationem adigat. An non recordaris huius quod in euangelio ad auarum dicitur: Stulte hac nocte animam repetẽt à te, & quæ congregasti cuius erunt? Vide igitur quomodo vigiles, & cui rei inuigiles. Cæterùm vt ad verba Lucæ redeamus, paucis hic rem absoluere licebit. Non loquitur Lucas, Angelus venit ad Pastores, sed: ecce astitit illis, quò declaret repentino motu ipsis adfuisse. Angeli enim nullo locorum intercapedine remorantur, sed in momento sunt quò mittuntur. Claritas autem Dei circumfulsit illos, quoniam lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mũdum, iam orta erat, ad illuminandum eos, qui iuxta Zachariæ dictum, in tenebris & in vmbra mortis sedebant. De timore quem homines ex conspectu angelorum concipiunt, semel atque iterũ in superioribus diximus.

*Et dixit illis angelus: Nolite timere. Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid.*

Angelorum bonorum est, eos quos turbauerunt, rursum cõsolari, id quod & in superioribus iterum atque iterũ demonstrauimus. Nolite, inquit angelus, timere. Sic Zachariæ dixerat: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua. Sic Mariæ dixerat: Ne timeas, Maria, inuenisti gratiam apud dominum. Quis autem nõ consolationem acciperet, audiens suã deprecationem esse exauditam, vel se inuenisse gratiam apud Dominum? Et profectò quæ angelus pastoribus annunciat, plena consolationis sunt: Nolite, inquit timere. Ecce enim Euãgelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo. Gaudium erit commune, sed vos digni habiti estis, quibus primo annunciaretur. Vobis pastoribus annunciatur, quod sapientibus & prudentibus huius seculi absconditum est: Vos contempti pastores, quibus vix conceditur Pilatum, vel Herodem, vel Annam, vel Cayapham alloqui, vos, inquam, tam præciosum euangelium, primi annunciabitis mũdo. Quale hoc euangeliũ? Natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus. Magnifica sunt hæc verba, & digna quæ angeli ore primũ proferãtur. Natus est vobis hodie saluator, quẽ omniũ ora prophetarum prædixerant, quẽ omnes Prophetæ & Patriarchæ desiderauerant, in quem omnis Israel sperauerat. Hic natus est hodie: Hodie natus est vobis, non Dux, non Rex, non propheta veteribus similis, sed seruator. Moyses, Iosue, Cyrus & alii plura beneficia populo Israel præstiterunt, at nihil est, ad hoc collatum quod ab hodie nato seruatore expectare licebit. Nemo vnquam antea in mundum natus est, qui liberare potuerit populum Israel, sed hodie natus est Seruator, qui est Christus Dominus, nimirum Messyas, quem omnes Iudæi iam diu expectarunt & desyderarunt. Hoc gaudium angelus Pastoribus annunciat, & addit natiuitatis locum, ne quid diffidant. Natus est vobis, inquit, Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid, quæ erat Bethleem, hoc quod & in superioribus annotauimus. Pulcherrimo ordine angelus omnia prosequitur. Legationem suam diligẽtiss. prosequitur, omnes circunstantias suo ordine adaptans. Summa Euangelij est, vt annunciet Messyam natum in hunc mundum. Addit: Quibus, hoc est in cuius commodum. Vobis, inquit, omnibus in genere, non solis

solis Iudæis, nec solis Ethnicis, sed omnibus: erit enim gaudium hoc, inquit, omni populo. Addit tempus: Hodie natus est, non iam diu natus, nec multis retro seculis nascetur: sed hodie natus est, non alio tempore. Addit locum: in ciuitate Dauid, hoc est, in Bethleem: sic enim prædixerant prophetæ. Quod nomen eius? Christus Dominus, nimirum Messias, rex & sacerdos. Addit Angelus:

*Et hoc vobis signum: Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.*

Hæc si audit Iudæus, si audit Ethnicus, quid dicet? an non ridebit? Quæ est ista Euangelizatio angelica, vt ad signandum Iesum Christum Dominum, infantem pannis inuolutum, reclinatumque in præsepio clamet? Sunt ne ista tria, infantia, pāni, præsepium, tā præstantia signa, vt testentur saluatorem? Cur pro signo tanti signati aliquid cœleste non dedit? Cur non induxit in signum, illius noctis insolitam claritatē? Cur ei locutionem pro signo non dedit? Inueniuntur alia signa data in manu Moysi & Aaron, Heliæ & Helizæi, & multorum prophetarum, vt eorum dicta & facta crederentur. Quamobrē pro tanto domino, vt in cognitionem eius veniat, designando, tam vilia signa sunt inducta, vt inuolutus pannis, & positus in præsepio saluator omnium crederetur. Erant ne pastores tantæ prudentiæ, vt ex tam vili signo eum crederent omnium saluatorem? potius autem debuit ex signo dato accepisse cōtemptus. Vox angeli, & alia quæ circa pastores facta sunt, sufficientia fuerunt testimonia; vt pastores nihil humile cōgitarent. Nec erat moris, vt puërpera recumberet in stabulo, vel infans poneretur in præsepio. Adde, Christus sua diuinitate non voluit saluare mundū, sed humanitate sua. Paupêres habuit parentes Christus, peregrè natus est, Pauperibus annunciari voluit, & voluit in paupertate à pauperibus inueniri. Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, ait Apostolus, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis. Non te moueant panni, vel præsepiū, sed cogita quis sit ille qui pannis inuolutus in præsepio iacet. Infans hic prædicatur, qui verbū Dei ab æterno est. Infans est hic, qui linguas infantiū, iuxta prophetā, facit disertas. Infans hic est qui os & hoīs linguā cōdidit. Infans hic denique est, qui post prædicabitur facere, vt muti loquantur, & surdi audiant. Pannis inuolutum noli contemnere, quoniam is ipse est, qui credentes sibi, perpetua & beata immortalitate vestit. Pannis inuolutus hic iacet, qui in extremo iudicij die clamabit ad electos: Nudus fui, & cooperuistis me. Pannis inuolutus hic iacet, qui postea nudus pro nobis in ligno pependit. Nec fugit in infantia præsepium, qui vir factus non abhorruit crucem. In præsepio collocatur, qui dexteram patris nunquam deseruit. Hic audis pannos & præsepiū, in morte audies pānos & sepulchrū. Panni iam testātur natū, & pòst testabūtur à mortuis reuocatū.

*Et subito facta est cum angelo multitudo cœlestis exercitus laudantiū Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Qui vni angelo non credit Christū natum in Bethleem, pannis inuolutū, iacere in præsepio, vel innumeræ multitudini credat, & ex intuitu cœlestis exercitus discat qualis sit imperator, qui infans in præsepio iacet. Certè ex auditione angelici exercitus, pastores facilè potuerunt cōlicere, non esse rem ludicram quæ ab vno angelo nunciata fuerat. Ostendit autem hic exercitus cœlestis militiæ, quo sit animo erga humanum genus, nimirum amico & beneuolo. Quod enim hic hymnizāt, hoc

est, ineffabili more, non tam laudant Deum, quàm nobis congratulantur nostram fœlicitatem, vt quorum saluator iam natus sit. Amant enim nos Angeli cœlestes, turbantur nostra miseria, & gaudent de nostra fœlicitate, id quod Euangelium non vno in loco demonstrat. Gaudium est angelis Dei, inquit Christus, super vno peccatore pœnitentiam agente. Et iterum: Videte ne contemnatis vnum ex pusillis istis qui in me credunt: Angeli enim eorum semper vident faciem patris mei qui in cœlis est. Alibi turbantur videntes miserum seruum à conseruo nequam iniuriam pati. Alibi memorantur preces & eleemosynas nostras in conspectum Dei offerre. Sunt enim omnes administratorij spiritus, missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis æternæ. Adde his quod in veteri testamento non semel leguntur angeli pro pijs, contra impios bellare. Nec incredibile est, quin si quoquo modo fieri potuisset, vtique pacem fecissent inter nos & Deum: at quoniam ipsis impossibile fuerat, lætantur & exultant quòd Christus Dei filius, vt hoc negotium expediat, in hunc mundum venerit. Voluissent, inquam, hominibus præbere auxilium, & eis ab eorum infirmitatibus tribuere sanitatem, sed videbant multò inferiorem suam esse medicinã, quàm illorum cura posceba. Porrò vt de exemplo possis intelligere (Origenis hæc sunt) vide mihi vrbem in qua ægrotent plurimi, & medicorum frequens adhibeatur manus: sint diuersa vulnera, quotidie in emortuam carnem serpens putredo penetret: & tamen medici qui adhibiti sunt ad curandum, nequeant alia vltra inuenire medicamenta: & artis suæ scientia magnitudinem mali vincere. Veniat autem aliquis Archiater qui habeat summam in arte notitiam, & illi qui prius sanare nequiuerant, cernentes Magistri manu putredines cessare vulnerum, non inuideant vel infirmo sanitatem, vel magistro honorem, nec liuore crucientur: sed in laudes erumpant Archiatri, & prædicent Deum, qui & sibi & ægrotantibus tantæ scientiæ hominem miserit. Sic & Angeli videntes Deum præstare hominibus, quod ipsi præstare non potuerunt, in laudes Dei erumpunt, & hominum fœlicitati congratulantur, dicentes: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Hæc autem angelica cantio significat, nihil ex hoc negotio gloriæ deberi, nec angelis nec hominibus, sed vniuersam gloriam deberi bonitati diuinæ, quæ nobis quos condidit miro consilio prospicit è cœlo, vt intelligamus, illinc nobis proficisci, quicquid magnificũ aut salutiferum obtigerit, in terris nihil aliud optandum quàm pacem, quæ peccatis abolitis nos Deo conciliet, quæ nos mutua charitate conglutinet. Hæc est enim pax, non mundi, sed quæ omnem sensum exuperat, quæque præponderat vniuersis mundi fœlicitatibus. Gloria quoque Dei magnificè illustrata est, vbi spiritu Christi tam multi ipsum Deum agnouerunt & adorauerunt. Pax in terra beata confecta est, dum plurimis à Deo per Iesum Christum aditus ad patrẽ contigit: de cuius gratia qui secuti sunt, ita pacatis & tranquillis animis existunt, vt boni omnia consulant, & pacem, quantum in ipsis est, cum omnibus hominibus habeant. Gloria, inquiunt, in excelsis Deo, qui sola misericordia ductus, filium suum misit in mundum, vt pacem faceret inter Deum & homines in terris, qui hoc Dei beneficium puris mentibus agnoscunt. Hæc enim sola bona voluntas est, quæ ad Dei voluntatem sese in omnibus accommodat. Porrò cantum hunc angelicum Ecclesia iam per multa secula in

vsu habuit, sic vt ferè singulis diebus in Missæ sacro recitare soleat, id quod S.Thelesphor⁹ papa Anno Dñi cxliiij. instituit, quod verò hui⁹ cãtici adiectũ est, Symmach⁹ papa an. Dñi cccclxiij. perfecit. Idipsum etiã historiæ testãtur.

*Et factum est, vt discesserunt ab eis Angeli in cœlum, pastores loquebantur ad inuicem: Trãseamus vsque Bethleem, & videamus hoc verbum quod factum est: quod fecit Dominus, et ostẽdit nobis.*

Magnam hæc arguunt fuisse pastorum fidem, qui simulac angeli sese receperant ad altiora, statim deliberant quid faciendum fiet. Audiuerant enim ab angelo: Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. Consilium igitur inter se conferunt boni viri, non dubitantes de dictis angeli, sed cupientes plenius cognoscere quod audierãt. Transeamus, inquiunt, Bethleem, & videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis. Audierant enim Saluatorem natum in ciuitate Dauid quæ vocabatur Bethleem, ideoq; non putant longius differendum, neque hoc mysterium ociose indicatum esse. Si Deus magnum quid perfecit in Bethleem cuius agnitiõe nos putat dignos: quid ni festinaremus hoc ipsum videre? Bona confabulatio, bonaque consultatio est, qua consilium capitur de quærendo Iesu, & de diuinis ipsius operibus consyderandis. Domus Dei, templum Dei, domus orationis Bethleem spiritualis est, vbi verbum Dei, filius Dei inuenitur: ad hanc igitur Bethleem visitandam mutua debebat esse Christianorum cohortatio. At piæ piorum pastorum voces inter Christianos non audiuntur, etiamsi nõ desint mutuæ cohortationes. Transeamus, inquiunt pastores, vsque Bethleem, &c. Quid nostri? Transeamus, inquiunt, ad seducendum proximum, & (sicut apud Salomonem dicunt impij) insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontẽ frustra: Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spolijs, &c. Alij dicunt: Transeamus vsque ad pocula, ad tesseras, ad scorta, &c. Rarus est qui pastoribus nostris pijs ad Christum tendentibus se comitem præbeat. Porrò quoniam omnis cohortatio & consultatio frustranea est, quæ in opera sese non extẽdit, ideo sequitur:

*Et venerunt festinantes, & inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio. Videntes autem cognouerunt de verbo hoc quod dictum erat illis de puero hoc.*

Nihil difficultatis hoc loci est. Ostendit enim his Lucas Angeli promissa verificata fuisse, qui prædixerat pastores talia inuenturos. Declarat item præsens locus, quantus fuerit pastorum ad hæc videnda amor, quantumve desyderium. Rarò certè corpus festinat, nisi aliqua mentis affectio festinare compellat: & ipsa tarditas ad quærendum nullius aut modici amoris argumentum existit. Amor addit alas, ait ille. Festinant itaque pastores boni, vt iam diu à multis expectatum Messiam suis ipsorum oculis videant. Venerunt Bethleem, & inuenerunt iuxta quod dictum erat ad illos. Bona festinatio, quæ ad Mariam & huius filium Iesum festinat. Sic bona festinatio erat, quando Maria festinabat per montana, vt Elizabethæ inseruiret. Bona item festinatio, quando festinat Abraham in obsequio hostium. Tales festinationes procul dubio ad Christum mittunt: at qui festinant ad perpetranda mala, sicut paulò supra diximus, horum iudicium, vt Apostolus dicit, non tardabit. Verùm nos surdis hæc canimus, ijs, inquam, qui dicta nostra cum risu & cachinnis accipiunt, & in die Domini, quàm impunè nihil huiusmodi fecerint, intelligent. An ne magna sinė

probi-

probitas est, ad bona facienda semper dormitare, ad mala verò perpetranda etiam ceruis equis esse velociores? Gens sine consilio est, ait scriptura diuina, & sine prudentia. Vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent.

*Et omnes qui audierant mirati sunt, & de his, quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.*

Quoniam pastores boni audierant ab angelo hoc gaudium fore commune omni populo, ipsi rebus omnibus ritè exploratis, nihil occulrant, sed rem gestam fideliter referunt, id quod iuxta Dei beneplacitum factum esse, nihil dubitamus. Igitur sicut antea audiuimus, populi mirati sunt de mirabili natiuitate Ioannis Baptistæ, ita & nunc qui pastores audiunt, admirantur, nec temere: erat enim res admiratione dignissima. An non res miranda, esse Christum Dei filium, verum Messiam non Hierosolymis in regia ciuitate, sed in Bethleem? An non admiratione dignum, quòd creator omnium, pannis inuolutus, iacet in præsepio? Quòd Dei filius hoc celauerit scribas & Pharisæos, & tam infimæ sortis homines voluit habere præcones? Qui ab angelis in cœlestibus prædicatur, voluit primum visitari à pastoribus? Sed dignum est, vt pastor omnium alios non malos pastores non contemnat. Aegyptij pastores quidem contemnunt, at Deo boni pastores pretiosi sunt & chari. Bonus pastor Abel, bonus pastor Abraham, bon⁹ pastor Moyses, Dauid & alij. Vides pastorum priuilegium. Pastor primus Dei martyr fit, primúsque Dei sacerdos. Ex pastoris Abrahæ semine redemptor mundi Christus nascitur. Pastor Moyses populum Israel ex Aegyptiaca miseria & miserrima captiuitate educit. Pastor Dauid vir secundum cor Dei dicitur, & populo Israel magnificus rex præficitur. His adde pastores, qui iam prædicantur post angelos primi Euangelistæ, qui primi homines hominibus annunciant natum Christum. Vides iam quomodo innotuerit Christus? Angeli pastoribus, pastores alijs hominibus annunciant, vt sic De⁹ ministerio hominum homines doceat. Tu itaque noli contemnere verbi Dei ministros, qualescunque tandem sint, modò Christum syncerè doceant. Non omnia possumus omnes, ait ille. Et differenter distributa sunt Dei dona. Qui non habet Gamalieles, vel pastoribus contentus sit.

*Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.*

Pastores annunciant, auditores admirantur. Occasionem ex hoc textu accepi, demonstraturus quàm sedulò verbo Dei incumbendum, exaggerans Mariam post Angelos ne pastores quidem contempsisse. Maria, inquit, omnia conseruans, singula in corde suo confert. Neque enim dubiũ est, quin pastores omnia quæ ab Angelis audierant, Deiparæ virgini annunciauerint, nimirum quid nunciarit Angelus, quid cecinerit cœlestis militiæ chorus. Hæc itaque probè expendit Diua virgo, cum his quæ circa se facta fuerant: admiratur præsentia, & sperat maiora. Miraculis plena sunt omnia, summa humilitas vbique summa sublimitate miscetur. Infans in vtero concipitur, sed angelo internuncio, spirituque sancto opifice. Puer nascitur, sed è virgine matre: reclinatur in præsepe, sed angeli gratulabundi canunt è cœlis: Latitat in obscuro loco, sed cœlũ nati sublimitatem adorat. Hæc omnia diua Theotocos contemplatur, & confert cum his quæ audierat siue ex prophetis siue ex angelis. Ita pij solent virginis exemplo in operibus Dei cogitatiõis immorari, vnde & pietas mira percipit incrementa: reliqua verò perinde atque aspidum venena reijciunt. Sicut enim malæ cogitatiões, vt de volupta



tibus

tibus & de immunditiis aculeũ relinquunt in corde hominis:ita & piæ cogitationes pios quosdam affectus in hominis corde accendunt. Disce itaq; exemplo Diuæ virginis cælestia meditari, & amplum experiere pietatis fructum. Sequitur:

*Et reuersi sunt pastores, glorificantes & laudantes Deum in omnibus quæ audierant & viderant, sicut dictum est ad illos.*

Beati pastorum oculi, quoniam viderunt quæ multi reges & prophetæ voluerunt videre, & non viderunt. Viderunt enim illi Christum natũ, quem alij longè antea promissum iam diu expectauerant. Quo viso, pij atque fœlices pastores, reuertuntur ad opera sua, ad custodias suas, glorificantes & laudantes Deum, qui se tali gratia dignos fecerat, vt quemadmodum ab angelo audierant etiam comperissent. Et nostrum est summis laudibus diuinam extollere bonitatem, quæ nos huius infantis, quem pastores in præsepio salutarunt, participes ac fratres fecit. Quomodo verò laudandus sit Deus, in cantico D. virginis Deiparæ, & in hymno boni sacerdotis Zachariæ discere posis. Quæ hic allegoricè de pastoribus dici & admoneri possent, differemus in alium Euangelii locum. In his certè tribus articulis cardo vertitur, Vt Iesum primò omnium in præsepio, hoc est, in scripturis sanctis quærant, quæsitum ac inuentum prædicent, prædicatum laude prosequantur & gratia. Sed nos posthabitis pastoribus, ad Christum redeamus.

*Et postquam consummati sunt dies octo, vt circuncideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus: quod vocatum est ab Angelo priusquàm in vtero conciperetur.*

Pauca quidem hæc verba sunt, sed longiorem videntur requirere tractatum. De negotio enim circuncisionis, hoc est, de vsu & fructu eius multa disputantur: nos tamen ea qua possumus breuitate totum negotium expediemus. Et principio quidem putamus Christianos haud ignorare quæ tempore circuncisionis lex lata fuerit, nimirum quòd ea ipsa non ex lege, sed vt Christi verbis vtamur, ex patribus sit. Ad Abraham enim primum omnium dictum est: Hoc est pactũ meum quod obseruabitis inter me & vos, & semen tuum post te. Circuncidetur omne masculinum, & circuncidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis inter me & vos. Infans octo dierum circuncidetur in vobis. Masculus cuius præputij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. Hæc lex deinde in Leuitico repetita est his verbis: Die octauo circuncidetur infantulus. Quæ quidem lex in ipsa profectione filiorum Israel per desertum, neglecta est, vt patet Iosue cap.v. vbi sic legimus Dominum ad Iosue locutum: Fac tibi cultros lapideos, & circuncide secundo filios Israel in colle præputiorum. Populus qui natus est in deserto per quadraginta annos itineris latissimæ solitudinis incircuncisus fuit, donec consumerentur qui non audierant vocem Domini. Post nec aliqua alia lex maiore cura & religione custodiebatur atq; hæc: Sabbathũ magnificè obseruabãt, at in Sabbatho circuncisio fiebat, vt quæ longo interuallo post se relinqueret Sabbathũ. Existimabant Deum nullius præcepti neglectu perinde offendi. Et vrgebat quod Abrahæ dictum fuerat: Omnis masculus cuius præputii caro circuncisa nõ fuerit, delebitur anima illa de populo. Neque enim hic temporalis terror mortis incussus est, vt Augustinus etiã admonuit, sed terror æternæ damnationis: & quod est octauo die non circuncidi, hoc est in Christo non baptizari: & quod est perire de populo suo, hoc est

Gen.17. Leuit.12. Iosue 5. August. contra Pela. & Celesti. li.2.cap. 30. Contra Iulian. Pelag. lib.

est, non intrare regnum cœlorũ. Propterea iuxta eundem D. Augustinum, nisi circuncisus fuisset Isaac, periisset, nec immerito, quia ex hac vita, quò per generationem damnatam damnatus intrauerat, sine signo regenerationis exisset. Breuiter, hoc signum circuncisionis datum fuerat præter cætera in remedium contra peccatum originis, in cuius locum iam successit Baptismus. Porrò quoniam hæc lex, circuncisionis nimirum, tantæ fuerat autoritatis, & Christus non venerat legem soluere, sed adimplere: ideo & ipse circuncidi voluit, quo & sic legem adimpleuit, & nos ab ipsa legis miseria redemit. Pro me, inquam, seruauit adeoque impleuit legem, ita vt & ego, & quotquot credimus in Iesum, non obstringamur. Iesus enim cùm opus non haberet, circuncisus est, & eam circuncisionem legisque reliquæ impletionem credentibus suis gratis donauit. Quod cùm ita sit, non veriti tamen sunt olim quidam è Iudæis eam legis consuetudinem in Ecclesiam ducere, hocque ex non intellectis scripturis. Sic enim argumentabantur: Quod Deus semel in sempiternum statuit, nunquam ipse mutari concedit: atqui statuit circuncisionem in sempiternum, in fœdus æternum, Ergo impiè agunt qui absque circuncisionis signo sibi vitam polliceantur æternam. His respondemus paucis, Quod Deus in sempiternum seruari voluit, nemo Christianus abolere contendit: Atqui circuncisio tale quid non est, absurdè itaque argumentantur siue Iudæi, siue Nazaræi. Dicant nobis boni illi homines, nunquid hoc scriptura prædicat, quòd Deus circuncidendi ritum indixerit in æternum? Nascendi & generandi successio æterna erit minimè, & lex circuncidendi æterna esse poterit? Quid ergo? Ipsa scripturæ verba melius inspiciamus, ne vllatenus excusabiles illos esse suspicemur. Quid Deus voluit esse æternum? Pactum suum, fœdus suum. Quod est illud fœdus? quod est illud pactum? Nunquid ipsa circuncisio fœdus, aut pactum? Non vtique, sed est fœderis vel pacti signum. Cùm enim dixisset Deus: Circuncidetur ex vobis omne masculinum, & circuncidetis carnem præputii vestri, statim addit: vt sit signum fœderis inter me & vos. Non ergo circuncisio fœdus, sed signum fœderis est. Et quantum distat inter testatoris scriptum, & ipsius quod impressit sigillum, tantum distare certum est inter eam quæ ad Abraham facta est seminis, qui Christus est, promissionem, & ipsam circuncisionem. Promissio itaque seminis & benedictionis pactum est, circuncisio verò pacti signum. Et pactum quidem, dixit Deus sempiternum: perpetuò enim erit Deus filiorum Abrahæ, & in sempiternum benedicet illis. At cùm dixisset de circuncisione, vt sit in signum fœderis, non addidit in æternum. Ex his itaque apertum est, quàm imprudenter, imò quàm impiè Iudæi & Nazaræi circuncisionis iugum Christianis imponere conati fuerint. Patet item quàm imprudenter Iudæi hanc sic mordicus obseruant. Quid faciunt cum chyrographo, cùm diffiteri non possint, quin redemptio facta sit? An non fidelis Deus inuentus est, qui quod Abrahæ pollicitus est, hoc ipsum iam diu exhibuerit? Promisit Messiam ex semine Abrahæ proditurum, at hoc ipsum factum esse, totus mundus clamat. Soli Iudæi contra suam ipsorum conscientiam repugnant. Certè ablatum est sceptrum de Iuda, cessauit vnctio, Danielis hebdomadæ completæ sunt, Virgo genuit Emanuelem, & nihil à Christo nostro Domino factum est, quod non prædixerint prophetæ, ab ipso promisso Messia complendum. Sed satis superque diximus, ad ostendendum, circun-

Idē contra eundem li. 3 ca. 18

Idē contra Crescen. li. 1 cap. 31.

Fœdus æternū non signū fœderis.

circumcisionis legem non esse perpetuam, eamque frustra à Iudæis obseruari. Cæterùm non frustraneum erit his adiungere, quare Christus circuncisus fuerit, & quare Christiani in hoc negotio Christi negligant exemplum. Vtrunque certè Iudæi catholicis obijcere solent. Quare autem Christus circuncisus fuerit, ex multis causis paucas exponemus. Circuncisus itaque est, vt sua circuncisione circuncisionis legem & impleret pro nobis & aboleret. Secundò, circuncisus est, vt circuncisis, legitimus & irreprehensibilis minister, salutis suæ gratiam prædicaret. Neque enim visus fuisset de Abraham semine procreatus, qui signum quod Abrahæ mandatum fuerat, non accepisset. Circuncisionem autem accepit, vt in ipso Iudæi scandalum accipere non possent. Sic & Apostolus Timotheum circunciderat, factus Iudæis Iudæus, vt Iudæos lucrifaceret. Rursum aliam circuncisionis causam in Christo ponit Diuus Augustinus, inquiens: Dominus humilitatis viam docens, Sacramenta quæ hic inuenit prænunciationis suæ suscipere dignatus est: non ad suæ purgationis adiutorium, sed ad nostræ pietatis exemplum, vt scilicet ostenderet nobis quanta deuotione suscipere debemus ea, quæ illum iam venisse testantur, quando ipse suscipere dignatus est, quæ illum venturum significabant. Est & hæc non minima causa, quòd circuncisus probauit se veram & naturalem ex virgine suscepisse carnem, id quod hæretici quidam negauerunt olim. Restat nunc vt doceamus, quare Christiani non circunciduntur ad exemplum Christi. Ad hoc respondet Diuus Augustinus: Circuncisio signum fuit promissi filij Dei, id est, Christi; quo nato, cessare oportuit signum promissionis, ita tamen, vt ipse promissus aduenïens, signum patris acciperet, vt sciretur is esse, qui promissus fuerat omnes gentes iustificare per fidem, in circuncisione cordis. Cùm itaque quæritur: Cur iam non circuncidatur carne Christianus, si Christus non venit soluere legem, sed adimplere? Respondeo: Imò iam ideo non circunciditur Christianus, quia id quod eadem circuncisione prophetabatur, iam Christus impleuit. Circuncisio erat signum, quemadmodum supra diximus, fidei Abrahæ, fides autem Abrahæ credebat venturum Messiam, Ergo qui circunciduntur, credunt quod Abraham credidit, nimirum Messiam promissum certò venturum. Cessante autem hac fide, cessare debuit & signaculum fidei. Quomodo enim non maxima stultitia est, credere eum venturum, qui iam diu venit. Illi ergo circuncidantur, qui Christum venisse, cum Iudæis negant, & sic arguant Deum mendacij, qui vbique & semper fidelis in promissis suis inuenitus est. Breuiter, Der brieff ist abgeleſt, nec est vt alium credamus venturũ Christum. Qui hodie circuncisus est pro nobis, hunc amplectimur, huic credimus, per hunc benedictionem illam speramus, quam Deus Abraham, Isaac & Iacob, Abrahæ iam olim promiserat. Et tantum quidem de circuncisione, iam de impositione nominis videndum est. In ipso enim circuncisionis die, Luca teste, vocatum est nomen pueri IESVS, quod vocatum est ab angelo, priusquàm in vtero conciperetur. Quid nomen hoc IESVS velit, Angelus ipse demonstrauit, dicens ad Mariam quidem: Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius IESVM. Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur.

Marginalia: Quare ad exemplum Christi non circunciduntur Christiani. — 1 — Vide Epipha. lib. 1. to. 3. ca. 30. — 2 — 3 — Contra literas Petilia. li. 2. cap. 37. — 4 — 5 — Quæst. Vet. & no. test. quæst. 50. — August. contra Faustũ, libr. 19. cap. 9 — August. quæst. vet. & no. test. q. 114. — De impositione nominis.

Sic se humilitate Deo superbit Augustus homo.

Ioseph edicto cæsaris coactos, in Bethleem peruenisse. Edictum enim Octauiani Augusti omnes vocabat, quotquot Romano subessent Imperio. Erat & tunc Iudæa Romanis tributaria facta: Voluit autem Cæsar Augustus hoc edicto certò cognoscere quot homines suo subessent imperio, & quanta illorũ facultas. Hoc iã olim fecerat Dauid, iubens numerari populum, at non impunè. Sed sinamus hæc, illa solùm tractaturi quæ proximè ad rem faciunt. Sententia Euangelistæ est, ostendere quo tempore Christus natus fuerit, & vbi, & quo medio ad locũ natiuitatis Maria peruenerit. Eo, inquit, tempore quo Cæsar Augustus edicto publico emisso, voluit rotum Romanum orbem censeri, & hoc nomine Cirinus Syriæ præses, à Cæsare missus esset in Iudæã, Christus in Bethleem natus est. His autem admonet nos Euangelista rursum, veteris prophetiæ, quæ docuerat primum quidem auferendum à Iudæis sceptrũ & ducem, & tunc tandem nasciturum Messiam. Pulchrè autem hæc conueniunt: Augustus Cæsar emittit præsidem suum, vt subditorum accipiat nomen. Christus verus Cæsar noster etiam suum habebit præsidem, nimirũ Ioãnem Baptistam, qui & ipse numerabit eos, qui sub Christi signis forent militaturi. At hic multa diuersitas: Augustus plerasque mundi regiones obtinebat. Christus porrò verè dicit: Mihi data est omnis potestas in cælo & in terra: Latior itaq; Christi, quàm Augusti patet ditio. Adde: Qui Cæsari dant nomen, quid aliud quàm seruitutem profitentur, & rem familiarem comperiunt arctiorem? Qui autẽ nouo principi Christo dant nomen, longe tolerabiliorem habent seruitutẽ, seruitutẽ omni humana libertate liberiorẽ. Ei enim Domino seruiunt, qui placidiss. regnat, qui non arripit mortalia, & tamen dat cælestia: Augustus quanquam esset omnium in rebus gerendis dexterrimus, tamen multas regiones non poterat armis subigere: At Rex noster, sine vi, sine præsidiis huius mundi, vniuersum terrarũ orbem, tot linguas, tot ritus, tot religiones, tot barbaras ac retrusas nationes, in vnam Ecclesiam, velut in vnum regnũ congregauit. Huic potentiss. Regi in baptismatis fonte nomina dedimus, huic necesse est seruiamus, in sanctitate & iustitia, sicut nos docuit Zacharias, hoc est vera fide & bonis operibus. Ab hoc principe, si quis desciuerit ad illius aduersarios dæmones, impunè non fecerit. Restat enim adhuc alia descriptio, quæ futura est in nouissimo die, quando apparebit signum filij hominis in cælo, & congregabuntur ante eum omnes gentes, &c. Sequitur.

Ge. 49.

*Et ibant omnes vt profiterentur, singuli in suam ciuitatem.*

Hoc vrgebat Cæsaris edictum, vt singuli in natiuas suas ciuitates, ad natale solum vnusquisq; remearet, ipsisq; præsidibus Romanis profiterẽtur, nomen, patriam, & substantiam. In hanc enim obedientiam venerunt, qui Deo parere recusauerant, quique hactenus sua imperia imprudenter & impiè administrauerant.

Obserua.

*Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth, in Iudæam ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleẽ, eo quòd esset de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore, prægnante.*

Videmus hoc loci exemplum veræ obedientiæ ac veræ humilitatis, Quoniam diuina prouidentia eò ventum fuerat, vt Imperator idololatra Iudæis tam bonis quàm malis imperaret, non detrectarunt sanctissimi cõiuges officium, sed & ipsi proficiscũtur in suam ciuitatem, vnde & genus & ortum duxerant, vt ibi profiterentur, & ge-

& genus & patriam, & nomen & censum. Plærunque enim fit, vt boni in hoc mundo pari cum impiis premantur iugo. Et bene faciunt Ioseph cum Maria, agnoscunt Dei ordinationem, obediunt Magistratibus, & reddunt Cæsaris quæ sunt, Cæsari, & quæ Dei, Deo. Nec putes sanctissimis coniugib⁹ suam fuisse fœlicitatem ignoram. De Maria non est dubium, quoniam ex Luca omne negotium accepimus: De Ioseph autem nos docet Matthæ⁹, qui huius mysterij negotium ab angelo didicerit. Ad ipsum enim ab angelo dictum est: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuã, quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est. Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluũ faciet populum suum à peccatis eorũ. Facilis est historia. Obseruandũ hoc loci, Lucam nobis rursum in memoriam reducere veterem prophetiam, qua dictum est: Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Docet enim hic Euangelista, Iosephum fuisse de domo & familia Dauid, & de eadem familia etiam diuam Theotocam Mariam. Obserua item, quàm sedulò & diligenter potestatibus obediendum sit. Vides enim hic Mariam prægnãtem & partui proximam, per montana transire à Nazareth in Bethleem, ne videatur velle negligere edictum Cæsaris Augusti iam promulgatum. Porrò quare Bethleem ciuitas Dauid dicta sit, hæc ratio est, quoniam Rex Dauid olim ibi habitauerat, & ipse & pater ipsius Iesse ibi sepulti sunt. Sequitur:

Math. 1.

Obseruat.

Psal. 131.

Obseruat.

1. Reg. 16.

*Factum est autem cùm essent ibi, impleti sunt dies, vt pareret.*

Factum est, inquit Lucas, cùm essent ibi. Vbi? In Bethleem. Attendite, ô boni, quàm inscrutabilia sint iudicia Domini, quàm verè dixerit: Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Propheta iam olim prædixerat Messiam nasciturum in Bethleem Iudæ. Quis hoc credidisset, compertum habens Mariam & Ioseph non in Bethleem, sed in Nazareth Galilææ habitationem suam habere? At prouidentia Dei factum est, vt Maria quæ in Nazareth conceperat de spiritu sancto, partui proxima in Bethleem veniret. Quæ enim semel procedunt de labiis Domini, non faciet irrita. Augustus itaque Cæsar Dei prouidentiæ & ordinationi ignorans seruit, edicto cogens Mariam à Nazareth in verum & à Deo electum natiuitatis locum venire, & in vtero gestare Imperatorem cœli & terræ. Edictum hoc non debuit vel anticipari vel prorogari, vt sic potuisset Maria post partum illò venire, vel ante partum inde domum reuerti, vt Nazareth talem haberet puerperam: sed sic disponebat diuina prouidentia, sic stabat consilium Domini, vt dum esset Maria in Bethleem, implerentur dies, vt pareret eum sine humano semine, qui primum hominem etiam citra humanam operam creauerat. De prophetia quæ testabatur Christum in Bethleem nasciturum, si quæras, sic habet: Et tu Bethleem Ephrata, paruulus es in milibus Iuda, ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis. His significauit prophetam Christum nasciturum in Bethleem, etiamsi non sit inter magnificas Iudæ ciuitates numerata. Ephrata olim dicta est, quam hic Michæas Bethleem nominat, quo certò demonstret quam Bethleem velit, nimirum eam quæ est tribus Iudæ, non eam quæ ad tribum Zabulon pertinet. Vocat autem Michæas Messiam, Dominatorem in Israel, vt verum significaret esse hominem, & addit

Mich. 5.

Gen. 35. & 48.

Iosu. 19.

addit egressum illius esse ab initio à diebus æternitatis, quibus verbis manifestissimè probaturChristi diuinitas. Porrò ne quis existimet hanc prophetiam in Christum non conuenire, ex Mathæo discimus, Principes sacerdotum & scribas populi Hierosolymis, ex hoc Michææ loco Herodi probasse Christum Messiam in Bethleem Iudæ fore nasciturum. Sequitur:

*Et peperit filium suum primogenitū, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eū in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio.*

Sicut natiuitas Domini nostri Iesu Christi citra omnem fastum mundanum contigit, ita & D. Lucas omnem verborum lasciuiam in describenda natiuitate ipsa vitauit. Quis enim non videt quàm simpliciter tam mirabilem rem describat? Quid enim simplicius dici potuit? Peperit, inquit de Maria, filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, &c. Quæ est illa parens quæ peperit? Est virgo illa, quæ iuxta Esaiæ vaticinium, concipere debuit in vtero. Est Maria illa quam virtus altissimi obumbrauit, in quam Spirit[9] sanctus descendit, quæ citra omnem viri operam concepit. Hæc, inquam est, quæ inter mulieres benedicta est, quam beatam dicere debent omnes generationes. De hac loquitur Lucas; quoniam peperit filium suum primogenitum, filium altissimi, filium nō Ioseph, sed Dei, Emanuelem illum, quem nobis propheta Esaias descripserat. Iā igitur tandē impletū est, quod idē Esaias dixerat: Puer nobis natus est, & filius datus est, cuius imperiū super humerū ipsius, &c. Iā excitauit Dn̄s, iuxta Hier. Dauidi germen iustum, vt Israel habitare possit confidenter. Iā Lucas testatur, q̄ verè dixerat ꝓpheta in psal. cxxxi Iurauit Dn̄s Dauid veritatē, & nō frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponā super sedem tuā. Hunc ergo filium Dei, filium altissimi, filium Abrahæ & Dauid, cùm peperisset Maria virgo citra omnem virginalium claustrorum læsionem, pannis inuoluit, & reclinauit eum in præsepio. Vide paupertatē. Vbi obstetrix? vbi famulæ? Vbi thorus ante quinque aut sex menses magnis impensis extructus? Ipsa sanctissima Theotocos puerpera est, obstetrix est, famula est: præsepium cunæ sunt, aula regalis stabulum: tapetæ fimus: vicinæ quæ puerperæ adstent, animalia. Quid dicam amplius? Qui ab æterno vnigenitus Dei existit filius, fit Mariæ primogenitus & vnigenitus filius. Verbum quod in principio erat apud Deum, caro factum est, & habitauit in nobis. Qui Mariæ creator existit, ex Maria nascitur. Qui prædicatur, amictus lumine sicut vestimento, pānis inuoluitur. Qui oēs creaturas vestire solet, pānis inuoluitur. Et quē cœli capere non possunt, in præsepio collocatur. Sic se humiliat redēptor noster, sic nasci voluit conditor noster, sic humilis Iesus confundere voluit superbiam nostram. Attendite hic diuites, qui vestræ superbiæ & insolentiæ nescitis modum, nec facitis luxuriandi finem. Si principē agnoscis tuum, in cuius verba iurasti, ne pigeat illius exēplum imitari, & pudeat mētis tuæ. Attendite, ô pauperes matres, matrē Dn̄i nostri Iesu Christi, benedictā inter mulieres, in summa paupertate puerperam agere. Non te ad impatientiam adducat fastus superbarum matronarum, sed potius tuam paupertatem soletur huius puerperæ exemplum. Si quando videris diuites matronas ab aliis & plurimis honorari, non turberis quasi infœlicior, sed recordare Christum in præsepio, Mariam in stabulo. Præstat enim cum Maria paupertate contentari, quàm cum vxoribus Herodis & Pilati luxuriari. Qui in hoc mundo Christi paupertatem non contemnit, olim

Christi

Christi diuitiis fruetur copiosissimè. Et si enim hic prædicatur iacere in præsepio, & non habere locum in diuersorio, & iuxta alium euangelistam, non habere vbi caput reclinet, tamen post dicet: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Noli itaque contemnere puerulum istum, quoniam imperium eius super humerum eius, & qui iam iacet in præsepio, vocatur Deus, fortis, &c. Bene considerandum est quod hic dicitur, Mariam & Christum non habuisse locum in diuersorio, quod quàm verum sit nemo non intelligit. Satanas enim ipse procul dubio sic occupauit omnia diuersoria, vt Christo ne angulus quidem sit relictus. Sed quid dico de diuersoriis? Olim licebat inuenire Christum in aliis ciuium conuentibus, at Satanas etiam Christo præripuit locum: Christus non habet locum, vbi ebrietatibus & crapulæ studetur, Maria non habet locum, vbi ipsi veneres præferuntur. Sed videamus sequẽtia: Heluidij impij impiissima commenta nihil moramur

*Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum.*

Natus erat iamiam Christus in summa paupertate, & debuit innotescere. Quibus autem debuit potissimum innotescere pauper, nisi pauperibus, & qui fastum & voluptatem huius seculi non curant? Christus pastor dictus est, & in prophetis & in Apostolis, & in Euangelistis, & pastoribus primũ innotescere voluit. Quibus pastoribus? Qui in regione illa non ita longè à Bethleem vigilabant, custodiam habentes gregis sui. Tu porrò hæc, quantumuis simplicia Lucæ verba non negligas. Magna laus pastorum est, qui digni habiti sunt primi videre natum Messyam, sicut statim audiemus. Vtinam & inter Christianos qui vigilant, proximè Christum vigilarent: Multi vigilant, quos præstaret altum dormire. Vigilant lusores, ebriosi, fornicatores, vigilant fures & latrones, sed in regione cacodæmonis vigilant, non vbi Christus nascitur. Horum vigilare in scripturis dormire vocatur, quoniam his sceleribus intendentes non animaduertunt infernalem latronem, filiis ipsorum insidiantem animabus. Ad Christianos omnes dictum est: Vigilate quia nescitis diem, neque horam. Et omnes Christiani pastores sunt, & gregem proprium habent. Hic pueros, ille familiam: tu, si nihil aliud, certè animam habes, quam dormitione tua perdere posses. Huc pertinet quod Petrus admonuit dicens: Sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester Diabolus circuit tanquam leo rugiens, cui resistite fortes in fide. Ad exemplum itaque pastorum illorum vigila super gregem tuum, super animam tuam, super familiam tuam, ne Satanas præter omnem opinionẽ veniat, & aliquid ex tuis deprędetur. Sunt Episcopi & Parœchi pastores, sunt qui Magistratu funguntur pastores, & his incumbit vt nihil somnolẽter agãt, sed proximè Christum vigilent, semper ad huius voluntatem respicientes. Sequitur.

*Et ecce angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno.*

Angelus Mariæ, angelus Ioseph, angelus iam postroribus etiam Christum verum Messyam annunciat: Erat Herodes Hierosolymis, erant Pharisæi, erant Pontifices & Scribæ, sed ad hos non venit angelus, indigni erant tali nuncio, quoniam non credidissent. At pastoribus vigilantibus adstat angelus, digni enim sunt angelica visitatione, qui aliis stertentibus & dormientibus ipsi super gregem sibi commissum vigilant. Aliis autem quorum paulo supra mentionem fecimus, qui proximè Satanam vigilant, hoc est

Q iij qui

qui impuris intenti sunt sceleribus, nō assistit Angelus, sed Satanas ipse: Sic diuitibus quos sola auaritia insomnes reddit, non bonus Dei angelus, sed angelus Satanæ adstat, non vt consoletur, sed vt in desperationem adigat. An non recordaris huius quod in euangelio ad auarum dicitur: Stulte hac nocte animam repetēt à te, & quæ congregasti cuius erunt? Vide igitur quomodo vigiles, & cui rei inuigiles. Cæterùm vt ad verba Lucæ redeamus, paucis hic rem absoluere licebit. Non loquitur Lucas, Angelus venit ad Pastores, sed: ecce astitit illis, quò declaret repentino motu ipsis adfuisse. Angeli enim nullo locorum intercapedine remorantur, sed in momento sunt quò mittuntur. Claritas autem Dei circumfulsit illos, quoniam lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mūdum, iam orta erat, ad illuminandum eos, qui iuxta Zachariæ dictum, in tenebris & in vmbra mortis sedebant. De timore quem homines ex conspectu angelorum concipiunt, semel atque iterū in superioribus diximus.

*Et dixit illis angelus: Nolite timere. Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid.*

Angelorum bonorum est, eos quos turbauerunt, rursum cōsolari, id quod & in superioribus iterum atque iterū demonstrauimus. Nolite, inquit angelus, timere. Sic Zachariæ dixerat: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua. Sic Mariæ dixerat: Ne timeas, Maria, inuenisti gratiam apud dominum. Quis autem nō consolationem acciperet, audiens suā deprecationem esse exauditam, vel se inuenisse gratiam apud Dominum? Et profectò quæ angelus pastoribus annunciat, plena consolationis sunt: Nolite, inquit timere. Ecce enim Euāgelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo. Gaudium erit commune, sed vos digni habiti estis, quibus primo annunciaretur. Vobis pastoribus annunciatur, quod sapientibus & prudentibus huius seculi absconditum est: Vos contempti pastores, quibus vix conceditur Pilatum, vel Herodem, vel Annam, vel Cayapham alloqui, vos, inquam, tam præciosum euangelium, primi annunciabitis mūdo. Quale hoc euangeliū? Natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus. Magnifica sunt hæc verba, & digna quæ angeli ore primū proferātur. Natus est vobis hodie saluator, quē omniū ora prophetarum prædixerant, quē omnes Prophetæ & Patriarchæ desiderauerant, in quem omnis Israel sperauerat. Hic natus est hodie: Hodie natus est vobis, non Dux, non Rex, non propheta veteribus similis, sed seruator. Moyses, Iosue, Cyrus & alii plura beneficia populo Israel præstiterunt, at nihil est, ad hoc collatum quod ab hodie nato seruatore expectare licebit. Nemo vnquam antea in mundum natus est, qui liberare potuerit populum Israel, sed hodie natus est Seruator, qui est Christus Dominus, nimirum Messyas, quem omnes Iudæi iam diu expectarunt & desyderarunt. Hoc gaudium angelus Pastoribus annunciat, & addit natiuitatis locum, ne quid diffidant. Natus est vobis, inquit, Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid, quæ erat Bethleem, hoc quod & in superioribus annotauimus. Pulcherrimo ordine angelus omnia prosequitur. Legationem suam diligenꝭs. prosequitur, omnes circunstantias suo ordine adaptans. Summa Euangelij est, vt annunciet Messyam natum in hunc mundum. Addit: Quibus, hoc est in cuius commodum. Vobis, inquit, omnibus in genere, non solis

solis Iudæis, nec solis Ethnicis, sed omnibus: erit enim gaudium hoc, inquit, omni populo. Addit tempus: Hodie natus est, non iam diu natus, nec multis retro seculis nascetur: sed hodie natus est, non alio tempore. Addit locum: In ciuitate Dauid, hoc est, in Bethleem: sic enim prædixerant prophetæ. Quod nomen eius? Christus Dominus, nimirum Messias, rex & sacerdos. Addit Angelus:

*Et hoc vobis signum: Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.*

Hæc si audit Iudæus, si audit Ethnicus, quid dicet? an non ridebit? Quæ est ista Euangelizatio angelica, vt ad signandum Iesum Christum Dominum, infantem pannis inuolutum, reclinatumque in præsepio clamet? Sunt ne ista tria, infantia, pãni, præsepium, tã præstantia signa, vt restentur saluatorem? Cur pro signo tanti signati aliquid cœleste non dedit? Cur non induxit in signum, illius noctis insolitam claritatẽ? Cur ei locutionem pro signo non dedit? Inueniuntur alia signa data in manu Moysi & Aaron, Heliæ & Helizæi, & multorum prophetarum, vt eorum dicta & facta crederentur. Quamobrẽ pro tanto domino, vt in cognitionem sui veniat, designando, tam vilia signa sunt inducta, vt inuolutus pannis, & positus in præsepio saluator omnium crederetur. Erant ne pastores tantæ prudentiæ, vt ex tam vili signo eum crederent omnium saluatorem? potius autem debuit ex signo dato accepisse cõtemptus. Vox angeli, & alia quæ circa pastores facta sunt, sufficientia fuerunt testimonia; vt pastores nihil humile cogitarent. Nec erat moris, vt puerpera recumberet in stabulo, vel infans poneretur in præsepio. Adde, Christus sua diuinitate non voluit saluare mundũ, sed humanitate sua. Paupéres habuit parentes Christus, peregrè natus est. Pauperibus annunciari voluit, & voluit in paupertate à pauperibus inueniri. Scitis gratiam Domini nostri Iesũ Christi, ait Apostolus, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis. Non te moueant panni, vel præsepiũ, sed cogita quis sit ille qui pannis inuolutus in præsepio iacet. Infans hic prædicatur, qui verbũ Dei ab æterno est. Infans est hic, qui linguas infantiũ, iuxta prophetã, facit disertas. Infans hic est qui os & hoĩs linguã cõdidit. Infans hic denique est, qui post prædicabitur facere, vt muti loquantur, & surdi audiant. Pannis inuolutum noli contemnere, quoniam is ipse est, qui credentes sibi, perpetua & beata immortalitate vestit. Pannis inuolutus hic iacet, qui in extremo iudicij die clamabit ad electos: Nudus fui, & cooperuistis me. Pannis inuolutus hic iacet, qui postea nudus pro nobis in ligno pependit. Nec fugit in infantia præsepium, qui vir factus non abhorruit crucem. In præsepio collocatur, qui dexteram patris nunquam deseruit. Hic audis pannos & præsepiũ, in morte audies pãnos & sepulchrũ. Panni iam testãtur natũ, & post testabũtur à mortuis reuocatũ.

*Et subito facta est cum angelo multitudo cœlestis exercitus laudantiũ Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominib⁹ bonæ volũtatis.*

Qui vni angelo non credit Christũ natum in Bethleem, pannis inuolutũ, iacere in præsepio, vel innumeræ multitudini credat, & ex intuitu cœlestis exercitus discat qualis sit imperator, qui infans in præsepio iacet. Certè ex auditione angelici exercitus, pastores facilè potuerunt cõlicere, non esse rem ludicram quæ ab vno angelo nunciata fuerat. Ostendit autem hic exercitus cœlestis militiæ, quo sit animo erga humanum genus, nimirum amico & beneuolo. Quod enim hic hymnizãt, hoc

eſt, ineffabili more, non tam laudant Deum, quàm nobis congratulantur noſtram fœlicitatem, vt quorum ſaluator iam natus ſit. Amant enim nos Angeli cœleſtes, turbantur noſtra miſeria, & gaudent de noſtra fœlicitate, id quod Euangelium non vno in loco demonſtrat. Gaudium eſt angelis Dei, inquit Chriſtus, ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Et iterum: Videte ne contemnatis vnum ex puſillis iſtis qui in me credunt: Angeli enim eorum ſemper vident faciem patris mei qui in cœlis eſt. Alibi turbantur videntes miſerum ſeruum à conſeruo nequam iniuriam pati. Alibi memorantur preces & eleemoſynas noſtras in conſpectum Dei offerre. Sunt enim omnes adminiſtratorij ſpiritus, miſsi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis æternæ. Adde his quod in veteri teſtamento non ſemel leguntur angeli pro pijs, contra impios bellare. Nec incredibile eſt, quin ſi quoquo modo fieri potuiſſet, vtique pacem feciſſent inter nos & Deum: at quoniam ipſis impoſsibile fuerat, lætantur & exultant quòd Chriſtus Dei filius, vt hoc negotium expediat, in hunc mundum venerit. Voluiſſent, inquam, hominibus præbere auxilium, & eis ab eorum infirmitatibus tribuere ſanitatem, ſed videbant multò inferiorem ſuam eſſe medicinã, quàm illorum cura poſcebat. Porrò vt de exemplo poſsis intelligere (Origenis hæc ſunt) vide mihi vrbem in qua ægrotent plurimi, & medicorum frequens adhibeatur manus: ſint diuerſa vulnera, quotidie in emortuam carnem ſerpens putredo penetret: & tamen medici qui adhibiti ſunt ad curandum, nequeant alia vltra inuenire medicamenta: & artis ſuæ ſcientia magnitudinem mali vincere. Veniat autem aliquis Archiater qui habeat ſummam in arte notitiam, & illi qui prius ſanare nequiuerant, cernentes Magiſtri manu putredines ceſſare vulnerum, non inuideant vel infirmo ſanitatem, vel magiſtro honorem, nec liuore cruciëntur: ſed in laudes erumpant Archiatri, & prædicent Deum, qui & ſibi & ægrotantibus tantæ ſcientiæ hominem miſerit. Sic & Angeli videntes Deum præſtare hominibus, quod ipſi præſtare non potuerunt, in laudes Dei erumpunt, & hominum fœlicitati congratulantur, dicentes: Gloria in altiſsimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Hæc autem angelica cantio ſignificat, nihil ex hoc negotio gloriæ deberi, nec angelis nec hominibus, ſed vniuerſam gloriam deberi bonitati diuinæ, quæ nobis quos condidit miro conſilio proſpicit è cœlo, vt intelligamus, illinc nobis proficiſci, quicquid magnificũ aut ſalutiferum obtigerit, in terris nihil aliud optandum quàm pacem, quæ peccatis abolitis nos Deo conciliet, quæ nos mutua charitate conglutinet. Hæc eſt enim pax, non mundi, ſed quæ omnem ſenſum exuperat, quæque præponderat vniuerſis mundi fœlicitatibus. Gloria quoque Dei magnificè illuſtrata eſt, vbi ſpiritu Chriſti tam multi ipſum Deum agnouerunt & adorauerunt. Pax in terra beata confecta eſt, dum plurimis à Deo per Ieſum Chriſtum aditus ad patrẽ contigit: de cuius gratia qui ſecuri ſunt, ita pacatis & tranquillis animis exiſtunt, vt boni omnia conſulant, & pacem, quantum in ipſis eſt, cum omnibus hominibus habeant. Gloria, inquiunt, in excelſis Deo, qui ſola miſericordia ductus, filium ſuum miſit in mundum, vt pacem faceret inter Deum, & homines in terris, qui hoc Dei beneficium puris mentibus agnoſcunt. Hæc enim ſola bona voluntas eſt, quæ ad Dei voluntatem ſeſe in omnibus accommodat. Porrò cantum hunc angelicum Eccleſia iam per multa ſecula in

vsu habuit, sic vt ferè singulis diebus in Missæ sacro recitare soleat, id quod S. Thelesphor⁹ papa Anno Dñi cxliiij. instituit, quod verò hui⁹ cãtici adiectũ est, Symmach⁹ papa an. Dñi ccccxciij. perfecit. Idipsum etiã historiæ testãtur.

*Et factum est, vt discesserunt ab eis Angeli in cœlum, pastores loquebantur ad inuicem: Trãseamus vsque Bethleem, & videamus hoc verbum quod factum est: quod fecit Dominus, et ostẽdit nobis.*

Magnam hæc arguunt fuisse pastorum fidem, qui simulac angeli sese recepissent ad altiora, statim deliberant quid faciendum siet. Audiuerant enim ab angelo: Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. Consilium igitur inter se conferunt boni viri, non dubitantes de dictis angeli, sed cupientes plenius cognoscere quod audierãt. Transeamus, inquiunt, Bethleem, & videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis. Audierant enim Saluatorem natum in ciuitate Dauid quæ vocabatur Bethleem, ideoq; non putant longius differendum, neque hoc mysterium ociose indicatum esse. Si Deus magnum quid perfecit in Bethleem cuius agnitiõe nos putat dignos: quid ni festinaremus hoc ipsum videre? Bona confabulatio, bonaque consultatio est, qua consilium capitur de quærendo Iesu, & de diuinis ipsius operibus consyderandis. Domus Dei, templum Dei, domus orationis Bethleem spiritualis est, vbi verbum Dei, filius Dei inuenitur: ad hanc igitur Bethleem visitandam mutua debebat esse Christianorum cohortatio. At piæ piorum pastorum voces inter Christianos non audiuntur, etiamsi nõ desint mutuæ cohortationes. Transeamus, inquiunt pastores, vsque Bethleem, &c. Quid nostri? Transeamus, inquiunt, ad seducendum proximum, & (sicut apud Salomonem dicunt impij) insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontẽ frustra: Omnem preciosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis, &c. Alii dicunt: Transeamus vsque ad pocula, ad tesseras, ad scorta, &c. Rarus est qui pastoribus nostris pijs ad Christum tendentibus se comitem præbeat. Porrò quoniam omnis cohortatio & consultatio frustranea est, quæ in opera sese non extẽdit, ideo sequitur:

*Et venerunt festinantes, & inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio. Videntes autem cognouerunt de verbo hoc quod dictum erat illis de puero hoc.*

Nihil difficultatis hoc loci est. Ostendit enim his Lucas Angeli promissa verificata fuisse, qui prædixerat pastores talia inuenturos. Declarat item præsens locus, quantus fuerit pastorum ad hæc videnda amor, quantumve desyderium. Rarò certè corpus festinat, nisi aliqua mentis affectio festinare compellat: & ipsa tarditas ad quærendum nullius aut modici amoris argumentum existit. Amor addit alas, ait ille. Festinant itaque pastores boni, vt iam diu à multis expectatum Messiam suis ipsorum oculis videant. Venerunt Bethleem, & inuenerunt iuxta quod dictum erat ad illos. Bona festinatio, quæ ad Mariam & huius filium Iesum festinat. Sic bona festinatio erat, quando Maria festinabat per montana, vt Elizabethæ inseruiret. Bona item festinatio, quando festinat Abraham in obsequio hostium. Tales festinationes procul dubio ad Christum mittunt: at qui festinant ad perpetrãda mala, sicut paulò supra diximus, horum iudicium, vt Apostolus dicit, non tardabit. Verùm nos surdis hæc canimus, his, inquam, qui dicta nostra cum risu & cachinnis accipiunt, & in die Domini, quàm impunè nihil huiusmodi fecerint, intelligent. An ne magna improbi-

probitas est, ad bona facienda semper dormitare, ad mala verò perpetranda etiam citis equis esse velociores? Gens sine consilio est, ait scriptura diuina, & sine prudentia. Vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent.

*Et omnes qui audierant mirati sunt, & de his, quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.*

Quoniam pastores boni audierant ab angelo hoc gaudium fore commune omni populo, ipsi rebus omnibus ritè exploratis, nihil occultant, sed rem gestam fideliter referunt, id quod iuxta Dei beneplacitum factum esse, nihil dubitamus. Igitur sicut antea audiuimus, populi mirati sunt de mirabili natiuitate Ioannis Baptistæ, ita & nunc qui pastores audiunt, admirantur, nec temere: erat enim res admiratione dignissima. An non res miranda, esse Christum Dei filium, verum Messiam non Hierosolymis in regia ciuitate, sed in Bethleem? An non admiratione dignum, quòd creator omnium, pannis inuolutus, iacet in præsepio? Quòd Dei filius hoc celauerit scribas & Pharisæos, & tam infimæ sortis homines voluit habere præcones? Qui ab angelis in cœlestibus prædicatur, voluit primum visitari à pastoribus? Sed dignum est, vt pastor omnium alios non malos pastores non contemnat. Aegyptij pastores quidem contemnunt, at Deo boni pastores pretiosi sunt & chari. Bonus pastor Abel, bonus pastor Abraham, bon⁹ pastor Moyses, Dauid & alij. Vides pastorum priuilegium. Pastor primus Dei martyr fit, primúsque Dei sacerdos. Ex pastoris Abrahæ semine redemptor mundi Christus nascitur. Pastor Moyses populum Israel ex Aegyptiaca miseria & miserrima captiuitate educit. Pastor Dauid vir secundum cor Dei dicitur, & populo Israel magnificus rex præficitur. His adde pastores, qui iam prædicantur post angelos primi Euangelistæ, qui primi homines hominibus annunciant natum Christum. Vides iam quomodo innotuerit Christus? Angeli pastoribus, pastores aliis hominibus annunciant, vt sic De⁹ ministerio hominum homines doceat. Tu itaque noli contemnere verbi Dei ministros, qualescunque tandem sint, modò Christum syncerè doceant. Non omnia possumus omnes, ait ille. Et differenter distributa sunt Dei dona. Qui non habet Gamalieles, vel pastoribus contentus sit.

*Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.*

Pastores annunciant, auditores admirantur. Occasionem ex hoc textu accepi, demonstraturus quàm sedulò verbo Dei incumbendum, exaggerans Mariam post Angelos ne pastores quidem contempsisse. Maria, inquit, omnia conseruans, singula in corde suo confert. Neque enim dubiũ est, quin pastores omnia quæ ab Angelis audierant, Deiparæ virgini annunciauerint, nimirum quid nunciarit Angelus, quid cecinerit cœlestis militiæ chorus. Hæc itaque probè expendit Diua virgo, cum his quæ circa se facta fuerant: admiratur præsentia, & sperat maiora. Miraculis plena sunt omnia, summa humilitas vbique summa sublimitate miscetur. Infans in vtero concipitur, sed angelo internuncio, spiritúque sancto opifice. Puer nascitur, sed è virgine matre: reclinatur in præsepe, sed angeli gratulabundi canunt è cœlis: Latitat in obscuro loco, sed cœlũ nati sublimitatem adorat. Hæc omnia diua Theotocos contemplatur, & confert cum his quæ audierat siue ex prophetis siue ex angelis. Ita pij solent virginis exemplo in operibus Dei cogitandis immorari, vnde & pietas mira percipit incrementa: reliqua verò perinde atque aspidum venena reiiciunt. Sicut enim malæ cogitatiões, vt de voluptatibus

pitq.

tibus & de immunditiis aculeũ relinquunt in corde hominis: ita & piæ cogitationes pios quosdam affectus in hominis corde accendunt. Disce itaq; exemplo Diuæ virginis cælestia meditari, & amplum experiere pietatis fructum. Sequitur:

*Et reuersi sunt pastores, glorificantes & laudantes Deum in omnibus quæ audierant & viderant, sicut dictum est ad illos.*

Beati pastorum oculi, quoniam viderunt quæ multi reges & prophetæ voluerunt videre, & non viderunt. Viderunt enim illi Christum natũ, quem alij longè antea promissum iam diu expectauerant. Quo viso, pij atque fœlices pastores, reuertuntur ad opera sua, ad custodias suas, glorificantes & laudantes Deum, qui se tali gratia dignos fecerat, vt quemadmodum ab angelo audierant etiam comperissent. Et nostrum est summis laudibus diuinam extollere bonitatem, quæ nos huius infantis, quem pastores in præsepio salutarunt, participes ac fratres fecit. Quomodo verò laudandus sit Deus, in cantico D. virginis Deiparæ, & in hymno boni sacerdotis Zachariæ discere possis. Quæ hic allegoricè de pastoribus dici & admoneri possent, differemus in alium Euangelii locum. In his certè tribus articulis cardo vertitur, Vt Iesum primò omnium in præsepio, hoc est, in scripturis sanctis quærant, quæsitum ac inuentum prædicent, prædicatum laude prosequantur & gratia. Sed nos posthabitis pastoribus, ad Christum redeamus.

*Et postquam consummati sunt dies octo, vt circunciderctur puer, vocatum est nomen eius Iesus: quod vocatum est ab Angelo priusquàm in vtero conciperetur.*

Pauca quidem hæc verba sunt, sed longiorem videntur requirere tractatum. De negotio enim circuncisionis, hoc est, de vsu & fructu eius multa disputantur: nos tamen ea qua possumus breuitate totum negotium expediemus. Et principio quidem putamus Christianos haud ignorare quæ tempore circuncisionis lex lata fuerit, nimirum quòd ea ipsa non ex lege, sed vt Christi verbis vtamur, ex patribus sit. Ad Abraham enim primum omnium dictum est: Hoc est pactũ meum quod obseruabitis inter me & vos, & semen tuum post te. Circuncidetur omne masculinum, & circuncidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis inter me & vos. Infans octo dierum circuncidetur in vobis. Masculus cuius præputij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. Hæc lex deinde in Leuitico repetita est his verbis: Die octauo circuncidetur infantulus. Quæ quidem lex in ipsa profectione filiorum Israel per desertum, neglecta est, vt patet Iosue cap. v. vbi sic legimus Dominum ad Iosue locutum: Fac tibi cultros lapideos, & circuncide secundò filios Israel in colle præputiorum. Populus qui natus est in deserto per quadraginta annos itineris latissimæ solitudinis incircuncisus fuit, donec consumerentur qui non audierant vocem Domini. Post nec aliqua alia lex maiore cura & religione custodiebatur atq; hæc: Sabbathũ magnificè obseruabãt, at in Sabbatho circuncisio fiebat, vt quæ longo interuallo post se relinqueret Sabbathũ. Existimabant Deum nullius præcepti neglectu perinde offēdi. Et vrgebat quod Abrahæ dictum fuerat: Omnis masculus cuius præputii caro circuncisa nõ fuerit, delebitur anima illa de populo. Neque enim hic temporalis terror mortis incussus est, vt Augustinus etiã admonuit, sed terror æternæ damnationis: & quod est octauo die non circumcidi, hoc est in Christo non baptizari: & quod est perire de populo suo, hoc est

Gen. 17.

Leuit. 12.

Iosue 5.

August. contra Pela. & Celesti. li. 2. cap. 30. Contra Iulian. Pelag. lib.

circuncisionis legem non esse perpetuam, eamque frustra à Iudæis obseruari. Cæterùm non frustraneum erit his adiungere, quare Christus circuncisus fuerit, & quare Christiani in hoc negotio Christi negligant exemplum. Vtrunque certè Iudæi catholicis obijcere solent. Quare autem Christus circuncisus fuerit, ex multis causis paucas exponemus. Circuncisus itaque est, vt sua circuncisione circuncisionis legem & impleret pro nobis & aboleret. Secundò, circuncisus est, vt circuncisis legittimus & irreprehensibilis minister, salutis suæ gratiam prædicaret. Neque enim visus fuisset de Abraham semine procreatus, qui signum quod Abrahæ mandatum fuerat, non accepisset. Circuncisionem autem accepit, vt in ipso Iudæi scandalum accipere non possent. Sic & Apostolus Timotheum circunciderat, factus Iudæis Iudæus, vt Iudæos lucrifaceret. Rursum aliam circuncisionis causam in Christo ponit Diuus Augustinus, inquiens: Dominus humilitatis viam docens, Sacramenta quæ hic inuenit prænunciationis suæ suscipere dignatus est: non ad suæ purgationis adiutorium, sed ad nostræ pietatis exemplum, vt scilicet ostenderet nobis quanta deuotione suscipere debemus ea, quæ illum iam venisse testantur, quando ipse suscipere dignatus est, quæ illum venturum significabant. Est & hæc non minima causa, quòd circuncisus probauit se veram & naturalem ex virgine suscepisse carnem, id quod hæretici quidam negauerunt olim. Restat nunc vt doceamus, quare Christiani non circunciduntur ad exemplum Christi. Ad hoc respondet Diuus Augustinus: Circuncisio signum fuit promissi filij Dei, id est, Christi, quo nato, cessare oportuit signum promissionis, ita tamen, vt ipse promissus aduenienis, signum patris acciperet, vt sciretur is esse, qui promissus fuerat omnes gentes iustificare per fidem, in circuncisione cordis. Cùm itaque quæritur: Cur iam non circunciditur carne Christianus, si Christus non venit soluere legem, sed adimplere? Respondeo: Imò iam ideo non circunciditur Christianus, quia id quod eadem circuncisione prophetabatur, iam Christus impleuit. Circuncisio erat signum, quemadmodum supra diximus, fidei Abrahæ, fides autem Abrahæ credebat venturum Messiam, Ergo qui circunciduntur, credunt quod Abraham credidit, nimirum Messiam promissum certò venturum. Cessante autem hac fide, cessare debuit & signaculum fidei. Quomodo enim non maxima stultitia est, credere eum venturum, qui iam diu venit. Illi ergo circuncidantur, qui Christum venisse, cum Iudæis negant, & sic arguant Deum mendacij, qui vbique & semper fidelis in promissis suis inuentus est. Breuiter, Der brieff ist abgeleßt, nec est vt alium credamus venturũ Christum. Qui hodie circuncisus est pro nobis, hunc amplectimur, huic credimus, per hunc benedictionem illam speramus, quam Deus Abraham, Isaac & Iacob, Abrahæ iam olim promiserat. Et tantum quidem de circuncisione, iam de impositione nominis videndum est. In ipso enim circuncisionis die, Luca teste, vocatum est nomen pueri IESVS, quod vocatum est ab angelo, priusquàm in vtero conciperetur. Quid nomen hoc IESVS velit, Angelus ipse demonstrauit, dicens ad Mariam quidem: Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius IESVM, Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur.

*Marginalia (left):* Quare ad exemplum Christi, non circunciduntur Christiani. — 1 — Vide Epipha. lib. 1o. ca. 30. — 2 — 3 — Contra literas Petilia. li. 2. cap. 37. — 4 — 5 — Quæst. Vet. & no. test. quæst. 50.

*Marginalia (right):* Augus. contra Faustũ, libr. 19. cap. 9 — August. quæst. vet. & no. test. q. 14 — De impositiõe nois.

Ad Ioseph verò: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam: Quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est. Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum, Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorũ. Hic itaque intelligimus & ab angelo annunciatum, & hoc ante partum, adeoque etiam nominis interpretationem, scilicet quòd à seruando Seruator dictus fuerit. Et pastoribus annunciatum fuerat, Saluatorem in ciuitate Dauid natum, &c. Obserua itaque quid sibi velit Seruatoris nostri nomen, & sic vitam tuam institue, vt quemadmodum à Christo Christianus vocatus es, ita & à Saluatore Saluatus vocari possis. Saluator enim est omnium quidem, ait Paulus, maximè autem fidelium. Et Christus ipse: Non enim misit Deus filium suum in hunc mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per eum. Et in conuersione Zachæi: Venit enim filius hominis quærere & saluum facere quod perierat. Itaque quantum est in medico, omnibus saluandis venit, ergo qui non saluatur, sua culpa perit. Habuerunt Iudæi alios Iesus, Iesum scilicet Naue, & Iesum Iosedech: Verùm hi ad illum collati, vix tam egregium nomen merentur. Corpora enim illi duo liberare potuerunt, & templa in terris construere: sed corpus & animam ex captiuitate educere, & tyrannidem Satanæ comprimere, non erat humanarum virium. Vni Christo tam speciosus seruabatur de hoste maximo, atque de pestilentissimo illo tyranno triumphus. Cæterùm si typum Seruatoris nostri penitus contemplemur, inuenire licebit in Iosue, hoc est, in Iesu Naue pulchram adaptationem. Iosue filios Israel non potuit introducere in terram promissionis, nisi prius incircuncisos petrinis cultellis circuncidisset: Sic & Iesus noster, vtcunque vocetur Saluator, neminem introducet in hæreditatem promissam, nisi prius introducẽdus fuerit circuncisus. Neque enim putes ideo Christianos carere circuncisione, quòd Iudaicam non habent: Est enim & nobis nostra circuncisio. De Baptismo, qui in Circuncisionis successit locum, iam nihil dicemus, sed de alia quadam Circuncisione, cuius frequens in Veteri Testamento fit commemoratio. In Deuteronom. cap. decimo legimus: Circuncidite præputium cordis vestri. Et cap. xxx. Circuncidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, vt possis viuere. In hac circuncisione non habet locum quod Paulus Galatis dicit: Ecce ego Paulus dico: Si circuncidamini, Christus vobis nihil proderit. Sed sic hoc loci loquendũ est: Nisi circuncidamini, Christus vobis nihil proderit. De circuncisione loquimur spirituali, qua circuncidi possunt omnia membra nostra, tam interna quàm externa. Hieremias ad circuncisos Iudæos loquitur: Circuncidite Domino, & auferte præputia cordium vestrorum. Sic Stephanus Iudæos vocat incircuncisos corde & auribus. Vestra itaque circuncisio est, vt circuncisæ sint aures vestræ, secundum verbum Dei, vt vocem non accipiant obtrectantis, vt maledici & blasphemi verba non audiant, vt falsis criminationibus, mendacio, irritationi non pareant. Oppilentur, ne iudicium sanguinis audiant, aut impudicis canticis & theatralibus sonis pateant. Nihil obscœnum recipiant, sed ab omni scena corruptionis auersæ sint. Hæc est Circuncisio, qua Ecclesia Christi aures suorum circuncidit infantum. Istæ, credo, sunt aures, quas in auditoribus suis requirebat Christus, dicens:

[Margin notes: 1.Tim.4 — Ioan.3 — Iesu nomen in veteri Test. — Circuncisio Christianorum — Deut.10 — Deu.30. — Gal.5 — Hier.4 — Act.7 — Orige. Hom. 3. in Gen.]

dicens. Qui habet aures audiendi, audiat. Veniamus si vultis & ad labiorum circuncisionem. Ego puto quod incircuncisus sit labiis, qui nondum cessauit à stultiloquio, à scurrilitate; qui bonis derogat, qui criminatur proximos, qui instigat lites, qui calumnias mouet, qui fratres inter se falsa loquendo committit, qui vana, inepta, secularia, impudica, proterua, blasphema, & cætera quæ indigna sunt Christiano ore proloquitur. Si quis vero ab his omnibus continet os suum, & disponit sermones suos in iudicio, verbositatem reprimit, linguam temperat, verba moderatur, iste meritò circuncisus labiis dicitur. Circuncidendæ etiam sunt manus à rapinis, à furtis, à cædibus, & ad sola Dei opera pandendæ. Circuncidendi sunt pedes, ne veloces sint ad effundendum sanguinem, & ne intrent in concilium malignantium, sed vt tantùm pro mandatis Dei circumeant. Circuncidantur & oculi, ne concupiscant aliena, ne videant ad concupiscendam mulierem. Qui enim erga fœminarum formas lasciuo & curioso obertat aspectu, iste incircuncisus est oculis. Quod de auribus, oculis, manibus & pedibus diximus, de aliis membris intelligendum pari ratione putamus: Hæc itaque de circuncisione Christianorum, præmissis adiicere placuit: Iam ad ordinem intermissum accedamus.

Psal. 141.

*Et postquam impleti sunt dies purgationis eius secundum legem Moysi, tulerunt illum in Hierusalem, vt sisterent eum domino, sicut scriptum est in lege domini. Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum domino vocabitur: Et vt darent hostiam secundum quod dictum est in lege domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.*

Tria legis Mosaicæ præcepta hic leguntur impleta à Deipara virgine, quæ singula ex fontibus suis quærenda sunt, sic enim apertum fiet, quid sibi Lucas hic velit. Primum mandatum est. Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septē diebus. Et subditur: Et die octauo circuncidetur infantulus, ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ: Huic legis mandato se submisit Diua virgo Maria, cum tamen legi hac in re nihil deberet, vt quæ nullo suscepto semine, sed de Spiritu sancto, virtute altissimi obumbrata concepit, ac virgo peperit. Voluit autem Maria dignissima subiici legi, & quasi purgari in templo, neque ante tempus à Moyse præscriptum, publicè versari, ad dādum obedientiæ ac humilitatis exemplum, ad vitandum scandalum Iudæorum, ad confirmandum se aliis mulieribus in licitis & honestis. Adde quòd Maria propalare non debuit, quod Deus occultum esse voluit. De hac itaque lege Euangelista dicit, Mariam obseruasse dies purgationis, hoc est, non in publicum venisse, nec templum ingressam, donec complerentur dies illi quadraginta, quos lex præscripserat in genere omnibus mulieribus, quæ suscepto semine, iuxta communem naturæ cursum masculos pepererunt. Completis ergo his diebus, Maria & Ioseph tulerunt illum, infantem scilicet Iesum, in Hierusalem, vt sisterent eum domino, sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vuluam, hoc est omne primo genitum, sanctū Domino vocabitur. Altera hæc lex est, quam Maria, licet non teneretur, voluntariè, ad cauendum scandalum, implere voluit: Charitas enim in virgine nesciebat legem, nec vllis terminis coarctabatur. Nouerat proculdubio Diua virgo & Mater Dei, filium suum non posse sanctiorem fieri, neq; vllam externā sanctificationem suscipere, vt qui ipse omnes

Leui. 12.

Luc. 1.

sanctificat, quotquot sanctificantur. Adde quod Christus vuluam matris non reserauerit, sed non violatis virginalibus claustris verè verus homo natus fuerit. Porta hæc clausa erit, ait Ezechiel in figura, & non aperietur, & vir non transiet per eam, quia Dominus Deus Israel ingressus est per eam. Porrò quod sequitur parentes pro puero Iesu dedisse, iuxta legis præscriptum, oblationem, par turturum aut duos pullos columbarum, sic in lege scriptum legitur. Cùm expleti fuerint dies purificationis suæ, mulier pro filio siue pro filia deferet agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ siue turturem pro peccato, &c. Quòd si non inuenerit manus eius, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures, vel duos pullos columbarum, vnum in holocaustum, & alterum pro peccato, orabitque pro ea sacerdos, & sic mundabitur. Ex his tu iam vide paupertatem Christi, qui supra non habuit locum in diuersorio, iam non habet agnum quo redimeretur, sed oblatione pauperum redimitur: Iuxta sententiam enim legis, pro primogenito agnus masculus anniculus debebatur, & qui hunc non habebat, iuxta paupertatem suam vilioribus oblationibus redimebatur. Pulchrè autem omnia hic conueniunt: Agno non redimitur, qui post agnus Dei nominatus est à Ioanne dicente: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Agnum non habet, quem oblati agni in vniuersa lege præfigurarunt: Columba porrò redimitur, super quem in baptismo Spiritus sanctus in specie columbæ videbitur. Columba mansuetissima volucri redimitur, quem in euangelio audimus dicere: Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Columba simplicissima volucri redimitur, qui post discipulis dixit: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Castissimo turture redimitur, qui de castissimo Diuæ Virginis vtero prognatus est. Lugubri turture redimitur, qui ad consolationem omnium hominum in hunc mundum venit. Et hactenus Ecclesia non cessat Deo offerre in sacratissimo Missæ officio, Agnum immaculatum qui pro nobis semetipsum in cruce obtulit, oblationem illam mundam, quam Dominus in veteri lege in nouissimis temporibus offerendam prædixit, per os Malachiæ prophetæ. Sic enim olim locutus est Dominus. A solis ortu vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus. Hæc prophetæ verba certè de alio sacrificio vel de alia oblatione intelligi nequeunt, quàm de sacrificio corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, id quod Diuus Hirenæus ante nos admonuit. Inter alia inquiens: Christus noui testamenti nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert Deo: & statim dicta sua verbis Malachiæ probat. Sed non est huius vel temporis, vel loci, hæc longiori prosequi tractatu. Qui calumniantur Christum non posse à quoquam offerri citra ipsius incruentationem, non tantùm in Ecclesiæ sacerdotes, sed etiam in Diuam Virginem impij sunt. Hæc de agno oblato: Iam de turture & columbis: Turtures Deo offerunt, qui in castitate positi, sua vel aliena peccata lugent. Columbas offerunt, qui in simplicitate animi sui Dei sermonibus credunt. Et tantum de oblatione: Cætera audiemus. De primogenitis hic nihil addam, nisi vt meminerimus Deo de melioribus offerendum, id Abelo plurimum olim profuisse legimus.

Margin notes: Ezec. 44 — Leui. 12. — Ori. Ho. 8. in Lc. — Missa. — Mala. 1. — Lib. 4. cap. 32.

Et ecce

*Et ecce homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus & timoratus, expectãs consolationẽ Israel, & spiritus sanctus erat in eo.*

Conueniebat vt nec paucis, nec vulgaribus argumẽtis cõfirmaretur, quod creditum, esset omnibus seculis allaturum æternam salutem, non creditum, mortem æternam. Voluit itaque Dominus Christum suum innotescere, & sic tum humilitate, tum gloriæ maiestate ipsum omnibus populis cõmendatum facere. Ergo angelus nunciat, testis adhibetur sponsus Ioseph, Elizabeth sterilis parit, mutus Zacharias loquitur. Vterque spiritu prophetico completur. Exultat Ioannes in vtero matris, Virgo generat, Hospites Magi occurrunt, & adorant, Pastores prædicant. Et hæc quidem in prioribus audita sunt. Nunc ne non ab omni sexu omnique ætate, omni statu, ac professione ferretur testimonium; neque quisquam relinqueretur, qui sibi ab hoc non promitteret salutem: alij sequuntur testes. Erat id temporis, ait S. Lucas, Hierosolymæ homo quidam, nomine Simeon, senecta iam frigidus, sed spiritu feruens: homo iustus, homo verè pius & religiosus: non venans, exemplo Pharisæorum, gloriam ac quæstum ab hominibus, sed publicæ salutis auidus: quem nulla voluptas in hac vita remorabatur, nisi vt videret oculis suis eum, quem in hoc prophetatum oracula promiserant venturum, vt consolaretur Israeliticum populum multis modis afflictum. Et spiritus sanctus erat in hoc pio homine. Cæterùm magna hic laus, magna commendatio boni senis est, cuiuscunque tandem conditionis aut dignitatis apud suos fuerit. Iudæi tradunt hunc fuisse magistrum & præceptorem doctissimi Gamalielis, ad cuius pedes deinde Paulus Apostolus noster educatus est. Ecclesiæ consuetudine Sacerdos siue Episcopus & prædicatur & pingitur: At hæc ad salutem nihil est promouendam vel remorandam. Et quæ Scriptura sacra tacet, ea curiosius quærere non oportet, præsertim vbi nulla vtilitas. Porrò magna, vt diximus, laus est huius sancti Simeonis, qui prædicatur homo iustus, timoratus, expectans Israelis consolatorem, & homo spiritu sancto donatus. Iustum puto referri ad homines, timoratum autem vel religiosum ad Deum. Et iustitia difficultet, vt Beda ait, sine timore custoditur. Non illum dico timorem qui temporalia sibi bona subtrahi perhorrescit, huiusmodi enim timorem perfecta charitas foras expellit, sed timorem Domini sanctum volumus, qui manet in seculum, & quo pius Deum quanto ardentius diligit, tanto solertius offendere cauet. Per timorem Dei, ait Scriptura, declinat vnusquisque à malo. Et iterum: Qui timet Deum faciet bona. De impijs autem Psalmista conqueritur, dicens: Non est timor Dei ante oculos eorum. Deinde quod de Simeone prædicatur, ipsum expectasse consolationem Israelis, negligendum est minimè. Ex hoc enim coniicimus, imò aperte asserimus, in idipsum tempus quo Christus natus est, ipsum à pijs fuisse expectatum. Nam plerææque prophetiæ, vt de sceptro non auferendo à Iuda, de Hebdomadis Danielis: atque hoc ipsum tempus aliæ prophetiæ designarant. Vtque loquuntur quicunque credunt; nec possunt sibi retinere, quæ saluti esse queant multis, ita non est dubium, multos tum sanctiores, & Simeoni similes, de instante Christi aduentu populum admonuisse. Sed quia carnalia quærentibus CHRISTVS nullius æstimatur, ita surdis de CHRISTI aduen-

Theophy.

Timoratus.

Expectans eõ solatione Israel

aduentu isti prædicatunt, inter quos nimirum rarissimi erant, qui Deum verè agnoscerent. Vergebat nanque res ipsorum ad obcæcationem & excidium. Et vulgus reliquum, quod & sæpè aliàs admonuim⁹, de regno Christi & Dei, de spirituali Israelis consolatione parum erat solicitum, sed semper temporalia respiciebat, opes nimirum, gloriam, potentiã, & cætera quæ carnalis libertatis sunt. Hic autem noster Simeon nihil temporale quærit, sed expectat consolationem Israel, id quod de Ioseph Arimathæo etiam legimus. Idem enim est expectare tegnũ Dei, & expectare consolationẽ Israelis, imò alterum ab altero declaratur: Vulgus enim expectat consolationẽ, nimirum temporariam & mundanam libertatem: at pij sic expectant consolationem, vt optent profligato Satana Christum Dei filium in se ipsis regnare. Ex multis hoc loco pauca obseruanda sunt. Simeon homo prædicatur iustus & timoratus. Et certè, quotquot verè homines sunt, à iustitia & à timore Dei alieni sunt minimè. At quoniam præter figuram nihil hominis habent, sed moribus suis declarant quales sint, voracitate lupi, tabie canes, immunditia sues, &c. Hi tales neque iustitiam nec timorem Dei aliquid curant. Nec expectant huiusmodi bestiæ regnum Dei, sed regnum cacodæmonis: nec habent in se spiritum Dei, sed spiritum malignum, à quo etiam instigantur, & ducuntur ad sceleratissima quæque facinora. Accedat Lucas & prosequatur suã historiam de verè iusto sene.

*Et responsum acceperat à spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Et venit in spiritu in templum.*

Sanctus hic Simeon, multis argumentis edoctus iamiam instare tempus & horam promissi, & iam diu expectati Messiæ, ardentissimis votis aggressus est cælestes pulsare fores, vt sibi contingat eum viuere diem, quo videre posset corporalibus oculis suis, tot iam seculis expectatum Messiam. Responsum itaque accepit in adito pectoris sui à spiritu sancto, fore, vt non emigraret ex hac vita, nisi prius oculis corporeis vidisset, quem oculis fidei iam pridem perspexerat, vt testari posset vel apud defunctos patres, vidisse iam eum, quem venturum non dubitauerant. Et existimamus adhuc aliquot pios & senes existere homines qui nihil aliud æquè desiderant, ac videre pacatam Ecclesiam, atque triumphum Christi in cordibus fidelium, priusquàm à Deo hinc reuocentur. Alij alias habent causas cur nolint accelerare diem mortis suæ. Hic causatur impiam suam vitam, nec tamen studet pius abire: Ille causatur liberos, quos tamen mauult diuites quàm pios post se relinquere: Alius aliis retardatur. Quis enim tot hominum consilia enumerare possit? Fœlix qui sic se suosque instituit, vt nunquam non paratus sit, Deo hinc vocante, mortem obire. Egregia Diui Pauli vox: Cupio quidem dissolui, inquiebat, & esse cum Christo: manere autem in carne magis necessarium propter vos. Sic Diuus Martinus: Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua. Cæterùm quum futurum esset vt puer Iesus adferretur in templum, beatus ille senex submonitus afflatu spiritus, sub ipsum tempus venit ad templum. Fœlix ille, qui spiritu bono motus templum Domini ingreditur: quas enim alij occasiones habeant intrandi templi, non est huius loci, vt referatur. Vereor ne minima pars illorum, spiritu sancto moueatur. Meliores magis consuetudine quàm pietate mouentur.

*Et cùm inducerent puerum Iesum parentes*

Obserua.

Obserua.

*parentes eius, ut facerent secundum consuetudinem legis, pro eo, & ipse accepit eum in ulnas suas, & benedixit Deu.*

Adhuc omnia pertinent ad historiam purificationis, ne quis putet hæc alio accidisse tempore. Ipso enim die quo Maria & Ioseph Christum deferebant in templum, vt ipsum sisterent Domino, & darent pro eo par turturum, aut duos pullos columbarum, ipse Simeon accepit infantem in vlnas suas, vt non modò, iuxta quod desiderauerat & sperauerat, ipsum videret, sed etiam manibus attrectaret. Solet enim Deus piorum hominum pia desideria quàm cumulatissimè adimplere. In progressu enim Euangelij eius rei multa argumēta inueniemus. Simeon itaque non solùm videre, sed & attrectare meruit Christum Domini, ideo etiam benedixit, laudauit, gratias egit. Nec mirum est, quòd Simeon infantem agnouerit, qui sicut alij pueri ad templum Domini deferebatur. Qui enim hanc gratiam. f. videndi Christi, Simeoni promiserat, idē etiam, quem Maria portaret, demonstrare voluit. Sed quoniam hæc satis aperta sunt, audiemus quibus verbis plus senex Christum benedixerit. Ait autem in hæc verba:

*Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace.*

Duos hymnos præmiserat S. Euangelista, alterum Mariæ, alterum Zachariæ, his iam tertium adijcit, breuem quidem eum, sed alijs prioribus consentientem. Maria gaudio exultauit se fore matrem Christi, Zacharias lætatur se factum patrem præcursoris Christi. Mirum autem in modum exultat Simeon, quòd illum quem Maria peperit, & cui Ioannes præcucurrit, oculis tam carnis quàm cordis videre meruit, & non modò videre, sed & in vlnis gestare, non citra magnum & corporis & animæ suæ emolumentum. Si enim ad tactum fimbriæ vestimenti eius, mulier post sanata est, quid de Simeone, qui in suas vlnas accepit infantem, putandum est? Non frustra certè lætatur & tripudiat pius senex, non frigidè hymnum hunc componit, sed omnia diuino amore ardent. Sed audiamus canticum: Nunc dimittis seruū tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. Nunc, inquit, satisfactum est, ô Domine, votis meis: nunc lubens ac lætus moriar, quia dimittis seruum tuum animo quieto ac placido, neque quicquam præterea desiderantem in hac vita. Pollicitus es ô Domine, quæ tua est benignitas, me licet senem non obiturum mortem, nisi prius viderim Christum Domini. Hæc spes semper afflixit interim animum meum, omne temporis momentum mihi annus visus est, hoc vnicum desiderabam vt fieret, & statim fieret. Quoniam videbam omnia argumenta testari Christum Messiam in proximo esse, fœlicem me putabam, videre ipsum si contingeret: infœlicem sin minus. Nunc autem nihil est quod me amplius viuere delectet, nihil est quod diutius me remoretur: animo læto iamiā, & quando Deo visum fuerit, ad patres meos concedam, qui & ipsi futurum credebant olim, quod ego iam video adimpletum. Aperta sunt omnia. Auditum est in superioribus quales cantilenæ mulieres deceant, quales item sacerdotes, qui Zachariam habent præcentorem, iam qualis senum debeat esse cātus, ipse vides. Sufficiat in iuuenta semel insanisse. Turpissimum est audire senem impudicum: at iucundum, senem videre seruum Dei, & qui sic vitā suam instituit, vt nunquā non paratus sit hinc ad Christum abire. Qui porrò seruiunt in senecta ipsa vel Veneri, vel Baccho, vel Mammonæ, illi quomodo in pace abeant, non video. Maledictus puer centū annorum, ait Scriptura. Sed reuertamur ad pium

nostrum senem, audituri causam suae exultationis.

*Quia viderunt oculi mei salutare tuū.*

Non peto vt vitae meae periodus in longos dies extendatur, sed paratus sum hinc discedere, quando me hinc vocabit Dominus, quoniam votis meis abundè satis factum est. Viderūt enim oculi mei salutare Dei, hoc est, eum, per quem Deus decreuit saluare vniuersum mundum, hoc quod etiam sequens versus declarabit. Vidit Simeon, magna cordis sui laetitia, eum cuius diem olim vidit Abraham & gauisus est. Vidit Simeon salutare Dei, de quo multa in scripturis mentio. David in Psalmis inquit: Auxilium meum à Domino, qui fecit coelum & terram. Esaias autem dies hos praedixit, inquiens: Dicent in die illa, Ecce Deus noster iste, expectauimus eum, & saluabit nos. Iste Dominus: sustinuimus eum, & exultabimus & laetabimur in salutari eius. Et idem Propheta, cap.lij. Parauit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium: & videbunt omnes fines terrae salutare Dei nostri. Suffecerint haec fidelibus, quibus aliàs persuasum est per vnum Christum nobis salutem partam: per quem etiam Deo patri placuit omnia sibi reconciliari, siue quae in caelis, siue quae in terris. Huius Saluatoris etiam meminit diua virgo in hymno suo dicens: Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiae suae. Meminit eiusdē etiam Zacharias: Saluauit nos ab inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos. Sequitur in hoc sancto hymno:

Ioan.8 Psal.120 Esa.25 Colos.1

*Quod parasti ante faciem omnium populorum.*

Declarat his Simeon salutare Dei, non vni Iudaeorum populo missum, sed omnibus populis qui se ab hoc saluatore propria malitia non elongabūt. Scriptum enim est in Daniele: Omnes populi, tribus & linguae seruient ei. Itaque Simeon testatur Christum non modò in gratiam Iudaeorum venisse, sed etiam in gratiam gentium, id quod Iudaei in principio nascentis Ecclesiae difficillimè admiserūt. De negotio hoc, scilicet quod salus vtrique populo cōmunis esse debeat, pluribus disputat Paulus in Romanis. An Iudaeorum Deus tantùm? nonne & Gentium? Imò & Gentium. Et cap.ix. adducit prophetam in haec verba: Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam: & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Eo pertinet quod Christus ipse apud Ioannem circa omnem exceptionem loquitur: Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eūm non pereat, sed habeat vitam aeternam. Et ascensurus in caelum, ait: Euntes in mundum vniuersum (non in solam Iudaeam) praedicate Euangelium omni creaturae. Et iterum in Actis: Eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudaea & Samaria, & vsque ad vltimum terrae. Caeterùm quod nos hic loquimur, apertè canit Simeon venerandus senex, inquiens Christum esse

Dan.7 Osee 2.

*Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuae Israel.*

Multa quae ad hunc locum pertinere videntur in cantico Zachariae diximus: Probè autem considerandum, quòd vocat Christum lumen gentium, & gloriam Israel. His autem declarat, quod paulo ante dixerat: Salutare Dei paratum ante faciem omnium populorum: quo testatus est, vt diximus, cōmune esse bonum de quo non tam Gentes quàm Iudaei participarent. A Domino, inquit, paratū est, vt Iudaeos glorificaret, & Gentibus illucesceret, eosque illuminaret. De Iudaeorum glorificatione primum dicemus. Constat autem Iudaeos quos hic Israelis nomine

ne intelligimus, non sic ambulasse in tenebris, quemadmodum Gentes. Dominus enim annunciauit verbū suum Iacob, iustitias & iudicia sua Israel. Nō fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Et rursum in psal. Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius. Et Paulus dicit Iudæos in hoc præstare Græcis, sic enim vocat Gentes Idololatras, quòd illis sint credita Dei eloquia. Ex his apparet, non sic excæcatos Iudæos, vt non viderint quæ recta quæue praua. Habuerunt Moysen, Prophetas, ipsorum est, vt Paulus in Romanis disserit, adoptio filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa, quorum patres ex quibus Christus secundum carnem, qui est benedictus in secula, Amen. Huc pertinet quod Christus apud Ioannem dicit Samaritanæ: Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudæis est. Audis cæcitatem Gentium. Adorant quod nesciunt: audis gloriam & priuilegium Israelis, adorāt quod sciunt, & ex ipsis salus est. Hæc Israelis gloria vbique & à Christo & ab apostolis quæritur & propugnatur. In Euangelio dicit Christus ad mulierem Ethnicam: Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Ibidem Iudæos filiorum dignatur nomine, Gentiles autem canes appellitat. Amandaturus autem discipulos ante passionem suam, inquit: In viam Gentium ne abieritis, & ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: sed ite potius ad oues quæ perierunt domus Israel. His adde quàm sedulò patrocinetur Iudæis suis Paulus in Romanis & alibi. Petrus item in Actis. Vnicum de D. Apostolo Paulo addam, qui cum Barnaba Antiochiæ sic alloquitur ipsos Iudæos: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æterna vita, ecce conuertimur ad Gentes. Vides priuilegium Iudæorum: vides gloriam Israelis, quib⁹ primum annunciari debuit Christus. Iam sequitur Illuminatio Gentium. Addit enim Paulus: Sic enim nobis præcepit Dominus: Posui te in lucem Gentium, vt sis in salutem vsq; ad extremum terræ. Rectè ergo distinxit pius Simeon inter Iudæos & Gentes, vt illis gloria, his autem lumen quo illuminentur à Deo, patatum sit. De gloria Iudæorum satis superq; dictum est. Iam de lumine Gentium. Lux orta est eis, inquit Propheta de Gentium populo. Erant enim miseræ gentes miserrimis errorum tenebris submersi, & ambulabant de impietate ad impietatem, id quod Paulus nusquam non testatur, in Romanis verò præcipuè, vbi docet quibus implicati fuerint olim erroribus, qui creatorem, quem vel ex creaturis cognoscere potuerant, non vt Deum glorificauerint. Corinthios autem in hæc verba alloquitur: Scitis quoniam cùm Gentes essetis, ad simulachra muta prout ducebamini ibatis. Ad Ephesios porrò: Memores estote, inquit, quòd vos olim eratis Gentes, quod eratis sine Christo, alienati à republica Israelis, & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Iesu vos qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. Et ad eosdem: Hoc igitur, inquit, dico & testificor in Christo, vt iam non ambuletis sicut & Gentes ambulant, in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habētes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiā quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum, &c. Sed de his in Tito nostro olim diximus. Cæterùm quod ad institutum nostrum attinet: audimus hic in Gentibus tenebras, cæcitatem, errores, obscuratum intellectū, cæca corda, ad hæc itaque in melius commutanda venit Christus, iuxta Simeonem, lumen ad

Marginalia: Rom. 9. — Ioan. 4. — Matt. 15. — Mat. 10 — Act. 13. — Esa. 49 — Esa. 9 — 1. cor. 12. — Eph. 2 — Eph. 4

ad reuelationẽ Gẽtium. Sic Zacharias in superioribus: Visitauit nos oriens ex alto. Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent. Et vide quàm omnia conueniant. De tenebris satis diximus. De lumine iuuat lõgiore tractatu agere. In prophetis de hoc lumine iam olim prædictum est apud Esaiam: Dedi, inquit, te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Hæc in superioribus allegauit Paulus ipse. Et rursum: Dedi te in fœdus populi in lucem gentium, vt aperires oculos cæcorum, &c. Et iterum: Ambulabunt gentes in lumine tuo. Quod lumen dicit? Audi Simeonem, qui sanctus Iudæus existens aperte fatetur Christum esse Lumen ad reuelationem Gẽtium. Simeonis verba confirmat Ioannes Euangelista, inquiens de Christo: Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et hæc: Lux in tenebris lucet. Hoc præconium de se Christus satis apertè agnoscit, inquiens: Ego sum lux mundi: Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi. Ambulate dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendãt. Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij sitis lucis. Hæc omnia de seipso prædicat Christus. Hæc omnia sunt Euangelij. Hæc suffecerint ad probandam Simeonis sententiam, qua dixit Christum nõ solùm Iudæis, sed etiam Gentibus missum. Hoc vnicum adhuc adijciam, Christi officium lucis nomine nobis proprijssimè depingi, quòd nimirum ideò venerit, vt ignorantiæ nostræ tenebras expelleret, & nobis, quid fugiendum quidve sectandũ siet, demonstraret. Hæc lucerna itaque posita est super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Tu vide ne lumen hoc domo excludas. Hoc est iudicium, inquit Christus, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem: erant enim mala illorum opera. Et hactenus quidem de cantico Simeonis, quod & ipsum Ecclesia in quotidiano vsu habet, ad horam nimirum completorij, vt populus Ecclesiasticus vel ad cuiusque diei finem mortem suam rememoretur, ignorans quid superuentura dies sit allatura. Iam Lucas nos ad se reuocat.

Esa. 49. | Esa. 42. | Esa. 60. | Ioan. 1.

*Et erant pater eius & mater mirantes super his quæ dicebantur de illo.*

Consuetudo scripturæ est id quod etiam D. Hieronymus admonuit, gesta ita referre, quomodo tunc quando fiebant fieri putabantur. Proinde cum hic audis Ioseph dici patrem Iesu, nihil humani cogites cum Iouinianis vel perfidis Iudæis, sed semper oppone quod in superioribus auditum est, Spiritus sanctus superueniet in te, &c. Et ad Ioseph: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est. Quod igitur ad procreationem siue prosemi-nationem attinet, Ioseph nihil minus quàm pater Christi est. Quod autem ad coniugium pertinet, verè pater dicitur filii vxoris suæ Mariæ. Erubescat itaque Iudæus infœlix (canit Ecclesia) qui dicit Christum de Ioseph semine esse natum. Blasphemi sunt & iniurij in legem suam, qui non habent fidem Domino per Esaiam dicenti: Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. Sed non ita multo post fatebitur Christus ipse quẽ patrem habeat, dum inquit: Nesciebatis quia in iis quæ patris mei sunt, oportet me esse. Cuius patris? Ioseph? Nihil minus, Sed patris cælestis. Ioseph itaque verus coniux Mariæ qui putabatur pater Christi, & illius sponsa Diua virgo Maria, vera mater Christi, erant admirantes super iis quæ dicebantur de puero. Erant enim omnia mirabilia & admiratione dignissima. Nihil hic de virginis conceptu, Elizabetha, Ioanne, Zacharia, de Angelis, de

Multa vetusta exẽplaria vnã cũ Complutensi & Euthymio habent, Ioseph & mater eius. Rursũ hoc capite vbi habemus, Et non cognouerunt parẽtes eius, illa habent & non cognouit Ioseph & mater eius.

de pastoribus, nihil hic de longa Magorum profectione, magnificisve illorum muneribus dicimus, vel ea tantum quæ cum Simeone fiunt, sufficiunt ad admirationem mouendam. An non res mira est, infantem cuius mater ob inopiam non habet vnde agnum emat in sacrificium, sic deprædicari à Simeone sene & religioso? An non res miranda, quòd pius senex sic lætatur ob conspectũ infantem, quòd sic tripudiat, lubensque fatetur se iam obiturum mortem, postquàm viderit infantem, imò postquàm cognouerit infantis huius excellentiam: nimirum hunc missum in salutem omnium populorum, in gloriam Israelis, & ad reuelationem gentium. Sequitur:

*Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur.*

Simeon ille sanctus & verè religiosus senex, non potest non exerere vim illam diuinam spiritus sancti à quo afflatus fuerat. Nescit enim tarda molimina (vt Ambrosius alibi dicit) Spiritus sancti gratia. Et spiritus vbi vult spirat, & vocẽ eius audis, hoc est, præsentiam eius repentinam intelligis & sentis, sed nescis vnde veniat, aut quò vadat. Ad propositum, Simeon in quo spiritus sanctus esse prædicatur, simulatque hymnum suum finierat, statim se vertit ad parentes pueri Iesu, & benedicit illis, hoc est, bona illis imprecatur, gratulatur illis suam fœlicitatem, & sacris aliquot conceptis verbis illos Deo commendat. Sic enim solebant veteres patriarchæ illis benedicere, quibus bene volebant. Sic Isaac, sic Iacob, sic Ioseph, sic Moyses filijs Israel; id quod sacra testatur historia. Habet etiam nostra Ecclesia quasdam peculiares preces quibus puerperis à puerperio dimissis benedicere solet. Tantum de benedictione. Iam quid Simeon Mariæ loquatur videndum est. Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicitur. Sicut palato non sano pœna est panis, qui sano suauis est: & sicut oculis ægris odiosa est lux quæ puris est amabilis, & sicut Apostolis alijs sunt odor vitæ in vitam, alijs verò odor mortis in mortem, ita & Christus alijs ad resurrectionem, alijs verò ad ruinam & perditionem facit. Credentibus bene, incredulis autem male fit per Christum. Etsi enim Christus à patre cælesti in hunc mundum missus sit, iuxta Simeonis superiora verba, Lumen ad reuelationem gentium, & ad gloriam plebis Israeliticæ, tamẽ nec omnes secundum carnem Israelitæ, nec omnes gentes ipsum susceperunt. Venit Christus ad glorificationem Iudæorum, at illi ipsum tradunt Gentibus ad crucifigendum, & clamant: Nolumus hunc regnare super nos, Tolle hunc, & dimitte nobis Barrabam. Gentes verò lumen viderunt, sed multi illorũ magis dilexerunt tenebras, quàm lucem. Vult itaque Simeon Mariæ dicere in hæc verba: Audi obsecro Maria, quidnam futurum sit de puero tuo. Positus est à Deo in terram hanc ad instar magnæ & durissimæ petræ, in quam multi impingere solent: & positus est quasi fortissimus baculus, quibus multi innixi sese sublevare & erigere valebunt, hoc est, multis erit salutis, & multis erit perditionis occasio. Est quidem via, veritas, & vita: est agnus innocens: ab omni peccato alienus existit nec tamen deerunt qui illi sint cõtradicturi. Obstrepent illi Pharisæi, Scribæ & pontifices: reclamabunt increduli & hæretici; Gentiles porrò dæmonia sua non facilè patientur cõdemnari, sed pro ipsis, tanquam pro aris & focis pugnabunt. Hæc omnia esse impleta non modò Biblia, sed etiam Ecclesiastica historia docet. Cæterùm huc pertinet,

In Luc. cap. 1. Ioan. 3
Num. 6.
Nota.
Augus.
2. Cor. 2

pertinet, quod Paulus in Romanis de petra scandali loquitur: Offenderunt, inquit, Iudæi in lapidem offensionis, sicut scriptum est: Ecce pono in Syon lapidē offensionis, & petram scandali, & omnis qui credit in eū non confundetur. Huc etiam facit quod apud principem Apostolorū Petrum legimus, hunc lapidem credentibus honori futurum, non credentibus verò lapidem offensionis, & Petrā scandali. Breuiter, qui Christum & Euangelium eius susceperunt, siue fuerint Iudæi, siue Gentiles, resurrexerunt de tenebris ad lucem, deque morte ad vitam. Qui verò in suum Moysen confisi, vel humilitate Christi offensi ipsū Christum neglexerunt, aut contempserunt, hi ceciderunt ad interitum æternum, ad mortem æternam, ad tenebras nunquam illuminandas. Porrò quod addit Simeon, Christum etiam positum in signum cui contradicitur, iuxta veterem prophetiam dictum est, vbi legimus: Posuit me quasi signū ad sagittā. Et Iob dicit: Posuit me sibi quasi signum, hoc est, omnibus omnium insidiis & spiculis expositus sum, omnes mihi contradicunt. Sy schiessen all zu mir: nemo causam meam tuetur. Sic & Christus fuit signum cui contradicebant Scribæ, Pharisæi, hypocritæ, Samaritani, Herodiani, Pontifices, et ex turba nō minima pars, & hoc, adhuc in terris visibili corpore agente Christo. Ipso verò in cælum sublato, quàm multos habuerit aduersarios & contradictores, nemo est qui nesciat. In Actis certè Apostolorū Iudæi ipsi sic ad Paulum loquuntur: De secta hac notum est nobis, quia vbique ei contradicitur. Et Christus ipse discipulis suis prædixerat quæ ipsis essent sufferenda Euangelij nomine. Cæterùm quoniam hæc satis clara putamus, ad Simeonem nostrum redimus, qui hactenus in colloquio suo cū D. virgine persistēs ait:

Rom. 9. Esa. 28. Esa. 8. 1. Pet. 2. Tren. 3. Iob 16. Act. 28.

*Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.*

Tantus, inquit Simeon, vbique erit tumultus, sic multi tractabūt puerum tuum, vt ne tu quidem sis à malorum consortio futura immunis. Hoc quàm verè dixerit Simeon, nemo est, si modò Euangelium legerit, qui nō videat. Neque enim multo post hæc senis verba, Herodes primus est qui puerum quærit ad perdendum, & cogitur Diua virgo cum infante non sine magno dolore in Aegyptum fugere: rursus ex Aegypto in terram Israel, post in Galilæam. Deinde an dolore caruisse dicas virginem, quando filium quæsiuit inter Nazareth & Hierusalem? Sed audies eam ipsam sic dicere: Quid nobis fecisti sic, ô fili? Ecce ego & pater tuus dolentes quærebamus te, &c. De aliis doloribus & compassionibus D. virginis non est vt plura dicam. Quid crucifixo filio assistens passa fuerit, quis eloqui posset? Gladio materiali quidem nō est transfossa, sed dolore quouis gladio acutiore. Et nos Germanica nostra lingua acerbissimū dolorē gladiū vocamus. Es gieng mir ein messer durchs hertz, &c. Porrò quod sequitur: Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes, maximè tēpore passionis Christi impletum est. Ibi enim multorū corda aperta sunt, quæ prius fuerant occultata. Certè in passione Dñi aperuit Petrus qualis fuerit, & alij apostoli suā pusillanimitatem satis testati sunt. In cœnaculo vbi hostis vmbra non videtur, satis parati sumus cū Christo in carcerē & in mortem ire: at hoste appropinquante, aut cū discipulis fugimus, aut cū Petro negamus. Profectò non est dubium, quin multorum hypocrisis in cruce Dñi aperta & prodita fuerit: eorū nempe, qui Christo adhuc obambulante, non ausi sunt ipsi cōtradicere: in cruce aūt mortuo, proruerūt.

Math. 2. Gladius

Ecce

Ecce sic solet fieri pseudoprophetis. Hoc semper diuinabam futurum: Et sic quidem mali. E regione etiam prodiderũt boni quo animo fuerint in Christum, sicut Ioseph, Nicodemus, & mulieres quæ Christum fuerant sectatæ à Galilea vsq; Hierosolymam: Sed quid dicam de tempore paßionis Domini. Simulátque Christus occepit Euangeliũ prædicare, statim malitia sese prodidit quorundam impiorũ, & res ipsa docuit eos procul abfuisse à vera iustitia, qui apud homines arcem videbantur tenere iustitiæ, & deprehensi sunt in impietate, qui sibi vindicarant doctrinam pietatis. Scribæ certè & Pharisæi ante Christi aduentum, Meßiam semper habebant in ore, & eundẽ multipharíam multisque modis commendabãt populo, testabanturq; se magno desiderio illũ expectare. At vbi venit Christus, ipsi primi inuenti sunt, qui tã diu expectatũ, tã diu desideratũ Meßiã in mortẽ vsq; persequerentur: Porrò, pastores miseri, quid loquor pastores? publicani & meretrices quasi primi fuerunt qui Christo fidem haberent; & ijdem ad prædicationem Ioannis pœnitentiam egerunt, id quod alibi Christus Pharisæis & scribis, & aliis huius farinæ hominibus seuerè exprobrat: Sed hæc sufficiẽter tractata sunt. Obseruandum tamen ex præmissis, vt discamus cũ Maria dolore angi, si quando viderimus Christum vel cõtemni, vel negligi, vel opprimi. Obseruandum item quod in rebus aduersis tandem probatur quis qualis sit: Ideo Paulus dicit: Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant. Profectò sæpe alia audimus à quibusdam dum infirmantur, quàm audiueramus ab eisdem dum bene valebant: Sequitur in Luca.

*Et erat Anna prophetissa filia Phanuel de tribu Aser, hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua: & hæc vidua erat vsque ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo, ieiuniijs & obsecrationibus Deo seruiens die ac nocte.*

Iam acceperat Dominus Iesus testimoniũ ab angelis, à sacerdote Zacharia, ab infante nondum nato Ioanne, ab Elizabeth nupta, à pastoribus, à Simeone, & restabat vt à vidua quoque ferret testimoniũ. Tanta vis erat infantis nondum exerentis iustas vires, vt omnia corriperet, diuino spiritu: afflãs humiles, superbos perturbans ac territans, vt ex hiis rerum præludiis, non difficile colligi posset, quæ foret rerum mutatio futura, quum iam adultus vocem illam cælestem palam depromeret, quum miraculis inclaresceret, quum moreretur ac resurgeret, quum spiritum sanctũ affatim è cælis in omnes credentes effunderet. Ergo seni Simeoni, qui egregium Christo dederat testimonium, succedit anus vidua, quæ qualis fuerit copiosiss. nobis depingit Euãgelista: Et dignus profecto fuit Christus, qui talem haberet encomiasten: digna hæc quæ tam sancto insigniretur nomine. Anna enim Hebræis à gratia dicitur. Et hæc Anna multam apud Dominum gratiam inuenit, sicut sequentia docebunt. Fuit enim prophetissa, hoc est, habuit spiritum propheticum, erudita erat in sacris, alios homines cognitione diuinarum rerum longe post se reliquit, & quæ futura erant, aliquo modo prædicere potuit. Sic in Exodo soror Aaronis Maria prophetissa dicitur: Et in Esaia de prophetissa quadam egregia, quæ concepisse & peperisse prædicatur mirabilẽ filiũ, fit mẽtio. Ecclesia Mariã Deiparã intelligit: Habet etiã nouũ testamentũ suas prophetissas, vt filias Philippi Diaconi, quorũ Lucas noster in actis meminit: Tales enim olim in Ecclesia futuras, Ioel

Anna.

Exo. 15.

Esa. 8.

Act. 21.



propheta

Propheta non multis retro seculis prædixerat, id quod Diuus Petrus in prima concione apud Hierosolymitanos admonuit, dicēs: Non enim sicut vos æstimatis hi ebrij sunt, cū sit hora diei tertia, sed hoc est quod dictum est per prophetā Ioel. Et erit in nouissimis diebus, dicit Dominus, effundā de spiritu meo super omnē carnē, & prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ, &c.

Act. 2. Ioel 2.

Addit Lucas hanc honestā matronā fuisse filiā Phanuel de tribu Aser, quo certè ipsam magnificè cōmendari voluit, nō modò suo nomine, sed etiam Christi. Testimoniū enim quod ab honesto homine fit, maioris æstimatur, quā si à cōtēpto quopiā ferretur homine. Pater aūt huius Annæ nomen habet ab eo loco, vbi sanctus Iacob olim luctatus prædicatur cum Angelo, donec quā petebat benedictionē ab hoc extorqueret. Legimus enim ibidē in hæc verba: Vocauitq; Iacob nomē loci illi᷒ Phanuel, dicēs. Vidi Dominū facie ad faciē & salua est anima mea. Interpretatur enim Phanuel, facies Dn̄i: Nec cōtent᷒ est Euāgelista nobis descripsisse patrē Annæ, nisi & tribū indicet, quo scilicet maior sit historiæ fides. Poterat enim fieri, vt Hierosolymis inuenirētur & aliæ Annæ, verū Lucas de vnica illa Anna loquitur, quæ est prophetissa, filia Phanuel, & de tribu Aser, qui octauus ponitur in ordine duodecim filiorū Israelis: Pulcherrimè autē hæc omnia cōueniunt. Quæ enim fuerit Anna, filia Phanuelis, meritò de tribu Aser esse prædicatur. Aser enim beatus interpretatur: Iam singula collige. Anna, à gratia, Phanuel, à facie Domini, Aser, à beatitate nomē habet. Qui porrò gratiā Domini habet, & faciē domini protectorē & custodē habet, meritò beatus esse prædicatur.

Phanuelis filia. Gen. 32.

Post enarratā genealogiā Annæ, Lucas addit alia, inquiens: Et hæc honesta matrona, processerat in diebus multis. Nō fuit leuis & temeraria puella, quæ Christo testimonium daret, sed mulier grauis, inquit Lucas, & prouectioris ætatis: Et sacræ & prophanæ literæ plus sapientiæ & prudentiæ tribuere solent senioribus, quàm adolescentioribus. Quàm annosa autē fuerit Anna, inde cōiicere licet, quod Euāgelista addit, ipsam septem annos vixisse à virginitate sua cum viro, & iam viduam egisse vsque ad annos octaginta quatuor: His si addideris, vel quindecim solum annos, quos virgo vixerit, processerit ad annum sextum, supra centesimum, ad hoc nimirum seruata, vt sancta, sanctū Domini, hoc est, verum Messiam videret. Sunt autem & hæc magnifica præconia per se, maiora autem si cum nostri seculi cōtuleris moribus. Paucis quid velim dicam. Commendatur honesta matrona quòd virgo ad matrimonium perueneriт, quæ laus vtinam tam cōmunis esset, quàm rara est. Nec de fœmellis tantùm, sed & de masculis loquimur, quibus ipsa virginitas ne cognita quidem est: Statim enim à prima infantia voluptati operam dant, priusquam quid continentiæ virtus sit cognoscant. Et huius rei pœnas dabunt parentes, qui his moribus liberos suos imbuere solēt. Ebrietas, vestiū luxus, turpes cantilenæ, immunditiæ, fidei sunt comites. Commendatur item Anna, quòd septem annis vixerit cum viro suo in matrimonio, quibus verbis ab adulterii crimine liberatur: At quàm diuersa hoc seculo audire soleamus, quis non videt? Certè viri adulteri nihil minus honoris habent: Imò quibusdam laurea dignum putatur, multas viciasse virgines, multas fecisse adulteras.

Commendatur item Anna quòd viduitatem coluerit, vsque ad annos octoginta quatuor: At sic iam exulat pudicitia, sic vbique Libido victrix triumphat, vt paucæ inueniantur viduæ, & tales viduæ, qualis hic Anna nostra depingitur:

Non

Non loquimur de ætate graui, sed de mirabili probitate. Verùm audiamus ipsum Lucam. Et hæc non discedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus Deo seruiens die ac nocte. Quæ de nomine, gente, vel tribu Annæ diximus, non omnibus possunt esse cõmunia, neque enim in hominis potestate est, vnde quis nascatur. Quæ verò iã præmissis subiungit, omnibus Christianis debebãt esse communia. Templa Dei, qui bonus Christianus est, nunquam auersabitur, in Christianorum basilicis non illibenter inuenitur, carnem suam ieiuniis castigat, Deo se suáque piis precibus commendat. Qui verò Christianorum contemnit conuentus, qui concupiscentias carnis ieiuniis nõ domat, quique Dei fauorem ardentibus orationibus non ambit, hic quomodo Christianus dici possit non video. Nec putes, quoniam Anna Iudæa est, ipsius exemplum ad te non pertinere. Christus & huius discipuli nõ gratuitim tẽpla illa externa ingressi sunt. Quàm multis autem nobis commendarit Christ⁹ preces & ieiunia, in Matthæo nostro ostẽdimus, & in progressu huius Euangelii nõ tacebimus. Anna hic prædicatur & laudatur à Luca nostro, quòd nunquam discesserit de templo, hoc est, quòd rarissimè extra templi septa fuerit inuenta. At qui nostro seculo per integrum annum basilicas Christianorum nunquam intrauerit, bellus sibi videtur homo, nec desunt qui laudent peccatorem in desyderiis animæ suæ. Commendatur Anna nostra prophetissa à precibus & à ieiuniis: at hodie inuenire licet, qui blasphemiis & crapula gloriam quærunt, nec deest dignum patella operculum. Sed missos faciamus Epicureos istos. Euangelista edoctus fuit à spiritu sancto, quales Christo adscriberet testes, viros scilicet iustos & religiosos, matronas pias atq; deuotas, qualis Phanuelis hæc filia fuit, quæ & digna visa est Christo dare testimoniũ. Quæ porrò aut qualia dixerit deuota matrona à Luca perscriptũ nõ est. Et⁹ verba sic habẽt.

*Et hæc ipsa bona superueniẽs, confitebatur domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redẽptionẽ Israel.*

Dum Maria cũ infante & Ioseph est in templo, & dum purificationis ritus peraguntur in tẽplo, dum vaticinatur Simeõ, dũq; sacris gratulationibus redundãt omnia, cõmodũ & hæc Anna superuenit, vt & ipsa testis esset nati pueri, suiq; pectoris affectus cũ aliorũ gaudiis cõiungeret, laudibus efferẽs diuinã benignitatẽ, quæ respexisset populũ suum. Nec tacuit honesta vidua apud alios, quod oculis viderat, quod afflatu didicerat, sed de puero loquebatur omnibus, qui Hierosolymis expectabãt redẽptionem Israeliticæ gentis. Audiuimus in superioribus Mariã, Zachariã & Simeonẽ huic puero hymnizantes, inde cõiicimus Annã hãc nõ fuisse illis dissonã. Gratulatur Simeon, quòd in ipsa senecta meruerit videre oculis carnis Christum domini, quur non gratularetur & bona vidua? Cur nõ loqueretur de illo quẽ Christũ Dominiesse cognoscebat, quẽ tam diu expectauerat, quẽ tã diu desyderauerat? Loquitur autẽ bona vidua nõ permixtim omnibus, sed his omnibus qui expectabãt redemptionẽ Israel, iis qui ipsi fuere pares fide & vitæ innocentia. Nouerat proculdubiò margaritas minimè proiiciendas porcis, nec sanctum dandũ canibus. Apud pios de pietate æquis animis sermo auditur: Tractant fabrilia fabri: Alii de gloria, potentia, vel diuitiis huius mundi loquuntur. Hæc pia anus de Christo loquitur, Christum amat, in Christo omnẽ suã spẽ collocat. Alia iã sunt vetularũ colloquia, alia cogitãt, alia somniant, alia quærunt: Illæ auaritiæ, hæc detractioni student. Hæc adolescentiam mentiri studet luxu vestium, illa putat sibi oĩa licere quoniã anus est. Accipite d

bonae viduae, D.Annam verae viduitatis verum exemplar. Sed desino.

*Et vt perfecerunt omnia secundum legem Domini, reuersi sunt in Galilaeam, in ciuitatem suam Nazareth.*

Nulla expositione haec opus habet. Quod verò ad ordinem historiae attinet, nihil dissonum hic scribit Lucas ab aliis Euangeliographis. Describit enim Iesum huiusque parentes in Galilaeam venisse in ciuitatem suam Nazareth, id quod nec Matthaeus negat. Ego certè puto Magos ferè circa finem puerperij, vt ita dicam, D. virginis accessisse, & quod Matthaeus describit perfecisse. Magis autē per aliam viam ad sua reuertentibus, & dum Herodes Magos expectat, adfuisse tempus purificationis, quo tempore Diua virgo Hierosolymam proficiscitur, & fiunt quae iam audiuimus. Peractis autem omnibus secundū legis praescripta, parentes cum puero Iesu redeunt Nazareth, cùm in Bethleem non erat quod agerent. Dum autem haec fiunt, Herodes videt se à Magis delusum, & statuit saeuire in pueros, quemadmodum hoc ipsum Matthaeus descripsit. Et admonetur Ioseph vt cum puero & matre eius secedat in Aegyptū: de qua quidē secessione quoniā alius Euangelista copiosius declarauit omnia, Lucas noster nihil refert, sed statim addit quomodo adoleuerit Christus infans.

*Puer aūt crescebat & cōfortabatur plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo.*

Hactenus quidem caelestis ille princeps noster, qui sese nostra causa vsque ad fascias, cunas, vagitus, & imbecillem corporis infantiā deiecerat, alienae vocis testimonio praedicatus est. Caeterùm paulatim accrescens aetas augebat corporis modum ac vires, in quo, velut in domicilio, relucebat indoles quaedam admirabilis, aliquid prae se ferens homine maius. Augescebat & spiritus robur, indies magis ac magis sese exerentis, vultu, incessu, sermone, factis, in quibus nihil erat quod non spiraret modestiam, castitatē, suauitatem, pietatem. Non enim erat obnoxius his vitiis, quibus aetas illa solet laborare, ineptia, lasciuia, inconstantia, stultitia, sed caelestis sapientia qua repletus erat, non expectatis annis, iā tum sese proferebat sic, vt qui prius alieno testimonio fuerat cōmendatus, nunc tantis dotibus suis redderetur omnibus & admirabilis & amabilis. Sed apertū est quod Lucas dicit, nec difficile creditu. Quomodo enim non crederetur plenus sapientia, in quo omnes thesauri sapiētiae sunt absconditi? Et quomodo nō admittem⁹ gratiā Dei in eo esse vel fuisse, quem Dei filiū esse certò credimus? Praedicant sacrae historiae multa admiranda, quae pueri in ipsa pueritia egerunt: quid igitur dubitaremus de puerorum omnium domino? Ioannes Baptista suas dotes habuit, quemadmodum & Euangelista noster non tacuit: at quanto maior est creator creatura, tanto maior est Christus Ioanne.

*Et ibant parentes eius per omnes annos in Hierusalem, in die solenni Paschae.*

Maribus tantùm praeceptum fuerat Exod. xxiij. vt quotannis ter ascenderent Hierosolymam, festa inibi celebraturi, ad festum s. Paschae, Pentecostes, & Tabernaculorum, nimirum vt populus legem Dei certius disceret, & animi ex conuentibus illic magis ad religionem coalescerent, & ad mutuā familiaritatem & charitatem fouendam conuenirent. Dispensabatur tamē cum his qui remotiores erant ab Hierusalē, de festis Pentecostes & Tabernaculorum. Dicit itaque Lucas, parentes Iesu quotannis ad festum Paschae Hierosolymam profectos esse, quanquam Nazareth non parum distaret à Hierosolymis, id quod planè nostram in rebus fidei arguit negligentiam. Maria & Ioseph nulla itineris vel longitudine,

vel asperitate prohibentur, quo minus vel semel in anno Hierosolymitanum petant templum, at quot inuenire licebit homines inter Christianos, qui ne semel quidem per integrū annū ecclesiæ siue basilicæ nostræ ingrediuntur limina? Imò non solùm ipsi non ingrediuntur, sed etiam ingredientes, si non calūniantur, certè irridēt. Fit itaque vt maiori studio frequentētur oenopolia, ne dicam lupanaria, quàm basilicæ: Sed hac de re non ita multò post plura dicemus.

*Et cum factus esset Iesus annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam, secundum cōsuetudinem diei festi, consummatisque diebus cum redirent, remansit puer Iesus in Hierusalem, & non cognouerunt parentes eius.*

Euangelista noster Lucas nō refert peregrinationem Christi in Aegiptū, nec inde reditum in Galilæā, quoniam hoc ipsum D. Matthæus satis copiose descripserat. Describit autē nobis hic noster Lucas quale de seipso Christus in adolescentia specimē exhibuerit, id quod statim audiemus. Quid porrò Christus meus à pueritia ad duodecimum vsque annū, & inde vsque ad Baptismum suum egerit, ab Euāgelistis perscriptum non est: Nam ea quæ de infantia saluatoris referuntur, & libris editis circūferuntur, apocrypha sunt, & magis faciunt ad probe instituendū iuuentutis mores, quā ad confirmanda fidei nostræ dogmata. Præstaret adhuc in Ecclesia Dei, similes fingere libros, q̄ in vniuersum Christianismum tot hæreticorum spargere volumina. Ego certè quicquid ad formādos adolescentiæ mores aliquo modo valet, nolim reijcere, siue id scripto fiat, siue picturis quibusdā. Iam Euangelici nostri sacris voluminibus adpingere solent tales imagines, quales nemo pius dignaretur suis parietibus adpingi: Sed ad historiam Lucæ, quæ docet annō duodecimo nati Christi, Mariam & Ioseph, puero Iesu comite, profectos Hierosolymā ad festū, & hoc secundū consuetudinē diei festi, nimirū Paschæ: Quid Dominus meus Christus egerit Hierosolymis, nō ita multò post audiemus. Laudamus hic primū parentes Iesu, de laudabili illa consuetudine, qua non sunt grauati, licet longè distarent, licet longe habitarent à Hierusalem, ad diem festum venire. Sed de hoc paulò supra. Maria nō ignorabat suam fœlicitatē, nō ignorabat se beatā inter & super omnes mulieres, nec exciderat se matrem Dei esse, neque tamen recusat comes esse Iosepho in hac peregrinatione ad diē festū. Et Ioseph à Matthæo Iusti decoratur nomine, & ipse externū illū Dei cultum in tēplis non cōtemnit. Qui Christianorū conuentus nō amant, re ipsa declarant se ad Christi corpus, quod est Ecclesia, minimè pertinere. Sed obijciunt quidā cateuāgelici. Quid, an nō licebit priuatim precari? An non iussit Christus clauso cubiculi ostio precari patrem? An non apud Ioannem Samaritanæ mulieri dicit: Venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate. Et Paulus vult viros in omni loco leuare puras manus catholicè. Respondemus catholicè. Et priuatim licet orare, tu autem vide ne singularitate tua potius Deum blasphemes, quàm places. Licet cum Christo in oratione pernoctare, sed æquum est vt cum eodem etiam templum intres. Quod de clauso cubiculi ostio Christus dicit, non prohibet in publico precari, sed prohibet fastum qui maximè in his Ecclesiæ contemptoribus inueniri solet. Damnat hoc loci CHRISTVS eos qui ex orationibus applausum populi venantur: ac Euangelici nostri ex eo quod pa rum orent, magni haberi affectant. Deinde quod Christus Samaritanæ dixerit

Doct.

Contra Pseudeuangelicos.

Obiectio. Math. 4 Ioh. 4

dixerit, nihil contra nos facit. Neque enim licebit minus patrem in spiritu & veritate, adorare in publico Ecclesiae conuentu, quàm in priuato cubiculo. Postremò si iubet Paulus in omni loco orare, cur non licebit & in templo orare? Et templum certè locus est. Haec aduersus eos dicta volumus, qui Ecclesiae publicos conuentus & negligunt & contemnunt. Sequitur in Luca: Quod consummatis diebus, cum redirent parentes eius, puer Iesus remanserit Hierosolymae, & hoc ignorantibus parentibus: Audiuimus quòd parentes templa visitarunt, iam laudat Lucas eosdem, quòd filium suum comitem habuerint ad haec festa: Vide obsecro, quid facias. Immo vide quid Maria faciat. Maria mater Dei, filium suum, filium Dei, Christum, Messiam, Saluatorem, Iesum, in quo omnes thesauri sapientiae sunt absconditi. Maria, inquam, filium suum duodennem secum ducit Hierosolymam ad festum Paschae: An te pudet imitari Mariam? Cur non & ipse tecum liberos tuos ad basilicas nostras ducis? An meliores sunt pueri tui puero Iesu? An dignum est vt Iesus pueri tui nomine à Nazareth Hierosolymam vsque proficiscatur, & indignum est, vt puer tuus in gratiam Iesu, vel ad horae spatium templum petat? Memento ô parens quàm teneare rationem reddere pro filio tuo. Non audiam hic excusationes illas caluas & friuolas, quas solent stupidi parentes praetexere, &c. Ad mundanas scilicet ineptias satis maturi sunt, ad pietatem autem inhabiles. Ad impurissimas cantilenas satis vocales, ad preces porrò omnino infantes sunt: Ad tibias saltant, ad porrigendas eleemosynas claudicant. Breuiter ad perditionem Mercurij, ad salutem Vulcani: Et haec omnia olim excusabunt, parentes scilicet, coram districto illo iudice. Possem hic querulandi finem facere, sed cogor penè inuitus ad impudentiora ascendere. Primum scelus est quòd ad pietatem suos liberos non instituunt. Secundum quòd ad luxum promouent. Tertium quòd increpiti scelus defendunt, quibuscunque fucis possunt. Quartum quòd bene monentes, & ob scelera praedicta obiurgantes, odio penè Vatiniano persequuntur. Accipite ô miseri parentes, Abraham in exemplum, de quo Deus ipse testatur, inquiens: Scio quod Abraham sit praecepturus filijs suis & domui suae post se, vt custodiant viam domini, & faciant iudicium & iustitiam, vt adducat Dominus propter Abraham omnia quae locutus est ad eum: Vide quantam mercedem promittat Dominus Abrahae, & quare. Non enim tantum mercedem accipit, quia ipse bene egit, sed & quia praecipit natis suis, largas retributiones accipit. Is enim qui principium praeber ac initia, etiam eorum quae postea fiunt, author est. E contrario: Omnia quae deliquerint filij, de parentibus requiruntur, qui non erudierint, neque corripuerint filios suos. Huius euidens exemplum in Heli ostenditur, & in filiis eius, & in aliis alibi. Haec sciens gloriosus Dei famulus Iob, nõ solum à manifestis peccatis obseruat filios suos, sed & ab occultis, ne aliquid mali in corde suo cogitarent. Profectò multis paruulis aditus ad regna caelorum clauditur à parentibus, cum ab hiis malè enutriuntur, id quod Gregorius ille magnus conqueritur, & satis horribili exẽplo probat, quomodo scilicet paruulus blasphemiis assuetus, & ob hoc à patre nõ correptus, à daemonibus è sinu patris sublatus fuerit. Et tantum de educatione liberorũ, de qua nõ illibẽter loquimur. Praemissis addit Lucas quod puer Iesus ignorantibus parentibus Hierosolymis manserit, quo docuit quatenus filij parentibus obedire teneantur.

Doct. | Nota. | Gen. 18. | Chryso. Ho. 44. in Gen. cap. 18. | Orig. in Iob. lib. 1. | Lib. 4. Dialo. cap. 18. | Doct.

Parenᵴ

Parentibus quidem obedientiam debent, sic tamen, vt ipsis longè præferatur Deus. Oportet enim Deo magis obedire, quàm hominibus, ait scriptura sacra. Et puer iste iam adultus dicet: Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, &c. non est me dignus. de quo suo loco. Inuenire enim licet parētes ita mundanos, vt liberos suos penè cogant ad impietatem, id quod ab auaris, à potentibus, à negotiatoribus, & horum similibus fieri solet. Adde eos impios parentes qui à Lutheranismo decepti, liberos suos in eandem nassam propellunt. Huc tandem pertinet quod Christus alibi: Si oculus tuus, manus tua, vel pes tuus scandalizat te, erue, abscinde, proiice abs te, &c. Puer noster Iesus pios certè habuit parentes, at his longè prætulit mandatum Dei. Neque enim ex contemptu ignorantibus illis remansit Hierosolymis, sed vt patris sui cœlestis mandatum exequeretur. Vos itaque, dilecti pueri, si vobis fuerint pij parentes, ex animo ipsis obtemperate, sin minus, nequaquā tamen à pietate auellamini. Quod in Luca nostro sequitur videamus.

*Existimantes autem illum in comitatu esse, venerunt iter diei, & requirebāt eum inter cognatos & notos.*

Nemo hic negligentiæ aut imprudentiæ pios parentes arguat, quòd abierint incerti vbi sit tantus puer, quē nouerant de spiritu conceptum, & ex virgine natum. Sic enim disposuit pater cœlestis, vt puer hic nonnullū specimen exhiberet suæ sapientiæ, quam non de virgine, multò minus autem de Ioseph, sed à Deo patre acceperat. Adde quòd filiis Israel moris fuerit, vt Beda admonet, vt temporibus festis vel Hierosolymam confluentes, vel ad propria redeuntes, seorsum viri, seorsum autem fœminæ choros ducentes incederent, infantesq; vel pueri cum quolibet parente indifferenter ire potuerint. Ideoque Maria & Ioseph vicissim putauerunt puerum Iesum quem se comitari non cernebant, cum altero parente reuersum.

*Et non inuenientes regressi sunt in Hierusalem, requirentes eum. Et factum est post triduum inuenerunt illum in tēplo, sedentem in medio doctorum, audientem illos & interrogantem eos.*

Inter cognatos & notos carnales non inuenitur Christus, sed inter eos cognatos de quibus puer ipse dicturus est: Quicunque fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis est, hic meus frater, soror, & mater est. Et de quibus dicit: Vbi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi in medio eorū ero. Et hactenus multi quærunt Iesum saluare Dei, sed frustra quærunt, & non inuenient eum, quoniā nō rectè quærunt, nec vbi est quærunt. Qui Christū Iesum quærit, hoc est, qui fiduciā suam ponit in voluptates, diuitias, potētiam vel gloriam huius seculi, Christū non inueniet, quoniam diuitiæ iuxta scripturas non proderunt in die vltionis. Et in multorum comitatu non inuenitur Christus, nimirum in illorum, quorum pedes ad malum currunt, & qui veloces sunt ad effundendum sanguinem. At tu disce vbi Iesus & quærendus & inueniendus. Post triduum, inquit Lucas, Maria & Ioseph inuenerunt illum in templo, neque in templo simpliciter, sed in medio doctorum, audiētem & interrogantē eos. In medio doctorum & in templo inuenitur Christus, non in medio helluonum in œnopolio. In tēplo inuenitur, non ad tibiam vel ad alia ludicra & histrionica. O verè fœlices parentes, qui liberos suos cōsueuerunt & in templo quærere, & in templo inuenire. Et ô verè fœlices pueri, qui in templo libenter cum Christo conuersantur, cumq; interrogantem & docentem libenter

audiunt. Sed quid ego hic de pueris? Omnes quotquot Christum confitentur, quotquot Christiano censentur nomine, quotquot Christum suum caput agnoscunt, non erubescant eiusdem imitari exemplum. Christus Dominus & magister noster, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, in discipulorũ se ponit ordinem, & legis doctores illos audit: tu porrò erubescis ab aliquo homine discere, tua scilicet illa magna sapientia contentus. Sed hac de re aliàs. Licet autem ex hoc loco colligere quàm bene faciant, qui liberos suos bonis literis instituendos literatis commendant.

Quæ hic de mysterio tridui Ambrosius adfert, quoniam absurdum nõ est, enarrare minimè grauabor. Post triduum, inquit, Christus reperitur in templo, vt esset indicio, quia post triduum triumphalis illius passionis, in sede cælesti & honore diuino, fidei nostræ se resurrecturus offeret. Nec alienum fuerit & illud admonere, sicut Christus hic non alibi quàm in tẽplo inuenitur, ita & extra Ecclesiam Christum nemo inueniet. Quid porrò Christus Iudæos interrogarit, quidve ab his ille audierit, ex Euangelica historia nõ est manifestum. Nihil autem hic friuolum fuisse tractatum, testantur verba Lucæ, quæ in hunc modum subsequuntur.

Extra Ecclesiã non inuenitur Christ.

*Stupebãt autem omnes qui eum audiebant, super prudentia & responsis eius: et videntes admirati sunt.*

Non dubium est quin Iesus prægnantes quæstiones Legisperitis proposuerit, & tales, quæ Iudæos ad cognitionem Messiæ perducere potuerint, quas quidem cùm illi non intelligerent, ipse explicuit & interpretatus est prudenter. Iesus itaque cùm ignotus esset Doctoribus, & circunstanti populo, omnes vertit in admirationem sui, quòd tantillus puer dictis & responsis suis admirabilem quandam & plusquam senilem sapientiam declararet. Videbant ætatem corporis imbecillem, & immaturã sapientiæ (qualis enim potest esse sapientia in puero duodecim annorum?) & tamen interim audiebant puerum ea promẽtem quæ doctores prouectæ ætatis, quiq; iam sapientiæ fastigium assecuti esse videbantur, non pigeret discere. His rebus factum est, vt & Doctores, quibus cum disputabat, & ij qui circumstabant, testes eius disputationis, vehementer obstupescerent. Nec iniuria mirantes hic obstupescunt, audientes puerum disputare, cùm etiam iam virum factum, citra admirationem audire nequiuerint, id quod capite quarto audiemus. Et apud Marcum legimus: Facto sabbatho, cœpit Iesus in synagoga docere, & multi audientes admirabantur in doctrina eius, dicentes: Vnde huic hæc omnia? Et quæ est sapientia quæ data est illi? & virtutes, quæ per manus eius efficiuntur? Nonne hic est faber, filius Mariæ, frater Iacobi & Ioseph, & Iudæ & Simonis? Nonne & sorores eius nobiscum sunt? Apud Ioannem verò sic legimus: Iam autem mediante die festo, ascendit Iesus in templum, & docebat. Et mirabantur Iudæi, dicentes: Quomodo hic literas scit, cùm non didicerit? Si itaq; sic admirantur de doctrina iam adulti, qui non fuissent admirati de doctrina pueri? Porrò quod hic in Christo fit, idipsum & in discipulis eius factum esse constat. In Actis enim legimus 4. Videntes autem Principes Sacerdotum, scilicet Petri constantiam & Ioannis, comperto quòd homines essent sine literis, & idiotæ, admirabantur, & cognoscebant eos, quoniam cum Iesu fuerant. Dicit itaque Lucas, omnes quotquot Christum vel audierunt, vel viderunt disputantem,

Marc. 6

Ioan. 7

Act. 4.

tem, docentem, vel interrogantem, ad- mirati super eo fuerint. Tales pueros hic mundus non habet, qui statim à pueritia declarent quales futuri sint diuinarum rerum amatores. Habet autem multos super quibus non temerè admireris, vnde scilicet tantillis pueris, tantus fastus, tanta ad omnis generis voluptates libido, tam blasphema lingua, &c. Talia enim iam non pudet pueros facere, qualia olim puduit senes vel cogitare. Sed procedamus.

Obseru.

*Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.*

Dum sic puer Iesus doctrina cœlesti occupatur, superueniunt parentes eius, quibus nondum ad plenum erat cognitum diuini consilij mysterium. Ioseph quidem tacet, nec verbulo quidem alloquitur Christum, vt qui sibi conscius erat, se nihil habere iuris in partum sponsæ suæ. Mater autem materno affectu commota, vt declaret se veram huius pueri matrem, cum filio expostulat, inquiens: Fili, quid fecisti nobis sic? Q. d. Cur te clam subduxisti à nobis? Multas calamitates tuo noïe & in Bethleem, & in Aegypto, & in Galilæa perpessi sumus, & tā rursum nobis doloris causam exhibes. Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Quare dolentes quærunt? An non nouerunt filium Dei? Quærunt cum dolore eum, quoniam sine eo, nisi cum maximo dolore esse non possunt, Origenes ideo existimat ipsos fuisse dolentes, quoniam timebant ne forte relinquens eos reuersus esset ad cælos, cùm illi placuisset iterum descensurus. Vel, quod aliorum est sententia, metuebant ne quod Herodes in infantia patrare quæsierat, nunc iam in pueritia positū inuenta oportunitate, alii interficerēt. Cæterùm quocunque tandem nomine, soliciti fuerint parentes eius, nos nō dubitamus, quin prophetia Simeonis de gladio compassionis hic sese exe ruerit, & Maria non frustra dolorem suum expo suerit. Et nos dum peccando amisimus Iesum, protinus cordialiter doleamus, & cum sollicitudine ac mœrore eum quæramus, nec dissolutè ac negligenter pertranseamus. In Deuterono. discimus quomodo quærendus sit Dominus. Cùm quæsieris Dominum Deum tuum, ait Moyses, inuenies eum, si tamē toto corde quæsieris eum, & tota tribulatione animæ tuæ. Et in Hieremia: Cùm quæsieritis me in toto corde vestro, inueniar à vobis. Sic quærit Zachæus, sic Magdalena, sic duo discipuli Petrus & Ioānes, sic qui peregrinantur Emauntem. Sed de hoc negotio aliàs copiosius. Audiamus quid Christus dilectæ matri suæ responderit.

Deut. 4.

Hier. 29.

*Et ait ad illos: Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum quod loquutus est ad eos.*

Egregia hæc est responsio, & digna filio Dei, non filio Ioseph fabri illius. Vides iam quis verus huius pueri pater? Lucas ad vulgi morem Ioseph vocat Christi patrem, & Maria sese vulgo attemperat in hoc, quòd maritum suum vocat patrem pueri: at puer ipse iam satis declarat quem habeat patrē. Et poterat fieri vt Iudæus audiens Ioseph à Maria patrem pueri vocatum, non crederet puerum de spiritu sancto in vtero virginis conceptum, sed scandalizaretur. Christus itaque ait: Nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse? Cuius patris? Ioseph? Nihil minus: sed eius qui per Prophetam loquitur: Domus mea domus orationis est. Domus Ioseph in Nazareth est, non Hierosolymis: at domus patris pueri huius templum Hierosolymitanum. Hinc & alibi dicit: Auferte

ista

ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis. Respondet itaque Christus: Et quid est quod me quærebatis? Ego vestri doloris causa non sum: vos ipsi vobis metipsis dolorem adducitis. Non vos negligo, nec in vestri contemptum hic remansi. Patris mei negotium me hic cohibuit: & certè non nescitis, quoniã oportet me esse in his quæ patris mei sunt. Pater meus meo nomine nõ dolet, quoniam in ipsius negotiis versor. Hæc sic quàm simplicissimè volumus esse interpretata, non ignari, quantum Christus matri, & hæc illi deferre debeat. Habet parentum autoritas limites suos, sicut & supra admonuimus, cui renunciandum est, quoties agitur negotium salutis æternæ. Par est enim vt humana cedant diuinis: & prior sit ratio Dei quàm hominis. Debemus parentibus sanè plurimum, sed longè plus debemus Deo, cui debemus & ipsos parentes. Cæterùm quid sibi vellet oratio Iesu, non satis intellectum est à parentibus. Licet enim ex his quæ præcesserant, nihil vulgare aut mediocre expectarent à puero, nõdum tamen ad plenum intelligebant sublimitatem diuinæ virtutis, nondum cognouerant quàm admirabili consilio decreuisset Deus per filiũ suum genus redimere humanum. Audiunt nomen patris, quem sciebant nõ habere patrem in terris: audiunt negotium patris, de quo nihil adhuc illis meminerat. Obserua hic quod Lucas de parentibus Iesu testatur, eos non intellexisse verbum Iesu. Quales igitur sunt qui simulatque alphabetariorum classem excesserint, statim se putãt oĩa scire, quique volunt non discipuli, sed magistri esse, qui docere volunt, nõ discere? Non pudeat, amabo, nõ pudeat cum D. virgine teipsum in discipulorum ordinem dedere: nemo sic repente fit summus. Omnis homo velox sit ad audiendum, inquit Iacobus, tardus autem ad loquendum. Et iterum: Nolite plures magistri fieri fratres mei, scientes quoniam maius iudicium sumitis. In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir, &c. Et Christus ipse ad discipulos suos inquit: Vos autem nolite vocari Rabbi.

Nota. | Iacob. | Iacob. 3. | Mat. 23.

*Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis.*

Pulchra consequentia: sic enim oportet ac decet fieri, vt à Hierusalem descendamus ad Nazareth, hoc est, ab obedientia & cultu Dei, ad obedientiam & seruitutem parentum & superiorum, itaque fiet vt quod Dei est Deo, & quod hominis homini tribuatur: vni & soli homini velle obedire impium est: Deo obedire soli, homines autem, siue hi fuerint parentes siue superiores, contemnere, seditiosum est. Apostolica regula est, Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Non autẽ sic: Oportet vni & soli Deo obedire, hominib⁹ verò nunquã. Sis itaq; in hoc negotio & prudens & simplex, ita vt Deo non aduerseris, & hominibus fraudem non facias. Reddite quæ sunt cæsaris cæsari, ait Christus, & quæ sunt Dei Deo. Obserua hic ô puer, obserua hic ô parens. Christus vnigenitus Dei filius descendit cum Maria & Ioseph in Nazareth, estque illis subditus. Hoc puer Iesus facit: omnipotens Deus assumpta humanitate, hominibus subiicitur, & tu non vereris parentibus obstrepere. Puer Iesus parentibus suis est subditus, tu parentes tuos calumniaris, odio prosequeris, alloquio dedignaris, diris deuoues. O scelus, ô crimen ad inferos vsq; deportandum. Vbi hic magistratus? Vt quid de parricidis illis non sumitur pœna? In lege Dei scriptum est: Quicunque maledixerit patri vel matri, morte morietur: Et rursum: Si genuerit homo filium contumacem & proteruum, qui non audierit patris ac matris imperiũ,

Leui. 19 | Deut. 21

&

& correctus obedire contempserit, apprehendent eum, & ducent ad seniores ciuitatis illius, & ad portam iudicij, dicentque ad eos: Filius iste noster proteruus & contumax est, monita nostra audire contemnit, cõmessationibus vacat, & luxuriæ atque conuiuijs: lapidibus eum obruet populus ciuitatis, & morietur, vt auferatis malum de medio vestrum, & vniuersus Israel audiẽs pertimescat. Audis hic legem diuinam? Quomodo igitur, fili contumax & in parentes maledicus, effugies iudicium Dei? Vtcunque Iudices huius seculi in flagellandis impijs sint negligentes, certè Deus suo muneri non est defuturus. Nec existimes duram hanc esse in liberos legem. Ab Ethnicis dictũ legimus: Dijs, parentibus & præceptoribus, nõ potest reddi æquiualẽs. De dijs & præceptoribus nihil addam. De parẽtibus superfluum est dicere, quot labores, curas, anxietatesque subierint nostro nomine. Ad paruos pueros parua cura, ad magnos magna pertinet. Rectè itaque Tobias senior filio suo: Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius. Memor enim esse debes quæ & quanta pericula passa sit propter te in vtero suo, &c. Er Salomon inquit: Qui maledixerit patri suo & matri suæ, extinguetur lumen eius in medijs tenebris, hoc est, in præsentissimis periculis, & quando maximè ope eguerit, derelinquetur. Et rursum idem Sapiens inquit: Audi patrem qui genuit te, & ne contempseris, cum senuerit mater tua. Nolo hic adducere quæ in Euangelicis & Apostolicis literis hac de re præcipiuntur. Si quis præmissis, licet paucioribus pro re, non mouetur, indignus est qui plura audiat. Habent liberi scripturam quam docentem audiant, habent Christum Mariæ filium quem imitentur: quòd si hæc oĩa nihili fecerint, & sic in sua malitia perrexerint, olim dabunt meritas pœnas. Non audiemus hîc: Pater meus delirus senex est: Mater mea morosa vetula est. Qualescunque sint, parentes tui sunt, & nisi hos ex animo colueris, pœnam & supplicium æternum non effugies. An non & parentes tui satis diu stultitiam & querulas tuas voces pari sunt coacti in ipsa iuuentute tua, quando propter te nec cibum capere nec somnum potuerunt? Hæc cogita, & ad exemplum Christi parentibus tuis obedi. Ipsi non grauati sunt tecum in Aegyptũ, & Galilæam, & Iudæam cedere, tu nolo graueris cum ipsis ad Nazareth descendere, & hæc quidem liberis dicta volumus. Tu itaque, ô parens, nisi frustra hæc à me velis esse dicta, puerũ tuum tecum ducito Hierosolymam, & non grauatim tecum descendet in Nazareth, hoc est, rectè ad pietatem institue, & duc vbi sacra tractantur, & post certè morigerum habebis filiũ. Sequitur:

Tob. 4 — Pro. 20. — Pro. 23 — Obser.

*Et Maria conseruabat omnia verba hæc in corde suo.*

Gloriosa atque inter & super omnes mulieres benedicta Maria facta est bona discipula Christi, quæ etiam non adamussim intellecta verba Christi in corde suo cõseruat. Vide quàm omnis hæc historia te inuitet ad diligentem verbi Dei audientiam. Puer Iesus doctos & legis peritos audit. Maria aurẽ pueri huius auditrix est: nec solùm auditrix, sed verborum illius fidelis conseruatrix. Primum est, vt audias & libenter & diligenter: secundum, vt conserues & cordi inscribas fideliter: tertium, firmissimè credas: vltimum, vt quod bene audisti, conseruasti, atque credidisti, opere exequaris gnauiter, fructumque ad instar Euangelici agri, in multa patientia adferas. Sed de hac re in superioribus.

*Et Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deũ & homines.*

His verbis Lucas noster imponit finem pueritiæ pueri Iesu, non volens de hoc quicquam scribere, donec ipse Iesus,

De hoc vide Damasce. li. 4. cap. 2. quomodo scilicet profecerit Christus.

Iesus peruenerit ad annum ætatis suæ tricesimũ, hoc quod etiã in superioribus admonuimus. Noluit enim Christus nos scire quæ ipse à reditu suo ex Aegypto in patriam suã egerit, vsq; ad annum ætatis suæ duodecimum, & à duodecimo hoc anno, vsque ad tricesimum annum, quamuis non dubitamus quin imprudenter nihil egerit. Et hoc nos ignorare in bonum Ecclesiæ cedit. Si enim mirabilia quædam eius infantiæ prædicarentur opera, haberẽt hæretici vnde negarent verã in Christo carnem. Iam verò cum audiunt de Christo, quòd profecerit sapiẽtia & ætate coram Deo & hominibus, non habet quod contradicant, quoniam hæc omnia de vero homine, qui ex corpore & anima constat, dici possunt. Quod enim ad diuinam illius substantiam attinet, oĩa ab æterno nouit. Quod verò ad humanitatẽ assumptã attinet, corpore & animo profecit. Cùm enim in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, & habitu inuentus est vt homo. Quomodo porrò Christus in sapientia creuerit à multis multa disputantur, quæ nos indiscussa sinamus. Nostrum est etiam ad exemplum Christi crescere, sicut ætate ita & sapientia & gratia apud Deum & homines. Primò apud Deum, deinde apud homines, vt cum pilis & mentem mutemus. Malitia paruuli simus, sensibus autem senes. Ex primis herbis facile diuinare possumus qualis proueniet fructus. Sit porrò huius secundi capitis finis.

## CAPVT III.

*Anno autem quinto decimo imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius Tetrarcha Ituræ & Trachonitidis regionis, et Lysania Abylenes Tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna & Caipha, factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto.*

Quod hic D. Lucas tã superstitiosè administrationem prouinciarum Romani imperii, principes item Iudæorũ depingit, præter cætera, ad veritatem historiæ pertinet. Et in initio huius euãgelicæ enarrationis admonuimus, Lucam non citra rationem nos admonuisse, Iudaici regni vim, nato Christo, penes Romanos, gentiles ac idololatras fuisse, id quod etiam præsenti loco demonstrat. Sic enim iuxta veterẽ prophetiam factum oportuit, vt ablato de Iudæis sceptro, promissus nasceretur Messias. Cùm igitur iam penes Iudæos nulla esset imperii potestas, sed Romani idololatræ occupassent oĩa, cumq; iam etiam ipsum Iudæorum sacerdotium vagum esset ac mercenarium, cuius principatus tum erat penes duos insigniter impios, Annam & Caipham, factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filiũ in deserto, hoc est, dum ageret in desertis, nõ à seipso, sed à verbo Domini, à spiritu Dñi admonitus & iussus est, vt officio suo non deesset diutius. Quæ ad notitiam historiæ pertinẽt, hoc est, quomodo, & quãdo, & quare Romani sic diuiserint imperia, quoniam horũ cognitio ad pietatem parum facere visa est, nihil addere placuit. Animus enim gestit audire & videre quæ & quanta gesserit Ioannes in sua virili ætate, qui tam clarus fuerat in sua iuuenta. Audiemus itaq; Lucam.

*Et venit in omnẽ regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.*

Quis vel qualis fuerit habitus ac victus Ioanni Baptistæ, quoniã à Matthæo copiosius perscriptum est, Lucas silentio præterire voluit, contentus indicare quodnam fuerit illius officiũ, quamq;

quamque sedulò huic ille operam dederit. Tempus illius prædicationis audiuimus: audiuimus iam etiam locus. Venit, inquit Lucas de S. Baptista, in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitētiæ in remissionem peccatorum. Venit Ioannes, nō autem à semetipso venit, sed à verbo Domini iussus. Et venit in omnem regionem, quæ est circa Iordanem, quo paratior scilicet esset baptizandis aquæ copia. Et ibi prædicabat baptismū pœnitentiæ, in remissionem peccatorum. Duo agebat, prædicabat: & baptizabat. Prædicabat resipiscerent, animum in melius mutarent, alia tēpora alios mores postulare docebat. Quotquot autem peccata sua confitebantur, pœnitentiam se acturos promittentes, illos Ioannes in Iordanis baptizabat flumine. Et quotquot ex animo pœnitebat vitæ ante actæ, ac verbis Ioannis credebant, ipso item baptismo testabantur & pœnitentiam & fidē suam in futurum Messiam, quem Baptista prædicabat, remissionem accipiebant peccatorum, nō quidem ex Baptismo Ioannis, sed ex fide in Christum. Baptismus siquidem Ioannis, id quod Theophylactus etiam testatur, cooperabatur quidem in remissionem peccatorum, quæ remissio per baptismum Christi datur. Neque enim baptismus Ioannis remissionem peccatorum habebat, sed ad remissionem conferebat ac promouebat, hoc est, præparabat homines, vt acciperent baptismū Christi, qui habebat remissionem peccatorum. Quos enim Ioannes baptizauerat, eos Christi demum baptisma suscipere necessum fuit, vt eum iam in mundi redemptionem aduenisse, eo baptismate profiterentur, quem ad id venturum antè sperabant. Sed de baptismo Ioannis, in Matth. cap.iij. abundè diximus. Cæterùm quod ad prædicationem Ioannis attinet, Euangelistæ alij testantur ipsum his verbis vsum: Pœnitemini, appropinquat enim regnum cælorum: quæ verba etiam loco prædicto exposuimus. Quid autem pœnitentia sit, ex sequentibus gestis quæ nobis Lucas depinget intelligere poterimus. Sequitur autem ministerij Baptistæ commendatio ex vetere prophetia.

Theop. Luc.3

Vide August. de baptismo contra Donatist. li. 5 cap. 10

*Sicut scriptum est in libro sermonum Esaiæ prophetæ: Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aspera in vias planas, & videbit oīs caro salutare Dei.*

Esa. 40

Pulchra est hæc Esaiæ prophetia, cuius priorem partem in Matthæo & Marco exposuimus. Et in Euangelio Ioannis, ipse Baptista dicit (interrogatus enim quis esset, à Leuitis fuerat) Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domini, &c. Nos, quoniam omnia metaphorica sunt, paucis expediemus. Ioannes Baptista, iuxta Esaiæ vaticinium, debuit in locis desertis extollere vocem suam, & homines admonere, vt pararent viam Domini, huiusque semitas facerent rectas. Quod qui fieri possit, statim similitudinibus quibusdam exposuit. Omnis, inquit, vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, &c. Hoc est, Qui sublimes erant apud homines, opinione iustitiæ aut sapientiæ, deponēt superciliū, vt capaces sint iustitiæ ac sapientiæ diuinæ: qui velut idiotæ ac peccatores contempti iacebant apud homines, subitò per obedientiam euangelicam erigentur, ad consortium regni cælorum. Breuiter, ad Christi aduentum omninò rerum vices inuertentur, adeò vt qui antea desperauerant, bonam sint spem concepturi: è conuerso, qui sibi fidebant, porrò reijcientur: Qui prius habebantur sapientes, stulti

T fient:

fient: qui stulti, cœlesti sapientia donabuntur: qui prius idololatræ, fient cultores Dei viui: qui cultores Dei videbantur, reperientur fuisse idololatræ: qui prius iracundi, placidi fient ac benefici: qui prius seruiebant libidini, nūc amplectentur castimoniam: qui prius rapiebant aliena, nunc sua largientur. Hæc, vt diximus, Ioannes similitudinibus quibusdam, ac parabolicè locutus est: at Christ⁹ omnia plano sermone effabitur. Ioannes iuxta Esaiam dicit: Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur. Quid Christus? Qui se humiliat, exaltabitur, & qui se exaltat, humiliabitur. Pertinēt & aliæ sententiæ euangelicæ ad hunc locum, vt hæc, quam dixit Christus: Dico vobis, Multi venient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno Dei: filij aūt regni eijciētur foras. Item: Viri Niniuitæ surgēt in iudicio aduersus generationem istam, &c: Item: Dico vobis, quia meretrices & publicani præcedēt vos in regnum Dei, &c. His iam iunge historias euangelicas, quæ testantur sic omnia præter opinionem inuersa. An nō Petrus & Andreas piscatores præferuntur Annæ & Caiphæ? An non Matthæus & Zachæus publicani, multis præripiunt palmam? An non Magdalena famosa peccatrix sua pœnitentia multas præteruertit matronas? In Euangelio porrò Ioannis, Nicodemus magister in Israel, ac princeps Iudæorum, ah bone, quàm ad prædicationem Christi stupet ac desipit? Sic capite nono i cæcus natus Christo in publico doctissimorum collegio patrocinatur. Sed desino plura adijcere, quoniam ex iam dictis putamus metaphoram Ioannis patere. His itaque sic inuersis, & hominibus sic se ad meliora conuertentibus, videbit omnis caro salutare Dei, imò non solùm videbit, sed etiam sentiet salutare Dei. Solis enim pœnitentibus, siue illi fuerint Iudæi, siue Gentiles, proderit Christus: alijs autem, cuiuscunque tandem fuerint vel nominis vel conditionis, nisi pœnitentiam egerint, Christus non erit salutaris. Pœnitentia itaque via regia est, qua Deus ad nos, & nos ad illum venire possumus. Hanc etiam viam parare iubemur, atque rectas facere semitas Dei nostri, quod tum demum fit, quando abdicamus atque reijcimus omnia, quæ illi displicere nouimus, hoc enim aliàs solent facere homines, recepturi aliquem magni nominis virum: maximè autem diligenter omnia disponunt ac ordinant, si nonnulla lucri spes animos illorum titillauerit. Iam quis ille Dominus sit, cui viam parare iubemur, quidve ab illo sperare liceat, non opus est vt multis declarem: ita & ex abundanti fuerit longo verborum tractu ostendere quæ illi placeant, quæ illi displiceant. Ad sequentia itaque transimus.

*Dicebat ergo ad turbas quæ exibant vt baptizarentur ab ipso: Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira?*

Hi ad quos duræ increpationis & comminationis verba dirigebantur, maximè erant Pharisæi & Saducæi, quod ex Matthæi capite tertio cognoscere promptum est, vbi ait: Videns autem multos Pharisæorum & Saducæorum venientes ad baptismū suum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? Hos ergo durè increpat: simplices verò ad se venientes, volentes pœnitentiæ statum suscipere, factis operibus pœnitentia dignis, benignè excipiens Ioannes baptizabat. Et certè durum ad tam sanctos ac præstabiles viros videtur exordium, & satis inhumana salutatio: sed satis dulcis erit, simul ac cognoueris ex

quàm

quàm beneuolo illa profluxerit animo. Scopus profectò huius orationis fuit, arrogantes illos, & generis nobilitate frustra fidentes, metu diuini iudicij perterrefacere, atque ita ad resipiscentiam permouere: & ad hoc non parum conducebat, tanta sæueritate & obiurgandi vehementia exordiri, vt audientes maiorem scilicet opinione sua libertatem, maiorem etiam quàm appareret, obiurgantis suspicerent authoritatem. Nec ibi erat periculum ne Pharisæi & Saducæi, audientes se tam pessimè exceptos, cõtemnendo Baptistam, resilirent, quoniam spiritus ille qui in Ioanne loquebatur, facile eos cohibere potuit, qui etiam illos attraxerat, id quod Ioannes ipse significare videtur cum dicit: Quis vobis demonstrauit fugere à ventura ira? Sic certè in Euangelio Ioannis Christus loquitur: Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum. Et iterum: Omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me: videtur certe Ioannes hoc velle dicere. Quod iam ad me irruitis baptismum suscepturi, non à pestiferis parentibus vestris, nec à callida vestra prudentia habetis, sed à Deo benignissimo, qui mouit corda vestra, qui salubri terrore vos cogit ad pœnitentiam. Sic Diuus Ambrosius exponere voluit, quum dicit illis, Pharisæis nimirum ac Saducæis, Dei miseratione infusam prudentiam, vt gerant suorum pœnitentiam delictorum, futuri terrorem iudicij prouida deuotione metuentes. In Matthæo nostro etiam alio modo interpretati sumus, nimirum Pharisæos & Saducæos merito increpatos, qui externa quidem larua seipsos in pœnitentum ordinem statuissent, neque tamen veram peccatorum suorum displicentiam habuissent: vtrunque cum scriptura defenditur, & in neutro deest quod sanctè imiteris exemplum. Nemo enim ex animo pœnitet, nisi spiritu sancto admonitus, cum malus ille spiritus diuersum admonere soleat: Et manens impius in pristino statu, & mores suos & consuetudinem prauam non relinquens, nequaquam rite seipsum inter pœnitentes numerandum putat. Quocunque itaque illi tandem animo venerint, Ioannes Baptista veræ pœnitentiæ præco insurgens in ipsos inquit: genimina viperarum, quis vobis demonstrauit fugere à ventura ira? Solet enim sacra scriptura secundum stimulantes passiones, plerumque ferarum nomina hominibus imponere, interdum eos canes nominans causa procacitatis: equos, ob luxum: asinos, propter dementiam, & leones & pardos, causa rapacitatis & petulantiæ, aspides causa doli, serpentes causa calliditatis, viperas causa veneni, &c. Sic Pharisæorum ac Saducæorum filios nominat Baptista genimina viperarum, eò fortè respiciens, quod scribitur catulos viperarum, dum singulos mater singulis diebus edit, viginti editis, reliquos tarditatis impatientes, perrumpere latera, occisa parente, id quod etiam in Matthæo admonuimus. Sic dum gens illa de qua nobis præsens sermo, Prophetas Domini vsque persecuta fuit, atque occidit eos qui ipsos in fide genuerunt, parentibus & benefactoribus suis hoc retulit, quod catuli viperarum suis matribus. Sensus itaque est verborum Ioannis: Vos progenies estis viperarum, & ex eorum numero qui salutaria monentes occidunt, qui clauem scientiæ sibi iam pridem vendicarunt, & omnem iustitiam arrogarunt, vt neque doctore, neque resipiscentia sibi opus esse arbitrentur, quid vobis igitur accidit noui, quod & vos ad meum hoc baptisma venitis, quo, iam iam adfuturo Christo, eos tantum allego discipulos, qui

Ioan. 6.

Pli. lib. 10. c. 62.

qui peccatores, vt sunt, ita se quoque agnoscunt: Hæc quoniam magis imitatione, quàm interpretatione opus habēt, sic absoluta volumus. Sequitur.

*Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.*

Fructus pœnitentiæ, vt Theophylactus ait, non solum fuga mali, sed elaboratio boni est. Hoc enim re vera est proferre fructum pœnitentiæ, si bonum operati fuerimus. Et D. Gregorius ait, notandum esse quòd Baptista postulat, non tantùm fructus pœnitentiæ, sed dignos pœnitentiæ fructus, vt vnusquisque tanto maiora acquirat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quanto grauiora sibi intulit damna per culpam. Neque enim par boni operis fructus esse debet eius qui minus, & eius qui amplius deliquit. Inquit ergo Ioannes: Facite fructus dignos pœnitentiæ. Nondum mutata mens est, proinde si verè vos pœnitet superioris vitæ, sumite mores alios, & factis ipsis declarate vos esse correctos. Veram hic requirimus resipiscentiam, vera autem erit, si suos fructus protulerit, nimirum rerū præsentium contemptum, sui abnegationem, summam modestiam, ardénsque pietatis studium. Hi denique fructus sunt animi planè resipiscentis, & vitæ nouitatem serio meditantis. Alij interpretantur dignos pœnitentiæ fructus, cum ipsa pœnitentia æquabit delictum, aut quod perperam est commissum. Aequari autem pœnitentia posit, vt tantus esset dolor animi, quanta fuit ipsa delectatio commissi peccati & æqua futurorum cautela, sicut p[illegible]apsio in commisis. Dignè itaq; pœnitet, dignúsque dicitur pœnitentiæ fructus, cū ipsa dolendo æquatur ad crimen. Longè autem dignissimus est pœnitentiæ fructus, si virtutis amor, præualet amori quem quis habuit in ipso peccato, & delectatio bonitatis, delectationem nequā exuperat, & tantùm ad id quod nefas est odium degenerat, quanta extitit delectatio in his in quibus anima culpabiliter fuerat delectata. Huc certè videtur Apostolus respexisse, cum dicit: Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita & nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. (Rom. 6) Apertum est quid velit Paulus, vtinam etiā nobis acceptum esset, vtinā quod ipse admonet nos faceremus. Profectò non ad solos Iudæos pertinet, quod hic Ioannes de fructibus pœnitentiæ dicit, sed ad omnes quotquot nolunt suæ salutis esse contemptores. Sola enim pœnitentia est, quæ lapsos post baptismum Deo reconciliare possit. Hinc tam frequens in scripturis sacris ad pœnitentiam adhortatio, qua admonemur veterem ac sceleratam nostram odire vitam, Deum diligere, timere gehennam, regnum cœleste quærere, nouam ac innocētem meditari vitam, sine qua frustra omnia facimus. Dissimulat Deus, iuxta Prophetam, peccata nostra propter pœnitentiam, nec vult mortem peccatoris, sed multo magis vt conuertatur & viuat. Agnoscamus itaque peccatum nostrum, odiamus peccatum pristinum, timeamus peccatum futurum, non dubitantes quin gratiam inueniemus apud misericordem dominum: De pœnitentiæ partibus non est vt multis disputem. Vtinam verè pœniteat nos nostrorum scelerum, siue pœnitentia ex timore pœnæ, siue ex dilectione Dei oriatur: Et pœnitentia illa non sit fucata, non simulata, sed amara & ex intimis medullis cordis nostri promanans. De confessione & satisfactione suis locis dicemus.

*Et ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abrahā, Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.*

Iudæi iuxta carnalē propagationē sine

dubio Abrahæ filij erant, sed nihil illis proderit ab Abraham descendisse, nisi huius virtutis fuerint sectatores. Imò vanũ & turpe est extolli de bonis prædecessoribus, & deficere ab eorũ virtutibus, & turpe est alienis decorari virtutibus, quem virtus propria nõ venustat. Nemo igitur confidat in prædecessoris iustitia, si sibi dominatur iniquitas, nemo sibi de sanctitate alterius blandiatur, nisi & ipse velit se in virtutibus exercere. Quid dicim⁹ de meritis parentũ? Nec meritũ omne Christi, ac etiam totius sanctæ Ecclesiæ opẽ posset hominibus ferre, nisi ab iniquitatibus resipiscãt, & quantũ permittitur, dignos pœnitẽtiæ fructus agãt. Proinde S. Baptista non ignorãs quàm vana esset Iudæorũ de Abrahæ virtutibus præsumptio, audacter illos increpat, et quàm vana sit illorũ spes prænunciat. Nemo enim ignorat quantus fuerit in hoc negotio Iudæorum fastus. Semen Abrahæ sumus, inquiũt, Abraham pater noster est, &c. Dicit itaque Ioãnes: Nolite in cordibus vestris huiusmodi voluere cogitationes: Patrẽ habemus Abrahã, Nos sum⁹ filii Abrahæ, nobis promissa est hæreditas salutis, nõ deseret Dñs populũ suum: imò queadmodum vobis ad meliora resipiscentibus nihil officiet malorũ impietas, ita nihil profuerit Abrahæ progenitoris sanctitas, si vos perstiteritis in malitia pristina. Reijciemini, abdicabimini, funditus peribitis, nisi prorsus mutati, fruct⁹ attuleritis Euangelio dignos. Nec deerũt Abrahæ posteri sine vobis, nec deerit Deo suus populus à quo colatur, cui promissam hæreditatem præstet, etiãsi vos desciscatis ab eo. Hoc enim confirmo vobis, Deus potest vel de his lapidibus suscitare filios amico suo Abrahæ. Doctiss. ille Origenes scribit Baptistã hoc loco prophetare, hoc est, prædicere expulsionẽ prioris populi, & vocationẽ Gentiũ. Putat enim Ioannẽ lapidum nomine intellexisse Gẽtiles, qui

Iudæorum interitus

duro & verè lapideo corde adorarint idola lapidea, & in quibus impletũ est illud: Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Et nos igitur obsecrem⁹ Deũ, vt si quãdo fuimus lapides, hoc est, criminibus indurati, vertamur in filios Abrahæ, hoc est tales simus, vt digni habeamur promissione Dei.

*Iam securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructũ bonum excidetur & in ignem mittetur.*

Hæc quidẽ peculiariter ad Iudæorum populum dicta sunt, cui Baptista minari voluit excidium. Possunt tamẽ, imò etiam debent ad vniuersos homines transferri. Sicut enim ira Domini super impœnitentes Iudæos venit, ita & super impœnitẽtes Christianos ventura est. Nam & Christus apud Ioãnem dicit: Omnis palmes in me non ferens fructum, excidetur, & in ignem mittetur, & ardebit. Sic hoc in loco: Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excindetur & in ignem mittetur. Nihil mediũ est, nulla mora est: aut vera pietate properandũ est ad æternam salutem, aut nisi id fiat, irreparabiliter ac funditus pereundum. Ergo resipiscite, dum tempus habetis, & credite Christo quem prædico, is vnus poterit vos à malis quæ superuenient vestræ genti, eximere. Similitudinem hãc arboris etiam in sequentibus audiemus. Quos hic vocat bonos fructus bonæ arboris, supra vocauit dignos pœnitentiæ fructus. Fructicemus itaq; & nos, non simus steriles, sed simus fœcundæ arbores ferentes fructus perpetuos. Videmus securim arboris radici admotam, omne periculum in mora est, extemplò laborandum est. Videmus multas nouellas plantationes præter omnem opinionem arescere & perire, & tamen hactenus ociosi sumus. Imò non sumus ociosi nisi in bonis. Nam in malis præstabat ociosum esse, quàm

aliquid operari. Profecto comminatio hæc Baptistæ lusus non est, sed seria admonitio, & fraterna correptio, adeoque digna quæ cordibus nostris commendetur. Nihil addam. Timeo ne serò sapere incipiant Phryges. Sequitur:

*Et interrogabant eum turbæ dicentes: Quid ergo faciemus?*

Populus Iudæorum qui audiebat tam sæuam minacemque Ioannis orationem, territus est, & quomodo minas illius effugere posset, sollicitus. Baptistam rogat quid facto opus sit, vt iram Dei effugere possit? Quid ergo faciemus? inquiunt. Qui sunt fructus digni pœnitentiæ? Et si nobis nō proderit esse filios Abrahæ, quid faciendum aliud? Qua ratione licebit effugere securim incidentem? Qui sunt bonæ arboris boni fructus? Quid faciemus, ô sancte Ioannes Baptista, vt remissionem inueniamus nostrorum peccatorum? Signum est euidentissimum profectus verbi Dei, timor & compunctio audientium, quoniam statim se conferunt, vnde æterna possint præcauere pericula. Sic in Actis legimus Lucam de turbis dicere, qui Petri concionem audierant. His autem auditis, compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum & ad reliquos Apostolos: Quid faciem⁹, viri fratres? Petrus autem ad illos: Pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum spiritus sancti.

Act. 2.

*Respondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas, similiter faciat.*

Qui demonstrauerat periculum, nō grauatur etiam docere viam qua vitari possit periculum. Pœnitet, vult dicere, vos prioris vitæ? Cupitis resipiscere? Quæritis qua ratione possitis effugere venturam iram? Docebo: Vos modò quod iubeo non dedignemini facere. Qui habet duas tunicas, communicet non habenti, & qui habet escas, faciat similiter. Quid est hoc dicere? An qui alteram tunicam non habenti dederit, quique escas cum proximo diuiserit, omne pœnitentiæ pensum absoluisse dicitur? Facilis itaque erit pœnitētiæ via diuitibus & potentibus huius seculi. Quid igitur dicemus? Accipite veram & indubitatam huius loci interpretationem. Diuus Ioannes breuibus demonstrare voluit pœnitentiam nihil aliud esse, quàm eam mentis innouationem, vt velit vnusquisque, postquàm iam toto animo resipuit, quibuscunque vltrò omnibus bonis suis inseruire. Atque hic tunicæ & cibi nomine, victum & amictum, hoc est, omnem humanæ vitæ necessitatem complexus est. Nos Germani dicimus: Das einer hab vmb vnd an: ne quid omnino desit. vt sit sententia: Is verè pœnitet, qui inopiam fratris suam facit, fratris commodo perinde atque suo lætatur.

Esa. 58

D. Gregorius putat non præter rationem Ioannem de tunica potius dixisse, quàm de pallio: sed vt ostenderet ad dignos pœnitentiæ fructus pertinere, vt non solùm exteriora, & quibus aliquo modo carere possemus, sed etiam ea quæ nobis valde necessaria sunt cum proximis diuidere debeamus. Breuiter, Charitatis opera, dignissimi sunt pœnitentiæ fructus. Charitatis autem fructus est eleemosyna: ideoque ad præsentem locum pertinēt omnia illa, quæ in sacris scripturis sunt charitatis & eleemosynatum encomia. Charitas, inquit Petrus, operit multitudinem peccatorum. Et D. Ioannes Euangelista: Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suū necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo (er hat kein mitleyden mit ihm) quomodo charitas Dei manet in eo? Addit continenter: Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere &

1. Ioan. 3

& veritate. Huc etiam pertinet quod Daniel Nabuchodonosor regi dicebat: Quamobrem, rex, consilium meum tibi placeat, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum, forsitan ignoscet Deus delictis tuis. Intelligimus itaque iam, quam satisfactionem, quosque pœnitentiæ fructus Ioannes à confitentibus sibi quæsierit, nimirum beneficentiam in proximos: Quod vtinam & huius seculi confessores animaduerterent, plusque alienis, quàm priuatis studerent commodis. Neque enim caret suspicione auaritiæ, si aliis commendaueris egenos, te autem ipsum inter egenos præcipuum facis, &c. Sed audiamus quid aliis dictum sit.

Dan.4.

*Venerunt autem & Publicani, vt baptizarentur, & dixerunt ad illum: Magister, quid faciemus? At ille dixit: Nihil amplius quàm quod constitutum est vobis, faciatis.*

De publicanis quoniam frequens in Euangeliis habetur mentio, non præter rationem fuerit vel semel audire, qui aut quales fuerint. Sunt aūt publicani, qui à fisco aliquid conducūt, præcipuè autem vectigalia, quique vectigalia exigunt, & tales apud Romanos olim habiti sunt homines honestissimi & ornatissimi, vt eos M. Tullius in Oratione pro lege Manilia prædicat. Ideo autem Iudæis ordo publicanorum tantopere infamis fuit, quòd Romanorum apud eos vectigalia exercerent, cùm ipsi Iudæi putarent se liberos esse debere, nec quicquam debere gentibus idololatris, adde quod publicani vi, & rapina, & fraude non tardè peccarent in Iudæos, plus exigentes ab ipsis, quàm leges superiorum præscripserāt. Talis publicanus fuit Zachæus, qui quasi suspectus fraudis dicebat: Si quem defraudaui, reddo quadruplum. Quoniam & D. Ioannes, sicut audimus, à fraude, quasi à familiari illis peccato, præ cæteris dehortatus est, monens ne supra quàm constitutum esset, exigerent. Hi enim sic territi fuerant seuera Ioannis prædicatione, vt & ipsi venirent ad Ioannem, flagitantes doceri de salute sua, & pœnitentiæ signum baptismum suscipere, discere cupiētes quo pacto placare possent diuinam iram. Ioannes autem verus præcursor illius qui nullum quamlibet magnis peccatis inquinatum reiecturus erat, etiam publicanis placidè ac benignè respondet: Nihil amplius q̄ quod cōstitutum est vobis exigatis. Ac si diceret: Si nondum potestis vestra largiri, certè sit ille primus gradus ad meliorem vitam, vt abstineatis à rapiendis alienis: habetis salarium à Cæsare, præscriptū est quid debeatis exigere à populo. Ne quid ergo extorqueatis in vestrum vsum vel lucrum, vltra id quod præscriptū est. Obseruandum probè quod Baptista hic dicit. Non damnat exactiones principum, cùm fiscalem interdum exigunt pro communi vtilitate pecuniam. Et Magistratibus huius mundi expedit rē publicam in tranquillitate tueri, & pro euentuum varietate in prouisionibus & agendis fiscū regis aut ciuitatis semper decet esse refertum. Sed hi qui superioribus ab exactionibus sunt, non plus exigant quàm quod prima dictauit autoritas. Nec suo consilio suasit Baptista publicanis, à Reipub. actione recedere, sed ipsam exercere secundum iustitiam constitutam. Quod de publicanis dictum est, etiam de aliis publicis officiis intelligendum venit. Indiget enim mundus gubernatione principū, & constitutione legum, ne malorum improbitas insurgens, innocētibus perniciem machinetur. Iam quid vnus atque alter efficiet homo, siue ille fuerit Cæsar, siue Rex, nisi habuerit manus adiutrices, quarum ministerio vel probos defendat, vel improbos puniat? Ad hunc locum fortasis etiam pertinet quod de emptionibus ac venditionibus

Obseru.

nibus dici potest. Nimirum, Vendere, vel emere, siue mercaturam exercere, simpliciter non esse peccatum, modò iuxta leges ac præscripta superiorum hoc ipsum fiat, modò desit auaritiæ studium, modò charitas fraterna non exulet. Sed satis super hoc negotio. Accedant alij.

*Interrogabant autem eum & milites dicentes: Quid faciemus & nos? Et ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: sed contenti estote stipendijs vestris.*

Milites quoque veniunt post Publicanos ad Ioannem, quoniam & hos ceperat terror diuinæ vltionis, sic vt agnoscerent peccatum suum, & baptismum expeterent, rogarentque quibus modis placatiorem possint habere Deum. Vocat autem Lucas eos milites, qui vel principibus vel vrbib9 publicæ tranquillitatis tuendæ causa, suā pro constituto stipendio locant operam, ne quis putet sanguinarium hoc nebulonum genus, quod vltro citroq; cursitans castra sequitur, ad cædes, ad latrocinia natum, hic probari. Iam milites quorum consilio ac manu vtuntur principes, hoc potissimùm nomine male audiunt, quòd suis stipendiis nō contenti, falsò deferendo, vim faciēdo, in bona aliorum inhiant. Frequenter enim arma quæ princeps dedit ad defensionem publicæ trāquillitatis contra hostes, vertunt in ipsos ciues, & quibus publica salus defendi poterat & debuerat, his vlciscuntur iram priuatam: Prædantur itaque frequenter, incendunt, abigunt, vi constuprant fœminas, prærumpunt fores, exigunt & pulsant hospitem, id quoniā plærunq; faciunt impunè, credunt licere. Rursus alii falsò deferunt apud principes aut duces, innoxios: quò pars facultatum confiscatarum ad ipsos redeat, calumniæ præmium. Plærique, dum quod à Principe salarii nomine datur, scortis, alea, temulentiaque prodigunt, rapto furtisque rei iacturam sarciunt, & non solùm non resoluunt quod debent, sed vltro extorquēt quod nō debetur, &c. Huic igitur hominum generi Ioannes ostendit quid facere soleāt, & quid post hac vitare debeant, si velint effugere vindictam Dei. Ne quem, inquit, concutiatis, ne quem deferatis falsò lucri causa, sed estote contenti stipendiis vestris. Obseruandum hic, quòd bella gerere & militem agere non simpliciter malum est. Bellarunt enim sanctissimi quique homines tam noui quàm veteris testamenti, vt Abraham, Moyses, Iosua, Gedeon, & cæteri quos D. Paulus in Hebræis non frigidè cōmendat. Et in Nouo Testamento: nec Centurio in Euangeliis, nec Cornelius in Actis reprehenditur ob militiam. Milites enim publici ministri sunt, ob defensionem bonorum, & vindictam malorum ordinati, quemadmodum & de Publicanis diximus. Habet tamen bellum siue militia suas leges, quæ si non transgrediuntur, vituperari non potest bellum. Bellum hoc dico quod iusta de causa suscipitur, hoc est, si pro defensione publicæ trāquillitatis, si pro tuitione Christianæ religionis, si sic, vt vitari non possit, si per pios principes, si quàm minima iactura eorū qui bello causam non dederunt, si per duces coerceatur militum temeritas, &c. Errant ergo Catabaptistæ, qui simpliciter omnia bella damnant, quum hoc nomine sanctissimos homines dānent. Et iam olim in simili errore hæsit Faustus ille Manichæus, cui piè & catholicè à Diuo Augustino responsum est. Respondet autem Augustinus ex præsenti loco, inquiens: Si non liceret omninò bellare, Ioannes ad milites respon deret: Arma abiicite, militiam istam deserite, neminem percutite, neminem vulnerate, neminem prosternite. Sed quia sciebat eos cùm hæc militando facerent, non esse homicidas, sed ministros

Obser.

Contra Faust. li. 22. ca. 74.

nistros legis, & non vltores iniuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores, respondit eis: Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum. Audiat etiam Christum, hoc stipendii iubentem reddi cæsari, quod Ioãnes dicit debere sufficere militi. Reddite, inquit, quæ sunt cæsaris cæsari, & quæ Dei sunt, Deo. Ad hoc enim tributa præstantur, vt propter bella, necessariò militi stipendium præbeatur. Et Centurionis illius fidem laudauit, non illius militiæ desertionem imperauit. Sed de iustis quidẽ & iniustis bellis nunc disputare lõgum est, & non necessarium. Idem Augustinus in Iosue cap. viij. de bellis sic scribit: Iusta bella definiri solent quæ vlciscuntur iniurias: si qua gens, vel ciuitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit quod à suis improbè factum est, vel reddere quod per iniurias ablatum est. Sed etiam hoc genus belli, sine dubitatione iustum est, quod Deus imperat, apud quem non est iniquitas, & nouit quid cuique fieri debeat. In quo bello ductor exercitus, vel ipse populus, non ipse tam autor belli, quàm minister iudicandus est. Sed sinamus hæc. Latrones illos qui vnica pecunia & ocij libidine ducti, castra sequuntur, nemo bonus excusabit: neque enim milites sunt, sed latrones, homicidæ, & raptores sunt. Ioannes de his militibus loquitur, sicut admonuimus, qui ministri magistratus sunt, in hoc conducti, vt ipsa innocentia inter improbos tuta & defensa esse possit. Sequitur in hoc sententiã Ambrosij, qui alibi scribit: Non militare delictum est, sed propter prædam militare peccatum est.

Quæst. super Iosue. lib. 6. cap. 10

To. 2. ser. 7

*Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne forte ipse esset Christus, respondit Ioannes, dicens omnibus: Ego quidem aqua baptizo vos, veniet autem fortior me post me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calciamentorum eius: ipse vos baptizabit spiritu sancto & igne.*

Non solùm populus, sed etiam doctissimi in Hierusalem existimabant Ioannem verum esse Messiam: hinc honestam ab Hierosolymis legationẽ ad Baptistam mittunt, interrogantes quis nam ille sit, sicut ex Ioannis Euangelio nota est historia, qui scilicet fuerint legati, & qualis Baptistæ fuerit responsio. Multa autem illis præbuerũt causam vt tam magnificè de illo sentirent. Nouerant ex scripturarum collatione, iam instare tempus aduentus Messiæ, nouerant quot miracula in Ioannis cõceptione, natiuitate, & circuncisione peracta fuerant. Videbant sancti viri sanctissimam conuersationem, animaduertebant tenuitatem eius in vestitu ac victu. Iam his adde nouam baptismi cæremoniam, austeram eius prædicationem. His igitur visis, nihil aliud cogitarunt, nisi Ioannem esse Messiam. Et discipuli Ioannis, qui hunc tamen propius nosse debebant, errauerunt in magnitudine illius, ita vt Ioannes cogeretur ipsos ad Christũ mittere: quo, visis miraculis Christi, vter veri præstaret re ipsa perdiscerent. Tu igitur vide quis & qualis fuerit Ioannes, quem omnis populus sanctissimum, & iam multis retro seculis expectatum putauit Messiam. Sic vnusquisque quantum sibi permittitur, bonus sit virtutis amator, non vt de ipso bonitatis fama peruolitet, sed ne infamiam incurrat, omnino deuitet. Si verò fama virtutem excesserit, caueat ne super id quod est rapiatur. Nam & Ioãnes intra claustra humilitatis tenebat, cùm plus quàm esset crederetur: nec præsumebat rapere quod sibi imperitũ vulgus videbatur offerre. Si autem sopito virtutis nomine infamia quandoque tabesceret, constantia opus est, ne virtus elidatur in animo, quoniam neque fama bonos, nec infamia potuit facere criminosos. Et iustus

iustus iudex meritorumque librator, non secundum famam aut infamiam, sed secundum virtutem veritatis & vitę,hoies iudicabit.Sic & D.ille Baptista nec ob calumnias impiorum virtutis tramitem deseruit, nec ob laudatorum laudes quicquam præsumpsit, sed negauit se esse quod nõ erat,& quod erat manifestè expresßisq; verbis confessus est.Ego quidem vos baptizo aqua,inquit,veniet autem fortior me,post me, cuius non sum dignus soluere corrigiã calciamentorum eius. Ac si velit dicere: Vos æstimatis me ex rebus visibilibus,ex cibo,potu,vestitu,& baptismo, vel doctrina fideli ac solida, sed longè sunt efficaciora quæ nõ videntur.Ego quanquam aqua baptizo vos, tamen non remitto peccata,sed præparo vos efficaciori baptismo, quem accipietis ab eo,cuius aduentum vobis prædico. Tempore quidẽ maior sum ei, & prædicationis ordine prior,sed potentia & virtute,sanctitate & iustitia longè inferior.Is enim qui me sequitur, tanto me præstantior est,vt ego, quem magnum aliquem esse creditis, indignus sim qui soluam corrigiam calceamentorum eius.Et addit rationem ac causam. Ego, inquit, baptizo vos aqua, ipse vos baptizabit spiritu sancto & igni.Quis non hic videat magnum discrimen baptismi Ioannis & Baptismi Christi? Hic spiritum sanctum ac ignẽ habet:ille aquam. Baptismus Ioannis præparat ad remißionẽ peccatorum, sed hæc in baptismo Christi datur. In baptismo Ioannis Iordanis est, baptista Ioãnes est,homo pœnitẽs est.In baptismo Christi,vox patris auditur, Spiritus sanctus in specie columbæ visitur, homo innocens, & ab omnibus peccatorum maculis ablutus progreditur. Sed hæc omnia in baptismo Christi audiemus.Sequitur.

*Cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum,paleas autem comburet igne inextinguibili.*

Possunt hæc sic intelligi,vt sint etiã argumento quantum Christus præstet Ioanne.Hic enim nullam habet potestatem infideles & improbos puniendi, sed pater omne iudicium dedit filio, vt non solùm munificus sit dignis,sed etiam præuaricatiõis sit vltor. Proinde vnusquisque semetipsum examinet, & qualis sit,certò exploret,quoniã in magni iudicii die magna erit separatio,nec paleæ & triticum vno recondentur loco.Triticum in cœleste horreũ; paleæ in ignem inextinguibilem proiicientur.In præsenti quidem Ecclesiæ area triticum & paleæ,hoc est, pii & impii mixtim conuersantur:at tempore messis,tẽpore cõsummationis seculi, aliud videbimus,aliud perpetiemur,id quod non tantum hac Ioannis similitudine docemur.Nouimus enim quid Dñs aliis in locis dixerit, de piscibus bonis & malis,tritico & zizaniis,virginibus sapiẽtibus & stultis, ouib⁹ & hœdis,&c. quibus omnibus idem admonet Dñs, quod Ioannes hic admonere voluit. Nam qui sibi ad salutem sufficere putat Sacramentorũ Ecclesiæ susceptionem,hic profectò se seducit.Quid enim magni est aqua ablui, vel in Iordane, vel in Baptisterio? Magnũ quidem est in Baptismo peccatorum accipere remißionem,tamen si relaberis in pristinũ peccati cœnũ,nec pœnitẽtiæ dignis fructibus te rursum ablues, ventilabrũ Christi te horreo cœlesti expellet. Neq; enim ideo tibi peccata pristina remissa sunt,vt nouis te dedas peccatis, sed vt post hac innocenter viuas, voluptates hui⁹ seculi cõtẽnas, Satanæ ministerio teipsum nunq̃ dedas.Audis hic triticũ, audis paleas, audis horreũ, audis ignẽ. Triticũ in cœleste horreũ,paleæ in ignẽ pertinent. Paleæ quidem in area nonnihil prosunt tritico, & in multis cõmunicãt tritico: verũ nouißimè pereunt.

Et

Et in Ecclesiâ improbi probis, Dei beneficio prosunt: sed nullo improborũ emolumento, nisi & ipsi fiant boni. Quousque hic viuimus, necesse est vt vitam præsentis seculi, permixti, vt Gregorius loquitur, peragamus. Boni enim soli nusquam sunt, nisi in cælo, & mali soli nusquam sunt, nisi in inferno. Si ergo boni estis, quamdiu in hac vita subsistitis, æquanimiter malos tolerare debetis. Nam quisquis malos nõ tolerat, ipse sibi per intolerantiã suam testis est, quia bonus non est. Abel enim esse renuit, quem Cayn malitia non exercet. Sic in trituta areæ, grana sub paleis premuntur, sic flores inter spinas oriuntur, & rosa quæ redolet, crescit cum spina quæ pungit. Duos quippe filios habuit primus homo: vnus horum electus est, alter reprobus fuit. Tres filios Noe arca retinuit: sed duo ex his electi sunt, & vnus reprobus fuit. Duos Abraham filios habuit: sed vnus electus est, alter reprobus fuit. Duos filios Isaac habuit: sed vnus electus est, alter reprobus fuit. Duodecim filios habuit Iacob: sed ex his vnus per innocentiam venditus est, alij verò per malitiam venditores fratris fuerunt. Sic Apostoli non omnes mundi fuerunt. Septem denique sunt Diaconi ab Apostolis ordinati: sed sex in fide recta permanentibus, vnus extitit autor erroris. In hac ergo Ecclesia nec mali sine bonis, nec boni sine malis esse possunt. Quid malis faciẽdum? Bonorum exemplum imitentur. Quid bonis faciendum? Malos ad imitationem sui bona conuersatione inuitent. Sed satis digressi sumus. Obserua autem hic, quoniam vnus Christus habet ventilabrũ in manu sua, & ille vnus potestatem habet, triticum à paleis separare, vt in totum mundum sit triticum, quod quidem, vt diximus, in consummatione seculi tandem fiet. Interim tu caue derelinquas aream Domini propter leuitatem palearum, sed potius stude,

D. Gregor. Pôt. Hom. 38 in euan.

Obseru.

quantum quidem in te est, vt paleas in triticum conuertas. In Ecclesia nostra catholica, quæ area Domini est, paleæ sunt, mali homines sunt, abusus sunt, superstitiones sunt, hypocritæ sunt; at propter hæc non effugiẽdum est extra Ecclesiã. Noe propter malitiã Cham non deseruit arcam: nec Petrus ob Iudæ improbitatem deseruit Apostolatum. Quæ enim insania est propter impuritatem Papistarum, vt vocant, ad hæreses cõcedere, Ecclesiam abnegare? Si in Ecclesia nõ esset peccatum, quid opus foret remissione peccatorum? An quia vnus atque alter Sacrificus impurè viuit, totam Christi calumniaberis Ecclesiam? Noli cõtemnere rete euangelicum, propter malos pisces. In Ecclesia nostra maxima quidem visuntur scelera, at nihilominus vera ac euangelica seruatur doctrina. Scelera operibus pœnitentiæ oblitteranda sunt, at doctrina mordicus retinenda est, bonisque operibus vendicanda. Extra Ecclesiam porrò & impurissima scelera inuenies, & sanam doctrinã frustra quæres. Sufficerint hæc.

Contra hæreticos.

*Multa quidem & alia exhortans euangelizabat populo.*

Non dubium est, quin S. Baptista tam paucis verbis suã prædicationem non absoluerit: sed quæ Lucas descripsit, summa tantum est, & scopus totius prædicationis Ioannis, quæ in hoc tantùm instituta erat, vt populum vniuersum ad pœnitentiam atque vitæ innouationem prouocaret. Itaque ne quis existimet Ioannem nihil aliud dixisse, quàm quod supra auditum est, Lucas cauere voluit, inquiens S. Baptistam multa alia dixisse, dum exhortaretur populum, huicque euangelizaret Christum. Monstrauit, vt Origenes ait, Baptismũ spiritus sancti, prædicauit publicanis salutem, docuit milites disciplinam, aream purgari, succidi arbores, & cætera quæ euangelii narrat historia.

Exceptis

Exceptis ergo his quæ scripta sunt, etiam illa quæ scripta non sunt annunciasse monstratur, in eo quod dicitur: Multa quidem & alia exhortans annunciabat populo. Et quomodò in euangelio secundum Ioãnem de Christo refertur, quia multa & alia locutus est, quæ non sunt in isto libro scripta, &c. sic & in præsenti loco intellige, quod forsitan Lucas, quoniam maiora quædam à Ioanne annunciabantur, quàm vt literis deberent credi, noluerit ea nominatim dicere, sed tantùm significauerit quòd dicta sint: & idcirco dixisse: Multa quidem & alia exhortans euangelizabat populos: ex quibus certè liquet, Ioannem etiam alia, vt diximus, quæ scripta non sunt, populo prædicasse. Hæc ex sententia Origenis: Obseruandum itaque multa à Ioanne, ab Apostolis, à Christo denique dicta, facta & instituta fuisse, quæ in canonicis libris quidem non sunt, sed tamen successione quadam, & quasi per manus tradita, ad nos vsque peruenerunt. Hinc diuus ille Hieronymus dicit, Traditiones ecclesiasticas (præsertim quæ fidei non officiant) ita obseruandas, vt à maioribus traditæ sunt. Hæc ille. Porrò ne quis malàm hic vel superstitiosam velit prætendere traditionem: certò statuendum est, traditiones quæ Apostolorum nomine ad nos ferũtur, non debere vllo pacto ab illorum dictis vel factis dissentire: neque in aliquo gloriæ Dei, vel charitati proximi aduersari. Sed de traditionibus Ecclesiæ alibi.

Traditiones Ecclesiasticæ.

Hieron. ad Lucinium, To. 1.

*Herodes autem tetrarcha, cùm corriperetur ab illo de Herodiade vxore fratris sui, & de omnibus malis quæ fecit Herodes, adiecit & hæc super omnia, & inclusit Ioannem in carcerem.*

Sanctus ille Baptista compluribus sermonibus hactenus populum exhortatus est ad pœnitentiam vitæ prioris, & ad desiderium mox venturi Messiæ, periculo territans, præmiis excitans, ac læto nuntio salutis populares animos ad pietatis euangelicæ studium expergefaciens. Atque hanc loquendi libertatem, ob insignem viri sanctimoniam tulit turba promiscua, tulerunt publicani, tulerũt & milites, reprehensi morbum suum agnouerunt, territi quæsiere remedium. Verum non tulit Herodes, animo regio sibi licere volẽs, quicquid liberet. Amabat tamen Ioãnem, id quod ex aliis euãgelistis liquet, perspiciebat atque probabat raram vitæ integritatem, atque in multis obtemperabat Baptistæ consilio. Cæterùm in eo, in quo potissimum oportebat auscultare dictis illius, non solùm nõ obtemperauit, verum etiam bene monentem conieicit in carcerem, & ab exitio reuocantẽ, dedit exitio, sicut hoc ipsum Matthæus & Marcus scriptũ reliquerunt. Cùm enim Herodes palam domi haberet Herodiadem vxorem fratris sui Philippi, quam ille viuo præripuerat, vnà cum filia Philippi, vir sanctus non ferens tam incestas nuptias, in domo regia, vnde cõueniebat exemplum seruandarum legum potissimum proficisci, admonuit eum, vt abstineret à tam impio flagitio. Sed apud impium regem plus habuit momenti, puellæ saltatricis impia postulatio, & impiæ mulieris suggestus, quàm tam incorrupti viri salutaris admonitio, qua tantum abfuit vt emẽdaretur, vt superioribus flagitiis, facinus adiecerit omniũ impurissimum, Ioannem coniiciens in vincula, eò demũ progressus vesaniæ, vt amputatum innocentissimi viri caput, obscenæ saltationis præmium daret puellæ diffamatissimæ & pestilentissimæ. Hæc nimirum est merces & corona qua donãtur veritatis præcones, à perfido mundo: Et hic est genius impiorum principum, vt adulatoribus protectioni, viris autem integerrimis sint timori. Piorũ item Ecclesiastarum est non timere Sardanapalos aut Nerones

Vide Ioseph. li. 18. antiquitat. cap. 12. Et Eusebii li. 1. ecclesiasticæ historiæ.

rones illos, sed libenter pro nomine domini Iesu durissima quæque subire: Qualem animum vtinam nobis concedat ille, cuius nomine Baptista hæc perpessus est. Porrò quæ Lucas hic describit, non sunt facta eo ordine, quo scripta sunt, alioqui consequeretur quod ante baptismum Christi, Baptista fuisset inclusus, quum longe aliter res acta sit. Sed hac mentione historiæ illius, solum ostendere voluit Lucas, quàm seuerus fuerit concionator, Ioannes scilicet, vt nec Pharisæis, nec Saducæis, nec Publicanis, nec militibus, nec Regibus tandem in aliquo adblanditus fuerit. Nos iam ad baptismum Christi properamus.

*Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato atque orante, apertum est cælum, & descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum, & vox de cælo facta est. Tu es filius meus dilectus in te complacui mihi.*

Priusquam Dominus Iesus aggrederetur prædicandi negotium, quod erat intra breue tempus absoluturus, vt omnes numeros modestiæ iustitiæque impleret, non dedignatus est cum cæteris venire ad baptismum, non mundari volens, sed, vt Ambrosius ait, mundare aquas, vt aquæ scilicet ablutæ per carnem Christi, quæ peccatum non cognouit, baptismatis ius haberent. Venit, inquam, Christus baptizare, non vt ipse purificaretur, sed vt nobis æternæ salutis lauacrum suo baptismo consecraret. Et deiecit quidem ipse sese, sed Ioannis voce, ac patris cælestis testimonio clarissimo commendatus est palam omnibus, vt de facie quoque cognoscerent eum, de quo vaticinati fuerant prophetæ, de quo testificatus fuerat Ioannes baptista. Quum igitur baptizaretur ingens numerus promiscuæ multitudinis, & inter hos velut vnus è multis adueniens Christus, à Ioanne velut peccatis obnoxius baptismum flagitasset, recusauit Ioannes (hoc enim alij Euangelistæ testantur) agnoscebat enim authorem puritatis, à quo debuerat ipse potius baptizari. Hoc itaque primum à Ioanne testimonium, Iesu præsentis dignitati redditum est apud multitudinem: sed euidentiore signo pater discreuit filium suum à cæteris qui baptizabantur. Cæteris enim baptizatis nullum signum apparuit: Verum vbi baptizatus est Dominus Iesus, simulque deprecaretur, apertum est cælum, atque inde descendit spiritus sanctus, circumdatus visibili specie, specie nimirum columbæ. Descendit autem in sacrum verticem Domini Iesu, palam designans illum esse, quem pater affatim omnibus cælestibus donis vnxisset, quæ in omnes sibi fidentes, ac per baptismum corpori suo insitos, esset effusurus: Accessit huic paternæ vocis euidens testimonium, non iam per prophetas, non per Moysen, non per angelos prolatum, sed ab ipso patre prolatum: Vox enim è supernis, his verbis intonuit. Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi. Nulli profecto veterum sanctorum tale perhibitum est testimonium. Columba præcedens, designabat ad quem vox illa pertineret, ne quis suspicari posset Ioannem hoc elogio fuisse laudatum, de quo plerique tam magnificè sentiebant, vt eum crederent esse Messiam. Hæc pro historiæ veritate dicta sint. Iam quid patres illi veteres Orthodoxi sentiant, super hoc loco, audiemus. Ambrosius dicit in hæc verba: Vnus (scilicet Christus) mersit, sed lauit omnes. Vnus descendit, vt ascenderemus omnes: Vnus omnium peccata suscepit, vt in illo omnium peccata morerentur.

Quare Christo à Ioan. Baptista tus fuerit, vide August. contra Episco. Parme. li. 2. c. 19

Theophylactus omnia ad ædificationem nostri vertens, sic inquit aperitur, scilicet in baptismo Christi, cælum, vt monstretur nobis, quòd baptisma aperiat omnibus cælum; quod Adam clauserat. Descendit autem spiritus in Iesum, vt ex hoc discamus, quòd & in nos cum baptizamur, descendat spiritus, neque enim Dominus spiritu opus habebat, sed omnia propter nos facit, & primitiæ ipse fit omnium quæ nos sumus sumpturi post hac; vt fiat primogenitus in multis fratribus. In specie autem columbæ descendit, vt discamus quòd mansuetos nos esse oporteat ac mundos. Et sicut tempore Noë columba significauit quieuisse iram Dei, sic & hoc loco Spiritus sanctus conciliauit nos Deo, facto peccati diluuio: Et filius audit à patre vocem allatam, monstrans quòd & nobis qui baptizamur, adoptionem filiorum Dei largitus sit. Venerabilis ille Beda docet, quid sibi velit Christus orans, nimirum Christum hoc fecisse ad nostri informationem, quibus vt post lauacrum baptismatis, aula cælestis pandatur non ociose viuendum, sed ieiuniis, precibus atque eleemosynis est insistendum: Quia etsi peccata sunt omnia in baptismo laxata, non adhuc tamen est fragilitas humanæ carnis solidata. Nam quasi transito mari rubro necatos quidem gratulamur Aegyptios, sed in deserto mundanæ conuersationis hostes occurrunt alij, qui duce & cooperatrice Christi gratia, nostro sudore vincantur, donec ad promissam vitæ æternæ perueniamus patriam: Et hactenus quidem de baptismo Christi, qui baptismi quo Ecclesia vtitur vera fuit sanctificatio. Statueram quidem copiosiora hoc loci de baptismo nostro dicere, at nolim iam sterili terræ præciosum semen mandare, nec sanctum canibus dare. Quæ Ecclesia baptismo nostro addit tam firma sunt, vt frustra ab hæreticis impugnentur. Nec mirum est; quòd hæretici nostrum baptismum calumniantur, quum hactenus inter ipsos non conueniat quid baptismus sit, quid agat, quibusue ceremoniis celebrandus sit. Valeant igitur hæretici cum suo veneno, nos ad Lucam medicum nostrum reuertamur.

Aug. de fide & operibus cap. 11.

*Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, Vt putabatur filius Ioseph, qui fuit Heli: qui fuit Mathat, qui fuit Leui, qui fuit Melchi, qui fuit Iannæ, qui fuit Ioseph, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Hesli, qui fuit Naggæ, qui fuit Maath, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Ioseph, qui fuit Iudæ, qui fuit Ioanna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri, qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosan, qui fuit Helmadan, qui fuit Her, qui fuit Iesu, qui fuit Heliezer, qui fuit Iorim, qui fuit Mathat, qui fuit Leui, qui fuit Symeon, qui fuit Iuda, qui fuit Ioseph, qui fuit Iona, qui fuit Eliachim, qui fuit Melcha, qui fuit Menna, qui fuit Mathatha, qui fuit Nathan, qui fuit Dauid, qui fuit Iesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naasson, qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Esrom, qui fuit Phares, qui fuit Iudæ, qui fuit Iacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Tharæ, qui fuit Nachor, qui fuit Saruch, qui fuit Ragau qui fuit Phalech, qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit Chainan, qui fuit Arphaxat, qui fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech, qui fuit Mathusale, qui fuit Enoch, qui fuit Iareth, qui fuit Malaleel, qui fuit Chainan, qui fuit Enos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.*

Genealogia virgi. Mariæ Io.I.Da. habet.l. 4.ca.15.

Quæ

Quæ hic quidam de genealogiarũ varietate disputant, nos intacta prætereamus, quoniam difficultatem habent potius quàm vtilitatem. Neque enim plurimum refert, siue scias, siue ignores verum & certum ordinem patrum, ex quibus Christus secundũ carnem natus est: at multum & supra modum refert, vt & tu inter cognatos & affines Christi numeteris: inter illos, inquam, de quibus ipse alibi in hæc verba loquitur: Qui fecerit voluntatem patris mei qui in cælis est, hic meus frater, soror & mater est. Nec refert vnde tu prognatus sis, aut quales habueris progenitores, sed hoc quæritur, quomodo vixeris, quosve imitatus fueris. Certè in generatione Christi multi recensentur infames, & insigniter nequam, at hi nihil præiudicant Christo, qui ab omnibus peccatis immunis, in hunc mundum venit peccatores saluos facere. De Christi Genealogia suffecerit, ipsum natũ iuxta promissiones Dei, & iuxta Prophetarum vaticinia, nimirũ ex semine Abrahæ, & de familia Dauid, id quod vterque Euangelista, Matthæus scilicet & Lucas probare voluerunt. Et probauerũt quidem, non obstante quod diuersam viam ingressi fuerint. Sed ad ordinem. Cùm ipse Iesus circa trigesimum annum ageret, putabatur filius Ioseph, eius Ioseph nimirum, qui fuit verus maritus Mariæ, quique fuit filius Heli, cuius generatio ab Adam ad Abraham, ab Abraham ad Dauid deriuatur. Quid autem est, quod dicit: Et ipse Iesus erat quasi triginta annorum, & putabatur filius Ioseph? Sic se gessit Christus à duodecimo ætatis suæ anno, vt ab omnibus putaretur filius naturalis & legittimus Ioseph fabri: voluit enim priuilegium matris suæ aliquandiu occultari, quod cito prolatum nihil profuisset: magis siquidem dedisset suspicionem adulterij, quàm laudem virginitatis. Putabatur ergo Iosephi filius, etiamsi non erat. Sed pater cælestis testat⁹ est ipsum esse suum filium, nõ Iosephi fabri illius. Et in superioribus auditum est, quod Maria non ex commercio Iosephi, sed ex obumbratione Spiritus sancti conceperit, eundem partum, virgo existens, in mundum ediderit. Nec ita multò post ipse Christus & verbis & factis declarabit, cuius verus sit filius, quidve possit. Nec impossibile credas virginem cælesti opificio posse hominem generare, cùm credideris Adamum citra viri ac mulieris operam creatum fuisse. Postremò (ad finem enim huius capitis properamus) animaduertẽdum est, quod nos etiam sumus natura filij Adã, sed in ipso regenerationis lauacro, simus filii Dei, & hoc non natura, sed gratia & adoptione. Cauẽdum autem, ne rursum excidamus: Excidimus autem, quando vita & conuersatione nostra potius Adamum, quàm Christum referimus. Quomodo porrò referre Christum quis posset? Audi eundem: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Audi Paulum: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Et iterum: Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi. In quo igitur nobis imitandus venit? In eo quod nos docuit, quod nobis præscripsit. Neque enim filiis Dei otio vacandum venit, sed cum vitiis & cum Satana ipso luctandum, id quod Lucas nos exemplo Christi admonebit. Sequitur enim in quarto capite.

## CAPVT IIII.

*IESVS autem plenus spiritu sancto regressus est à Iordane, & agebatur in spiritu in deserto diebus quadraginta, & tentabatur à Diabolo.*

Hæc, baptizato Domino, confestim facta esse, Matthæus & Marcus designant: quorum vnus descripto baptismo eius, ita subiunxit: Tunc Iesus ductus est in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo. Alter ita: Et statim spiritus expulit eum in desertum, & erat ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Verùm ne cui veniret in dubium à quo eum spiritu ductum siue expulsum dicerent in desertum, cõsultè Lucas primo posuit, quia Iesus plenus spiritu sancto regressus est à Iordane, ac deinde intulit: & agebatur in spiritu in desertum. Desertum autem hoc proximè Iordanem est in Iudæa, ita vt Iesu ex Iordane regresso non lõgum iter foret conficiẽdum ad locum illum, vbi etiam Baptista Ioannes antea cõuersatus fuerat. Huius enim deserti meminit Christus, quando ad populum de Ioanne loquitur: Quid existis in desertum videre? &c. In hunc ergo eremum venit Iesus, & hoc ductu spiritus sancti: hoc est, spiritui sancto ita visum est, vt ingrederetur desertũ. Quã ob causam? Lucas dicit: Tẽtabatur à diabolo. Matthæus hanc causam ponit: Vt tẽtaretur à diabolo. A bono ergo spiritu ducitur, à malo verò tentatur. Quomodo aũt tentatus sit, statim audiemus. Sed quare tẽtatur? Non vt diuinitatis integritas probaretur: sed vt tentatoris confunderetur præsumptio. Tentatur, vt nobis suo exemplo ostenderet (Ambrosij verbis vtimur) diabolum ad meliora tendẽtibus inuidere. Hoc igitur cùm nouerimus, cauti simus, sobrij simus, ac vigilemus, ne quando nos rapiat aduersarius ille noster, qui tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Si enim nequã ille nõ dubitauit Christũ inuadere, quis sibi securitatẽ promittet? Dei filiũ tẽtat, & misellũ hoĩem nõ auderet aggredi? Sed nõ despõdeamus animũ: simus fortes & intrepidi. Caput nostrũ Christ⁹ communẽ hostẽ vicit, prostrauit, triumphauit, illi si fide & conuersatione sancta respondebimus, frustra nobis illudet Satanas. Obseruãda sunt hic quædam. Primum, quòd Christus non iuit in desertum, vt ieiunaret ac tẽtaretur, nisi prius actus à spiritu sancto, vt ostendat, nisi ieiunia & preces nostræ à bono spiritu proficiscuntur, omninò inania fore: & vt admoneat ne temerè nos exponamus periculo, id quod etiam D. Chrysostomus admonuit. Secundò quod hic Iesus plenus spiritu sancto prædicatur, etiam sanè intelligendum est, ne quis Apostolos, qui & ipsi in Actis legũtur repleti spiritu sancto, æquales putet Saluatori: Sed, vt Origenes ait, & Iesum & Apostolos, & alium quemlibet sanctorum, plenos spiritu sancto cognosce, secundum mensuram vasculi sui: & quomodo, verbi gratia, si volueris dicere: Hæc vasa plena sunt vino vel oleo, non statim iudicas quòd æquali mensura plena sint: quum in altero plus, in altero minus sit, omnia tamẽ plena: ita etiam de Christo pleno spiritu, & Paulo pleno intellige, quoniam vterque plenus, sed iuxta mensuram suam. Iam ad cõtextum reuertamur.

*Cyprianus.*

*Et nihil manducauit in diebus illis, et consummatis illis, esuriјt.*

Quod Matthæus ieiunare vocat, hoc ipsum Lucas non manducare vocat. Nihil, inquit, mãducauit Christus quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Sic fecit Moyses, sic Helias, queadmodũ hoc ipsum veteris instrumenti testatur historia. Et noluit quidẽ Christus ieiuniũ suũ extendere vltra tẽpus à Moyse & Helia obseruatũ, ne humanæ ipsius naturæ præiudicare videretur: sed ad exemplum illorũ ieiunauit, vt videretur nec legi nec prophetis contrarius esse. Ieiunauit item nobis in exemplũ, vt & nos post baptismum seculo abrenunciantes, ieiunemus, & corpus nostrum castigemus. Obserua autem

De Ecclesiæ ieiunio.

autem tu quid hoc loci sit ieiunare. Non tantùm sobriè viuere, quod Lutherani ieiunare dicunt: nec tantùm cibos variare aut commutare, quod alij nonnulli facere solent, sed nihil manducare, & esuriem pati: Sic ieiunauit Christus, & hoc quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Quid enim est magni, si tantùm delectis quibusdam cibis te ingurgitas, & sola carne abstines? Delectus quidem ciborum, si ritè & iuxta præscriptum Ecclesiæ fit, bonus est: Sed tamen oportet vt & ab aliis cibis abstineas: & quod corpori tuo denegas, pauperibus & mendicis eroges. Sic non suffecerit sobriè viuere, & crapulæ non inseruire, nisi & suo tempore omnibus cibis abstineas: Sobrietas omnium tempore obseruetur, at aliud est sobrium esse, aliud ieiunare. De ieiunante Christo audis Lucam sic dicere: Nihil manducauit in diebus illis. Et de Moyse legitur: Fuit cum Domino quadraginta diebus & quadraginta noctibus, panem non comedit, & aquam non bibit, &c. Nec est vt hîc impossibilitatem obijcias. Nemo enim iam te cogit, vt per totos xl. dies ac totidem noctes ieiunes: nam hoc tibi impossibile est, at possibile est, vt iuxta Ecclesiæ præscriptum ieiunes: De ciborum delectu, & de quadragesimali ieiunio alibi disseruimus.

*Dixit autem illi Diabolus: Si Filius Dei es, dic lapidi huic, vt panis fiat.*

Quali specie Satanas Christum aggressus fuerit, manifestum non est, neque tamen dubium est quin visibili specie ad ipsum venerit. Alibi dicit Christus: Videbam Satanam sicut fulgur cadentem de cælo: Et, iuxta Paulum, subinde se transfigurat in Angelum lucis: Et in Paradiso tentãs protoplastos nostros, proculdubio visibilis fuit: Tu vide porrò diaboli malitiam. Quanto quis maiori studio pietatem sectatur, tanto maioribus expositus est periculis & tentationibus grauioribus: Certè quod in Christo capite fit, hoc in hominibus mẽbris nõ deerit: Sed inuestigemus primo omniũ mentẽ Satanæ. De hoc an Satanas Christum nouerit, vel nõ nouerit hactenus non conuenit inter omnes. In Matthæo eã sumus secuti opinionem, qua putatur Satanam in dubio stetisse, incertúmque fuisse quid de Christo statueret. Audiuit enim proculdubio vocem de cælo apud Iordanẽ, quæ testabatur Christũ filium Dei: audiuit testimonium Ioannis, quo dicebat: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. At vidit Christum cõmuni hominũ more baptizari, videt ieiunare, animaduertit ipsum esurire: Cogitat itaque, tempus iam esse, vt virtuti & innocentiæ bellũ inferat. Sicut enim vitiis & malis nostris cupiditatibus delectatur Satanas, ita & virtutibus & pietate nostra cruciatur. Statuit ergo Christum aggredi, siue ille sit Filius Dei, siue alius quispiã sanctus. Putat enim se multas iam tẽtandi occasiones habere. In deserto enim est Christus, diu ieiunauit, esurit, nec est in ipso loco quod edat: Accedit itaque & dicit ad Christum: Si Filius Dei es, dic lapidi huic, vt panis fiat: Quousque, inquit, corpus tuũ maceras? Quousque ieiunas? Satis ieiunatum est, tempus est vt vel sero tandem venter curetur: Ede itaque, & post tam miseram famem, epulare ac lætare: Nec est vt causeris desertum, quasi scilicet non sit quod edi possit: Tibi non erit difficile vndecumque etiam cibos in promptu habere. Si Filius Dei es, id quod videri vis, & alij de te testantur, dic vel vnicum verbum, & vel ex lapidibus panes efficies. Vide actum Satanæ. Hypocrita adulatur Christo, & simulat se quasi condolere Christo, qui suam fœlicitatem non agnoscat: Quare hoc facit? Vt Christum ad miraculorum operationem ducat, & ieiunium eius soluat. Bene enim secum

actum putasset Satanas, si vel alterum extorsisset, vt vel suo suasu ex lapidibus panem fecisset, vel famem cibo sedasset. Sic peruersissimus nebulo & protoplastis adulat⁹ est, donec ad esum noxialis pomi eos perduxisset: Nouit satanas sua iacula. Gulam habet, qua plures prostrauit, quàm abstinentia vel ieiuniis prostrare potuisset. Gula vicit primum Adamum, at secundum Adamum nullo telorum genere vincere potuit: Sed audiamus Christi responsum.

*Et respondit ad illum Iesus: Scriptū est, Quia non in pane solo viuit homo, sed in omni verbo Dei.*

Propheta dixerat iam olim: Non est consilium, non est sapientia nec prudentia contra Dominum. Satanicus ille nequam, egregiè scilicet instituerat suam tentationem, vt scilicet non effugere posset Christus laqueos. Quid enim faceret Christus? Optionem habet, vt aut Filium dei se neget, aut ad voluntatem Satanæ ex lapidibus panes faciat: Si enim non velit, videtur non posse, quod si non potest, iam stultè sibi videtur Dei filius. Habes iam laqueum Satanæ, prudentissimi illius ac callidissimi serpentis: Iam vide quomodo Christus elabatur, sic tamen vt nec neget se Dei filium, nec faciat quicquam ad voluntatem Satanæ: Nihilominus manet & perpetuo est Dei filius, & posset vel ex nihilo creare panes, vt qui ex nihilo creauerat omnia: at aliter sese explicat, inquiens: Scriptum est, Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei. Sensus est: O Nebulo, ô callidissime serpens, sentis me esurire, & putas me tam impatientem esse famis, vt ad tollendam hanc nihil non tentem? Falleris nebulo. Fame non pateam, etiam si nec panem nec carnes habeam. Quis olim pauit illos in deserto, ad quos dictum est: Non in solo pane viuit homo, &c? Nunquid coactus est Deus, scilicet ad saturandos illos, ex lapidibus facere panes? Recordare manna, petram, & coturnices, qui hæc potuit esurientibus præstare ad saturitatem, nec mihi deerit: Nisi fortè putes Deo difficilè sustinere vnum per quadraginta dies, qui tot millia enutriuit per quadraginta annos. Hæc est via qua elapsus est Iesus, vt nequam intelligere potuerit suas strophas intellectas: Sic & tu noli ventris causa Satanæ voluntatem facere, quemadmodum iam multi Euangelici faciunt, qui scilicet propter vnicum ventrem, & Christum & sanctos, in Ecclesiam catholicam non solum contemnunt, sed etiam, quod magis impium est, calumniantur. Obijciunt nobis ex Apostolo illud. Regnum Dei nō est esca nec potus, quum tamen illi non aliter sese ingurgitent, atque in hoc pietatis summa & caput situm sit. Sed ad contextum.

In nouos Euangelicos.

*Et duxit illum diabolus in montem excelsum, & ostendit ei omnia regna orbis terræ, in momento temporis, & ait illi: Tibi dabo potestatem hanc vniuersam, & gloriam illorum, quia mihi tradita sunt, & cui volo do illa: Tu ergo procidens si adoraueris coram me, erunt tua omnia.*

Sicut in Matthæo nostro vitauimus curiosas quæstiones, vbi etiam has tētationes tractauimus, ita & iam faciemus, magis scilicet factū ipsum, quàm facti circunstantias inuestigando: Neque enim nos remorabitur diutius, quis ille altissimus mons fuerit, vel quomodo ex ipso videri potuerit regnū mūdi, & hoc ipsum in momēto temporis: Sed videamus quale tētationis hoc genus fuerit. Primū de quo tētatus fuit Iesus, Gulæ peccatū & diffidētiæ fuit: Alterū iā auaritiæ & ambitionis est. Ostendit enim Christo oīa regna mundi, & omnem gloriā eorū, nimirū vt sic alliceret illum

illum ad regnandi diuitiarumque cupiditatē. Dicit ergo Christo: Vides hæc omnia? Mea sunt, quoniam mihi tradita sunt, nec enim alienis abutor, sicque mea sunt, vt cuicunque voluerim, dem illa. Ergo si te delectat, si amas regnare, si cupis ditescere, facillimum fuerit hæc omnia tui iuris facere. Tu tantùm procidens adora me, & omnia hæc tua erūt. Audis superbiam Satanæ, quàm scilicet gloriosus sit, & quàm gloriosè mentiatur. Nusquam non cupit præferri Deo, vbique haberi Deus contendit. Et certè quamuis hic multa nectat mendacia, tamen ante Christi aduentum ferè per totum mundum idololatria sua regnabat, & ab hominibus colebatur vt Deus, atque adorabatur. Venit, inquit Christus, princeps mundi huius. Porrò aduenïente Christo, interitus illi imminebat, & iniquitas Satanæ traducenda ac palam triumphanda veniebat. Multis enim antea gloria, ambitione, atque auaritia imposuit, ita vt quicquid sibi placeret, facerent: At Christus hoc noluit. Noluit enim nobis ambitionis aut auaritiæ exemplum præbere, sed humilitatis ac paupertatis. Tu porrò vide ne respectu gloriæ aut diuitiarum idololatra fias, sicut scilicet illi faciunt, qui nihil intentatum relinquunt, modò ad honores & diuitias huius sęculi peruenire possint. Certè qui sic inhiant honoribus ac diuitiis, vt his plus fidant quàm Deo ipsi, verè sunt idololatræ, & diuitias ab ipso dæmone accipiunt, vt æterna tandem paupertate premantur: gloriam vanam hic acquirunt, vt perpetuò infames sint. Nolite itaque ô Christiani, propter honores aut diuitias huius seculi Satanæ inseruire; sed sitis contenti his quæ iusto titulo ad vos veniūt. Primùm quærite regnum Dei, & in cæteris non erit quod desideretis. Iunior fui, inquit Dauid, etenim senui, & nunquam vidi iustū derelictum, aut semen eius quærens panes;

Sed audiamus quibus verbis Christus à se repulerit Satanam.

*Et respondens Iesus, dixit illi: Scriptū est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.*

Poterat hic respondere Dominus: Tu pestilentissime nebulo, quid mihi polliceris quæ mea sunt? Qua fronte postulas, vt tibi accidam ad genua, cùm Deus sim qui te condidi, qui te superbientem cælo depuli, detecturus in tartara simulatque mihi videbitur? In hæc regna nihil habes iuris, nisi quātum tibi hactenus à me concessum est. Poterat hæc, inquam, atque alia eius generis Christus respondere Satanæ: sed non debuit doceri, qui corrigi non potuit: & humilitate vincendus erat, qui superbia vincere conabatur. Respondet ergo Christus: Scriptū est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Tu quum neque Dominus, neque Deus sis: neque adorandus es, neque tibi seruiēdum est. Deus enim non patitur gloriam suam transferri in alium, solus vult adorari, solus vult tanquam Dñs cæli & terræ ab hominibus coli. Frustra igitur petis à me adorari, quantumcunque tandem pollicearis. Hanc responsionem Christi sibi dictam putent, qui tenelli lucri causa, & corpus & animam diris deuouent, quique Deum & sanctos suos abiurant. Sequitur:

*Et duxit illum in Hierusalem, & statuit eum super pinnam templi, & dixit illi: Si filius Dei es, mitte te hinc deorsum. Scriptum est enim, quòd Angelis suis mandauit de te, vt conseruent te, & quia in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.*

Aduerte hic ô fidelis anima, qualem habeas antagonistam: nullus locus ipsi est tam sacrum sibi inaccessus: nulla bellandi tela sibi occulta. In deserto tentat, in montibus tentat, in ipsa sancta ciuitate super pinnam templi tentare non

erubescit, neque formidat. Si pauper es, habet vnde paupertatem tuam subleuet. Si diues & potens, habet vnde tuo magno cumulo superaddat. Si denique scripturarum cognitione superbis, non veretur & scripturis ipsis selectioribus tecum congredi. Christus allegauit: Non in solo pane viuit homo. Allegat: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Tu iam vide quid ausit Satanas. Ducit Christum super pinnaculum templi, quod fuit Hierosolymis, & persuadere conatur, vt ipse Christus semetipsum praecipitem det è summo templo: & vt tanto efficacior sit persuasio, addit scripturae autoritatem, ex optimo illo Dauidis psalmo. Et poterat quidem Christus illaeso corpore semet è pinnis deijcere, qui è caelo fuerat lapsus, & in caelum postea regressus. Sed tentatus, sed à Satana iussus, detrectauit facere. Poterat Christus sibi inde nomē suum facere illustrius: sed noluit quicquam facere ad praescriptum diaboli. Quod autem ad allegationem Scripturae attinet, Diabolus veram quidem scripturam allegat, sed non in loco, nec bono proposito, adde imprudenter. Scriptura enim haec ex psalmo adducta, non de Christo filio Dei, sed de alio quouis homine iusto intelligenda est. Angeli enim administratorij spiritus sunt, missi propter eos qui haereditatem capiunt salutis aeternae. Et psal. xxxvj. legitur: Apud Dñm gressus hoīs iusti, diriguntur, & viam eius volet, Cùm ceciderit non collidetur; quia Dominus supponit manum suam, &c. Hic apertis verbis, licet aliis; idē audim⁹ quod Satan ex alio psalmo adducit, nimirū à Domino gressus viri timētis Deum dirigi, & viam eius placere Domino, hoc est, benignè Deum aspirare coeptis eius, & si quando cadit in infortunium, non sterni tamen eum, neque succumbere infortunio, sed statim restitui, &c. Sic & Psalmo xc. canit Psaltes

Psal. 90. Heb. 1. Psal. 36.

Deum angelis praecepisse, vt custodiā agant hominis pij, ne fortè impingat pedem lapidi, neque quicquam mali ipsi accidat. Verùm vt dicere incepimus, Satanas scripturam hanc de filio Dei interpretatur, cùm is tamen huiusmodi custodia non opus habeat. Nec bono proposito ipsam scripturam allegat, sed vt huius praetextu Christo imponat. Vera quidem dicit, & quae adducit in psalmo scripta sunt (licet truncatim citentur) sed persuasum habebat se sic Christo posse persuadere, non vt hic Deo, de cuius custodia Psaltes dixit, fideret, sed vt ipsi, Satanae puto, obtemperaret. Imprudenter denique ac stultè Dei filio obijcit angelorum custodiam. Quomodo enim angelorum eget custodia, qui angelorum fuit creator? Obserua hic Satanae actum, qui scripturarum testimoniis Christū aggreditur, vt tibi post hac non videatur magnum, etiam si ipsius ministri sacris literis simplicibus imponere non frustra conantur. Audiamus Christi responsum.

Psal. 90. Obser.

*Et respondens Iesus, ait illi: Dictum est: Non tentabis Dominum Deū tuum.* Deut. 6.

Dominus Iesus Christus interim dissimulās se natura Dei filiū esse, tantum illud respōdit quod à quouis pio homine responderi posset; scripturāq; falsò citatam, alia scriptura rectè adducta, ceu clauū clauo retrudit. Scriptū est, inquit: Non tētabis Dñm Deum tuum: hoc est, non quaeras ad vanā gloriam diuinum auxilium, vbi suffecerit humanum: nec expectes à Deo miraculum, vbi natura vel ars non patitur defectum. Dei enim auxilium tum aderit, cùm te casus aliquis, aut religio pertraxerit in periculum, non cùm ipsius virtutem prouocaris ad ostentationem. Indignus est ope diuina, qui sine gloriae causa, semet vltrò conijcit in periculum. Neque piorum est hominum Deo praefinire, quando

quando, quibusve modis nos debeat è periculis eripere, quum certi simus, siue liberat, siue non liberat, hoc agi per illum quod nobis saluberrimum est. Nonnunquam fœlicius est ægrotare, quàm bene valere: mori, quàm viuere, affligi, quàm rebus secundis vti. Pietas est ab ipso simplici animo pendere: impium est humana curiositate tentare quid Deus possit. Potest enim omnia, sed non vult nisi optima. Sanè omnipotentiam eius ex operibus suis satis habemus cognitam, vt non sit necesse tẽtari ipsum quid possit. Voluntatem eius die noctuque experimur, quum plura nobis præstet beneficia, quàm ipsi intelligamus. Ex Iudæis veteris testamenti disce quàm pœnam mereatur Tentare Deum. In psalmo lxxvij. legimus: Et tẽtauerunt Deum in cordibus suis, vt peterent escas animabus suis, & dixerunt: Nunquid poterit nobis parare mensam in deserto? Nunquid & panem poterit dare, aut mensam parare populo suo? Et statim sequitur, quia opera Dei miro modo viderunt. Mãdauit nubibus, inquit Psaltes, desuper, & ianuas cæli aperuit. Et pluit illis manna ad manducandum, & panem cæli dedit eis. Panem angelorum manducauit homo: misit eis cibum in abundantia, & pluit illis sicut puluerem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata. Audisti tentatores Dei, & huius vides potentiam. Iam audi progressum. Abhorrebat Deus ab his Iudæis quoquo modo tentari, quoniam ipse illis multa mira præmiserat, & fecerat magnalia, etiam non quæsitus. Quid igitur illis tẽtatoribus fecit? Audi Psalmistam: Adhuc escæ erant in ore ipsorum, & ira Dei descendit super eos. Et occidit pingues eorũ, & electos Israel impediuit. Nec non & omnem illam multitudinem tentatorum de Aegypto egressam, in deserto, morte prostrauit, vt nullus terrã promissionis instraret, exceptis duobus Iosua & Caleph, qui nullo pacto Dominum in aliquo tentauerunt. Huc respexit Apostolus, dum inquit: Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt. Breuiter, Tentatur Dominus à nobis, quãdo præter omnem necessitatem illius experiri volumus omnipotentiam, Non opus est, nec vlla necessitas cogit, vt Christus se præcipitem det de pinna templi: quum recto gradu possit per gradus descendere. At pôst vbi à ciuibus suis tentatur, qui ipsum volebant de mõte præcipitare, tum se Dei potentia exerit. Sic etiam aliis exẽplis declarare possumus. Non in solo pane viuit homo: quoniam nõ præsente pane, alio modo nos alere potest Dñs. At dum panem habere possumus, non est vt de cœlo cibum expectemus. Dum Helias coruos habet ministros, non indiget hominum ministerio: at hoc præsente, nullus apparet coruus qui panem offerat. Hæc igitur habuimus pro responsione Christi. Sequitur:

Psal. 77.

1. Cor. 10

Luc. 4

*Et consummata omni tentatione, diabolus ab illo ad tempus recessit.*

Matthæus scribit quòd iussu Domini recesserit, nimirum intelligens fortiorem se inuenisse, qui iuxta psalmũ à se adductum, possit super aspidem & basiliscum ambulare, & leonem & draconem conculcare. Sed vide Lucæ verba. Consummata omni tentatione, inquit, diabolus recessit ab illo ad tempus. Non dicit Lucas, hac trina tentatione finita, sed omni tentatione. Quadraginta enim diebus tentatus est, id quod & Origenes animaduertit: sed quæ fuerint tentamenta, quibusue verborum circunstantiis facta sint, nescimus. Neque enim credimus Satanam vel tam pauca obiecisse, vel Christum non plura respondisse. Sed quæ hic notata sunt, summa est totius tẽtationis, quæ de his tribus criminibus facta est.

Hinc

Hinc Ambrosius dicit. Non dixisset scriptura omnem tentationem consummatam, nisi in primis præmissis esset omnium materia delictorum. Omne enim quod est in mundo, ait Ioannes, aut est cõcupiscentia oculorum, aut concupiscentia carnis, aut superbia vitæ, hoc est, Ambrosio interprete, carnis oblectatio, spes gloriæ, & auiditas potentiæ. His enim tentationibus tentare solet Satanas quoscunque tentare instituit. Quomodo porrò vincendus & repellendus sit, exemplo Domini nostri Iesu Christi disce. Ieiunat, orat, & sacræ scripturæ sententiis semetipsum defendit. Exemplis, & paucis quidem docebimus. Suggerit vt pecces, id est, vt suam facias voluntatem. Recusa, obiectis in os impudici Satanæ dictis diuinæ legis, dic ad exemplum Christi: Scriptum est, Declina à malo, & fac bonum. Si te sollicitat ad auaritiam, dic: Scriptum est, Habentes victum & amictum, his cõtenti simus. Solicitat ad superbiam: Responde ex Salomone, Quid superbis terra & cinis? Obiicit: Regnũ Dei non est esca nec potus. Tu regere: Si scandalizatur frater meus, non manducabo carnes in æternum. Breuiter, vbique succurrit & occurrit quod Satanæ obiicias, tu modò adferas animum amantem Dei, & osorem impietatis. Cesso iam. Ad sequentia properamus. Nam quod additum est: Reliquit Satanas Christum ad tempus, intellectu facillimum est, nimirum, Satanam subinde receptis viribus redintegrare bellum, & plerunque inopinos obruere.

Satan quibus armis vincẽdus

*Et regressus est Iesus in virtute spiritus in Galilæam, & fama exijt per vniuersam regionem de illo.*

Cuius virtute cesserat in desertum, illius regreditur in Galilæam. Omniũ autem optimus ductor est spiritus sanctus, quo etiam ductus est Christus, iuxta humanam naturam. Et quisquis in his quibus afficitur & quæ operatur alium sequitur ductorem præter ipsum, certè deuiat à recto. Formam enim prærogauit, in cuius virtute ad omnia feramur, cuius instinctu omnia operemur. Insinuat quidem se spiritus ille malignus, vt ad nutum suum vitam & mores nostros instituamus: at nostrum erit, hoc neglecto, sequi admonitiones spiritus sancti, quẽ Christus in lauacro regenerationis, vt Paulus ait, abundè in nos effudit. Et alibi ait: Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. Et rursum: Quicunque autem spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei: hoc est, qui à spiritu sancto illuminantur, qui spiritus sancti consilia sectantur, hi sunt filij Dei. Qui autem spiritu maligno, aut carnis concupiscentiis obtemperant, filij Dei nõ sunt, sed illis dicitur, quod à Christo Iudæis: Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis perficere, &c. Iam ad quæ agat spiritus ille nequam, paulò supra auditum est: & quomodo vincendus sit, iamiam dictum est. Sequamur itaque ad exemplum Christi, ductum sancti spiritus, vt & fama nostra, bona scilicet, exeat per vniuersam regionem. Nam sic loquitur Lucas: Regressus est Iesus in virtute spiritus in Galilæam, & fama exijt per vniuersam regionem de illo. Ad nos porrò dicit Christus: Sic luceat lux vestra corã hominibus, vt videant vestra bona opera, & glorificent patrem vestrũ qui in cælis est.

Rom. 8

Ioan. 8

Math. 5

*Et ipse docebat in synagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus.*

Hactenus de Christo auditum est, quomodo omnia ductu spiritus sancti fecerit, famaque eius per vniuersam Galilææ regionem exierit, quod ne quis miraretur, Lucas causam describit, nimirum Christũ in synagogis Iudæorũ docuisse, indeque magnificè laudatum

Obseruatio veterem cõsuetudinem. fuisse. Erat autem apud Iudæos consuetudo, vt frequenter, sed præcipuè in Sabbatis ac festis diebus conuenirent in templum aut in synagogas, vt otiũ quod illis indixit lex, à sordidis operibus ac profanis negotiis, non in aleam, scorta, compotationes, rixas, aliaque flagitia consumerent, sed in his quæ sunt pietatis collocarēt. Illic erat confabulatio, non de nugis humanis, sed de lege Domini, de venturo Messia, qui flagrantissimis votis à piis expectabatur: & quod quisque poterat, cõferebat in medium, cuiuscunq; status esset. Porrò qui præ se ferebat habere quod doceret populum, huic dabatur codex diuinæ legis: quicquid autē hic dicebatur aut gerebatur, non poterat esse clam, quòd eò promiscua multitudo conflueret. Sic in superioribus audiuimus Iesum agētem duodecimum annum, sedere in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Etiam agens annum ætatis tricesimum, Iesus volens suam doctrinam esse notam omnibus, perambulans Galilææ ciuitates, iuxta laudatam Iudæorum consuetudinem, ventitabat in synagogas eorum, vbiq; p[illegible]mens admirabilem illam & efficacem doctrinã regni cælestis. Nec deerant etiam apud Galilæos animi dociles, qui mirarentur nouum hoc doctrinæ genus, quiq; doctorem admirabilem suspicerēt ac laudibus veherent. Dicit enim Lucas: Et magnificabatur ab omnibus. Obser. Adhuc enim quasi blandus erat Christus, nec tam durus increpator: & populus ad fastidiũ iam audierat Pharisæos, Christum itaque laudant, Christũ sequuntur, Christus in omnium ore est. Sed mutabilis est & inconstans populi fauor, id quod non multò post audiem⁹.

*Et venit Nazareth, vbi erat nutritus, & intrauit secundum consuetudinem suam die Sabbathi in Synagogam, & surrexit legere: Et traditus est illi liber Esaiæ prophetæ. Et vt reuoluit librũ, inuenit locum vbi scriptum erat: Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum, dimittere cõfractos in remissionem: prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis.* Esa. 61

Iesus peragratis aliquot Galilææ vicis ac ciuitatibus, tandem venit Nazareth, vbi quoniam fuerat infans educatus, diuque vixerat cum parentib⁹ & cognatis, natus credebatur à multis, vnde & Nazaræus vulgo dictus est. Porrò ne & hi queri possent, quod patriam & propinquos suos fastidisset, venit huc quoq;, vt diximus, & ex more suo vadit in publicam synagogam. Quumque audisset alios de lege differentes, surrexit & ipse, hoc gestu significans, se quoque spiritu afflatum, habere quod loqui vellet apud multitudinem. Hunc docendi morem, ex institutione Pauli, olim habebant Corinthii, vt scilicet vicissim audirent & dicerent: & si fuerat alicui reuelatum aliquid dignũ cognitu, cedebat qui prior dixerat, & dabat locum successori, id quod in Corinthiis nostris olim ostendimus. Itaque cùm in synagoga surrexisset Christus ad legendum, datus est ei codex, idque tum ex more fiebat. Nec enim egebat Iesus codice, vt in quo erant omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi: sed tamen accepit, vt nobis studium sacræ lectionis commendaret. Et traditus est illi, non Thalmud, sed liber Esaiæ prophetæ, quo nemo clarius aut euidentius vaticinatus est de Christo, deq; doctrina euangelica. Et vt Christus reuoluit librum, obtulit sese locus qui clarissimè Christum prædicaret: hoc autem fortuitò factum non est, sed diuina sic ordinante prouidentia. Locus est apud Esaiam cap. lxi. & sic habet iuxta quod Lucas

illis scilicet, qui apud limbum captiui sedebant: & qui diaboli vinculis, ac peccatorum carceribus tenebantur inclusi. Iudæis primò, qui legis præuaricatione male subacti erant: Et gentibus, qui à diabolo captiuati, malè idolis seruiebant. De hac solutione siue liberatione apud Zachariam legitur: [Zach. 9] Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos de lacu in quo non est aqua. De alijs captiuis nusquam non dicit Scriptura. Hinc in euangelio Christus de forti armato, cui à fortiore ablata sunt arma & spolia. Et de muliere quadam in cap. xiij. [Luc. 13] huius, dicit Christus: Hanc filiam Abrahæ, quam alligauit Satanas ecce decem & octo annis, non oportuit solui à vinculo isto die sabbathi? Huc pertinet quod Apostolus dicit: Liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ. [Rom. 6] Et in Zachariæ cantico audiuimus: Benedictus Dominus Deus Israel, [Luc. 1] quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ. Et vt intelligeremus hanc redemptionem, addit: Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos. Et non ita multo post: Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati seruiamus illi, &c. Hanc captiuitatem qua tenebamur à Satana peccatorum nostrorum vinculis, non intelligentes Iudæi, à Christo audierunt: Si filius vos liberauerit, verè liberi estis. [Ioan. 8] Hic enim solus est qui potuit nos liberare, & nobis captiuis prædicare remissioné. Sequitur, sextò: Cæcis visum. Hoc sic exposuit Zacharias: Visitauit, inquiens, nos Oriens ex alto, [Luc. 1] Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viá pacis. Et Simeon attestatus est Christum fore Lumen ad reuelationem gentium. Ipse autem Christus: Ego sum, inquit, lux mundi, [Ioan. 8] Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Est enim Christus lux vera, quæ illuminat, lucta quod Ioannes testatur, omnem hominem venientem in hunc mundum, [Ioan. 1] Hinc Paulus Ephesijs dicit: Eratis enim aliquando tenebræ, nimirum antequam vos illuminaret Christus: nũc autem lux in Domino. [Eph. 5] Spiritualem hic volumus cæcitatem intelligi, qua homo non videt, quid bonum, quid malum, quid fugiat, quidve sequatur, qua homo peccatis occæcatum cor habet. Illuminatur autem homo, quando Dei gratia donatur, & quando in discipulatum Christi suscipitur. De hoc in Tito nostro fusius. Sequitur, septimò: Dimittere confractos in remissionem. Confracti dicuntur, qui in mundi huius voluptates impegerunt, & antequam à Deo illuminentur, de peccato in peccatum ruentes corruerunt, & omnibus membris ad bene operandum destituti sunt. Hinc in euangelio curantur paralytici, & manus aridas habentes, & muti & surdi. Cõfractus erat, cui à Domino dictum est: Fili confide, remittuntur tibi peccata tua. [Mat. 9] Et cui dictum est: Ecce iam sanus factus es, posthac ne amplius pecces. [Ioan. 5] Talibus cõfractis alibi dicit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. [Matt. 11] Octauò; prædicare annum Domini acceptum. Hoc est, prædicare atque annunciare verum annum iubilæum, quo gratis offertur libertas & salus ijs, qui se mansuetudine & credulitate præbent dociles ac sanabiles. Annum, inquam, illum, qui Deo acceptus est, qui Deo placuit, vt in eo [Eph. 1] restauraret omnia, siue quæ in cœlis, siue quæ in terris. Alios annos alij elegerunt, & sperauerunt, in quibus nasceretur Messias liberator noster, verus Iosue noster: At Deo aliud visum est, qui hunc annum, qui hoc tempus, qui hos dies elegit, vt in ipsis sibi totum genus hominum reconciliaret. Huc pertinet quod apostolus dicit: Ecce nunc tẽpus

2.Cor.6 acceptabile, ecce nunc dies salutis: Hoc anno vel hiis diebus non abutamur, sequitur enim, Christum etiam in hoc missum vt prædicaret nonô, Diē retributionis, diem nimirū iudicij, in quo redditurus est vnicuique iuxta facta sua, id quod Christus per semetipsum, & per discipulos suos sæpissimè admonuit. Neque enim ideo pauperes nos consolatus est, vt post hac diuitiis inhiaremus: nec contritos corde sanauit, vt tanto liberius post hac peccarent, nec captiuos nos liberauit, vt post hac libertatem hanc faciamus occasionem carnis, &c. sed vt hæc omnia in honorem Dei, & in proximi vertamus emolumentum, non ignorantes quàm horrendum & terribile futurum sit iudicium.

*Et cum plicuisset librum, reddidit ministro, & sedit. Et omnium in Synagoga oculi erant intendentes in eum.*

Christus postquam Prophetiæ verba legit, complicato libro, reddit ministro, & sedit, iam scilicet Doctoris personam sumens, explicaturus quod legerat. Nam quod stans legit, datum est authoritati diuinæ scripturæ, cui par est omnem humanam dignitatem assurgere. Cùm itaque Dominus Iesus sic, mirabili videlicet modo, scripturas explicaret, oculi omnium qui in Synagoga erant, in Iesum intendebant, nimirum admirantes vnde illi tanta sapientia, ac scientia tam insignis. Obserua hoc loci Christum scripturam interpretandam ex codice legisse, ne concionatores erubescant è libro sacro depromere certius, quod ex Dei verbo dicendum spiritus Christi suggesserit, potius quàm vt fidant memoriæ, & de ea gloriari in Ecclesia videantur. Sic & olim S. patres non erubuerunt scripturæ loca, quæ interpretanda erant, ex codice prælegere, id quod illorum testantur monumenta. Certè Diuus ille Augustinus, Ioannis Euangelium enarrans, è codice textum legebat, id quod ex Tracta. xxv. manifestum est, dum, inquit, Depositurus sum ego codicem istum, discessuri estis & vos vnusquisque ad sua: Quæ enim imprudentia est, quis fastus, quæ superstitio, bonam temporis partem perdere, vt memoriter dicas, quod citra piaculum è bibliorum libris legere possis? Nolumus hic quorundam ignauiæ patrocinari, sed quorundam superstitioni mederi. Dicam igitur quod res est, & dicam quod primus non dixerim. Quod si vsu veniat vt plura nomina sint recitanda, aut prolixior scripturæ locus citandus, & memoria vel natura, vel senio fuerit imbecillior, non est turpe concionatori de scheda pronunciare turbam nominum. Scripturæ verò prolixius testimonium plus habet ponderis ac fidei, si de scheda aut è codice recites, quàm si memoriter. Idem censeo de testimoniis doctorum celebrium, maximè si sit locus insignis, & animaduersione dignus. Sed cesso hic negotium hoc fusius prosequi. Mediocritas rerum regina. Obseruandum item quod non parua laus est Iudæorum, intentos fuisse in Iesum: quod vtinam facerent præsentis seculi homines, Video enim iam sic comparatum apud homines, vt centesimus quisque non attendat quid, sed quis & quomodo dicat, non intendendo in Iesum, cuius verba loqui conueniebat, sed in hominem: Qui ex Deo est, verbum Dei audit, à quocunque tandem & quomodocunque dicatur: Sequitur.

[Margin: Math.13 — E codice dicere aut concionari nō turpe sit. — August. — Obseru. quid sit intēdere in Iesum — Ioan.8]

*Cœpit autem dicere ad illos, quia hodie impleta est hec prophetia in auribus vestris. Et omnes testimonium illi*

*illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipsius, & dicebant: Nonne hic est filius Ioseph?*

Simulatque vidit Iesus omnium oculos in se vnum collectos ac defixos, cœpit illis dicere: Audistis Esaiam sancti spiritus afflatu vobis promittentem eximium quendam ac potentem doctorem, qui non humana quædam in medium adferat somnia, aut aniles deprædicet fabulas, sed qui sit à Deo vnctus, & ab eodem missus, vt pauperibus lætũ afferret nunciũ, &c. Hodie itaque, hoc est, hoc tempore, impleta est prophetia in auribus vestris. Neque enim hæc prophetia alij conuenit, quàm Messiæ, non Esaiæ. Hodie itaque in auribus vestris hæc prophetia impleta est, hodie Dominus promissis suis stetit, hodie pauperes lætum accipiunt nuncium, hodie vos Iudæi videtis & auditis, quæ multi reges & prophetæ voluerunt videre & audire, sed nec viderunt, nec audierunt. His verbis Christus modestè significabat se esse eum, de quo Prophetæ recitarat vaticinium. Et populus Christo testimonium dabat, hoc est, non poterat improbare sermonem illius: sed mirum in modum afficiebantur cœlesti illa doctrina, re ipsa sentientes, Christum sua doctrina multum dissimilem esse reliquis doctoribus. Et probabant quidem sermonem eius, & mirabantur, nec tamen de illo, vt conueniebat, sentire potuerunt. Erant enim inter hos, apud quos generis & familiæ humilitas, nonnihil minueret authoritatem doctrinæ cœlestis. Etenim quum omnes adhuc crederent illum esse filium Ioseph & Mariæ, nec esset ignota parentis vtriusque, & affinium, ac propinquorum tenuitas, vidissentque illum multis annis à pueritia nihil aliud didicisse, quàm artem patris (sic enim Marcus innuere videtur) nec vnquam triuisse scholas Pharisæorum & Legisperitorum, demirabantur vnde tanta cum authoritate facundia. Nondum enim intelligebant, quanto plus valeret vnctio spiritus, quàm Pharisæorum doctrina. Aestimantes igitur eum ex his quæ in eo nouerant, secundum carnem, dicebant: Nonne hic est ille filius Ioseph fabri? Non enim nouerant patrem cœlestem, qui per filium operabatur. Sic & Ioannes alibi refert, Iudæos audientes verba Christi dixisse: Quomodo hic literas scit, cùm non didicerit?

Luc.10. | Marc.6. | Nonne hic est faber? | Ioan.7

*Et ait illis: Vtique dicetis mihi hanc similitudinem: Medice cura teipsum: Quanta audiuimus à te facta in Capernaum, fac & hic in patria tua.*

Non latebat Dominum Iesum de se populi tumor, ideoque cogitationibus ipsorum facillimè respondere & obuiare poterat. In alijs ergo ciuitatibus plura miracula operatus fuerat Christus, in Nazareth autem pauciora, id quod Nazarenos latere non potuit. Mirantur itaque, quare apud alienos magis, quàm apud suos suam exerat potestatem: quum conueniat vt quis liberalior sit in suos, quàm in alienos. Et videntur hic Iudæi statim prodere suum ingenium, quod post, crescente fama Christi, à verbis ad facta, à factis ad verba prouocare solent. Audiemus enim prædicanti Christo Scribas & Pharisæos dicere: Quod signum ostendis nobis? Et: Volumus à te signum de cœlo videre. Signis autem infallibiliter perpetratis, apud Ioannem dicunt Christo: Si tu es Christus, dic nobis palam. Sed ad rem. Cùm Christus impiorum illorũ murmurationẽ certò cognouisset, statuit ipsorũ ora obstruere, & inquit:

Iudæorum malitia.

Vtique dicetis mihi hanc similitudinem, vtique hoc dicterij in me iacietis, quod vulgo dicitur: Medice cura te ipsum. Audiuimus te prodigiosa quædam patrasse in ciuitate Capharnaum, vbi peregrinus eras, nec vllos habes tibi sanguinis propinquitate coniunctos. Atqui conueniebat potissimum in tuos esse beneficum. Proinde si tibi virtus propria est & perpetua, quicquid apud Capharnaitas & alienos patrasti, patrato & hic apud tuos, in patria tua. Obserua quod non dicunt: Quanta scimus te fecisse, sed quanta audiuimus: vt sic ostendant se nonnihil dubitare, num verè ita vt prædicatur contigerit. Quapropter nisi Christus similia apud suos non faciet, videbitur aut nō velle, aut non posse. Quòd si nō vult, ingratus in patriā suam existit. Quòd si nō potest, Capharnaitas vt maleficus sua magia excæcauit, sic vt putarint certò fieri, quod fieri non potuit. Quid igitur ad impias illas cogitationes Christus?

*Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua.*

Bene respondit. Nullus enim quantumuis doctus ac benignus medicus mederi potest ægrotis, si pharmacum oblatum reijciant, ac fideli medico diffidant. Est autem hic affectus vulgarium hominum, vt medicum hoc pluris æstiment, quòd è longinqua regione venerit ignotus, & illic plus inuenit fiduciæ, vbi non aliis ex rebus æstimatur, quàm ex arte sua. At qui cum longam & diuturnam habuimus familiaritatem, quamcunque tandem profiteatur artem, & quàm peritus is sit, non curamus, sed perpetuò apud nos plus æstimatur peregrinus, quàm ciuis, ita vt etiam in prouerbiū cesserit: Omne rarum, charum. Et hoc in spiritualibus quidem fit, & secularibus. Quis iam non magis delectatur vestibus ac vasis peregrinis, quàm patrijs.

Breuiter: Peregrinam habemus fidem, peregrinis vestimur, peregrinis induimur, peregrina loquimur. Nec puto in hoc negotio stultiorem nationem inueniri sub cælo, atque Germani sunt. Germanis nouitas grata, vt qui semper varij ac mutabiles. Constantia apud nos nulla, sed leuitas maxima. Quur sic præcipitamus iudicium nostrum? Quur tam facilè credimus? Quur terminos à patribus nostris nobis præscriptos, tam temerè transgredimur? Vereor, vereor leuitatis nostræ olim demus pœnas. Sed audiamus Christum.

*Obserua germaniæ ingenuitatem.*

*Minor est infamia vero.*

*In veritate dico vobis: multæ viduæ erant in diebus Heliæ in Israel, quando clausum est cælum, annis tribus & mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra, & ad nullam illarum missus est Helias, nisi in Sarepta Sidonis, ad mulierem viduam.*

Historia quam Christus adducit, est Regum lib. iij. cap. xvij. & quoniam Ecclesiæ notissima est, ipsam non multis tractabimus. Sed quæris quam ob causam à Christo allegata fuerit? Quid sibi inde patrocinij aduersus Iudæos sperare potuerit? Quæstionis inter Christum & Iudæos hic scopus est. Num reprehensione dignus sit Christus, qui posthabitis suis, alienis benefecerit? Historia ergo de Helia & vidua planè arguit ipsum propheta, relictis Israelitis, mulieri ethnicæ benefecisse. Ergo vnde Helias laudatus est, inde Christus vituperari non meretur. Vult ergo Christus dicere: O conciues nihil noui est quòd magis beneficus sum in alienos, quàm in vos cōpatriotas meos: nam hoc ipsum & alij prophetæ sancti fecerunt. Sequor bonorum prophetarum exēplum. Illud enim pro certò confirmo vobis, ætate qua vixit Helias propheta, quum totos annos tres, ac menses sex non decidisset vlla pluuia, atque hinc sterilitas

rilitas terræ ingenti fame regiones illas occupasset, multas fuisse viduas in terra Israelitica; & tamen propheta fame periclitans ad nullam harum mittitur pascendus & pasturus, nisi ad viduam Sareptanam, in regionē Sidoniorum. Cur non potius missus est ad viduas Hierosolymitanas, vt illic augeret hydriam farinariam ac lechytum olei? vt apud harum aliquam ederet insigne miraculum, puero in vitam reuocato? Nimirum, quoniā apud Israelitas nulla erat quæ huius ethnicæ ac barbaræ synceram fiduciam æquaret. Rogata promptè dedit aquam: pollicenti non defecturam hydriam & lecythum, habuit fidem, parauit pultem, vt erat iussa. Apud Israelitas certè talem viduam non inuenisses, vtcunque sibi visi sint satis religiosi. Addit Christus & aliam historiam, quo idipsum probat, nimirum sanctos prophetas non cessasse à benefaciendo alienis.

*Et multi leprosi erant in Israel sub Helisæo propheta, & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.*

Si itaque Helisæo non exprobratur, quòd Naaman gentilem à lepra curarit, nullum autē leprosum Iudæum curarit, causam non habent cur Christum accusent Nazaræi, quòd tanta signa apud se non fecerit, quanta in Capharnaum fecerat. Historia nota est iiij. Reg. v. Obseruabis hic primum Christi consuetudinem, qua non illibenter se exemplo veterum prophetarum tutatur, vt quod illis vitio versum nō est, nec sibi vitio vertatur, &c. Sic alibi discipulis sabbato vellentibus spicas, eos excusat exemplo Dauidis, qui olim panes propositionis comederat, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, sed solis sacerdotibus. Et in Euangelio Ioannis accusatus blasphemiæ, quòd se vocarit filium Dei, obijcit & alios vocatos olim Deos, ad quos sermo Dei fuerat factus. Tu itaque etiam sic vitam moresque tuos institue, vt contra maleuolos te exemplo bonorum virorum defendere possis. Caue autem ne tibi magis arrideat Paulus Ecclesiæ persequutor, quàm Paulus Ecclesiæ propugnator. Addam. Si quando propter religiosè obseruatas Ecclesiæ constitutiones fueris ab impijs traductus, non egrè feras, sed solentur te tot sanctorum martyrum exempla, qui & ipsi non dubitarunt facere quod tu facis. Hæc ideo annotare volui, quoniam videmus hoc loco; imò & in alijs videbimus, Christum sese exemplo bonorum defendere. Sequitur in contextu.

Matt. 12. Luc. 6.

*Et repleti sunt omnes in synagoga ira, hec audientes. Et surrexerunt & eiecerunt illum extra ciuitatem, et duxerunt illum vsque ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum. Ipse autem transiens per medium illorum ibat.*

Non ignorabant Nazaræi quid sibi vellet Christus cum adductis historiis; nimirum quòd ipsis longè præferret extraneos, imò & ethnicos, quam contumeliam diutius ferre non poterant, ideoque aggrediuntur, quod hic à Luca describitur. Iudæa enim gens nusquam non ostentabat, verbis scilicet, suam pietatem, & in Deum huiusq; prophetas maximam reuerētiam, cùm res ipsa longè alia clamaret, id quod etiam à Christi apostolis alibi Iudæis obijcitur. Apostolus siquidem Paulus ad Thessalonicenses dicit: Iudæi & Dominum Iesum occiderunt, & prophetas, & nos persequuti sunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus aduersantur. Et Diuus Stephanus non sine capitis sui periculo exprobrabat Iudæis in hæc verba: Quem enim prophetarum non sunt persequuti patres vestri, ex his qui prius annunciabant de aduentu

iusti illius? Huc etiam pertinet quod Christus apud Matthaeum illis vitio fert, quod aedificarent magno sumptu monuméta prophetarum, in testimonium horum innocentiae, quum ipsi interim non cessarēt ab occisione sanctorum virorum. Et haec quidem vera erant, sed Iudaeorum auribus minimè placentia, vt qui magis studebant pij apparere, quàm pij esse. Sed ad contextum. Qui non ita longè antea Christum magnificabant, & huius praedicationes non satis admirari poterant, illi iam Christum ad supercilium montis ducūt, vt vi & impetu factis ipsum Dominum praecipitarent. Erant enim Nazaraei ex illis qui apud Prophetam prophetis occinunt: Loquimini nobis placentia. Facilè passi sunt Christū de temporibus Messiae disserere: erant enim haec ipsis exoptatissima. at corripientem sua ipsorum scelera, & traducentem Iudaeorum in sanctos viros ingratitudinem, non possunt aequanimiter ferre. Habet etiam nostrum seculum tam delicatas aures, quae satis quidem amant audire sermonem de Dei in peccatores misericordia, de Dei autem in impoenitentes vindicta disserentem non ita libenter audiunt. Breuiter, sic comparatum est, vt nemo nō sibi, quàm alteri melius velit. Clerus amat conciones in quibus traducantur laici, hi diuersum volunt. Quòd si verbi minister liberae fuerit linguae, & acerrimus insectator vitiorum, hoc certò sciat fore, quod hic in Christo videmus. Ad supercilium montis ducitur praecipitandus: at Iesus transiens per medium illorum ibat. Nondum enim venerat tempus quo nobis expediebat mori Iesum, qui moriturus venerat pro nobis, sed suo tempore, quod illi praefinierat pater, sed eo genere mortis quod delegerat: Non placebat praecipitium, sed altitudo crucis. Frustra itaque conatur Satanas vi suorum facere, quod ipse prius persuadere non

De auditorib. cōcionū

poterat. Siquidem ipse Satanas nihil aliud ausus est, quàm suadere praecipitationem. Nazaraei autem conglomerati, ciuem notū ac bene meritum pertrahunt ad praecipitium, & quantum in ipsis erat praecipitarunt. Ipsi quod potuerunt fecerunt. Christus autem quae voluit passus est. Obseruet hic fidelis Ecclesiastes, quàm nihil potuerint mali hoīes, aduersus Christum vera praedicantem: Sic & aduersus illum nihil poterunt viri mendaces, Domino ipsum conseruante. Caueant item auditores & discipuli, ne vera praedicantem abominētur, id quod iam Nazaraeis vitio vertitur. Admonet etiam praesens locus, vt tales sim⁹, quales videri volumus, & vt vocationi nostrae, iuxta quod decet, respondeamus, ne etiam à Domino gentes nobis qui Christiani dicimur, praeferantur. Transite ad insulas Cethim, ait Dominus apud Hieremiam, & videte, & in Cedar mittite & consyderate vehementer, & videte si factum est huiuscemodi, si mutauit gens deos suos, &c. Sed desino iam.

Hier. 2

*Et descendit in Capharnaum ciuitatem Galileae, ibiq; docebat eos sabbatis. Et stupebant in doctrina eius, quia in potestate erat sermo eius.*

Videmus hic Domini nostri Iesu clementiam, neque enim indignatione cōmotus, nec scelere offensus, nec iniuria violatus Iudaeam deserit, quin etiam immemor iniuriae, memor clementiae, nunc docendo, nunc sanādo, omnibus benefacere, & in bono malū vincere studet. Relicta enim superba Nazareth, Iesus descendit proficiscens ad ciuitatem Galilaeae Capharnaum, opulentam, & ideo perditam luxu, voluptatibus, ambitione, superbia, caeterisq; vitiis quae comitari solēt opulentiam: & hic igitur iuxta morem suum sabbatis veniebat in synagogas, ac docebat eos. Non enim tantùm apud illū

potuit

potuit Nazaræorum parricidalis impietas, vt offensus atroci crimine relinqueret Iudæorum regionē, & protinus euangelij munus ad gentes trāsferret: sed te præstitit quod pōst docuit suos discipulos, nimirum vt electi ex vna ciuitate profugerent in aliam, nō cogitantes de vindicta, sed de euangelio propagando, vt ejicientium malitia proficeret etiam ad celeritatem diuulgandæ professionis euangelicæ.

Caphatnaitæ autem vehementer admirati sunt doctrinam Iesu, quoniam longè dissimilis erat doctrinæ Pharisæorum, & solida, & autoritatis plena. Primum enim quæ docebat Iesus verissima erant, & à quæstu vel inani gloria alienissima, & proximè faciebant ad pietatem: ad hæc doctrinam eius vitæ singularis integritas commendabat, & verba eius ignita erāt, & ad ima cordis penetrantia: accedebat his omnibus miraculorum insolita virtus, quæ declarabat à Deo proficisci quod docebat, non ab humano spiritu. Obserua diligenter, quòd Christus sabbatis docet, vt & tu ferijs diebus ea tantùm agas, quæ ad animæ salutem spectant. Parum enim fuerit ab operibus manuum abstinere, nisi & à vitiis & malis operibus abstinueris. Et nihil proderit corpus requiescere, nisi & anima à prauis cupiditatibus tranquilla fuerit. Obserua item de solo Christo verè dici, quòd cum potestate doceat, quoniam hic solus potestatem habet, nos solum ministerium. Paulus plantat, Apollo rigat, à solo Deo incrementum expectandum venit. Sequitur doctrinæ Christi per miraculum confirmatio.

*Et in synagoga erat homo habens dæmonium immundum, & exclamauit voce magna dicens: Sine, quid nobis & tibi Iesu Nazarene? Venisti perdere nos? Scio te, quia sis sanctus Dei.*

Non somnolenter obseruandus est hic locus, vbi videmus in concione Christi dæmonem præsentem. Verè enim non abest malignus spiritus, vbi concio de diuinis instituitur: quoniam nouit quantum sibi damni inde oriri possit, nisi remotam iniiciat. Hinc est quod Christus in Euangelio dicit: Semen est verbum Dei: Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt, deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant. Sed ad propositum. In synagoga vbi Christus docebat, dæmoniacus homo erat, qui non ferens nouam virtutem Iesu, quæ se tacitè quoque proferebat, vociferari cœpit ingēti clamore: Eia quid tibi nobiscum rei est, Iesu Nazarene? Venisti perdere nos? Quasi dicat: Scimus quæ supplicia nos maneāt in extremo die, sed nunc tua præsentia nos ante tempus cruciat & torquet. Tu hic cogita dæmonis erga humanū genus inuidiam. Pœnam sibi putat, hominis liberationem. Matthæi viij. cap. dicūt: Venisti ante tempus perdere nos, nimirum ante tempus iudicij. (sic etiam Augustinus exponit) quo æterna dānatione puniendi sunt, cum omnibus etiam hominibus, qui eorum societate detinentur. Subitum enim illis fuit, quod futurum quidem, sed tardius opinabantur, siue perditionem suā hanc ipsam dicebant, qua fiebat vt cogniti spernerentur. Quod autem hic quidam disputant, an & quomodo dæmones Christum agnouerint, idem Augustinus breuissimis rem exposuit, dicens: Tantum eis, dæmonibus scilicet, innotuit, quantum voluit: tantum autē voluit, quantum oportuit. In Quæstionibus autem veteris & noui testam. quæst. lxvi. inquit: Dæmonia sciebant ipsum quidem esse, qui per legem fuerat promissus: omnia enim signa videbant in eo, quæ dixerant futura esse prophetæ, vt quod ex semine Dauid de virgine venturus esset redemptor Israel: mysterium autem diuinitatis

Luc. 8

De ciu. lib. 9. ca. 21.

In Ciui. li. 9. cap. 21.

eius ignorabant, &c. Sed ad finem huius historiæ.

*Et increpauit eum Iesus dicens: Obmutesce, & exi ab eo. Et cum proiecisset eum dæmonium in medium, exijt ab illo, nihilque illum nocuit.*

Non est speciosa laus in ore peccatoris, ait scriptura, quàm dedecorosum igitur est Christum à Satana laudari: Nec potest Christus ferre, vt quis ipsum vocet dominum, nisi etiam paratus sit facere quæ ille iusserit: Nec est eximia laus concionatoris, si ab improbis laudetur: Et ego malim meā doctrinam ab Hæreticis vituperari, quàm laudari: Increpat ergo Iesus Dæmonium, & silentium ei imponit, iubens miserum relinquat hominem. Facit igitur Dæmon non quantum vult, sed quantum permittitur: Vellet loqui, vellet longius hominem vexare, sed cogitur mutire & abire, sic vt homini nihil noceat: tanta est Christi potestas. Porrò quàre Christus non permiserit Dæmonium loqui, in Matthæo & Marco nostro ostendimus. Non debemus Diabolum audire, nec ei credere, etiamsi veritatem dixerit: Hostis & aduersarius noster est, & quidem acerrimus, quicquid facit, insidiæ sunt, laquei sunt, captiones sunt: Audiuimus in superioribus conflictū Satanæ cum Christo, in quo satis cognouimus, quid velit & quid possit. Fugite igitur ô Christiani illius consortium, nolo enim vos socios fieri Dæmoniorum. Fugite quicquid ab illo proficiscitur, nolite illius ambire auxiliū: Præstat cum Christo egere, quàm cū Diabolo abundare.

*Et factus est pauor in omnibus, & colloquebantur ad inuicē, dicentes: Quod est hoc verbum, quia in potestate & virtute, imperat immundis spiritibus, & exeunt. Et diuulgabatur fama de illo in omnem locum regionis.*

Capernaitæ tale miraculum nunq̄ antea viderant, vt scilicet quis vnico verbo tam pessimum expelleret hospitem: Solent enim hij qui conantur hominum corpora à spiritibus noxiis liberare, nihil non adhibere remedij, quò malum depellant; preces certis verbis conceptas, certas ceremonias, &c. & si quando discedit spiritus malignus, relinquit suæ malitiæ vestigia, vel auulso membro, vt Beda ait, vel relicto morbo incurabili: At Christus nullas adhibet ceremonias, nulla carmina ad exorcismū conficta, sed vnico verbo expellit bestiam, sic vt in homine liberato nulla remaneret læsio: Proinde populus admirabundus dicit: Quod est hoc verbum? Quid nam est hoc? Quæ doctrina hæc noua? In potestate & virtute imperat spiritibus immundis, & exeunt: quasi dicerent, alij longe plura adhibere solent, nec tamen semper voti compotes fiunt. Illius porrò iussis tanta inest vis & authoritas, vt mox velut agnoscentes potentiorem se, relinquant hominē immundi spiritus. Huius itaq; tam admirandi miraculi spectaculum effecit, vt Iesu fama non solum in ciuitate Capharnaum, verum etiam per vniuersam illam regionem diuulgaret hoc factum in Synagoga Iudæorum. Vtinam Christus ipse potens in opere & sermone expellat de cordibus nostris malignos illos spiritus, quorum instinctu ad impurissima quæque scelera propellimur.

*Surgens autem Iesus de Synagoga, introiuit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, & rogauerunt illum pro ea. Et stans super illam imperauit febri, & dimisit illam. Et continuò surgens ministrabat illis.*

Postquàm beatus Lucas virum à spiritu nequitiæ liberatum ante præmisit; substituit fœminæ sanitatem: Vtrumq; enim sexum Dominus curaturus aduenerat: Historia aperta est,

& quæ annotatione digna visa sunt in Matthæum & Marcum annotauimus. Manebat & diuertebat Christus apud discipulos honorans ipsos, & animosiores reddens. Post primam enim vocationem discipuli redierc ad sua, & suis bonis potius vsi sunt, quàm alienis. Deinde autem relictis omnibus secuti sunt Dominum, &c. Porrò historiæ filum relinquentes, paucissimis allegoriam illius facti contemplemur. Nihil enim hic fit, quod non commodè eo duci possit. Verè enim surrexit Iesus de synagoga, & intrauit in domum Petri, quãdo relicto Iudæorum populo, secessit ad ecclesiã Gentium; in qua Petrum vicarium, imò pastorem constituit, eiq; pascendas oues commisit. In domo Petri sunt infirmi multi & imbecilles, peccatorũ vulneribus saucij, pro his autem interpellatus Iesus non dedignatur ipsos curare. Habet enim Ecclesia salubrem peccatorum imò pœnitentium medicinam ad manum, Ecclesiæ sacramenta putamus. Curati autem à Christo, huic ministrent oportet, ne quid deterius ipsis contingat. Exhibeant ergo membra sua seruire iustitiæ in sanctificationem, vt antea exhibuerunt ea seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem. Transeamus ad alia. Ex hac historia videtur mos ille verè Christianus desumptus, quo fieri curamus orationes publicas in ecclesia pro ægrotantibus, & ne dum in ecclesia, sed & presbyteri ducuntur ad infirmos domi, qui pro ipsis, vna cum intercessione diuorũ, qui in regione nunc sunt viuentium, orant, & isti plerunque vel conualescunt, vel in domino moriuntur. Probatur & hic mos per sanctum Iacobum dicentem: Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent pro eo, & oratio fidei saluabit infirmum, &c. Admonet itẽ nos præsens historia, vt visitemus infirmos, atque ipsis compatiamur, eosq; pro

Iacob. 5

viribus iuuemus, si nihil eis cõferre possumus, saltem solemur eos, & Deum pro ipsis oremus, vti hoc loci pro Petri socru rogarunt Apostoli. Sed suffecerint hæc, ad contextũ progredimur.

*Cùm autem sol occidisset, omnes qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens, curabat eos.*

Verè occiderat iam sol, non lumen illud mundi, sed sol iustitiæ, & densissimæ in cordibus infidelium regnabant tenebræ, ita vt non animaduerterint quid facto opus foret, quid fugiendum, quidve sequẽdum foret. Si enim à sole iustitiæ in cordibus suis illuminati fuissent, magis curassent in anima curari, quàm in corpore. Sed ad filum historiæ quæ aperta & facilis est. Neq; enim miraculum est quod omnes malè habentes Christo offerunt, sed quod ab ipso omnes curantur, miraculũ est. Quis enim non adduceret Christo, si quos haberet infirmos cognatos vel affines? Christo, inquam, cui nullus morbus incurabilis, quique continuò & gratis curabat omnes. Habent autem episcopi & pastores hic exemplum, quo admonentur quanta sollicitudine debeant inuigilare ouibus Christi. Videmus enim Christũ nullo momento cessare à benefaciẽdo, aut enim prædicat, & animorum morbos tollit, aut corporum soluit ægritudines. Et hic est verus veri pastoris genius, si à bene docendo ad bene operandum descenderit.

*Exibant autem dæmonia à multis clamantia & dicentia: Quia tu es filius Dei. Et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.*

Nondum venerat tempus, quo Dominus palam omnibus esse voluit, se esse Messiam illum filium Dei: & si voluisset, noluit impuros spiritus suæ gloriæ præcones: vel quia nõ simplex, sed subdola erat illorum professio: vel

quia

quia periculum erat, ne si pondus habere cœpisset illorum testimonium in te tanta, in cæteris quoque fidem inuenirent, in quibus mendacio fallere gauderent. Etenim quum Satanas natura sit mendax, etiam si quando verum prædicat, non in aliud tamen hoc agit, nisi vt fallat. Et hanc artem Pseudapostoli ab illo didicerunt, qui pia impijs, qui vera falsis admiscent, veluti salubribus cibis venenum lætiferum addentes, quo plures & in errorem, & in perniciem pelliciant. De cognitione dæmoniorum de Christo, paulò supra quod potuimus diximus.

Orige. Hom. 16 in num.

*Facta autem die egressus, ibat in desertum locum, & turbæ requirebant eū, & venerunt vsque ad ipsum, & detinebant illum, ne discederet ab eis. Quibus ille dicebat: Et alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei: quia ideo missus sum: & erat prædicans in synagogis Galilee.*

Abijt Christus in desertū, vt etiam Marcus dicit, & orabat, non quòd ipse oratione indigeret, sed vt nobis bonæ operationis fieret forma. Abijt, inquam, Christus Iesus, qui non in hoc venerat, vt vni tantùm ciuitati prædicaret, sed cunctis totius mundi regionibus: ideoque à Nazareth, Capharnaum venit: & quum hic etiam miraculis editis, doctrinaque, salutari fecisset bonam sementem euangelij, diluculo, priusquàm iterum conuenisset multitudo, magis admirans & expetēs sanitatem corporum, quàm salutem animarum, relictà Capharnaum, secessit in desertum, veluti fugiens popularem turbam. Porrò cùm iam dies esset, confluxerat denuò magna vis promiscuæ multitudinis, ob pridie gestorum magnitudinem: & vbi iam cognouissent abesse Iesum, multi consequuti sunt illum, ac repertum conati sunt remorari, ne relinqueret ipsorum ciuitatem, sed illic sedem perpetuam sibi deligeret. At assumptæ carnis dispensatio aliud postulabat, nimirū vt subinde mutans locū, latius ac latius propagaret nouam adhuc & recentē euangelicam doctrinam. Respondit itaque, se non aspernari illorum hospitiū, sed se oportere etiā alijs ciuitatibus annunciare regnum Dei. Hac excusatione placatis Capharnaitis, Iesus perambulabat vicos & ciuitates Galilææ, prædicans iuxta morem suum in synagogis eorum. Cætera aperta sunt. Obseruandum hic primò, vt discamus exemplo Christi, non vni aut alteri tantùm benefacere, sed omnibus quotquot officio nostro opus habent. Quòd si hoc super facultatem nostram fuerit, tamē is sit vobis animus, qui de omnibus bene mereri velit. Obseruandum secundò, vt cum promiscua hac multitudine non facilè à nobis dimittamus Iesum, sed potius rogem⁹ vt perpetuam in nobis sibi paret mansionem: sed de hoc statim in sequentibus. Plus quidem fuerat Capharnaitarum affectus, sed beatiores sunt, qui Dominū Iesum non sinunt à sui pectoris domicilio discedere, qui parantem abire, precibus reuocant. Discipuli illi qui Emauntem peregrinabantur, cogebant Iesum, vt ad se diuerteret. Mane, inquiunt, nobiscum, quoniam aduesperascit, &c. Studeamus itaque Capharnaitis similiores esse, quàm Gerasenis aut Nazaretanis. Illi de ciuitate eijciunt Christum, hi verò difficile ipsum à se dimittunt. Sit ergo hic præsentis capitis finis. Sequitur

## CAPVT V.

*FACTVM est, cùm turbæ irruerent in Iesum, vt audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genezareth.*

Cùm

Cùm indies latius apud omnes increbresceret fama Iesu, tãtus erat hoim affluxus, vt iam non satis esset illum sui copiam facere in synagogis, in vicis, in oppidis, verùm etiam quocunque se subduceret Dominus, eò simul accurreret promiscua multitudo virorum ac mulierum. Plerosq; pellexerat amor sanitatis, nonnullos inuitabat miraculorum nouitas, permultos cœlestis doctrinæ ius attrahebat. Non eos deterrebat deserta vastitas, non montiũ laboriosus ascensus, non abarcebat eos pudor irrumpendi priuatam domum, si fortè se domi occultasset. Ventũ est denique ad stagnum, nec nauigare parantem poterant relinquere. Stagnum autem eo loci vbi versabatur tum Iesus, stagnũ Genezareth appellabatur, sicut alibi mare Galilææ, & mare Tyberiadis appellatum legimus. Historia nota est, & quæ hic dicuntur, non tam audienda quàm imitanda. Videmus enim hic quàm auidus sit Iudæorũ populus cœlestis doctrinæ, quàm sedulò sequatur, quàm inuitus ipsum Dominum relinquat. Idipsum cap. viij. huius audiemus: & multis alijs in locis. Primus certè gradus est ad sanitatem, agnoscere morbum: proximus, quærere medicum: tertius, obtemperare bene monenti. Sed videamus historiam.

*Et vidit duas naues stantes secus stagnum: piscatores autem descenderãt, & lauabant retia. Ascendens autẽ in vnam nauim quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere pusillum. Et sedens docebat turbas.*

Et hic nihil obscuri, omnia verò apertissima. Audisti populi ardorem ad Euangelij doctrinam: audi iam cælestis doctoris mititatem. Neque enim offenditur Christus tam improbo populi concursu: sed magis omnia sic parat, vt percipi & intelligi posit à populo. Nauim conscẽndit, non quamlibet, sed nauim Petri. Et naui pro cathedra vtitur, nimirum docens exemplo suo omnia nostra colloquia, quocunq; venerimus, semper esse debere ad ædificationem. Sedens, inquit, docebat: sic enim tum moris erat vt sedendo docerẽt doctores, id quod in multis Euãgelij locis patet: ne existimes itaque Christum aliquid noui fecisse, quando sedens docuit: cùm iam doctores plerunque stare soleant in ecclesijs. Vnicuique regioni suus mos est. Sedendo itaque Christus docebat, non seducebat, non inanes tractabat fabulas, sed docebat, instruebat, prædicabat, &c. Iam non vacat à mysterio, quòd Iesus neglecta altera naui, in solam Petri cõscendit nauiculam. Hoc enim significat, quòd extra nauiculam Petri, quæ est Ecclesia, non prædicat Christus, sed Satanas seducit & peruertit. In nauicula Iudæorum non est, nec est in nauicula idololatrarum, nec dignatur ad hæreticos conscendere, vtcunq; Christi iactent aquilas. In solam Petri nauim conscendit, vt diximus, & inde docet turbas. Qui ergo Christum prædicantem audire voluerit, is ne longius à Petri naui abeat, &c.

*Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete.*

Primum quærite regnum Dei, ait Christus, & iustitiam eius, & hæc omnia, nimirum quæ ad corporis sustentationem pertinent, adijcientur vobis, quod quàm verum sit, præsens historia abundè probat, Christus quærit regnum Dei, Euangelium Dei deprædicans, & populus prædicationi intendens, quærit regnum Dei, nec vllus hic est defectus. Ante concionem Petrus per totam noctem laborat, & frustra laborat. Finito autem sermone Christi, quid factum fuerit, statim audiemus.

diemus. Apud veteres nostros Christianos vulgò iactabatur id diuerbiū: Gots dienst versaumpt nit, Almusen geben, verderpt nit. Hoc quidam sic reddidit: Est mora quæ te non remoratur, tempora sacris Impēde officijs, & bene viue Deo. Est sumptus nihil abiumens, dare munus egenti: Cedent hinc rebus fœnera magna tuis. Habes itaque in hac mirabili historia, qua ratione vitam tuam instituas. Prima cura sit animæ, proxima corporis, fœlicissima autem cura est, si labore manuum tuarum sustentatus fueris. Addam & hoc. Finitis sacris concionibus, ne quæras œnopolia, non theatrum, sed ea quibus honestè viuere possis: nempe, quæ aduersus Domini præcepta non pugnant. In tuo, inquit Petrus, verbo laxabo rete: meum erit obsequium, tuus euentus. Et tuum est vt omnia iuxta Domini verbum instituas, non iuxta somnia tua, non iuxta concupiscentias carnis tuæ. Laua retia tua, quibus per noctem vsus es, sed nullo emolumento, & deinde ad verba Christi, ad lucem vitæ æternæ proijce retia tua, & frustra non laborabis. Retia tua immunda fuerāt: laborabas, sed non in bonum finem, non vt te tuosq; honesto labore aleres, sed vt luxui, aleæ, & compotationibus sufficere posses. Hæc intentio, hic finis impura reddit retia tua, infœlices facit labores tuos. Porrò simulatque laueris, simulatque fugeris quæ iam recitauimus, luxum puta, crapulam, &c. fœlicem rerum & laborum tuorum experiere successum. Sed procedamus.

*Et cùm hoc fecißent, concluserunt piscium multitudinem copiosam. Rumpebatur autem rete eorum, & annuerūt socijs qui erant in alia naui, vt venirent & adiuuarent eos. Et venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt penè mergerentur.*

Magna hic nobis describitur fides, magna obedientia Petri. Per totam noctem laborando nihil ceperat, nullus piscis sese obtulerat, frustra laboratum fuerat, tamen iussus remittere rete in mare, non detrectat, non recusat, non meminit frustranei laboris, non diffidit Christi verbis, & lætum vidit rerum suarum successum. Nam qui ne vllum quidem piscem per totam noctem ceperat, iam vnico tractu tantam capit multitudinem, vt & rete rumperetur, & implerent duas nauiculas. Tu ergo hic disce Dei verbis audacter fidere, & de eius bona voluntate non minus, quàm de eius omnipotentia dubitare, hoc est, vtrunque tibi persuasum habe, Deum & tibi bene velle, & bene facere posse. Vtrunq; scriptura canonica nobis abundè declarat. Disce item hoc loci charitatis fraternæ pulchrum exemplum. Petrus nouerat suos comites, nouerat quàm fidos haberet socios, nimirum qui tempore necessitatis pedem non referrent, sed accurrerent. Annuit itaq; eis vt se adiuuarent, veniunt, locant suam operam, etiam cum nonnullo periculo. Mergebantur enim penè naues. Vtinam tales socios haberemus. Quid prohibet & aliud subijcere? Considera quàm non ingrato facias, quicquid Christo facis. Petrus locat paruo tempore Christo nauim, vt hac pro cathedra vtatur: at Christus pro gratiarum actione duas dat naues piscibus plenas. Et tu itaque certus sis, non perire quicquid Dei nomine feceris.

*Quod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens: Exi à me, quia homo peccator sum. Stupor enim circundederat eum, & omnes qui cum illo erant, in captura piscium quam ceperant: Similiter & Iacobum & Ioannem filios Zebedæi, qui erant socij Simonis.*

Magna

Magna hic Petri deſcribitur humilitas, quæ non minus à nobis imitanda eſt quàm laudanda, non vt à nobis Saluatorem noſtrum abigamus, ſed vt infirmitates & peccata noſtra fateamur. Quanto enim ſubmiſsius egerimus, tanto maioribus dignabitur nos Deus donis. Alibi rogant Gadareni dominum, vt ab ipſorum diſcederet finibus, & male faciunt, quoniam maluerunt homines perire quàm porcos. At quod hic Petrus domino dicit: Exi à me, quia homo peccator ego ſum, culpandum non eſt. Non enim ex odio, ſed ex reuerentia loquitur, indignum ſe reputans qui cum tanto domino conuerſaretur. Simile habes, iiij. Reg. xvij. Vbi ait vidua Sareptana ad Heliam: Quid mihi & tibi vir Dei? ingreſſus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum? Ex ſubita enim hac piſcium captura conjecturam capiebat Petrus, qualem ſecum haberet dominum. Res quippe miraculo non carebat, tot capere piſces in eo loco, vbi paulo ante ne pinnula quidem capi potuit: Breuiter non aliter viſum eſt hoc negotium Petro, atq; ſi Chriſtus ipſe hos piſces de nouo creaſſet: Stupet ergo, admiratur, animo angitur, neſciens quo abeat, quóue recedat. Et quod accidit Petro, idem accidit ſociis ſuis, qui & ipſi ſtupent, & præ magna admiratione ſolliciti & anxij ſunt, ſibi nihil, Chriſto autem hunc fœlicem adſcribentes ſucceſſum. Hic Euangelicus prædicator habet exemplum in Petro quod imitetur. Quanquàm enim nauis eſſet ipſius Petri, quanquam ſuum rete iecerat, quanquam primus attraxerat, nihil tamen hic laudis ſibi vendicat, ſed ex magnitudine ſucceſſus factus eſt etiam modeſtior, accidit ad genua Ieſu, eiq; totam huius facti gloriam transcribit, ſe nihil aliud quàm peccatorem confitens, indignum etiam, qui diuinæ virtutis miniſter ſit & organum. Similiter itaque facere debet Euangelicus concionator, ſi quando fœliciter ſuccedit opera prædicationis. Hæc enim tametſi peragitur humanæ vocis & induſtriæ miniſterio, tamen ſumma laudis totius, vni Chriſto tribuenda eſt, cuius auſpiciis ſoluitur ad dicendũ lingua: cuius ſpiritus afflat dicentis pectus, cuius occulta vis attrahit animos auditorũ, &c. Sequit.

*Et ait ad Simonem Ieſus: Noli timere, ex hoc iam eris homines capiens. Et ſubductis ad terram nauibus, relictis omnibus, ſecuti ſunt eum.*

Non diſplicuit Chriſto Petri humilitas qua eum è naui cedere iubet, ideoque non increpat eum, quod in lotione pedum fit, ſed conſolatur ac amicè alloquitur, iubens eum nihil timere, ſed bono animo eſſe. Addit etiam magnificam promiſsionem dicens: Ex hoc iam eris homines capiens, ſcilicet, non iam implendo nauem piſcibus, ſed Eccleſiã Euangelicæ doctrinæ profeſſoribus. Porrò quod Dominus locutus eſt Petro, id omnes intellexerunt & ſibi dictũ eſſe. Mox itaq; ſubductis in terram nauibus, atq; inibi relictis omnibus, ſecuti ſunt Ieſum. Ob ſeruandũ autem diſcipulos Chriſti nõ hoc tempore ſic ſecutos dominum, vt nunquã ſint ad ſua reuerſi. Sed iam per aliquod tẽpus ſequuntur, & deinde ad ſuam piſcationẽ, & ad ſuas naues quas ad littus ſubduxerãt, reuertũtur: Tum aũt quod Matthæus & Marcus habẽt, factum eſt. Inuenit enim eos ſuper mare Galilææ, piſcantes & reficiẽtes retia ſua, & vocauit eos dicens: Venite poſt me, faciã vos fieri piſcatores hominũ. Et illi relictis retib⁹ & naui, ſecuti ſunt Dominũ, &c. Et hic ſunt piſcatores illi, quos iã olim Deus per Prophetã promiſerat dicens. Ecce ego mittam piſcatores multos, & piſcabuntur eos. Mitte & nobis ô Domine tuos piſcatores;

Hier. 16.

piscatores qui nos ad vitam æternam capiant, non qui nos diaboli laqueis inuoluant: qui nos in nauicula tua conferuent, non qui nos ad diuersa hæreticorum diuerticula diducant: Volumus vt Petrus rete suo nos verterur, abhorremus ab pestifero Hæreticorum hamo, &c.

In Hæreticos concionatores.

*Et factum est cum esset in vna ciuitatum, & ecce vir plenus lepra, & videns Iesum, & procidens in faciem suam rogauit eum dicens: Domine si vis, potes me mundare.*

Expressis quidem verbis Lucas testatur virum hunc fuisse plenum lepra, at obscure significat, illum etiam fuisse plenum in Deum fide, corpore scilicet immundum, sed spiritu purum: Quantam enim de Christo spem & fiduciam habuerit, ipsa verba & ipsi gestus demonstrant, si modo in vnum contuleris, quæ singuli Euangelistæ de illo leproso scribunt. Matthæus ait: Ecce leprosus veniens, adorabat eum dicens. Marcus verò: Venit leprosus deprecans eum, & genu flexo dicit, Si vis, potes me mundare. Lucas portò sic habet: Vir plenus lepra, videns Iesum, procidens in faciem suam, rogauit eum dicens, Domine si vis, potes me mundare, &c. Ergo flectit genua, procidit in faciem, & adorat, & deprecatur Iesum, quæ omnia testantur quàm magni apud ipsum fuerit Iesus: Adde quod non dubitat de potestate, sed de voluntate. Certus enim est & persuasum habet, Christi potestatem eo extendi vt possit leprosum curare, verùm an velit se curare ignorat. Ipsius itaque voluntati permittit sanationem, vt qui nihil contra illam petere audeat, velut agnoscens propter peccata se meritò morbum adeo fœdum gestare: Inquit ergo leprosus, Domine si vis potes me mundare. Domine, inquit, scio malum meum esse immedicabile, & fortasse non sum dignus tuo beneficio, sed tamen illud habeo persuasum, posse te mundare me, si velis. Habes meam de tua potentia fiduciam, superest vt tua bonitas iudicet, vtrum hunc calamitosum hominem dignari velit sua misericordia. Leprosus autem ille, vt Ambrosius adnotauit, de voluntate domini, non quasi pietatis incredulus, dubitauit, sed quasi colluuionis suæ conscius, non præsumpsit. Admonet idem Doctor nos, vt cum Leproso in faciem nostram procidamus, hoc est, vt ex conspectu peccatorum nostrorum pudore suffundamur, sic tamen vt medico morbum occultare non velimus. Si enim confiteamur peccata nostra, ait Ioãnes, fidelis est Deus & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate, &c.

1. Ioan. 1.

*Et extendens manum tetigit eum dicens: Volo, mundare. Et confestim lepra discessit ab illo.*

Eo sanitatis genere sanat, quo rogatus à leproso fuerat. Ille dixerat: Si vis, potes me mundare: Christus itaque ait: Volo, Mundus esto: Non dubitasti credere, non tardo sanare: Credis me posse, sentias te non falso credidisse. Quòd autem Christus manum suam extendens tangit leprosum, non ideo facit quasi aliter sanare non potuerit, & tamen citra pregnantem causam non fecit. Prima causa potest hæc esse, vt ipsius exẽplo disceremus, etiã manus nostras extendere ad pauperes, sicut in Sapiente scriptum legimus de muliere forti: Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. Et iterum: Non sit manus tua porrecta ad accipiendum, & contracta ad dandum, &c. Alia causa est, quod sic declarare voluerit, etiam suam humanitatem esse & veram, & curatricem, ac medicam.

Prou. 31.

Tertiam

Tertiã causam Chrysostomus & Ambrosius adferunt, scilicet, quod hoc tactu voluerit demonstrare, & se supra legem esse, & à lepra non posse coinquinari. Certè Helisæus non fuisset ausus Naaman leprosum manibus attrectare, quod hic fecit Christus. Ille enim sub lege fuit, hic autem dominus legis.

*Et ipse præcepit illi, vt nemini diceret: sed vade ostende te sacerdoti, & offer pro emundatione tua, sicut præcepit Moyses in testimonium illis.*

Tria hic præcipiuntur leproso à Christo, neque enim post acceptũ beneficium compressis, quod aiunt, manibus in sinu sedendum est, sed gratificari debemus illis qui nobis bene fecerunt. Primò ergo præcipitur leproso, ne hoc miraculi palam faciat. Quare hic prohibet Christus, ne cui quidpiam dicat sanatus? Nouerat certè hũc non taciturum. Imò nec quod factũ erat posse latere, tum quòd sanatus erat venturus in conspectum hominum, tum quòd ipsi eundum fuerat pro emundatione sui ad sacerdotẽ. Respondemus id quod veteres, Dominum exemplum dedisse nobis ad fugiendã gloriam omnem, præter Dei gloriam, vtpote quæ est vnicè & quærẽda & promouenda nobis. Certè voluit Christ⁹ vt ab ipso sanati, referrent gratiam, & prædicarent gloriam Dei, id quod ca. viij. & xvij. sequẽtibus audiemus. Semper tamen sic moderatur sua verba, vt appareat se magis Dei patris, quàm suam gloriam quærere. Sic discipulis Ioannis dicit: Ite & renunciate quæ audistis & vidistis, &c. Non dicit, quæ à me fieri audistis & vidistis: ego surdis reddo auditum, ego cæcos illumino, ego claudorum reparo gressus, &c. Sed sic: Surdi audiunt, cæci vident, claudi ambulant, &c. Hunc itaque imitemur modestiæ ac humilitatis magistrum, ne vana gloria nostram pro bonis operibus deprædetur mercedem. Secundò iubet Dominus, leprosum sese ostendere sacerdoti. Sacerdotibus siquidem iudicium concreditum fuerat, Leuit. xiij. quo discernerent ac iudicarent inter lepram & lepram: & iudicio sacerdotis cogebantur stare leprosi. At Christus sic mũdauerat leprosum, vt non esset periculum, quin absolueretur à sacerdote, & intromitteretur in synagogam, & omnem populi conuentum, à quo prius abstinere cogebatur. Voluit itaque Christus, vt leprosus ille non semetipsum proclamaret mundatum, sed potius sacerdotis expectaret iudicium, id quod lex bona bene iusserat. Tertium, iubetur offerre pro emundatione sua, sicut præcepit Moyses in testimonium illis: Offer, inquit, pro emundatione tua, quod Mosaica lex præscripsit offerendum his, quibus contigit à lepra liberari. Ita pariter fiet, vt nec queri possint sacerdotes, sibi per me decrescere quæstum suum, nec violatam esse legem aut cõtemptam, nec calumniari beneficium, vt aut negent te fuisse leprosum, aut iudicent te non fuisse sanatum. Etenim illicò res ipsa respondebit illis: Si leprosus non erat, cur vos qui iudicandi periculum vobis sumitis, eum leprosum pronunciastis, ac submouistis ab hominum conuictu? Sin autem mundus non est, quur velut à mundato sumpsistis oblationem lege præscriptam? Sed de hoc in Matth. cap. viij. copiosiora. Vide autem hic, ait Theophylactus, quod vbi aliquis fuerit purificatus, tunc denique dignus est offerre Domino donũ istud, hoc est, immolare Christum, & sacrificare. Nam qui leprosus est & immundus anima, haud dignus fuerit talia offerre dona, hoc est, offerre corpus & sanguinem Domini, quod diuinæ naturæ vnitum est. Hactenus ille.

Matth. 11.

*Perambulabat autem magis sermo de illo, & conueniebant turbæ ut audirent & curarentur ab infirmitatibus suis. Ipse autem secedebat in desertum, & orabat.*

Vnius saluatio, ut Beda dicit, multas ad Dominum cogit turbas. Ut enim ipse leprosus, se exterius interiusque doceret esse sanatum, nequaquam perceptum beneficium, vel ab ipso à quo acceperat iussus, tacet: Quin potius, ut Marcus narrat, mox egressus cœpit prædicare & diffamare sermonem, ita ut non posset iā manifestè Iesus introire in ciuitatem, sed foris in desertis locis agebat, & conueniebant ad eum vndique. Clarus & apertus est textus. Fama de Christo vbique viget, & leues se tollit in auras: gloria enim fugientem sequitur, sequentem fugit. Populus confluit ad eundem quidem locum, sed non eodem animo, hic ut audiat Dominum, ille, ut curetur à Domino: & vtrunq; imitatione dignum existit. Prius tu sis Christi auditor & discipulus, & ille tuus erit medicus. Primum, exhibe curandam animā, & ipse corpus nequaquam negliget. Secedit autem Christus in desertum locum ad orandum, quo nobis exēplum dedit, ne post benefactum vanè glorij simus, ne in sinu (quod dicitur) gaudeamus: neoperum nostrorum in turba encomiastas quæramus, sed secedamus in desertum, & Deo, quicquid benefactum est, ascribamus, ut à quo quicquid habemus & sumus, accepimus, &c.

Marc. 1.

*Et factum est in vna dierum & ipse sedebat docens. Et erant Pharisæi sedentes & legis doctores qui venerant ex omni castello Galilaæ, & Iudææ et Hierusalem, & virtus Domini erat ad sanandum eos.*

Ab oratione Christus ad docendum procedit, quod qui fecerit Ecclesiastes, non infœliciter docebit. Et planec minus vetus consuetudo sic obtinuit, ut & prædicator & auditor primum omnium animos suos deuota precatione præparent: quod vtinam sicut ex consuetudine, ita & ex animo fiat. Sed ad textum, qui per se nihil obscuri habet. Sedebat Iesus in domo quadam priuata, ibique docebat. Habebat autem auditores non tātùm plebeios, sed Pharisæos omnium doctissimos: & virtus Domini erat ad sanandum omnes. Cæterùm quantum profecerit Christus apud Pharisæos & legis doctores, non ita multo post audiemus.

*Et ecce viri portantes in lecto hominem qui erat paralyticus, & quærebant eum inferre, & ponere ante eum. Et non inuenientes qua parte illū inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, & per tegulas submiserunt eum cum lecto in medium ante Iesum.*

Nouerāt illi baiuli Christi virtutem esse ad sanandū omnes, & quantum in se erat, ad lædendū neminē. Erat certè Christo naturale cunctis benefacere, & à benefaciēdo & saluando nomē habet. Quocunq; circūferas ignem, calefacit: vbicunque sol est, lucet. Quacunq; dilabitur aqua rigat. Vbicunque diffunditur vnguentum, spargit odoris gratiā. Sic Christus vbicunque venit, seruator est, nihil aliud potest, nihil aliud cupit, nisi seruare. Itaque si quis perit, suo vitio perit. Seruator itaque noster in domo quapiam, ut apparet, plebeia, sedens docebat, & ecce inter loquendū, præsto est exerendæ virtutis materia. Paralyticus grabato affixus à baiulis aliquot affertur, qui nihil addubitant, quin Dn̄s & posit salutē dare, cui nullum morbi genus immedicabile, quin & velit, si modo sub oculis misericordis veniat miserandæ calamitatis spectaculum. Sed differta turba fores obsidens, nō dat aditū misero. Quis enim

patiatur

patiatur diuelli ab oratore tam facundo? Tanta autem vis hominũ affluxerat, vt domo plena, plurimi ad fores ac fenestras inhiarent sermoni Iesu. Tã ardentes animos oportet adferre Christianos ad Ecclesiasticam concionem. Non est Christus qui docet, sed Christi verbum est quod docet, & spiritus Christi loquitur per os hominis: Quid interim exclusi baiuli? Non sinunt eam occasionem elabi. Rem iuxta mundum impudentem moliuntur: sed iuxta Græcorum prouerbium, inutilis est pudor viro egeno: Baiuli itaque magno conatu sarcinam suam in tectum domus subuehunt. Verisimile est enim eam domum nullas habuisse contignationes; nec tectum nostratibus simile, sed planius, in quo liceat ambulare: quod genus ædificia nonnulla videntur adhuc apud Italos & Hispanos: ac nudata tecti parte, pensilem paralyticum cum suo grabato demittunt ad pedes Iesu. Roget aliquis, quin expectabant finem concionis? Sciebant Dominum vndique à multis appellari, nec vsquam procedere, nisi densissima vallatum turba: se verò cum sua sarcina parum expeditos ad consequendum, aut per turbam penetrandum ad Iesum: Quid igitur inter hæc mitissimus medicus? Non indignatur sermonem suum tam funesto interrumpi spectaculo; non incusat improbitatem baiulorum, non exprobrat impudentiam & importunitatem, non destomachatur, sed quid? Audi Lucam.

*Quorum fidem vt vidit, dixit: Homo remittuntur tibi peccata tua.*

Nihil rogant baiuli, spectantes à tecto, nihil Paralyticus, cui morbus etiã linguæ vsum haud dubiè ademerat, & hoc magis loquebatur medico, quia loqui non poterat, immo ipsa miseria pro misero loquebatur: & quod fecerant baiuli, satis arguebat quid sperarent à Domino. Iesus itaque perspecta illorum admirabili fiducia, plus præstitit quàm expectabant: Summa votorum erat, vt Paralyticus corporis morbo liberaretur. At Iesus ostendens esse diuinius ac magis expetendum, liberari morbis animi, versus ad Paralyticum ait: Homo, remittuntur tibi peccata tua. Hic annotandum venit, quòd Dominus interdum ad alienam fidem proximo bene facit: Veluti cum Archisynagogo, cui nunciata est mors filiæ, dicit: Noli timere, tantummodo crede. Itidem patri dæmoniaci dicit: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti: Sic hoc loci videt fidem baiulorum & subuenit Paralytico. Habebant enim multiplicem de Christo fidem, de potentia, de misericordia, de mansuetudine, quæ nulla interpellantium importunitate poterat offendi. Iam quantum aliena fides valeat, magna apud huius seculi doctos agitur quæstio, aliis alia atque aliter dicentibus: Profecto qui articulum fidei nostræ considerauerit, qui est de communione sanctorum, non potest diffidere quin aliena fides non omnino sit infrugifera, & ex hoc negotio etiam dependet, quod Ecclesia docet de intercessione sanctorum, tam viuorum quàm eorum qui in Christo obdormierunt. Sed de hac re alibi dicemus: Ad textum redimus. Tacet igitur Paralyticus ad pedes Iesu, cadaueri magis quàm homini similior, baiulis è tecto prospectantibus. Non procumbit in genua, non componit manus, non orat; omnia enim membra morbus occuparat: Hic mihi contemplare promptam & effusam Domini liberalitatem: Multo plus largitur quàm expectabant baiuli. Probabile est enim illos nihil aliud expectare, quàm

vt homo paralysi liberaretur. At Dominus qui perspicit intima cordium, vidit hominem magis ægrotare animo quàm corpore, primum itaque interiorem hominem à peccatis liberat: Tanta autem est mansuetudine, vt misero homini non exprobret commissa, nec obiurget, sed tantum addit: Confide fili, bono animo esto, remittuntur tibi peccata tua. Hic incidit locus dicendi de his, qui propter peccata sua grauissimas patiuntur infirmitates, sed differemus & hoc in alium locum.

*Et cœperunt cogitare Scribæ & Pharisæi, dicentes: Quis est hic qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?*

Didicerant Scribæ & Pharisæi ex Esaia, solum Deum esse qui condonaret peccata. Ita enim loquitur per os sui prophetæ: Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Et ipsi Iudæorum sacerdotes non remittebant peccata, sed tantùm oblatis hostijs, precibus cum Deo agebant, vt dignaretur populi delictis ignoscere, quum ipsi quoque delictis obnoxij egerent expiatione. Sic enim Paulus ad Hebræos ait: Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in iis quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis, qui cõdolere possit, ijs qui ignorant & errant, quoniam & ipse circundatus est infirmitate, & propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis. Neque tum dictum fuerat sacerdotibus: Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis, &c. Quum igitur Christus, nullis hostiis, nullisque precibus præmissis, absolute diceret: Fili, remittuntur tibi peccata tua, Scribæ & Pharisæi, qui aliàs ad calumniandũ erant proni,

Heb. 5.

statim cogitant in cordibus suis, Christum blasphemum esse, qui sibi arrogaret, quod solius Dei est: Dei autem solius est peccata remittere, hoc scilicet quod Christus sibi arrogat. Sed valeant ipsi Scribæ & Pharisæi supra modum blasphemi, qui Christo Iesu Dei vnigenito filio derogare conãtur, quod illi Pater cælestis dedit. Pater enim omne iudicium dedit filio, & hũc misit in mundum, nõ vt iudicet mundũ, sed vt mundus saluetur per ipsum. Blasphemi itaque sunt Pharisæi in Deũ, adde & in sanctam scripturam, nam hæc quæ docuit ipsos, Dei solius esse remittere peccata, eadem & docere potuit, si modo voluissent credere, Christum esse Messiam ac Dei filium. In hoc itaque culpandi sunt meritò. Est tamen aliud in quo nobis sunt præferendi, hoc nimirum, quòd blasphemias se illibenter audire ostendunt, quum nos blasphemantibus arridere soleamus, etiam contra seuerum domini mandatum, qui olim Moysi dixerat: Qui blasphemauerit nomen domini morte moriatur. Sed prosequamur quod reliquum est historiæ.

Leui. 24

*Vt cognouit autem Iesus cogitationes eorum, respondens dixit ad illos: Quid cogitatis in cordibus vestris? Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata, an dicere: Surge & ambula?*

Necessitas, immo salus nostra quã vnicè sitiebat Christus, ipsum vrgebat, vt suam apud Scribas & Pharisæos tueretur authoritatem: sic autem tuetur, vt aliis atque aliis exemplis suam declaret diuinitatem: Nam vel hoc argumento declarat se esse non quemlibet hominem, quòd ad tacitas illorum cogitationes respondet. Solus enim Deus cardiognostis est. Et vide domini patientiam, qui non regerit conuitium, nec concieat in illos populum, sed potius irrefutabilibus argumentis suã tuetur authoritatẽ: Quur, inquit, male

male cogitatis in cordibus vestris? Quasi dicat: Non creditis huic remissa peccata, quia mentis habitum non cernitis. Sed paralyticũ videtis, Quem si verbo erexero, credite & animũ verbo sanatum esse. Nam cuius est vel vnico verbo sanare paralyticum, eius etiam est dimittere peccata. Vtrum, inquit, facilius est dicere: Remittuntur tibi peccata, an dicere: Surge & ambula. Nimirum vtrunque eius est, qui supra hominem est. Ex hoc itaque quod oculis conspicamini, credite quod oculis cerni non potest. Pulchrũ est quod Cyrillus hic dicit: O Pharisæi, quia dicitis: Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus? Respõdeo vobis: Quis potest secreta cordis scrutari, nisi solus Deus, qui per prophetas dicit: Ego Dominus scrutans corda, & probans renes. Tu velim perpetuò cogites cogitationes tuas non posse Deum latere, & haud dubiè, securius post hac ages. Sequitur.

*Vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Tibi dico surge, tolle lectum tuum, & vade in domũ tuam. Et confestim consurgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat, & abijt in domum suam, magnificans Deum, & stupor apprehendit eos, & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie.*

Aperta hic sunt omnia ex præmissis. Reipsa enim declarat Christus se posse dimittere peccata, quùm possit verbo curare paralyticum. Cùm enim omnium animi tenerentur suspensi, dubitantes & expectantes quidnam esset facturus Dominus, ait paralytico: Surge, tolle grabatum tuum, & abi in domum tuã. Nec mora, surgit alacer, integris viribus, nullum morbi vestigium præ se ferens, adeoque non languidus, vt ipsum lectum in quo decubuerat, tolleret in humeros, ac domũ deportaret. Abit autem non mutus, neque ingratus, sed magnificans Deũ. Roget quis, cur iubetur abire domũ? Vt suis, qui paralyticum nouerant, quosque diutinis obsequiis vexauerat, prædicaret Iesum, essentque certi testes sanitatis, qui morbi fuerant conscij. Tacent interim Pharisæi, grauiore paralysi correpti, quàm fuerat ille paralyticus. Multitudo indocta religiosius interpretans miraculum hoc, timore concutitur, magnificatque Dominum, ingenuè confitens se vidisse eo die mirabilia. Quæ omnia in vnum si cõtuleris, multa habebis de diuinitate Christi testimonia. Dei est remittere peccata, Dei est intueri hominũ corda, Dei est verbo curare infirmos, Dei solius est mirabilia facere, sicut in Psalm. dicitur: Qui facit mirabilia solus. Iam reduc omnia: Christus remittit peccata, patefacit corda Pharisæorum, verbo restituit paralyticum sanitati, & teste turba, mirabilia operatur. Hæc igitur quoniam verè de Christo dicũtur, quis negabit ipsum esse Deum Dei filiũ. Et hactenus quidẽ historiæ filũ interpretati sum⁹. Allegoriæ verò tractatio maiorẽ iucunditatẽ habet, si declarem⁹ paralysim animi multis partibus esse miserabiliorem paralysi corporis. Quàm infœliciter paralyticus est, qui manus non habet ad subueniendum egenis, sed habet ad rapinas: qui membra non habet ad officia charitatis, sed habet ad luxum, ad libidinem, ad violentiam. Qui linguam non habet ad docẽdum & consolandum proximum, sed habet expeditam ad nugandum, ad turpiloquium, ad obtrectandum. Miser paralyticus est, qui non in grabato, sed in cœno vitiorum volutatur. Miser paralyticus, qui non baiulatur ad Christũ, sed ad omne dedecus. Sed sinamus hæc, ex animo deprecantes Christum verum medicum & animæ & corporis, quatenus obscœnitatem ac turpitudinem vitiorum nostrorũ nos

 agnoscere

agnoſcere faciat,non autem ſolùm agnoſcere,ſed & fugere,& ex animo deteſtari , vt verè & mihi & tibi dicere poſsit:confide fili,remittũtur tibi peccata. Et ô vtinam nobis contingat vel ſemel videre tale miraculum , vt qui iam fuerat paralyticus in virtutibus, iam ſit in eiſdem Mercurius. Neque hoc ſolùm optare conuenit, ſed precibus piis Deum ſolicitare , vt hoc fiat.

*Et poſt hæc exijt,et vidit publicanũ nõie Leui ſedẽtẽ ad Teloniũ,et ait illi: Sequere me. Et relictis o͞ibus,ſurgẽs ſecut⁹ eſt eũ.*

Sanato corporali paralytico , ſanat etiã ſpiritualiter paralyticum, hoc eſt, talem,qui omnia ſua membra habebat ad pietatem mortua , qui non habebat manus ad ſubuentionẽ pauperum,ſed ad rapinam & ad fraudem. Hic enim erat publicanorum genius, vt per phas atque nephas ſuis prouiderent loculis,id quod in hiſtoria Zachæi audiemus. Porrò quomodo ſanarit Chriſtus Matthæum (ſic enim alio nomine vocatur) à paralyſi ſua ſpirituali,audiam⁹. Et poſt hæc exijt Ieſus, ad lacum ſcilicet, & vidit Publicanum nomine Leui ſedentem ad Telonium, & ait illi:Sequere me. At ille ad vocem Ieſu , velut efficaci quodam incantamento in alium hominem transformatus,ſurgit,& relictis omnibus , ſequutus eſt Dominum . Iam hoc erat inſignius miraculum , hominẽ infami quæſtui deditum , & negotiis inexplicabilibus inuolutum, repente vertere, ſic vt qui paulò ante inhiaret alienis, iã propria in alienos diffunderet. Hoc poſſunt oculi Domini, quibus aſpexit poſtea Petrũ. Hoc poteſt vox Dñi, qua vel mortuos excitare potuit. Eia q̃ impares ſumus Matthæo Telone. Hic ad vnicã Dñi vocẽ ab omni negotio ſuo ſurgens, Dño obtẽperat, eundemq́; ſequitur:at nos nullis Dñi admonitionibus mouemur. Oculos ſuos ad nos amiciſsimè vertit , at nos tergum obuertimus, ne corda noſtra emolliat.

Vocat nos ad nuptias filij ſui , at nos ſeruos male tractamus. Vocat nos ad magnam cœnam:at nos friuolas excuſationes reddimus. Hinc nobis dicitur: Vocaui & renuiſtis, extendi manum meam, & non erat qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo , & ſubſannabo,cùm vobis id quod timebatis,eueniet. Cũ irruerit repẽtina calamitas, & interitus quaſi tẽpeſtas ingruerit,quãdo venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia: tunc inuocabũt me, & non exaudiam,mane conſurgent, & non inuenient me,eò quod exoſam habuerint diſciplinã meã , & timorẽ Dñi non ſuſceperunt, &c. Tu itaq; ſimul atque audieris vocẽ te vocãtis,id quod ſemper fit,obtẽpera, ne aliquãdo inuocando nõ exaudiare, &c. Sed ad textũ.

Prou.

*Et fecit ei Leui conuiuiũ magnũ in domo ſua, & erat turba multa publicanorũ & aliorũ qui cum illis erãt diſcumbẽtes.*

Matthæus vir non ingratus, beneficium Domini corde agnoſcẽs, quod potuit, ad teſtificandũ animi ſui promptitudinẽ , exhibet. Parat eñi Chriſto cõuiuiũ,ad quod & alios publicanos & peccatores inuitat , vt quos habuerat ſocios peccati, eſsẽt etiã ſocij pœnitentiæ. Et ſtatim à vocatiõe ſua oſtẽdit ad quid ſe vocarit Chriſtus, & q̃ gnauiter officio ſuo functurus ſit. Muneris certè apoſtolici eſt, vocare peccatores ad Chriſtũ, hoc quod iam Matthæus facit. Obſerua hoc loci; tũ demũ te verè audiſſe vocẽ Domini, quando ſenſeris te in proximos quoq; eſſe beneficum.

*Et murmurabant Phariſæi & ſcribæ eorum, dicentes: Quare cum publicanis et peccatoribus manducatis & bibitis?*

Duplici errore hic tenebantur Phariſæi,cùm magiſtro veritatis de ſuſceptione peccatorũ detrahebant, interim ſe iuſtos arbitrãtes, qui ſuperbiæ faſtu à iuſtitia lõge diſceſſerant, & cùm eos

crimina-

abominabantur peccatores, qui resipiscendo à peccatis, non longè erant à iustitia, magis iam pœnitentes, quàm peccatores vocandi. At inuidia eos sic excæcauerat, vt nec sua, nec aliena corda nosse possent. Nouerant Matthæū publicanum fuisse, at nosse nolebant, quod idem, relictis omnib9 quæ possederat, factus esset Christi discipulus. Et plerunque fit, vt minimi peccatores à scelestissimis nebulonibus proscindantur. Sed audiam9 vipereas Pharisæorum voces: Quare cum publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis? Ac si velint dicere: Quum deceat sanctos cum sanctis habere commercium, cur vos publicanos & peccatores palam infames non solùm admittitis ad colloquium, verùm etiam in ipsorum ædibus familiariter editis ac bibitis cum illis? Hæc ad discipulos Christi dixerunt, sicut ex Matthæo liquet. Quid porrò ad hæc Christus?

*Et respondens Iesus dixit ad illos: Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.*

Eliciunt & extorquent calumnijs suis Pharisæi & Scribæ à Christo eiusmodi sententiam, qua nihil potest neque fingi, neque excogitari pretiosius quid, sententiam talem, qua meritò eriguntur conscientiæ agnitione peccatorum suorum consternatæ. Vult em̄ Christus dicere: Quid calumniamini, quòd cum publicanis & peccatoribus habeam consuetudinem? Imò cum nullis potius me decet habere commercium. Apud quos enim magis decet versari medicum, quàm apud ægrotos? Ego in hoc veni, vt medear animabus, peccatorum morbis obnoxijs. Et sanabiliores sunt hi pa lam peccatores, agnoscētes morbum suum, & ideò medicum accersentes, quàm alij qui sibi sani videntūr, cùm intus grauioribus malis laborent, & insanabilius ægrotent. Quare cùm medicus sim, æquum est vt ægros accedam. Quòd qui mihi ob hoc indignantur, non minus damnandi sunt, quàm si qui sanus est, indignetur medico visenti ægrotum, vt eum morbo leuet. Adde, quòd non venerim vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Hoc dicto Dominus redarguit Pharisæos & scribas, qui sibi videbantur iusti, cùm nihil minus essent. Neminem enim inuenit Christus verè iustum, quia omnes, iuxta Pauli doctrinam, peccauerunt, & egent gloria Dei. Et iuxta Psalmistam: Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, nō est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Quod itaque hoc loci Christus dicit: Non veni vocare iustos, ironicôs intelligendum est. Notare enim voluit Dominus fastum Pharisæorum, qui magis apparebant iusti, quàm erant. Obseruandum hic quòd Christus non contentus fuit dicere: Non veni vocare iustos, sed peccatores: sed continenter addit, ad pœnitentiam: quo dicto ostendit ad quid vocare velit peccatores: non quidem vt perpetuò peccatores sint, sed vt ex peccatoribus pœnitentes fiant. Neque enim medicus ægrotum accedet, vt ab infirmitate non liberetur, sed vt illius monitis obtemperans ocyssimè conualescat.

*At illi dixerunt ad eum: Quare discipuli Ioannis frequenter ieiunant, & obsecrationes faciunt, similiter & Pharisæorum, tui autem edunt & bibunt?*

Matthæus refert, ipsos Ioannis discipulos hæc dixisse Saluatori, vnde patet vtrosque coniunctos hac eā quæstione pulsasse. Et certè hic maximè reprehendendi sunt Ioannis discipuli, non solùm de iactantia sui ieiunij, sed etiam quia calumniantur eum, quem sciebant à magistro suo prædicatum. Reprehensione item digni sunt, quòd iunguntur Pharisæis, quos ab Ioanne nouerant

Ioannis discipuli reprehēsibiles.

nouerant eſſe reprehenſos. Cæterùm ex deſcriptione Matthæi, calumnia illorum magis patet. Primùm enim traducũt Chriſtum apud diſcipulos ſuos, dicentes: Quare magiſter veſter manducat cũ peccatoribus & publicanis? Et hac calumnia conantur diſcipulos auocare à Chriſti diſcipulatu, vt qui huiuſmodi bonis viris indignus ſit. Quoniam autem fruſtra has tendiculas poſuerãt, alia via aggrediuntur tam fœlix diſiungere ſodalitium, & traducunt diſcipulos apud magiſtrum, vt ipſe etiam nolentes à ſe abigat. Non enim poteſt inuida iniquitas concordiam fratrum æquo animo ferre. Porrò vt negotium hoc magis apertũ fiat, occaſio huius quæſtionis quærẽda eſt.

*Quæſtionis huius occaſio.*

Ioãnes Baptiſta, cùm eſſet confiniũ legis mox ceſſaturæ, & euãgelicæ libertatis mox emerſuræ, quædam tradebat quæ ſpeciem quandam habebant phariſaici inſtituti. Et aliàs Chriſtꝰ magis deteſtatus eſt fiduciam operũ phariſaicorum, quàm ipſa opera. Phariſæi autem, præter ea quæ ex lege turba faciebat, habebant certas precum, ieiuniorum item ſtatutas horas & dies, ſic & Ioannes diſcipulis ſuis nonnulla huiuſmodi præſcripſerat. At Chriſtus, quanquam ipſe frequenter oraret, tamen ſuos docuit & paucis, & clam orandum eſſe: non quod impiũ ſit, certis quibuſdam horis orare, ſed quod Phariſæorum mens in hoc negotio non omnino pura erat. Nam quàm amet Chriſtus precatores, argumento eſt, quod alibi dicit: Oportet ſemper orare, & nunquam deficere. Et Paulus ait: Sine intermiſſione orate. Idem ſentiendum de ieiuniis: nam & hæc ad Phariſæorum mentem Chriſtus non exegit à ſuis. Siquidem longè fortius eſt iniuriam cõdonare ex animo, bene mereri etiam de male meritis, pro ſalute proximi etiam vitæ iacturam facere, quàm inediam proferre vſque ad veſperam. Hoc enim etiam impij Hypocritæ facere poſſunt, illud verò ſoli pij. Sed ad textum, vt audiamus quàm impudenter Phariſæi Chriſti diſcipulos ſint calumniati. Quid cauſæ eſt, inquiunt, quòd diſcipuli Ioannis frequenter ieiunant, & orant prolixè, & diligenter obſeruant quæ maiores cuſtodienda tradiderunt, ſuntq; in talibꝰ ſtricta conſcientia cuncta ſeruantes: Tui verò longè irreligioſiores, edunt & bibunt pro ſuo arbitrio, neque perinde conſpiciuntur frequentes in orando? Quaſi dicat: Si conſtanter probas Ioannis ſanctimoniam, cur diſsides ab illius inſtitutione & moribus?

*Quibus ipſe ait: Nunquid poteſtis filios ſponſi, dum cum illis eſt ſponſus, facere ieiunare? Venient autẽ dies, & cùm ablatus fuerit ab illis. ſponſus, tunc ieiunabunt in illis diebus.*

Manſuetiſsimus dominus diſcipulos ſuos ſatis amicè excuſat, quum tamen Phariſæi lõgè duriora meruerãt. Vult autem dicere: Eſt tempus ieiunãdi, & eſt tempus non ieiunandi. Quis tam inſipiens foret, vt tempore nuptiarum, filijs ſponſi ieiuniũ præciperet? Gaudendum eſt cum gaudentibus, flendum cum flentibus. Sinite filios ſponſi ſic cum ſponſo lætari: nam breuiſsimum tempus ipſis ad hoc cõceſſum eſt. Simulatque enim nuptiæ finem habuerint, tunc ſtatim ſuccedent magni labores, & curæ triſtes. Sic, ô Phariſæi, nolite diſcipulis meis hanc inuidere licentiam, quæ non diu durabit. Dum cum illis ſum non ieiunant, tamen temperanter viuunt. At poſt diſceſſum meum certò ieiunabunt. Et ſic factum eſt. Interim enim dum apud eos fuit, quibuſnam moleſtijs preſſi ſunt? Profectò nullis: Vnde & Dominus audet rogare, Luc. xxij. Cùm miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calciamentis, num quid defuit vobis? Et reſponderunt: nihil. Sed poſtquam ablatus eſt ab eis Chriſtus, tunc impletum eſt quod

quod prædixerat Ioannis xv. In mundo pressuram habebitis. Tunc & ieiunarunt, & precati sunt, quo possent persistere in tentationibus & tribulationibus. Hoc Acta & epistolæ Apostolorum abundè probant. Addit Christus.

*Dicebat autem & similitudinem ad illos: Quia nemo commissuram à vestimento nouo immittit in vestimentũ vetus, alioquin & nouum rumpit, & veteri non conuenit commissura à nouo.*

Prouerbialis est hæc locutio, haud dubiè Iudæis olim familiarior & notior quàm nobis, qua tamen nihil aliud significatur, quàm non omnia omnibus, nec omnia omni tempori conuenire. Paruulis vbera præbentur sugenda, à quibus certè adolescentes abhorrent. Da paruulo solidum cibum, & videbis infœlicem conatum. Omnia igitur suo & loco, & tempore, & modo facienda sunt: Ne quod sanctũ est canibus detur, aut margaritæ porcis projiciantur. Dicit ergo hic Christus: Nemo tam ineptit, vt assumẽtum panni rudis assuat vestimento veteri: dum enim hoc intenderet, vt illud faceret melius, dilaceraret magis, quia vestimentum vetus pannum recẽtem ferre nequit. Hanc similitudinem siue ad Apostolos, siue ad discipulos Ioannis retuleris, nihil facies absurdi. Discipuli adhuc doctrinæ cœlestis non satis erant capaces, sed prius erant innouandi, vt noua nouis committerẽtur. Vnde ad ipsos à Christo dictum est: Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Et Petro: Quod ego facio tu nescis modò, scies autem postea. Idipsum & de Ioannis discipulis dicendum est, quasi Dominus dicere voluerit: Rogatis, quid non ieiunent discipuli mei? Ego verò dico, Si deberẽ exactè respõdere vobis ex ratione doctrinæ euãgelicæ, rudiores estis, quàm vt eam responsionem ferre possetis. Idem vult similitudo, aut si mauis, prouerbium sequens.

*Et nemo mittit vinum nouum in vtres veteres, alioquin rumpet vinum vtres, & vinum effundetur, & vtres peribunt: sed vinum nouum in vtres nouos mittendum est: & vtraque conseruantur. Et nemo bibens vetus, statim vult nouum, dicit enim: Vetus melius est.*

Quod hic Christus dicit, quantum quidem verba contextus attinet, satis apertum est: nam quod Christus dicit, subinde solet fieri: at ipsa similitudo docere nos vult, quàm periculosum quàmque difficile sit, nouam hanc & spiritualem doctrinam commendare ijs, qui iam diu veteri assueuerunt: Vix enim quicquam placet cuiquam diuersum ab eo cui diu assueuerit: protinus enim offenditur ad gustum inusitatæ rei: quemadmodum qui diu biberit de vino veteri, non statim delectatur nouo musto, requirit enim gustum cui assueuit, & dicit vetus fuisse melius: non ob aliud, nisi quia assueuit. Iam si quis harum rerum quærat exemplum, vnum atque alterum adducam. Nicodemus ille qui ad Iesum noctu venerat, vtrem veterem secum ferebat, hausturus mustum euangelicæ doctrinæ: at quàm male veteri vtri conuenerit cum musto, ipsius Nicodemi stultæ responsiones declarant. Sic Ioannis sexto, quum Christus de comestione corporis sui disputaret, quidam audientes, abierunt dicentes: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt spiritus, ait Paulus, sed stultitia est illi, &c. Eius rei etiam multa exempla si quis requiret, in actis apostolorum inueniet. Nos huic quinto capiti finem volumus impositum, fœlici cursu, Deoque nauclero, ad caput sequens properantes.

Ioan. 3

Ioan. 6

CAPVT

## CAPVT VI.

*FACTVM est autem in sabbatho secundo primo, cùm transiret per sata, vellicabant discipuli eius spicas, & manducabant, confricantes manibus.*

Quid Lucas intelligi voluerit nomine sabbathi secundi primi, adhuc apud doctos controuertitur. Sunt tamen qui negotium sic explicare conantur. Leuit. xxiij. sic scripsit Moyses: Mense primo quarta decima die ad vesperum Pascha Dñi est, & quinta decima die mensis hui⁹ solennitas azimorum Domini est, septem diebus azima comederis. Dies primus erit vobis celeberrimus & sanctus. Iam ex hoc loco constat, Iudæos solennitatibus suis mandato Domini, septem dies numerasse, quorum primũ nomine sabbathi, propter celebritatem nõ censebãt, sed secundam ab illo primo sancto die sabbathum vocabant. Porrò hunc diem Lucas rectè appellat secundo primum sabbathum, quòd fuerit secundus à primo, quem sabbathi nomine non vocauerunt, & primus, quẽ sabbathum dixerint, & sabbathi diem primum, cùm tamen re vera fuerit secundus. Nõ abhorret Theophylactus ab hac interpretatione, cùm dicit: Iudæi totum festum sabbathum vocabant, nam sabbathum requiẽ sonat. Sæpenumero igitur incidebat festũ in Parasceuen, & vocabant parasceuen sabbathum propter festũ. Itaq; quod propriè sabbathũ erat, nominabant secundo primum, quod secundũ esset ab altero festo, & sabbatho quod præcesserat. Hactenus Vulgarius. Sed de his nõ est ratio vt contendatur. Satis est, diem fuisse sacrũ, in quo nephas esset operis aliquid facere. Notandũ autem vt non luxuriarint discipuli Christi, quos ad vellendas spicas & sabbatho fames compulerit, cùm tamẽ nobis, qui euangelici dici volumus, animus semper sit in patinis. Factum discipulorum nihil obscuri habet. Iesus iter faciebat per segetem, porrò discipuli, cùm forte fortuna esurirent, reuulsas spicas aliquot confricabant manibus, & granis vescebantur. Quid tum? An hoc memorabile factum?

*Quidam autẽ Pharisæorũ dicebãt illis: Quid facitis, quod nõ licet in sabbathis?*

Hoc scilicet grande piaculum est, grande nephas atque morte piandum. Quid faciunt boni discipuli? Confricatis spicis grana comedunt. Sed heus tu Pharisæe, quis hoc prohibuit? qua lege, ne tale quid fiat, cautum est? An non licet in agro, quod domi licet? Pharisæus domi frangit panem, & non peccat, qui igitur peccare possunt discipuli, cõfringentes spicas? An licet Pharisæis, quod discipulis prohibetur? Quid si Pharisæi viderent nostras ferias, vbi non confricantur spicæ, sed fraude & dolo geritur res? Vbi per integros dies scortantur, pergræcantur, ludunt, saltãt? vbi ne verbulo quidem Deum diuosve salutant. Sed audiamus Christi responsum.

*Et respondens Iesus ad eos, dixit: Nec hoc legistis quod fecit Dauid, cùm esurisset ipse, & qui cum illo erant, quomodo intrauit domum Dei, & panes propositionis sumpsit, & manducauit, & dedit his qui cum ipso erant, quos non licebat manducare, nisi tantùm sacerdotibus? Et dicebat illis: Quia Dominus est filius hominis etiam sabbathi.*

Rursus Dominus suis patrocinatur, & respondet, memorabile factum Dauidis esurientis pharisæis obijciens. Quasi dicat: Traducitis meos discipulos quasi legis transgressores, quòd ad propellendã famẽ spicas euulserint, granaq; ex illis in cibũ cõfricauerint, quoniam scilicet hoc non putatis licere in sabbatho, quod omnib⁹ sacrosanctum esse debet. Qui fit aũt quòd vos q legis cogni-

cognitionem profitemini, non saltem illud legistis, quod fecerat olim Dauid, cum esuriret ipse cum suis comitibus, quemadmodum nunc videtis meos esurientes? Non solum ausurus erat in famis discrimine facere quod mei nunc faciunt, sed ingressus est templum Dei, nec reueritus est vesci sacris panibus, quos illi propositionis appellant, quibus solis sacerdotibus vesci fas erat: nec ipse Dauid solus ausus est vesci, sed ex eisdem pauit comites suos, nihil commotus neque templi religione, neque legis interdicto, vetantis quenquam attingere panes illos, præter sacerdotes, idque tantisper, donec in templo versantes sacris operarentur: Iam audi collationem. Ex vna parte habes Christum cum discipulis, ex altera Dauidē cum comitibus: Hi vescuntur sacris panibus, illi granis, & his crudis: Quid de lege violata? Lex vetabat ne homines prophani comederent sacros panes, vt diximus: Lex item alia vetabat, ne quis manibus operaretur sabbathis. Illam legem transgressus est Dauid: Hanc verò discipuli: Porrò ob transgressionem legis non malè audit Dauid, quoniam fames illum vrsit. Multò minus itaque traducendi sunt discipuli, eadem causa, nimirum necessitate compulsi. Leges enim non institutæ sunt ad perniciem hominum, sed ad salutem: & idcirco cessare debent vbi maior vrget necessitas: Et sæpenumero fit, vt lex legi cedere cogatur, id quod Dominus apud alios Euangelistas in hoc negotio satis aperuit, cum de circuncisione & sabbatho collationem faceret: Et hic profecto summè obseruandum est, in quem finem humanæ leges & promulgandæ & interpretandæ sint, nimirum vt Charitati non sint aduersæ: Item ne Dauidi liceat, quod discipulis non permittitur, ne muscas capiant, & crabrones dimittant. Cæterùm historiæ siue exemplo Dauidis, Christus aliam sententiam annectit, inquiens filium hominis etiam esse Dominum sabbathi, nimirum qui certissimè sciat huius transgressionem ac obseruationem: Alibi dicit Dominus Sabbathum propter hominem, nō hominem propter Sabbathum factum: Sed procedamus.

*Factum est autem & in alio Sabbatho, vt intraret in Synagogam, & doceret: Et erat ibi homo, & manus eius dextera erat arida. Obseruabant autem scribæ & pharisæi si in Sabbatho curaret, vt inuenirent vnde accusarent eum.*

Quia destructionē Sabbathi quam arguebant Pharisæi in discipulis, magister probabili excusauerat exemplo, nunc ipsum obseruando magistrum calumniari volunt, vt si Sabbatho curet, transgressionis: si non curet, crudelitatis aut imbecillitatis arguant: Ex his autem videmus, quàm sit lætale venenum odiū aduersus pios conceptū. Obcæcat enim, vt sanctiss. quæque habeantur pro pessimis, diuina pro peccatis, etiam postquam intelliguntur qualia sint. Sed propter impios calumniatores à pietatis operibus nullatenus est desistendum, quin potius optimi seruatoris exemplo, eo ardentius proximorum indigentiæ est succurrendum, quantumuis illi insaniant, submurmurent, & latrent. Sed ad textum. Factum est autem in alio Sabbatho, &c. Sabbathis præcipue Dominus in Synagoga docet, vt Beda annotauit, operatúrque virtutes, non solum propter insinuandum spiritale Sabbathū, sed & propter celebriorem eo die populi conuentum. Nam sicut hij quibus venandi ars est, vbi feras, pisces, volucres, plus abundare didicerint, ibi sua maximè retia tēdunt: Ita & Dominus semper docuit in Synagoga, & in tēplo quo oēs Iudæi cōueniūt, volēs omnes

 saluos

saluos fieri,& ad agnitionem veritatis peruenire. At verò Pharisæi, quos oportebat præcipuè salutem quærere infirmorum,& interpellare Iesum pro sanatione hominis, taciti obseruabant eum, an scilicet vellet homini restituere manum. Erat enim ibi homo, cui dextra manus erat arida. Et nouerant Pharisæi Domini clementiã ad opitulandũ omnibus. Atq; hinc captabant ansam calũniandi de violato sabbatho, si eo die manum restitueret homini calamitoso, quo lex vetuerat operari.

*Ipse verò sciebat cogitationes eorum, & ait homini qui habebat manum aridam: Surge, & sta in medium. Et surgens stetit.*

Ioan.2 Apud Ioannis euangelium legimus de Christo: Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eo quòd ipse nosset omnes,& quia opus ei nõ erat, vt quis testimonium perhiberet de homine. Ipse enim sciebat quid esset in homine. Hoc quàm verum sit, vbique testatur euangelium. Pharisæi putabãt se incauto tendere insidias & laqueos, sed non est consilium, non est prudentia, non est sapientia contra Dominũ. Dominus enim Iesus Christus scrutator est cordiũ, scitq; cogitationes Pharisæorũ: & vt mala illa impiorum consilia etiam hominibus manifesta fiant, ipse Iesus iubet miserũ hominem surgere,& prodire in publicum,& in medium populi. At ille, vt statim intelligas fuisse dignum beneficio Iesu, surrexit obediens, inq; omnium cõspectu constitit. Hic hic, haud dubiè, Pharisæi suauiter risere, putantes Christum in conspectu totius populi impiè acturũ, seq; ipsos habituros sceleris illius innumeros testes. Sed quidẽ

*Ait autem ad illos Iesus: Interrogo vos, si licet sabbathis benefacere an malè: animam saluam facere, an perdere?*

Nimis idonea est hæc quæstio, vt Cyrillus ait: Nam si licet in sabbatho benefacere, nihil obstat quo minus laborantes à Deo subleuētur: desinat ergo Pharisæus aduersum Christum colligere calumnias. Si autem non licet in sabbatho benefacere, tũc lex prohibet animarũ salutem, hoc quod solus blasphemus dicere audet. Imò si velimus ipsius sabbathi sanctionem discutere, ad opus pietatis introductum fuisse reperiemus. Iussit enim Dominus in sabbatho feriari: vt quiescat, inqt puer tuus,& ancilla tua,& bos tu9,& quodlibet pecus tuum,&c. Iam qui bouis miseretur,& cæterorũ pecorũ, quomodo nõ miserebitur hominis graui morbo perplexi? Idonea itaque, vt dixim9, & satis acuta quæstio est, ita vt vtrumcunque Pharisæi affirmarent vel negarent, haudquaquã abirent illæsi. Quomodo enim permisissent malefaciendum aut occidendũ in sabbathis? Cæterùm si concedunt benefaciendum esse, & animam seruandã, inculpabilem reddunt Christũ, hoc quod cõtra suum ipsorũ institutũ est. Sequitur in cõtextu

*Et circumspectis omnibus, dixit homini: Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est manus eius.*

Marcus dicit, quòd Pharisæi nihil responderint ad interrogata Christi. Quid enim respõderent, vnde nõ confunderentur? In laqueo quem abscõderũt, vt psalmographi verbis vtar, cõprehensus est pes eorũ: Et ipsi inciderunt in foueã quã alteri fecerant. Cùm itaque Dominus circumtulisset oculos, neque quisquam esset qui respõderet, dixit homini: Extẽde manũ tuã. Extẽdit ilico manũ prius mancã, contractã & immobilẽ. Tãta vis erat iubẽtis. Quid hic facerẽt scribæ & Pharisæi?

*Ipsi aũt repleti sunt insipientia, et colloquebãtur ad inuicẽ quidnã facerẽt Iesu.*

Miraculum euidentius erat, quàm vt negari posset. Sensus cõmunis approbabat esse pium, quouis tempore succurrere saluti mortalium. Christo

non habent quod obiiciant, nisi quòd dixerit hæc verba: Extende manum tuam, quod indubiè non est violare sabbathum: Hominis autem sanationem si illi tribuunt, diuinã dicunt inesse ei potestatem, si vere non ipsi hoc tribuunt, cur arguunt? Sed hæc non mouerant pios scilicet Pharisæos ad resipiscentiã. Imo quũ ex his Domini factis debuerint agnoscere diuinã virtutẽ, & agnoscere legis authorẽ, vertũtur in amentiã, iámque inter sese ineũt parricidale consiliũ, qua via perderent Iesum: En, ô bone, vt iudicet, vt agat odium, tantũ vt sibi satisfiat, non curans æquum aut iniquũ, fas aut nefas, bonũ aut malum. Tum autẽ satisfactũ putat sibi, cum qui odio habetur, vel vltione petitus est, vel sublatus è medio, &c. Exẽplorum hæc tẽpestas plenior est, quàm pij velint: Cæterũ sub finẽ huius historiæ, addere placet quod Theophylactus admonuit, inquiens: Manũ aridã habet, qui nulla virtutum opera facit. Manus enim operandi organum est: cui autem illa arescit, is omnino ociosus est. Si quis igitur manum sanari vult, in sabbatho illam sanctificet, neque enim potest quis opera virtutum facere, nisi prius à malitia cesset. Declina enim (inquit) à malo & fac bonum. Itaque tu qui putas manum tẽ habere sanam (ait Ambrosius) caue ne auaritia, caue ne sacrilegio contrahatur. Extende sæpius eam, extende ad illum pauperem, qui te obsecrat: extende vt proximum tuues, extende ad Deum pro peccatis tuis, &c. Sic manus extenditur, sic sanatur.

*Factum est autem in illis diebus, exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.*

Nemo hoc loco putet Filium Dei quasi infirmum rogare, vt impetret quod implere non possit: potestatis enim author erat, & factus est obedientiæ magister, suo nos exemplo ad præcepta virtutum informans: Ibi enim te docet quid faciendum sit, quum aliquod virtutis officium adoriri volueris. Electurus enim Dominus duodecim Apostolos, non solum in monte orat, sed erat pernoctans in oratione, vt Lucas ait, nimirum ostendens quàm ardua res hæc sit. At quàm impii quidam sint in hoc negotio, deplorare possumus, sanare non possumus. In electione enim sacerdotum & clericorum non est vllus respectus ad exemplum Christi, non curantur monita vel præcepta Pauli, non respicitur vel ad Ecclesiæ honestatẽ, vel ad animarum salutem, sed margaritæ Ecclesiæ, & sanctum Dei porcis ac canibus proijcitur: O domine Iesu visita vineam tuam. Porrò quoniam diximus Christum non ex necessitate, sed multo magis nobis in exemplum orasse, huius exemplum sic inspiciendũ est, vt primũ discamus quid orandũ, & quomodo orandũ sit: Orat, in mõte orat, & pernox est in oratione: Oremus & nos, & hoc in monte, hoc est, amota omniũ humana sollicitudinẽ: pernoctatio autẽ perseuerãtiã in precationibus docet, &c.

*Et cum dies esset factus, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis quos & Apostolos nominauit. Simonem quẽ cognominauit Petrum, & Andream fratrem eius, Iacobum & Ioannẽ, Philippum & Bartholomeum, Matthæũ & Thomam, Iacobum Alphei, & Simonẽ qui vocatur Zelotes, & Iudã Iacobi, & Iudam Scarioth qui fuit proditor.*

Quid per noctem iam præteritam egerit Christus audiuimus, nimirum quod hanc peregit in deprecando deum, nos interim docens, sicut admonuimus, si quid auspicari volemus, quod fœlix ac faustum esse cupimus, à deprecatione auspicemur, vt Deus nostris cœptis dexter ac fauens aspiret. Vbi autem diluxit, vocauit ad se discipulos suos, quos iam habebat perpe-

perpetuos comites, ac testes eorum quæcunque gerebat. Ex his præcipuos aliquot delegit, quos ideo nominauit Apostolos, quòd eos missurus esset, veluti legatos Euangelicos in orbē vniuersum, nihil aliud acturos quā quod haberent in mandatis. Quòd autem ex multis adeo discipulis, duodecim elegit, quos Apostolos cōstituit & vocauit, quos etiam voluit peculiariter secū esse, & perpetuos eos habere comites & sectatores indiuiduos, deinde & primū ad prædicandum Euangeliū regni emittere, huc videtur spectasse. In duodecim tribus populū Israel, qui typus fuit totius populi electorū, distribuerat. Iam his selectis Apostolis, voluit ministris atque legatis vti, ad verum Israel, hoc est, quicquid vndique esset filiorū Dei, congregandū atque instituendū, neque vt quidā putabāt, Israelitas cōtēni velle. Quæ præterea hic obseruanda forēt, quoniā in aliis Euāgelistis annotauimus, hic obmittēda putauimus.

*Et descendens cum illis, stetit in loco campestri, & turba discipulorū eius, & multitudo plebis ab omni Iudæa & Hierusalem & maritima, & Tyri & Sydonis, qui venerant vt audirent eum, & sanarētur à languoribus suis. Et qui vexabātur à spiritibus immūdis, curabantur. Et omnis turba quærebat eū tāgere, quia virtus de illo exibat, et sanabat oēs.*

Locus hic nulla expositione opus habet, quū omnia sint aperta: Sic enim Domini fama & maiestas ipsius increbuerat, vt vndique ad eū cōflueret turba, etiam multi gentiliū ex longinquis regionibus: At nō erat par omniū studium, nec similes habebant aduentus sui causas. Qui venerunt vt audirēt eum, nimirū verbū Dei prædicantē, omnibus aliis meritò præferendi sunt: neque tamē incusandi sunt, qui venerūt vt sanarētur à lāguoribus suis. Tanta enim erat facultas sanandi Christo, vt nullū genus morbi sibi esset incurabile. Si qui vexabantur à spiritibus immūdis, veniētes ad illū protinus curabātur: Si quis solū illū tāgere poterat, citra beneficiū non abibat. Virtus enim de illo exibat, inquit Lucas, & sanabat oēs, id quod de nemine hominū verè dici potest. Nam & prophetæ & alii sancti, vt inquit Theophylactus, non habebant virtutem à se egredientē: nō enim fuerunt fontes virtutū. At Dominus habuit virtutem à se egredientē, quandoquidem ipse fons est virtutum: Hoc nō dicimus in contumeliā Diuorum, sed pro veritate, in gloriā filij Dei. Nō potest homo accipere quicquā, ait Ioannes, nisi datum fuerit ei de cælo. Et iterum de Christo: Nos inquit, omnes de plenitudine eius accepimus: Hinc Paulus: Quis dedit ei, & retribuetur illi? Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, &c. De Christo itaque vere virtus illa sanatiua, vt ita loquar exit, tanquā ex proprio fonte: quotquot autē Diuorum aliquid præclari, vel sunt vel habent, id omne Deo acceptum ferāt necesse est: Hoc etiam preces Ecclesiæ testantur, quando scilicet ad Christum clamam⁹, Fili Dei miserere nostri. Itē, Libera nos Domine: Ad ipsos angelos, Archangelos, Diuā virginē Theotocon, ad chorū Apostolicū, &c. semper dicimus precantes, orate pro nobis, intercedite pro nobis. Nec his obstat quod scriptura testatur etiā Christum pro nobis intercedere apud Patrem, sic enim pro nobis intercedit, vt nō minus sit dator, quàm intercessor munerjs, &c. Sed de his plus satis.

Ioan. 3.

Ioan. 1.

Vide simi laria in Mat. ca 14. Ca no. 14.

*Et ipse eleuatis oculis in discipulos suos, dicebat: Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei.*

Apud Matthæū sic loquitur, Beati, inquiēs, pauperes spiritu, quoniā ipsorū est regnū cælorū, quibus certè non egenos & mendicos beatificat, sed vt Theophylactus interpretatur, humiles & à pecuniæ cupiditate alienos. Hi enī tametsi iuxta mundum videantur cō-

tempti

tempri & aspernabiles, tamen ipsorum est regnum cælorũ, quoniã certissima spe iam possident; quod vita functi re ipsa possidebunt. Et verè beatus est, qui quicquid huius est mundi ex animo cõtemnere potest: nemo enim hoc magis quietè & securè agit. E conuerso qui quæ huius mundi sunt quærunt, miserabiliores sunt omnibus hominibus. Donec enim voti compotes fiũt, donec honores, opes, vel potestates acquirant, donec acquisita adaugeant, ô bone, quàm multa dira illos subire oportet. Talem pauperem se olim profitebatur ditissimus rex Dauid, quum diceret: Ego autem sum egenus & pauper. Et in alio loco se peregrinum vocat, id quod de multis fidelibus Paulus in Hebræorum epistola adnotauit. Itaque non de mendicis huius mundi hic locus intelligendus est, alioqum multi miserrima conditione paupertatis, & hic seculi gaudiis ob inopiã retũ, & ibi regno Dei ob vitiorũ nequitiam carẽt. Plures enim sunt pauperes in substantia, auarissimi tamẽ secundũ affectũ, quos nõ saluat paupertas, sed dãnat affect⁹. Cæterùm qm̃ in Matthæo plura de hoc dixim⁹, ad sequẽtia ꝓcedam⁹.

*Beati qui nunc esuritis, quoniam saturabimini.*

Matthæus habet: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Pauperes ergo prædicti, saturi sunt rerum temporalium, quoniã his non afficiuntur, sed habentes quæ natura postulat (est autem hæc paucissimis contenta) vltra non quærunt. Imò in ipsa fame & inopia boni cõsulunt, nec Deo responsant, indignos se reputantes etiã minoribus donis. Esurientes aũt, de quibus iã nobis est sermo, in ipsa copia rerũ summè inopes sunt, hoc est, quãto plus iusti sunt, tãto magis ad iustitiã properãt, semper ad perfectionẽ tendẽtes. Nunq̃ enim se satis iustos esse putãt: sed quotidianũ iustitiæ amãt profectũ. Esuriunt & sitiunt iustitiã, magis amant robur spiritus, q̃ corporis, plus appetunt animæ, quàm corporis salutem. Nec cõtenti sunt sua iustitia, hoc est, se iustitiæ operam dare, nisi & alios etiã videãt in hoc stadio currere, &c. Magnã certè emphasim habet, quod non dixit: Beati qui sectãtur, vel qui amant iustitiã: sed qui esuriunt & sitiunt iustitiam. De hac fame & siti Diua virgo in superioribus cecinit, dicens: Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Et Sapiẽtia alibi clamat: Qui edunt me adhuc esurient, & qui me bibunt, adhuc sitient. Hãc ergo iustitiã etiã nos semper esurire ac sitire debemus, vt saturari cibo refectionis perpetuæ mereamur. Est & alia fames & sitis, quas qui habẽt nunquàm saturantur: nimirũ sitis gloriæ, & fames pecuniarũ; quoniã auarus nunquàm implebitur pecunia. Et Ecclesiastes dicit: Cõsiderans reperi & aliã vanitatẽ sub sole. Vn⁹ est, & secundũ nõ habet, non filiũ, nõ fratrẽ, & tamẽ laborare nõ cessat, nec satiãtur oculi eius diuitiis: nec recogitat dicens: Cui laboro, & fraudo animam meam bonis? Sequitur:

Eccl. 24.

Eccl. 4

*Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.*

In Matthæo legimus: Beati qui lugent, qm̃ ipsi cõsolabuntur: & inibi plura de luctu diximus. Nõ intelligẽdus est aũt præsens locus de quacunq; causa lugentibus, sicut & in Matthæo etiã admonuim⁹. Sunt enim qui amissa bona tẽporalia vehementer lugeãt, & amissa iustitia, nec lachrymulã emittãt. Et hi quòd propter aduersam valetudinẽ lugẽt, vel quòd bonis amicis priuãtur, & id gen⁹ alia, plerunq; nec spiritualẽ, nec tẽporalẽ consolationẽ accipiũt. At illi flẽtes & lugẽtes de quibus hic Christus loquitur, consolationẽ vtiq; accipient. Quæras, quos lugentes vel flentes velim? Cyrillus intelligit eos qui in hoc mundo nullam consolationem vel habent, vel habere cupiunt, sed penè in lachrymas propter mundi fastidiũ prorumpunt, quemadmodum Apostolus

qui mundum pertæsus clamabat: Infœlix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et iterum: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Et propheta: Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Hoc est, valedictis omnibus terrenis, te vnum sitio, te ardeo, te vnum quæro & amplector. Sic & alio psalmo: Defecit anima mea præ tædio, &c.

Psal. 72.

*Beati eritis cùm vos oderint homines, & cùm separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tanquam malum propter filium hominis: Gaudete in illa die & exultate, ecce enim merces vestra multa est in cœlo. Secundum enim hæc faciebant prophetis patres eorum.*

Ex his videmus quàm diuersa vita esse debeat Christianorum, à mundanorũ vita: imò ex his videmus, quàm longè adhuc simus à vera conuersatione Christianorum, quum Domin⁹ illos tantùm beatos pronunciat, qui nullam in hoc mundo vel consolationem vel quietem habent; qui esuriunt & sitiunt, qui lugent & flent, qui flagellantur, quorumq; nomen execrationi est huic mundo. Nos autem ita sumus tenerè educati, vt ob Christi nomẽ aut professionem ne pilo quidem capitis carere velimus. Imò vt tantum nobis hic nihil huiusmodi desit, & Christum & huius patrem in cælis abnegare nõ dubitamus. Sed ad contextum. Sensus est: Vulgus fœlices appellat eos quibus applaudat populus, qui ad honores prouehuntur, quiq; magnificis titulis celebrantur. Vos autẽ me autore beati eritis, cùm vos derisẽrint hoĩes, cùm vos vt execrabiles è contubernio suo eiecerint, cùm in vos mea causa multa probra congesserint, cùm nomẽ etiam vestrum ac memoriã abolere prorsus, vel abominabilẽ reddere posteris studuerint, idque nulla vestra culpa, sed odio filij hominis, cuius doctrinam & gloriam prædicabitis, ne quid ob hoc displiceatis vobis, quin potius gaudete, quum hæc vobis acciderint, & exultate. Etenim si non respondebit meritis fauor hominum malorum, tum manet vos copiosa merces benefactorum in cœlis. Non nouum est hoc exemplum. Semper malis inuisa fuit egregia virtus. Quod in vos facient huius ætatis homines, hoc idem horum maiores fecerunt in sanctos prophetas, non ob aliud, nisi quod nõ silebant veritatem Dei, quæ semper inuisa est improbis. Obseruandum hoc loci, quòd Christ⁹ non contentus fuit dixisse: Beati eritis, cùm vos oderint homines, &c. sed signanter addit, propter filium hominis, hoc est, propter prædicationem. Possumus certè nõnunquàm & Christi laudes prædicare sine periculo, & cum maximo populi applausu, vt cùm illius prædicamus misericordiã & humanitatem erga peccatores, & quomodo pro nobis dirissima quæq; subierit, pro nostris item peccatis satisfecerit, & id genus reliqua. Sed si verè prædicas Christum, & quæ Christo displicent redarguas & reprehendas, humana figmenta reiicias, parum gratus eris mundo. Quomodo autem prædicabimus Dei sapientiã, nisi redarguerimus mundi insipientiam? Christus est iustitia, igitur reprehendenda est iniustitia. Veritas reprehendit mẽdacium. Et inde malè audiunt præcones. Sed beatos nos dicit Christus, si quid aduersi nobis oritur illo nomine, non ex nostra malitia. Vide autem quàm varias attulerit cõsolationes. Primùm beatos vocat, secundùm dicit mercedem ipsis multam & copiosam in cœlis repositã: tertiùm, testatur apostolos prophetis veteribus nõ fore minores, &c. Cæterùm quæ hic multi de vocabulo mercedis disputant, taciti transiliemus. Tu grauiter laborato, sine Deum de promerita mercede curare. Quòd si etiam omnia quæ tibi præcepta sunt feceris,

putato & dicito te inutilem seruum, & nihilo secius audies in die Domini: Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui, &c. Non possum mihi temperare quin hic asscribã quod apud Herman, siue Pastorem vetustissimum scriptorem legitur. Est autem in similitudinibus ordine quinta, qua declaratur, & quid nos facere, & quid à Domino expectare debeamus. Quidã cùm haberet fundum, inquit Pastori angelus, seruosq; multos, in quadam eius parte suis posuit vineam successoribus. Deinde peregre profectus, elegit seruum quem habebat fidelem, ac sibi probatum: eiq; assignauit vineam, præcipiens vt vitibus iungeret palos: quod si fecisset, & mãdatum suum cõsummasset, libertatẽ eidẽ se daturum promisit. Nec præterea quicquam aliud præcepit illi quod in ea faceret, atque ita peregrè profectus est. Postquam autem seruus ille curam apprehendit, fecit quæcunque præceperat Dominus. Quumq; depalasset vineam illam, & animaduertisset eam herbis repletam, cœpit secum cogitare, dicẽs: Peregi quod mihi præceperat Dominus. Fodiam nunc vineam hanc, & erit formosior, cum fuerit fossata, & extractis herbis, maiorem dabit fructum, & non suffocabitur ab herbis. Post aliquantum verò temporis, venit dominus eius, & ingressus est vineam, quam cùm depalatam vidisset decenter, ac circumfossatam, & extractas herbas ab ea, & lætas esse vites, ex facto hoc serui sui gaudium cepit. Adhibito itaque filio quem charum atque hæredem habebat, & amicis, quos in consilium vocabat, indicat ea quæ seruo suo faciendo mandasset, & quæ præterea ille fecisset. At illi protinus gratulati sunt seruo illi, quod tam plenum testimonium domini sui assecutus fuisset. Ait deinde illis: Ego quidem huic seruo libertatem promisi, si custodisset mandatum meum quod dederam: & custodiuit illud, & præterea opus bonum adiecit in vineã; quod mihi quàm plurimum placuit. Pro hoc igitur opere quod fecit, volo eum facere filio meo cohæredem, qui cùm sensisset quid esset bonum, non dissimulauit, sed fecit illud, &c. Et hactenus quidem similitudinem pastoris audiuimus, simplicem quidem illam, & facilem intellectu, nec vllo modo ab euangelicis parabolis abhorrentem. Quod in Luca nostro sequitur, audiemus.

*Veruntamen, væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram.*

Licet in pecuniarijs copijs multa sint lenocinia delictorũ, nonnunquam tamen etiam sunt inuentiua virtutum. Et laudabilior est pauper, qui prõpto affectu dat hoc quod habet, quàm diues, qui difficilè etiam plura dat. Igitur non census, sed affectus in crimine est, ait B. Ambrosius. Et quod diuites væ audiunt, & æternum pereunt, nõ tam diuitiæ, quàm diuitiarum amor in causa est. Non enim omnis qui habet diuitias, sed vt ait Ecclesiastes, qui amat diuitias, fructus nõ capiet ex eis. Quia qui habita temporalia vel animo continere, vel pauperi nescit erogare, vsu quidem horum delectatur ad præsens, sed fructu, quem dando poterat acquirere, carebit in posterum. Tales enim amant diuitias suas plus æquo, & dum ex his sese nutriunt ad luxum, abutuntur, omnem spem suam in illas collocant, thesaurum pro Deo habẽt, qui ipsis in omnibus tribulationibus sacra anchora esse possit, &c. Et de his in Mattheo inquit Christus: Facilius est camelum per foramẽ acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. Apostolus itẽ ad Timotheum scribit: Qui volũt diuites fieri, incidũt in tentationem & in laqueũ diaboli, & desyderia vana, quæ mergũt hominẽ in interitũ & perditionẽ. Qui ditescere volunt, inquit, non qui diuites sunt. Fuerunt enim sanctissimi viri diuites,

Matt. 19

1. tim. 6.

nullus autem sanctorum ditescere voluit, sed obtemperarunt potius psalmistæ canenti: Diuitiæ si adfluant, nolite cor apponere. Addam quod Ecclesiasticus habet: Beatus diues, inquit, qui inuentus est sine macula, qui post aurum non abiit, nec sperauit in pecuniæ thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum: fecit enim mirabilia in vita sua, &c.cap.xxxi. Breuiter, illis comminatur væ, qui consolationem suam hic habent, hoc est, qui sic contemnunt diuina, vt omnem suam fœlicitatem in diuitias collocarint, &c. Sequitur.

Psal. 61

*Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis.*

Quoniam supra dictum est: Beati qui esuritis, quoniam saturabimini, tectè iam sequitur à contrario: Væ qui saturati estis, quoniam esurietis. Et D. Virgo in cantico succecinit: Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Sic Anna Samuelis: Repleti prius, pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt. Astipulatur etiam his Psaltes, inquiens: Diuites eguerunt & esurierunt, inquirentes autem Dñm non deficiet omne bonum. Admonuimus autem in superioribus, hanc famē vel sitim non intelligendam de corporali aliquo cibo vel potu, quoniam apud Matthæū Dominus de siti iustitiæ dixit, hoc ipsum & iam repetitum volumus. Illis enim væ comminatur, qui ad Dei iustitiam, & ad iustitiæ opera quasi nauseam concipiunt, & qui iuxta Apostolum, suam volentes cōstituere iustitiam, iustitiæ Dei nolunt esse subiecti. Breuiter, de illis intelligēdus est locus hic, qui iustitiæ perfectionem sibi vendicant, quum ipsam vix à limine salutarint, qui sibi metipsis iusti videntur, sicut illi Pharisæi, & alios contemnunt, quod quidem non Christianorum, sed Phariseorū & hypocritarum est. Porrò si quis simpliciter hæc de corporali saturitate intelligi velit, et hic non imprudenter facit. Argumēto

1. Reg. 2

tibi sit vel vnus diues ille epulo, cui postea dictum est: Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, &c.

*Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.*

Supra dictum est: Beati qui nunc fletis, quoniam ridebitis. ergo væ illis qui rident, quoniā lugebunt & flebūt. Et sicut nō omnes beati sunt qui quacunque de causa lugent, ita nec omnes maledicti, qui quacunque de causa rident. Sed illi procul dubio maledicuntur ob risum & lætitiam, qui lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis, qui deliniti rerum fluxarum successu, dulcique fortuna ebrij, ridēt, seq; beatos existimāt. Ad tales clamat Iacobus Apostolus in canonica sua, inquiens: Risus vester in luctum conuertetur, & gaudium in mœrorem. Sic olim ridebant Iudæi Hierosolymis, cùm interim fleret ipsorum noīe Christus. Cæterùm quatenus ridendum sit homini Christiano, & quatenus eidem lætandum, quid attinet plurimis dispu tare? Vallis lachrymarum præsens hic mundus est, non thalamus nuptialis, & qui penitius vitam suam discusserit, inueniet quod deploret plurimum, vnde lætetur nihil inueniet. Hoc nouerat qui in psalmis clamat: Heu mihi, quia incolatus meus prolōgatus est. Et Paulus: Infœlix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Porrò si gaudere & lætari volueris, audi quid Paulus dicat: Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Dominus enim prope est. Sic alibi dicit Christus discipulis suis: Gaudete, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Et rursum: Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis, &c. Sequitur.

Iacob. 4

Vide D. Basiliū in regulis monach. cap. 17

*Væ cùm benedixerint vobis omnes homines: secundum enim hæc faciebant pseudoprophetis patres eorum.*

Mundus illos fœlices existimat, qui diui-

diuites sunt, qui saturati sunt, qui rident, & qui ab omnibus benedicũtur, at quàm diuersum Christus sentiat, iã satis audiuimus. Bonum quidem est laudari, quoniam ille sapiens dicebat: Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ: at ob malefacta velle laudari, imò etiam ob benefacta velle laudari, execrandum est. Hinc Paulus in Galatis dicit: Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Et Christus discipulis: Si de mundo essetis, inquit, mundus vtique quod suum esset diligeret. Sed quia de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea vos odit mundus. Quomodo autem sibi non contradixerit Paulus in eo quod alibi dicit: Placete omnib⁹ per omnia, sicut & ego omnibus per omnia placeo, alibi ex D. Augustino à me explicatum est. Hoc profecto verissimum est, ambitionem, hoc est, ab auditoribus ambire applausum, ipsissimam esse prophetarum perniciem. Nam qui eius est animi, studet ita suas moderari conciones, ne quem irritet, ne quem lædat, ne alicuius vitam turpem proscindat. Tales enim adulatores nolunt male audire, sed malunt vt manus manum fricet, & mutuum se muli scabant, ideoque prophetis suis illud occinunt ex Esaia: Loquimini nobis placentia, &c. Illi porrò ne auditorib⁹ suis sint ingrati, nouerũt sic attrectare hulcus, ne tamen exasperent. Væ ergo illis prophetis, inquit Christus, qui sic benedicuntur ab omnibus: secundum enim hæc faciebant pseudoprophetis patres eorum. Hic obseruandum, nullum vnquam prophetam extitisse, qui ab omnibus hominibus fuerit laudatus. Pij enim homines malos prophetas non laudant, sicut etiam bonis nusquam contradicunt. Dictum autem est hic omnes homines, pro maiore hominum parte. Maior autem hominũ pars non semper potior, vt ille ait. Deinde obseruandũ, Væ illud terribile solùm ad eos pertinere prophetas, qui sibi plurimum placent ob applausum populi, quiq; ne ab hominibus malè audiant, omnes suas conciones eo dirigunt. Breuiter, illos intellige, qui quærunt quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi. Nam quorum talis est genius, prædicant quæcunque laudatores sui volunt, ac amant. Volunt enim magni haberi, quicquid tãdem fiat de Christo & huius Ecclesia. Porrò quod Christus dicit: Sic enim faciebant pseudo patres eorum, ex biblijs patet. Exemplo nobis fuit Hieremias & Micheas boni prophetæ, & Ananias pseudopropheta. Hic enim cùm fregisset cathenã quæ fuit in collo Hieremiæ, adiecit: Hæc dicit Dominus: Sic confringam iugum Nabuchodonozoris regis Babylonis post duos annos dierum, de collo omnium gentiũ, &c. Porrò cùm huic contradiceret Hieremias, quàm malè tractarint eum sui, scriptura non tacuit. Sic iij. Reg. xxij. dũ Micheas dicit, quæ futura erant super regem Israel & regem Iuda, malè audit, & percutitur in maxilla à pseudopropheta Sedechia. Et ait ibi rex Israel: Nunquid nõ dixi tibi, quia non prophetat mihi bonum, sed semper malum, &c. At Sedechiam qui fecerat cornua ferrea, & dixerat: Hæc dicit Dominus: His ventilabis Syriam, donec deleas eam, &c. in maximo honore habuerunt. Sed sufficiant hæc. Sequitur:

Hier. 28

*Sed vobis dico qui auditis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt, benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos.*

Quamuis hoc præceptũ maximè verbi ministros admoneat sui officij, ne scilicet auditorũ improbitate ab euangelizãdi munere cessent, tamen ad omnes Christianos dictum esse, & illud ab his exigi, non est dubium. Vult enim Christus, vt qui à Christo Christiani vocentur, etiam Christi sequantur vestigia. At Christus dilexit nos cùm ad-

huc

hue inimici eramus, & benefecit nobis qui eramus osores iustitiæ, benedixit maledicentibus, & orauit pro calumniantibus, quæ oĩa euangelij cõtextus apertè habet. Audiamus itaque, imò & implere studeamus quod nobis Christianis hoc loci præscribitur. Considerate q̃ multum deuiauerimus à Christiana indole, quàm contempserimus Christi sermones. Iubemur inimicos diligere, & odientibus nos benefacere, &c. nos autem amicos odimus, & benefactorib⁹ malefacimus: & qui famæ nostræ consulunt, criminamur: & qui nobis bene precantur, eos nos vel diris deuouemus. Locus hic non multa interpretatione opus habet, sed fideli obsequio. Primus gradus est, vt diligas eos qui tibi malè volunt. Secundus, vt & illis benefacias, vtcunque te odiant. Hinc Ioannes ait: Non diligamus ore aut lingua, sed opere & veritate. Tertius gradus est, vt maledicentibus benedicas. Quartò, vt eos qui tua beneficentia nolunt mitescere, Deo commendes. Hoc est, non suffecerit ignoscere inimicis tuis, nisi etiam illis Dei fauorem & gratiam impetrare studeas. Inde elegans & Christianum illud verbum manauit, quod nonnulli boni homines vsurpant (quoties audierint ab aliquo sibi aut verbis aut factis fieri iniuriam) dicentes: Ignoscat tibi Deus. Das dirs Got verziehe: quasi compatiendo, qui nihil plus optant, quàm ne talis culpa, ipsi coram Deo damno sit aut fraudi. Sed vbi inuenies iam tales Christianos? Apud Euangelicos? non: Apud veteres Christianos? non. Vtraq; pars veneno odij, iræ, & rancoris turgida est, ac tumet. Alter alterius finē & pernitiem & sanguinem: & nemo non sibi melius vult quàm alteri. Sed quomodo diliget, & beneficio prosequetur is inimicum suum, qui Deum summum & omnis bonitatis fontē nō diligit? Enimuerò quod inimicis debebamus, hactenus Deo nō exhibetur. Quot putas inuenire liceret Christianos (hoc est, qui hoc censentur nomine) qui optarent nec Deū esse, nec cælum, tantum ob hoc, vt sibi liceret impunè impurè viuere? An non sine intermissione nomē Dei blasphematur & à nobis & inter nos? An non frequenter, ne dicam semper, calumniantur Dei facta? Vides quàm belli sum⁹ Christiani. Vides quàm longè simus à Christiana dilectiõe. Et interim tamen egregiè superbimus, ac si omne pēsum absoluissemus. Fortè putamus Christi præcepta ad nos nihil pertinere. Nolumus hic multis disputare, præceptum ne sit an consilium, quod hic à Christo præscribitur. Intellige vt libet, qui odium & inuidiā aduersus proximum in corde gerit, à Christi regno alienus existit. Quæ sequuntur audi.

1. Ioan. 3

*Et qui te percutit in maxillā vnā, præbe illi & alterā. Et ab eo qui aufert tibi vestimentum, etiā tunicā noli prohibere.*

Pharisæorum commentum erat, licere omnibus vim vi repellere, quoniam in Moyse dictum legerunt: Oculū pro oculo, & dentem pro dente, &c. Quod si verū esset, vt quisquis posset se vindicare, quid opus foret iudice? Manifestè itaque patet hoc dictum pertinere ad magistratum, cui Dominus gladiū permisit, & commisit ad puniendum malos: illi autē deprauarunt dictum Dñi, priuatis ipsorum affectibus accõmodantes, quod magistratui peculiariter dictum est. Non est cuiusuis dicere ius, & vindictam sumere. Itaque quod hic dicit Christus de exhibitione alterius maxillæ, & tunicæ, nihil aliud docere voluit, nisi vt Christianus homo aliquo modo læsus, non quærat vindictam, paratiorque sit ad duriora ferenda, quàm ad vindictam de inimicis sumendam. Breuiter, tale cor postulat Dominus in suis, quod ab omni impatientia, & vindictæ cupidine, & cõtentiõe est alienū.

Præparatio hæc in animo est, non in corde contra Faustū. August. lib. 22. cap. 76

Nec

Nec tamen negauerim, posse contingere, vt iuxta Christi verba, & altera maxilla, & tunica ablato pallio sit exhibenda, nec dubitauerim, quin nō semel tale quid à pijs factum sit. Porrò an Christiano homini liceat aduersus Christianum iure agere, & coram iudice apparere, in Corinthijs nostris docuimus. Charitas in huiusmodi negotijs consulenda venit. Et non refert, iudicio assistas siue non, nec refert tua reperas, an non, sed quo aio hoc ipsum facias plurimum refert. Idem sentiendum de hoc quod sequitur.

*Omni autem petenti te tribue, & qui aufert quæ tua sunt, ne repetas.*

Quis dubitat hæc esse facienda simpliciter, si hoc ipsum honor Dei & charitas fraterna postulauerit? Aliàs, quomodo hæc impleri debeant, facilè videre est. Non sis auarus, non sis inuidus, paruo contentus esto, de omnibus bene mereri stude, & hoc præcepti ad mentem Christi impleueris. Quis em̄ omni petenti dare posset? Non Midæ opes, non Crœsi diuitiæ in hoc sufficerint. Et si non licet repetere tua quæ tibi ablata fuerint, quomodo curabis familiam tuam? Et qui tibi vel vxorē, vel filias abduxerit, ad adulterium cōniuebis? An impunè licebit alijs tibi tua furto auferre? Breuiter, Si qua vis aut procella ob euangelium tibi imminet, aut minatur exitium, tum non solùm tunicam, sed etiam pallium, imò & corporis & totius vitæ iacturam nō illibenter feceris. Neque hic oscitanter aduigilādum est, ne qua ansa detur nebulonibus & latronibus hac doctrina abutendi, & dicendi, Christianos omnia aduersa libenter debere pati, & suo iure libenter cedere, &c. Sic enim Iulianus cæsar, pessimus apostata hūc textum olim Christianis obijciebat, dicēs ipsorum iure semet cum ipsis velle agere, &c. Sic etiam ille ad Laurentium, Prudentio cōcentore, inquit: Sic dogma vestrum est, audio: Suum quibusq; reddito. En cæsar agnoscit suum Nomisma nummis inditum, &c. Implete dictorum fidem, Quā vos per orbem venditis: Nummos libenter reddite, Estote verbis diuites, &c. Profectò quæ hactenus post execrationes Domini audiuimus, non oscitanter vel audienda vel consideranda sunt: nec dubitandum, quin omnia ad vnum à multis bonis Christianis impleta fuerint, id quod & supra admonui, & plurimorum sanctorum vitæ testantur. At nos omnino degenerauimus à vera pietate. Diuos non solùm non imitamur, sed ne passiones quidem illorum patiēter audire volumus. Neque vsque ad sanguinem resistimus, sed omni vento doctrinæ circumferimur. Malumus periculum facere religionis, quàm quæstus. Sed quid Christus? Filius hominis si venerit in terram, putas inueniet fidē? At quoniam deploratione nihil proficimus, ad sequentia procedamus.

*Et prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.*

Si qui sunt qui breues volunt conciones, hanc audiant, imò nō solùm audiant, sed & opere perficiant. Non obscura est intellectu, nec difficilis factu, accedente nimirum & adiuuante Dei gratia. Hoc præceptū, hæc breuis concio pectoribus nostris inscripta est. Natura hoc docere posset, vt quod tibi fieri nolis, hoc ipsum alteri ne faceres. Qui hoc fecerit, verè proximum sicut seipsum diligit. Apud Matthæum eandem sententiam legimus, & quasi eisdem verbis. Sic enim ait: Omnia igitur quæcunque volueritis, vt faciant vobis homines, sic & vos facite illis. Hæc enim est lex & prophetæ. Sic etiam de primis illis mandatis, de dilectione nimirum Dei & proximi, dicit: In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & prophetæ. Ac si diceret: Scire cupitis quæ ego docuerim, tum quæ Moyses & omnes prophetæ tradiderint, ex vobis compendio dicam,

Cap.7

D. Aug. de vera religio. cap.46

Prudentius.

ranta

tanta breuitate complexurus, vt de grauitate & perplexitate doctrinæ meæ omnis vestra querimonia videatur inutilis & superuacanea: Prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Doctrina hæc breuis est, quæ modico spatio disci potest, modò studium adesset, & discendi sedulitas, ac voluntas iuxta hanc viuēdi. Crassis exemplis negotiū accipe: Nullus est mortalium (vt reor) qui libenter velit furto se compilari. Qua de re si cor suum interrogat, fateri cogitur, se profectò non libenter videre velle: Cur ergò idem apud animum suum nō concludit, vt alteri quoque idem non faciat? Vt si forum rerum venalium inspexeris, vbi quisq; sua quàm plurimo pretio poterit vendit, prout ipsi visum est, adeo vt nōn illibenter aliquid triginta nummis venderet, quod non valet nec constat decem, & tu interrogares illum, heus amice, cuperes ne hoc tibi quoque ab aliis fieri? Ibi ille adeo natura barbarus & impudens esse non potest, quin dicat, se malle emere pro vt fori ratio pertulerit, & quanti æquū & bonum esset, ne defraudaretur. Ecce hic cor tuum est, quod tibi bellè nouit dicere, quid nam libenter haberes, & tua conscientia quæ concludit, aliis quoque hoc ipsum facto exhibendum esse. Quod de mercimoniis diximus, etiam de omnibus aliis hominum negotiis & dictum & intellectū volumus.

*Et si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? Nam & peccatores se diligentes diligunt. Et si benefeceritis his qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? Siquidem & peccatores hoc faciunt. Et si mutuum dederitis his, a quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia.*

Vult Christus vt sui discipuli omnes alios homines, cuiuscunque illi fuerint conditionis, probitate & iustitia excellant. Hinc est quod apud Matthæum dicit: Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum: Sic etiam hoc loci admonet, quàm præstare debeat iustitia nostra aliorum iustitia. Natura docet, vt quis benefactoribus suis & dilectoribus suis non sit offensus: at Christus hoc non damnat, verùm longe sublimiora à suis requirit, nimirum vt omnes ex æquo diligant, omnibus citra respectum benefaciant, siue illi amici fuerint, siue inimici, siue rependere ac par referre possint, siue minus. Cæterū de emptionibus & venditionibus hic nihil: nam de hoc negotio Christus nihil præscripsit, nisi in genere, vt sciilicet charitatis fraternæ non simus immemores, neque rem nostram proximi damno augeamus. De fœneratoribus & vsurariis suo loco dicemus, de pestilentissima scilicet reipublicæ lue: At hic cogitare licet quàm longe declinauerimus à vero Christianismo, vbi sic refriguit charitas, vt ne illis benefaciamus, qui de nobis meriti sunt optimè. Odimus qui nobis non male volunt. Nocere nos non pudet eis à quibus ne semel quidem læsi sumus, immo & qui nostris commodis perpetuo student. Non damus mutuum nulla spe lucri, sed sanguine pauperum viuimus, in hoc & Publicanis & Ethnicis peiores: Sed transeamus.

*Veruntamē diligite inimicos vestros, benefacite & mutuum date, nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa, & eritis filii altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos.*

Christus hisce verbis nos excitare conatur, vt diligamus inimicos & aduersarios nostros, respectu futuræ mercedis, quam copiosam pollicetur eis qui inimicis non sunt infensi: Non est, inquit Christus, vt quis se existimet frustra inimico benefacere, nam nemo frustra-

frustrabitur sua mercede, etiam si ab inimico nihil receperit. Deum enim obæratum habebit, à quo illi multa & copiosa merces speranda. Qui enim in hoc præcepto se exhibuerit morigerum, efficitur filius altissimi, qui & ipse beneficus est erga ingratos & malos. Iam si filius, etiam hæres, hæres quidem Dei, vt inquit Apostolus, cohæres autem Christi. Hinc etiã Chrysost. dicit: Attende mutui naturam mirabilem, alius recipit, & alius obligat se pro debitis, centuplũ in præsenti reddens, in futuro verò vitam æternam. Iam si filij Dei sunt qui etiã inimicos suos diligunt, & qui de omnibus benè mereri student, quis non videt quem patrem habeant, qui nemini benefacere, verùm oĩbus incommodare studẽt?

*Estote ergo misericordes, sicut & pater vester misericors est.*

Rursus nobis declarat vnde possimus filij Dei fieri, nimirum si benefici fuerimus ergà omnes. Si enim Deus qui nouit omnium mortaliũ corda, tamen ex immensa naturæ suæ bonitate tam beneficus est erga plurimos indignos, in quibus scit perituram largitatem suam, quanto magis oportet nos idem facere, quos sæpè latet, digni an indigni sint qui beneficio iuuãtur, & incertus est rerum exitus. Et certè decet nos tanquam germanos filios, patris nostri cœlestis largam & omnibus expositam beneficentiam referre. Filij carnales frequenter similãtur carnalibus patribus in facie, aut in loquela, aut in risu, aut in aliquo alio corporis signo. Et hi quidem, etiamsi similes fuerint, laudem nullam merentur: & si dissimiles, nullam vituperationẽ, quia non est in hominis potestate qualem corporis accipiant qualitatẽ, nec potest quisquam cubitũ vnũ, vt Christus ait, addere ad staturam suam. Filii autem Dei, siquidem patri similes fuerint, laudandi sunt: si autem dissimiles, nimis vituperandi: quoniam in nostro arbitrio, inquam nostra potestate est, cum Dei gratia, patrem nostrum in virtutibus referre.

*Nolite iudicare, et non iudicabimini: nolite condẽnare, & nõ condẽnabimini.*

Ordo pulcherrimus est, quum sic virtus virtutem sequitur. Profectò qui ad exemplum patris cœlestis misericors est, qui condolere potest alienæ infirmitati, ille nunquam proximum suum iudicabit, nunquam fratrem suũ condẽnabit. Non dicã quatenus homo Christianus iudicare possit, aut non possit. Timeo enim margaritas porcis proijcere, nimirum his porcis qui aliàs satis proni sunt ad proximi famã proscindendam. Christus hic prohibet, ne quem ex maleuolẽtia iudices, ne quem ex odio condẽnes. Iudicat autẽ proximum, quisquis huius facta in peiorem partem interpretatur. Condemnare verò, est proximum diris deuouere, vt si quis dicat fratrem diaboli filium, &c. Aut: Hic dignus est qui corpore & anima quàm citiss. pereat. Hæc enim odij & inueteratæ iræ sunt germina, hi fructus excandescentis animi. Porrò quæras an ne licitum sit manifesta malefacta proximi in malam partem interpretari, vt sunt, ebrietas, fornicatio, homicidium, &c. Accipe respõsionem ex ipsis sacris literis deprõptam. Noli hunc diris deuouere, nec doce Christum quid se facere deceat. Omne iudicium pater dedit filio, non tibi. Sed primum cogita num talis aliquando fueris, aut fortè iam talis, vel etiam peior sis. Quòd si talis non es, nec vnquam tam sceleratè egisti, age Deo grates, cuius gratia præseruatus es, & cogita te non meliora perpetratum vel fuisse, vel olim perpetraturũ, nisi gratia Dei te subleuauerit. Huc pertinet quod Paulus alibi dicit: Quis es tu qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat & cadit, &c. Secũdò tuũ est, vt pro

Vide Augustin. in expositione quarundã Propo. epistolæ Rom. num. 79

scelerato apud Deũ intercedas, huicq; veniam impetrare à Domino studeas. De his autem factis quæ & bono & malo animo fieri possunt, Augustinũ patiare doctorem. In istis, quæ vtrum bono vel malo animo fiant, inquit, scire non possumus, melius est vt ad partem dexteram animum nostrum declinem⁹: quia tolerabilius est nos in hoc præueniri, vt eos, qui mali sunt bonos credamus, quàm vt consuetudine iudicandi, etiam de bonis, quod malum est, suspicemur. De iudicio & condemnatione quæ à concionatoribus, vel à magistratu, vel à pædagogis, aut etiam à parentibus fit, nihil hic præcipitur. nullus talibus hic canon præscribitur. Tolle iram, odium, & maleuolentiam, & adde charitatem & misericordiam, & tum licebit iudicare & condemnare. Quod sequitur non malè præmissis cohæret.

*Dimittite & dimittetur vobis. Date, & dabitur vobis. Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.*

Dimittite, inquit, & dimittetur vobis. Qui fit, vult dicere, quòd tam crudelem & tam seuerum præbeas te fratris tui iudicem? An tu nunquam turbasti aliquam aquam? An perpetuò innocenter & angelicè vixisti? nõ profecto. Non est iam in humanis qui neminem vnquam læserit, siue hoc sciẽs, siue ignorans fecerit: ergo nemo est qui non opus habeat peccatorum remissione. Et hoc de illa offensione intellectum volumus, qua proximus noster à nobis offenditur. Iam quoties Deum nostrum offendimus, quoties in patrem nostrum cœlestem peccamus? Quid si ille tã crudelis esset aduersum nos, atque nos sumus erga proximos nostros. Proinde vis vt dimittantur tibi peccata tua, quæ in Deum peccasti, dimitte etiam proximo tuo. Hoc etiam in Matthæo nostro non semel audiuimus, & idipsum in Luca nostro non ita multò post clarius audiemus. Sed quid Sapiens ille? Relinque proximo tuo nocenti tibi, & tunc deprecanti tibi peccata tua soluentur. Homo homini reseruat irã, & à Deo quærit medelam? In hominem sibi similem non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? Ipse, dum caro sit, reseruat iram, & propitiationem petit à Domino? Quis exorabit pro delicto illius? Memorare nouissimorum, & desine inimicari, &c. Sed ais: Audio quod iubes, & peccanti in me fratri remittam offensam. At post hac in ingratum nihil beneficij conferam. Sed quid ad hæc Christus? Date, & dabitur vobis. Poteris hanc inire conditionem cum Deo, vt tibi solùm præterita peccata dimittat, nihil tamẽ boni addat? Igitur sicut vis vt tecum agat Deus, ita & tu agas cum proximo tuo. Quis autem non peteret à Deo & peccatorum remissionem, & beneficiorum largitionem. Da igitur proximo tuo qui tua ope eget, & tibi egenti à Deo satis dabitur. Mensuram, inquit, bonam, hoc est, magnam & cõfertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Qui? Illi nimirum quibus benefacis, quos tuis obsequiis & officiis subleuas. Illi, de quibus Christus inquit: Recipient vos in æterna tabernacula. Estote ergo liberales erga quosuis, siue illi fuerint amici, siue inimici, & redibit ad vos multo cum fœnore vestrum beneficium. Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis. Hoc est, quicquid feceritis proximo vestro, tam bonum quàm malum, in vos redũdabit. Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, ait Paulus, de benedictionibus & metet.

Eccl. 28.

Sed

Sed de eleemosynis faciẽdis suo & magis opportuno loco. Nos hunc locum interpretamur de his, qui simulatè potius quàm verè inimicis dimittunt peccata: & putant se pensum absoluisse, si tantùm non lædant quenquam, cùm tamen se lædant, suamque animam occidant quàm miserrimè. Hoc enim quod proximo faciunt, vt diximus, à Deo recipient. Sic proximo condonandum est, sicut Deus condonauit nobis, per Christum, ait Apostolus. &c. Sequitur:

*Dicebat autem illis & similitudinem. Nunquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foueam cadunt?*

Quomodo potest coruus coruo nigredinem exprobrare, aut claudus irridere loripedem? Prouerbiales huiusmodi sententiæ nusquam non sunt obuiæ, siue sacra legas, siue prophana. Videtur autem mihi is sensus esse, quẽ quidem ante nos vidit V. Beda, ac si velit dicere Christus: Quid tu sic exaggeras crimen fratris tui, quasi tu eiusmodi nihil vnq̃ gesseris? Si malum est irritare proximum, si detestandum est quòd homo homini inimicatur, cur tu in teipso non purgas, quod in alio emendandum esse iudicas? Te non minus excæcauit ira & odium, quàm illum: tu tamen non cessas illi exprobrare iram & odium. Quid igitur fit? Ille quia te læsit, malè fecit: & tu qui lædenti non ignoscis, non minus malefacis. Sic ergo vterque in foueam perditionis cadit. Sed addit Christus alia quibus præcedentia clarescunt.

*Non est discipulus super magistrum. Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius.*

Si magister, Christus scilicet, maluit persequutores suos patiendo reddere mitiores (etiam si vlcisci vt Deus potuerit) quàm vindicando perdere: non videatur discipulo graue, etiam si eandem iubeatur viam ingredi. Tu perpetuò blasphemas Christum, & vis vt tibi ignoscatur. Cur itaque detrectas proximo facere, quod tibi à Domino vis fieri? Contentus sis, & æquo patere animo, si tibi fit à proximo, quod à te fit Christo. Sed de hoc paulò supra.

*Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est, non consideras? Et quomodo poteris dicere fratri tuo: frater, sine eijciam trabem de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc perspicies, vt educas festucam de oculo fratris tui.*

Nouerat ipse Christus quàm omninò difficilem se Adam noster præbeat ad diligendos inimicos, & quomodo se in omnia vertat, vt inueniat occasionem, qua præmunitus videatur meritò in benefaciendo inimicis resilire: hæc, inquam, nouerat Christus, ideoque (nuidis illis omnes elabendi vias claudit, omnes prætextus aperit, omnesq; excusationes eneruat. Et paulò ante semetipsum bis in exemplum posuit, vt à quo vno discere possimus mititatem: nunc verò asperioribus verbis rem aggreditur, hypocritam eum vocans, qui lynceos habet oculos ad fratris sui errata, ipse autem nolit in suum ipsius sinum inspicere. Plerunque enim fit vt magni fures minores ad crucem figant, hoc est, vt magni peccatores paruos vbique traducant. Intelligimus probè hanc inuectiuam Domini: reliquum est, vt sic instituamus vitam nostram, ne in nos torqueri possit. Profectò talium hypocritarum iam plenus est numerus, omnes volũt esse magistri, doctores ac medi-

medici, nullus verò patitur se dici discipulum vel morbidum, &c. Et in negotio religionis eadem Helena est, Euangelici accusant Pontificios, hi rursum illos. Neuter patitur sibi obiici trabem, immo ne festucam quidem in oculo suo agnoscit. At tanta peruersitate & pertinacia, quis Ecclesiæ opitulabitur? Habemus nos trabes & festucas in religione nostra, hæc, si Christo placere cupimus, proiicienda sunt. Habet & Schisma ingentes quercus & Tilias, siue agnoscat siue minus: Breuiter hanc domini sententiam non debent obliuioni tradere, quotquot inclinati aut proni sunt ad iudicandum: Immo etiam illi penes quos est alios vel docere, vel corripere. Doctores, Iudices, patres, & omnes quotquot aliqua eminentia clari sunt, admonitos volumus, &c.

*Non est arbor bona, quæ facit fructus malos, neque arbor mala, faciens fructum bonum. Vnaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant vuam. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, & malus homo de malo thesauro suo profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur.*

Adhuc pendent hæc à superioribus, vt sit sensus: Sicut cæcus cæcum commodè non potest ducere, & sicut qui habet trabem in oculo suo, non potest prudenter festucam de oculo fratris eximere, & sicut non potest arbor bona malos fructus facere, nec arbor mala bonos fructus procreare: ita non potest homo qui multis vitiis inquinatus est, aliorum sceleribus insultare. Qui sine peccato est, ait alibi Christus, primum lapidem mittat in adulteram. Sic & hoc loci dicendum: Qui ipse nunquam deliquit, non immeritò se interponit iudicem inter delinquentes fratres. Qui autem ipse in omnium colluuie scelerum voluratur, hic non videtur sceleribus esse infensus, aliàs in semetipso primum puniret, quod in alio puniendum censet. Talis ergo mala arbor non potest bonos fructus ferre, hoc est, Qui ipse sceleribus non renunciat, non potest bono animo fratris traducere peccatum, sed arguitur magis odire fratrem, quàm fratris peccatum: Si enim odiret peccatum, in semetipso primum odiret. Sicut ergo de tribulis non expectamus ficus, nec de spinis vuas, ita de homine impurissimo non possumus expectare iustum iudicium. Spinæ irarum & tribuli odij, in corde tuo sunt, & ideo, quoniam ex abundantia cordis os loquitur, non potest fieri vt quid pacificum inde oriatur, ac amicum quid proferatur. Fias ergo primum arbor bona, dein poteris bonos fructus proferre: hoc est, amputa quæ in te sunt crimina, disce amare innocentiam, & tunc licebit fratris purgare errores. Nemo enim vnquam fuerit iustus iudex, nisi priùs amauerit iustitiam. Disce ergò ante omnia ex fructibus tuis qualis sis, & ipsi tui fructus docebunt quid te facere oporteat. Huc pertinet totum caput tertium Epistolæ sancti Iacobi, inibi enim satis seuerè agit contra detractionem & temerarium iudicium. Hoc loci Christus dicit, arborem bonam non ferre malos fructus, qua voluit declarare, hominem bonum non detrahere proximo. At Diuus Iacobus miratur quomodo homo lingua qua benedicit Deum, maledicere possit hominibus, qui ad imaginem Dei sunt creati, &c. Non oportet, fratres mei inquit, hæc fieri. Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam? Nunquid potest, fratres mei, ficus vuas facere, aut vitis ficus, &c.

Quid

*Quid autem vocatis me Domine domine, & non facitis quæ dico?*

Hijs verbis declarat Dominus, quã nihil hic loco dixerit, quamque hæc à nemine velit contemni: Si ego inquit Dominus vester sum, quam mihi exhibetis obedientiam? Ego blandulas illas voces non moror, sed opera requiro. Si Dominum agnoscitis, obtemperate iussis meis: si non agnoscitis, quid sibi vult in me Domini vocabulum? Obseruatio præceptorum arguit fidelem seruum, non honorifica compellatio. Qui autem dominos suos solis verbis honorant, hypocritæ potius sunt & gnatones quàm serui. Christus itaque non vult vt tantum audiamus verba eius, ipsáque magnificemus verbis inanibus, sed quærit obsequium. Sic etiam in Malachia loquitur Dominus: Filius honorat patrem, & seruus dominum suum. Si ergo pater ego sum, vbi est honor meus? Et si ego Dominus sum, vbi est timor meus? Apud Matthæum verò legimus Dominum dixisse: Multi mihi in illa die dicent Domine domine: Nonne in nomine tuo prophetauimus, &c. Et tunc confitebor illis, Quia nunquam noui vos, discedite à me omnes qui operamini iniquitatẽ. Et iterũ: Non omnis qui dicit mihi Domine domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. Multi enim vt Paulus conqueritur, cõfitentur se nosse Deum, factis autem negant. Sequitur cõtinenter in Luca.

Mala. 1.

Mat. 7.

*Omnis qui venit ad me & audit sermones meos, & facit eos, ostendã vobis cui similis sit. Similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altũ, & posuit fundamentum supra petram. Inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, & nõ potuit eã mouere, fundata enim erat supra petram. Qui autẽ audit & nõ facit, similis est homini ædificanti domũ suã supra terrã sine fundamẽto, in quam illisus est fluuius, & cõtinuo cecidit, & facta est ruina domus illius magna.*

Non auditores legis, sed factores iusti pronunciantur ab Apostolo, & D. Iacobus eum qui cõtentus audisse verbum, de exequendo non est solicitus, comparat viro stulto consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo, &c. Et Christus ca. xi. dicet: Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Sic in sequentibus audiemus, quàm varij, quàm differentes sint, qui verbum Dei audiunt, & quod vix quarta pars seminis verbi Dei in bonam terram cadit. Iam quam similitudinem hic posuerit Christus, audimus, nec necesse est, vt quid domus, petra, imber, flumina, venti significent, singulatim exquiramus, non enim, vt singula suas haberent significantias, posita sunt. Possem quidem, nec temere, dicere fundamentum esse supra Petram, hoc est super Christum positum, Inundationes autẽ & ventos, varias esse tentationes, sed quoniam breuioribus comprehendi hæc possunt, pluribus non tractemus. Qui verbum Dei audit, hócque factis ipsis exequutus fuerit, olim in tempore periculoso, hoc est, in die iudicij sentiet vtilitatem: Qui verò contentus auditione, opera non curat, hic olim experietur, quàm stultè egerit. In Euangelio enim huius Lucæ nostri audiemus, Seruus sciens voluntatem domini sui, & non faciens, plagis vapulabit multis. Et D. Iacobus: Scienti bonum facere & non facienti peccatum est illi, &c. Profectò stulti sunt qui tantum ædificant splendidè & non vtiliter: Et stulti sunt qui sibi satisfactum putant, si solum numerentur inter electos, etiam si non numerentur cum electis. Sed quoniam in sequentibus sæpe de auditione verbi Dei

loquendum est, iam vela collecta volumus, ad caput sequens properantes.

## CAPVT VII.

*Cvm autem implesset omnia verba sua in aures plebis, intrauit Capharnaum. Centurionis autem cuiusdam seruus male habens erat moriturus, qui illi erat pretiosus.*

Christus ante verbis tantùm docuit, & discipulos & turbam præsentem: nunc verò miraculorum operatione, non solùm docet, sed etiam quæ paulò ante docuerat confirmat, sicque doctrinæ suæ pondus addit, & auctoritatem sibi apud populum conciliat: Pluris enim æstimatur eius doctrina, qui tam mira operari potest. Sed ad textum. Cùm implesset omnia verba sua, &c. intrauit Capharnaum. Hic intelligendum est, quia non antequam hæc verba terminauit, intrasset: sed non esse expressum, post quantũ temporis interuallum, cum istos sermones finisset, intrauerit Capharnaum. Ipso quippe interuallo leprosus ille mundatus est, quem suo loco Matthæus interponit: Et hæc pro concordia Euangelistarum ex D. Augustino. Porrò in Capharnaum, erat centurio quidam, cui domi erat seruus, sic Paralysi periclitabatur de vita, vt nisi in tempore succurrisset Christi benignitas, actum fuisset de illius vita. Ea res discruciabat animum hominis Centurionis, non æstimans eum ex conditione, sed ex fide & synceritate morũ: & quorundam interim arguit inhumanitatem, qui seruos non alio habẽt loco, quàm equos aut boues. Sed de dominorum in seruos humanitate, & horum in dominos fidelitate, suo loco dicemus. Nunc iuuat audire quid Centurio tentauerit.

*Et cum audisset de Iesu, misit ad eum seniores Iudæorum, rogans eum vt veniret, & sanaret seruum eius. At illi cum venissent ad Iesum, rogabant eum sollicitè dicentes ei, quia dignus est, vt hoc illi præstes. Diligit enim gẽtem nostram, & Synagogam ipse ædificauit nobis.*

Hic nihil obscuri est, nisi fortassis aliquem moueat, quod Matthæus scribit hunc Centurionem ad Iesum accessisse, quum tamen Lucas noster habeat ipsum misisse senes Iudæorum ad Dominum. Hoc autem nullam contradictionem habet, quoniam verisimile est quod primum miserit Iudæos rogantes, deinde etiã ipse venerit. Adde quod Matthæus, iuxta Augustinum, communem loquẽdi modum posuit, quo dicimus aliquẽ quid fecisse, quod per alios fecit: Sic dicitur ad Cæsarem peruenisse; qui quod voluit impetrauit. Chrysostomus putat Centurionẽ à Iudæis detentum, ne primus ipse accederet ad Iesum, suumque obtulisse obsequium, dicentes: Non opus est vt tu per temetipsum abeas post eum, quoniam Centurio es, gentilis es: nos qui non vanæ reputationis sumus apud reliquos Iudæos, eum adducemus, vt tibi tuum sanet seruum: Venientes itaque satis officiosè commendant Christo Centurionem, quàm sit Iudæorum populo propicius, diligit inquiunt, gentem nostram, & Synagogam ipse ædificauit nobis, & Dignus est vt hoc illi præstes: Vides hic Iudæorum fastum? Non allegant qualis sit Centurio erga Christum, sed qualis erga se, ac si Christus in gratiam Iudæorum illi quàm ocyssimè opitulari debeat. Decebat autem ipsos dicere, quoniam ipse Centurio volebat venire & supplicare, nos autem detinuimus, calamitatem eius videntes, & cadauer quod in domo iacebat: aut fidei eius promere immensitatem, &c. Sed sic solent impij, etiam si proximo cõmodare volunt, sua commoda nõ obliuiscuntur: Et vtinam nemo simplicium

dum peiores sibi emat patronos & intercessores, quàm Centurio ille sibi elegerit. Multi inquit ille, non sibi sed sibi consulunt.

*Iesus autem ibat cum illis: Et cum iã non longe esset à domo, misit ad eum Centurio amicos dicens: Domine, noli vexari. Non enim sum dignus vt sub tectum meum intres, propter quod & me ipsum non sum dignum arbitratus, vt venirem ad te, sed dic verbo, & sanabitur puer meus. nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic, vade, & vadit: & alio veni & venit: & seruo meo, fac hoc & facit.*

In literis noui testamenti bene audiunt huiusmodi Hecatontarchi siue Centuriones, etiamsi fuerint gentiles: Sed præludium hoc fuit, eius, quod gentes qui videbantur alieni à repub. Israelis, magna alacritate magnaque auiditate essent cursuræ ad Euangelij doctrinam: Ad crucem Christi inuenimus Centurionem stantem, & morienti, immo iam mortuo Christo testimonium dantem: Vere filius Dei erat iste. In actis Apostolorum magnum Cornelij Centurionis legitur præconium. Porrò qualis fuerit Centurio hic, cuius Lucas meminit, ipsa res clamat: Sic fauebat veræ religioni, vt suis ipsius sumptu Synagogam Iudæis ædificarit. Dein audita fama de Iesu, nihil dubitat quin omnia, quæ de Christo magnificè prædicabantur vera sint: De fide huius paulo post Christum audiemus loquentem. Humilitatem non possumus silentio præterire, hac enim sola ductus non audet Christum accedere, sed per internuncios rem agit, expressis verbis significans suam modestiã. Domine, inquit, non sum dignus vt intres sub tectum meum, &c. Charitatis non triuiale iudicium est, quod infirmitatem serui sui tanti facit, quod Iudæorum proceres subornat intercessores, quod amicis, serui nomine, negotium facessit, quod nihil laboris intermittit, tantum vt curetur seruus. Debent enim probi domini non minus amare infirmos seruos quàm robustos. Nec dignus est Christiano nomine qui famulorum sanorum vtitur opera, ægrotos autẽ domo eijcit. Boues sic tractantur, hij enim statim vt aratro amplius inhabiles sunt, mactantur, &c. Sed ad historiam propius. Videntur hic Domini nostri Iesu Christi benignitas, & Centurionis humilitas, quasi inuicem pugnare: Christus non cessat beneficium beneficio addere: Centurio renuit tantum accipere. Benignitas Dominum ire compellit. Centurionis humilitas dominum admittere erubescit: nec mihi videtur hæc contentio minus pulchra, quàm illa quæ post facta est inter Christum & Petrum de lotione pedum. Dominus paratus est ire: Qui sic? An non potuit absens curare absentem? Si potuit apud Ioannem absens curare filium Reguli, potuisset vtique curare & seruum Centurionis: Sed audiamus super hac re D. Ambrosij doctrinam. Quantum diuinæ humilitatis insigne, inquit, vt cæli dominus nequaquam dedignaretur Centurionis seruulum visitare? Quod vtique non ideo faciebat, quia absens curare non poterat, sed vt formam tibi daret humilitatis imitandæ, qua iuxta humilioribus deceret ac superioribus deferendum. Denique ad reguli filium pergere noluit, ne videretur magis diuitijs detulisse: hic ipse perrexit, ne videretur in Centurionis famulo conditionem despexisse seruilem, &c. Hactenus ex sententia Ambro. quem in hoc etiam secutus est postea Diuus Pont. Gregorius. Iam quid sibi velint Centurionis verba paucis perstringendum est: Domine, inquit, noli vexari. Non est, vult dicere, cur istud laboris capias, vt huc venias. Plus præstat tua benignitas

Math. 27.
Act. 10.

gnitas, quàm audebā petere. Agnosco dignitatem tuā, nec ignoro meipsum; Ethnicus sum, Hecatontarchus sum, & de seruo tantùm agitur. Indignum me iudico cuius tectum subeas, atque hac de gratia non sum ausus venire ad te. Existimant enim Iudæi sese nostro cōgressu contaminari: quia sumus à religione cultuq; Dei alieni, varijsq; peccatis obnoxii: at summa de te fiducia fecit, vt ausus sim famulo meo periclitanti salutem petere, eā tu verbo præstare poteris. Hoc à meipso conijcere possum. Nam & ego homo sum, & alienæ potestati subditus, & tamen habeo seruos qui mihi obtemperare coguntur, si vel vnico verbo eos alloquor. Iam si tantam autoritatem habet mea iussio, qui tibi in nullo par sum, quanto magis te etiam quiescente fiet, si quid simplici verbo mādaueris eis qui tibi subditi sunt. Hæc Cēturionis verba tam pretiosa visa sunt Ecclesiæ, vt in perceptione sacrosanctæ Eucharistiæ nunquam non sint in vsu, sicut hoc ipsum nouerūt fideles. Sed videamus quid Domino visum sit super his verbis.

*Quo audito, Iesus miratus est, et conuersus, sequentibus se turbis dixit: Amen dico vobis, nec in Israel tātam fidem inueni. Et reuersi qui missi fuerant domū, inuenerunt seruum qui languerat, sanum.*

Non admiratur Iesus, quasi illi nouum esset quod audiret, cum nosset animum Centurionis, antequam tam pretiosa verba dicerentur, sed potius admirantis præ se speciem tulit, vt admiratione sua confirmaret Cēturionis fiduciam, & Iudæis suam ipsorū incredulitatem, hominis ethnici & militaris exemplo exprobraret. Hinc etiam vertit se Dominus ad turbas qui comitabantur ipsum, & ait: Amen dico vobis, illudq; vobis affirmo pro certo, quòd hactenus nec in Israeliticæ gentis populo, tantam fidem compererim, scilicet qui certò crederent apud me idem esse dicere & facere, quod etiam solius Dei est, de quo Propheta: Ipse dixit & facta sunt, &c. Quod autem Dominus dicit se non inuenisse tantam fidem in Israel, non de omnibus retro prophetis & patriarchis, sed de præsentis æui intelligendum est hominibus, quia isti legis & prophetarum monitis edocti sunt, ille verò gentilis fuit, & à republica Israelis alienus. Sed si quis obseruauerit communes loquendi modos, talibus vniuersalibus locutionibus nihil mouetur. Cætera plana sunt. Quæ moralia vel tropologica hic adducere possem, silentio prudens volo præterire. Pulchrè tamen hic adumbratum est, quo medio Christus salus ipsa à Iudæis ad nos gentiles peruēnerit, &c.

*Et factum est deinceps ibat Iesus in ciuitatem quæ vocatur Naim, & ibant cum eo discipuli eius, & turba copiosa. Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ. Et hæc vidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa.*

Qui iam paulo ante vocatus & rogatus seruum Centurionis grauiter ægrotantem sanauit, hic statim adolescentem mortuum ad vitam reuocabit, testabiturq; re ipsa se & vitæ & mortis esse authorem. Sed quis & vnde adolescens ille fuerit, primò audiendum est. Factū est, inquit Lucas, deinceps, hoc est, post sanatum Centurionis seruum, ibat Iesus in ciuitatē quæ vocatur Naim. Nam quò latius spargeretur semen euangelicæ doctrinæ, Iesus frequenter aliunde alio commigrabat. Itaque relicta Capharnaum, venit Naim. Ea ciuitas duobus fermè passuum millibus abest à monte Thabor, ad plagam Australē, haud procul ab Endor. Huc euntem Dn̄m comitati sunt discipuli, quorum iam magnus erat

erat numerus, cumq; his copiosa turba promiscuæ multitudinis. Quum autẽ Iesus non procul esset à porta ciuitatis, ecce noui miraculi occasio. Efferebatur enim defunctus quidam, qui vnicus fuerat matri suæ filius, quem pater moriens, viduæ post se reliquerat. Et erat turba ciuitatis multa cum vidua illa. Aperta est historia, sed non negligenda quasi infrugifera: possunt enim inde hauriri multa saluberrima documenta, quæ nos breuitati studentes, breuiter quasi digito demonstrare volumus. Audis Iesu bonitatem omnibus expositam? Disce ergo & tu prodesse omnibus, obesse nemini. Audis discipulos & turbam cũ Domino? Qui fit quòd tu relicto Domino, post Satanam curris? Cur non potius amas augere discipulorum Christi numerũ? Qualis vis videri, talis esto. Vis vocari discipulus Christi, abrenuncia Satanæ & põpis eius, &c. Audis adolescentem defunctum? Memorare nouissima tua, & quoniam statutum est omnibus hominibus semel mori, Ignoras an in adolescentia, an in decrepita senecta te Dominus hinc vocare velit. De pompa funeris ad finẽ huius historiæ, deq; ritu sepeliendi. Sequitur:

*Quam cũ vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere. Et accessit, et tetigit loculum. Hi autem qui portabant, steterunt. Et ait: Adolescens tibi dico, surge. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ.*

Natura hoc habet, vt matres filiorum funera flentes ac lugentes sequantur, sicut & sanctæ illæ sorores suum fratrem Lazarum mortuum fletibus prosequutæ sunt. At hæc mater multas habebat lugendi causas. Eius enim maritus iam fato concesserat, & iam mortem patris filius adolescens apud matrem lenire potuit: adde quòd vnigeniti plerunque magis amantur à parentibus, quàm vbi est liberorum copia. Igitur cùm mater vidua nihil minus timet, vnicus filius, adolescens, vnicus hæres, infirmitatem incidit maximam, moritur, effertur ad sepeliendum. Nulla reliqua spes est, omnia deplorata, omnia desperata sunt. Dum infirmatur, aliqua recuperandæ sanitatis spes superesse potuit. Efflatus animæ extasis videri potuit: at dum in loculo positus ad sepulchrum effertur, quid sperare licebit? Id quod Dauid olim lugens dicebat: Propter infantem dum adhuc viueret, ieiunaui & fleui. Dicebam enim: Quis scit, si fortè donet mihi eum Dominus, & viuat: Nunc autem quia mortuus est, quare ieiuno? Nunquid potero eum reuocare amplius? Ego vadam magis ad eum, ille verò non reuertetur ad me, &c. Sic inquam, potuit & cogitare & dicere misera illa vidua, quoniã nihil minus sperabat, quàm in proximo esse qui & vellet & posset à mortuis reuocare adolescentem. Verùm ille qui à propheta, adiutor in oportunitatibus vocatur, in tempore adest, & se viduæ consolatorem exhibet, inquiens: Noli flere, statimq; accessit, & tetigit loculum, & vnico verbo adolescentem ad vitam reuocat. Hoc enim est verè consolari, causam tristitiæ, quoad fieri potest, auferre. Sic & nos discamus cõsolari, non inanibus verborum bullis, sed ipsis beneficiis. Ad hunc modum docet nos Iacobus cap. ij. vt fratribus egenis non solùm dicamus: Abite cum pace, calescite, saturamini (nam hoc est lingua tantùm consolari) verùm etiam vt largiamur illorum necessitati, operiamus, cibemus, &c. Solatia quæ verbotenus fiunt, tenuioribus committantur, qui præter verba officiosa, communicare proximo suo nihil possunt. At opulenti, rebus & officiosis verbis dent, hoc est, & liberè & libenter, &c. Viduæ parum gaudii accessurum erat ex eo verbo,

2. reg. 12

verbo, Noli flere, nisi resedisset in loculo adamatus puer. Quod adolescēs resuscitatus loquitur, fidem facit miraculo, vt omnes audiant illum verè viuere. De negotio resurrectionis in Corinthijs nostris multa diximus.

*Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum, dicentes: Quia propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitauit plebem suam.*

Iustum est vt quod præ magnitudine non intelligimus, potius admiremur, quàm calumniemur: dies enim diem docet, & quod nescientes nō contemnimus, suo tempore nobis aperietur. Hæc propter præsentem populum dico, qui non intelligēs ad viuum opera Christi, non criminatur, non contemnit, non irridet: sed stupet, admiratur, & magnificat Deum, qui ipsis talem ac tantum prophetam miserat. Nihil enim adhuc altius de Christo suspicatur populus Naimæus, nisi quòd Propheta quispiam esset insignis. Et propheta quidem erat Christus, ptout ipse testatur Lucæ xiij. Nō capit prophetam perire extra Hierusalem. Et iterum: Nemo propheta acceptus est in patria sua. Verùm non propheta solùm est, sicut alij prophetæ, sed Dominus prophetarum, id quod illorum nulli⁹ fuit. De visitatione plebis ex Zachariæ cantico plura diximus in superioribus. Iam quoniam in præmissa historia aliqua mentio fit moris & consuetudinis sepeliendi defunctos, & nostro seculo etiam hoc negotium miserè tractatur, animus est nonnihil hic adducere: qui copiosiora velit ex D. Augustini (de cura pro mortuis agenda) opusculo petat. Primò autem omnium hoc præmittam. Moriēdum nobis est, siue velimus, siue nolimus. Itaq; hic conuersemur in hoc corporis mox interituri domicilio, vt quàm viuere, mori magis libeat. Non vacat hic doctrinam moriendi ascribere, qualem aliquot docti huius ætatis tradiderunt

Tractatus de ritu sepeliēdi, contra Pseudeuangelicos.

posteritati. Porrò quemadmodum ferè nulla cura est, siue quomodo viuant Christiani, siue quomodo moriantur, ita nulla propemodum sepulturæ ratio est. Pseudeuangelici quidam nihil æquè contemnunt, ac sepeliēdi ritum. Quid mea refert, inquiunt, vbi locorū cubet cadauer meum. Perinde mihi est seu sepeliar ruri, seu in cœmiterio: tantummodo anima bene habeat. Audiuimus quidem hæc, sed ab his qui nullam animæ suæ rationē habere solent. Talibus igitur ego dico: Si nolunt humi, putrescant, si lubet, vel in aere. Indigni sunt Epicuræi huiusmodi qui cū bonis, quorum religionem detestātur, dormiant. At rectè Christiani aliter animati sunt, aliter viuunt, aliter loquūtur. Norūt enim omnia & ordine suo debere fieri. Nolle humari ferinū est: Non cupere ritè humari, irreligiosi hominis est. Erat olim probrum ecclesiæ quod Christianorum corpora in Gothica clade inhumata passim iacerent, & erat id D. Augustino artificiosè erga Gentes excusandum. Olim regio Prophetæ Dauidi magnæ curæ erat, vt collecta occisorum corpora sepelirentur, & quàm solliciti fuerint patriarchæ, pro sepeliēdis suis ipsorum corporibus, scriptura non tacuit. Quo loco igitur ponemus eos qui ritè sepeliendi ritū sic contemptui & ludibrio exponunt. Si templa Dei sunt corpora fidelium, &, vt cum Augustino loquar, organa spiritus, quibus ille ad omnia bona vsus est, cur ita abiici deberent? Amas vestem & res alias nihili, ob amicum aliquem heroem: & tabernaculum Domini, per quod fides Domini laudata est, vili ducis. Nō sic, ô boni, non sic, sed potius de efferendo ac condendo mortuo Christiano, Christianè solliciti simus, imitantes Iosephum ab Arimathæa, & viros illos religiosos qui cum planctu tumulandum vnà curarunt S. Stephanum protodiaconum, item & Ioannem Baptistam,

1.reg.u

Gen.13. 47.50. Tobi.4

ſtam; præſertim verò Tobiã, qui propter iſtud ſepeliendi ſanctũ opus Deo charus fuit. Fiat quod gerimus Christiano ritu, & ordine decenti. Si acceerſeris presbyteros ad funus, bene facis: nec obeſt fidei, ſi S. crucis præferas imaginem, ſi proceſsio ordinata præcat, ſi lugubri cantu teſtentur fratrem vel ſororem Chriſtianam obdormijſſe, ſi lugeatur, neque tamen vt Gentes, quæ ſpem non habent. Si denique presbyter primus terram iniiciat, ſi procumbatur ad orandum pro anima defuncti hominis: hæc omnia Chriſtianè fiunt, & iuxta conſuetudinem veteris eccleſiæ, tantum abeſt vt in his aliquid ſit impij, &c. Diuus ille Chryſoſtomus ſcribit illum morem fuiſſe in eccleſia, ſuo tempore, vt quoties obdormijſſet aliquis, pſalmi aliquot inter efferendũ canerentur. Verba eius ſic habent: Quid ardentes lampades ſibi volunt? Quid hymni? Nonne glorificamus Deum, & gratias ei agimus, quia iam defunctum coronauit? Nonne propterea pſalmodiæ: hæc omnia gaudentium ſunt, &c. Scribit autem contra immodicos importunosq; lugentes, quod idem Paulus Apoſtolus facit. Poſſem & alia ex Chryſoſtomi homilijs adducere, quæ breuitati ſtudens, prudens prætereo. At ſi quando ſe locus obtulerit dicendi de ſuffragijs quæ pro defunctis fiunt, copioſiora audietis. Ad finem porrò adijciam ex Dionyſio Areopagita ritum ſepeliendi primitiuæ eccleſiæ, eius ſentẽtia hæc eſt: Cœtu coacto, pontifex reclinat defunctum ante altare, & orationem vna cũ gratiarum actione facit: item canuntur pſalmi accommodati. Poſt recitant Diaconi promiſsiones de reſurrectione carnis, è ſacra ſcriptura. Hoc facto; expelluntur Cathecumeni. Deinde ſanctos iam diu defunctos concelebrat, cum quibus & illum nuper defunctũ pari laudatione concelebrat, &c. Poſtremò ſuper defuncto orat, ſalutat

1. theſ. 5.

Hom. 2 In epiſt. Heb. 2. c

Eccleſ. Hierar. cap. 7.

eum, oleum ſuper eum fundit, & honeſto loco corpus collocat, &c. Auditis amici, non nouum, non papiſticũ eſſe, ritè religioſeq; ſepelire, ſed ipſo apoſtolorum tempore, morem extitiſſe, funera per miniſteria presbyterorum curata, fuiſſe adiunctas lectiones, pſalmodiam, preces, ceremonias, & honeſtum ſepulturæ locum. Et ex his facilè deprehendimus, quiſnam fuerit veſperarum, & vt vocant, vigiliarum, origo. Vnde nomen vigiliarum, & quare omnis concentus magis de generali hominum reſurrectiõe, quàm de ſola defuncti anima. Impiè itaque Lutherani irrident quod pium eſt, & cuius vel originem ignorant. Fateor tamen quod auaritia cleri bonum ritum hunc vitiauit: ſcio, & deploro: fecerunt quæſtum è mortuarijs, inhiarunt ceu prædæ funeribus, &c. Valeant itaque abuſus, & reſtituatur bonus ritus. Supereſt iam alia quæſtio, quam etiam D. Auguſtinus noſter ventilauit, nimirum, an locus honeſtus animæ defuncti, per ſe vel proſit vel obſit? Ad hæc verbis Auguſtini reſpondere iubet. Si aliquid prodeſt impio ſepultura pretioſa, oberit pio vilis aut nulla. Præclaras exequias in conſpectu hominum purpurato illi diuiti turba exhibuit famulorũ: ſed multo clariores in conſpectu Dñi vlceroſo illi pauperi miniſterium præbuit angelorum, &c. His addit Auguſtinus, quantum proſit mortuo fideli in memorijs martyrum ſepeliri, ad hoc ſcilicet, vt dum amici recolunt vbi ſint poſita eorum quos diligunt corpora, eiſdem ſanctis illos tanquam patronis ſuſceptos apud Dominum adiuuãdos orando commendent, quod etiam facere poſſent, etiam ſi talibus locis eos humare non poſſent. Concludit poſtremò, vbicunque tãdem corpora defunctorum humentur, non eſſe prætermittendas ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorum. Hæc ex ſententia D. Auguſtini apponere placuit, quibus

De loco ſepulturæ.

De cura pro mort. ger. ca. 2

Cap. 4.

etiam hoc negotium pro tempore & loco volumus esse absolutum. Iam ad intermissum ordinem.

*Et exijt hic sermo in vniuersam Iudæam de eo, & omnem circa regionem. Et nunciauerunt Ioanni discipuli eius, de omnibus his.*

Miraculum hoc à Christo perpetratum, hoc est, quod Iesus Nazarenus (de quo non satis magnificè sentiebant) vnico verbo resuscitauerit mortuum, diuulgatum est vbique: erat enim res admiratione dignissima, & qualem in veteri populo nunquàm audierant. Legerant quidem aliquot mortuos à prophetis excitatos à morte, sed qui solo verbo & propria virtute hoc fecisset, non legerant, & ideo super Christi potestatem magis admirabantur. Porrò & hæc fama peruenit etiam ad discipulos Ioannis, qui factum hoc Christi magistro suo dicebant: subinuidebant enim discipuli Ioannis successui rerum quæ gerebantur ab Iesu, ac nomini eius indies magis ac magis inclarescenti, Ioãnisque, de quo præclarè sentiebant, gloriam, velut obscuranti, & propterea hoc, vt diximus, referebant ad Ioannem. Sic apud Ioannis euangelium ægrè ferunt quòd Christus baptizaret, atque discipulos sibi adiungeret, dicentes Ioanni Baptistæ: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum, &c. Sed quid Ioannes ad relationem discipulorum responderit, audiemus.

Ioan. 3.

*Et conuocauit duos de discipulis suis Ioannes, & misit ad Iesum dicens: Tu es qui venturus es, an aliũ expectamus?*

Ioannes sanctus ille Baptista discipulorũ suorũ morbum exactè nouit, ideoque conuenientẽ studet adhibere medicinã: nouit quàm pro seipso zelent discipuli, nouit quòd infensi sint gloriæ Christi. Ideoque manifestũ fieri cupit discipulis, vt ter veri præster. Ioãnes certè exactè nouerat & Christũ, & huius aduentus causam, ideoque toties de illo testificatus fuerat, dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mũdi. Nihil itaque absurdius, quàm putare vt tantus propheta iam morti vicinus dubitare cœperit. Nec enim vinculis fuit alligatũ huius de Christo testimoniũ, nec carceris tenebræ obscurare potsũt illius de Christo iudicium. Agnouit in carcere, quem agnouerat in vtero. Sed vir optimus mederi voluit hac legatione discipulorũ suorũ incredulitati, aut potius stulto zelo. Apud Ioannẽ quidem, de quo paulò ante diximus, apertis verbis testatur se longè inferiorẽ Christo. Sed quoniã discipuli sui, hoc magis attribuebãt illius humilitati, quàm veræ cõfessioni, alia via aggressus est hãc falsam opinionẽ animis discipulorum suorũ eximere. Putabat aũt Ioãnes, se sic habere optimã occasionẽ, cũ audit discipulos suos etiã nõ rogatos Christi referre miracula. Sed hæc ex sequẽtibus clariora fiunt. Sequitur enim:

*Cũ aũt venissent ad eũ viri, dixerunt: Ioãnes Baptista misit nos ad te, dicẽs: Tu es qui venturus es, an aliũ expectamus? In ipsa hora curauit multos à lãguoribus suis & plagis, & spiritibus malis, & cæcis multis donauit visum. Et respondens dixit illis: Euntes renunciate Ioanni quæ audistis & vidistis: quia cæci vidẽt, claudi ambulãt, leprosi mundãtur, surdi audiũt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur, & beatus est quicũque nõ fuerit scandalizatus in me.*

Nouerat Dñs cuius gratia Ioannes hanc legationẽ misisset, ideoque ad quæstionẽ nõ respondit, etiã vel non: sed statim ad miraculorũ operationẽ progreditur, vt re ipsa declaret quanta sit differẽtia inter potestatẽ Christi & Ioannis. Verbis enim tantundẽ effecisset quantũ Ioannes apud discipulos suos. Ioãnes, quẽadmodũ & iam paulò ante diximus, ingenuè fassus est, se nõ esse

Christum,

Christum, at discipuli humiliati magistri attribuunt. Quod si Christus hic dixisset se Messiā esse in lege promissum, se dominum esse Ioannis, minimè hoc tulissent discipuli Ioannis, sed adscripsissent hanc, quantumlibet veram cōfessionem arrogantiæ: & tanto minus sensissent de Christo, quanto plus arrogans videretur, &c. Voluit igitur Christus operibus magis quā verbis declarare suā virtutem. Proinde factis miraculis, ait ad Ioannis discipulos: Ite renunciate Ioanni quæ audistis & vidistis, &c. Quasi dicat: Nō opus est vt lōgo verborū tractu, vobis persuadeā quis & qualis sim: Nō videtis qualia à me fiunt? An tale quid à Ioanne vestro factum est? Renunciate itaque illi quæ audistis & vidistis, & ille vtiq; docebit vos quid opera mea velint. An ne vnq̄ Ioannes illuminauit cæcū? an claudis restituit gressum? an ne vnquam mūdauit leprosum? Nihil minus. At vos iā negare nō potestis quæ à me fieri vidistis. Sic in multis Euāgelij locis prouocat Christus ad opera sua, ex quibus cognosci possit. Ioānis v. ca. dicit Christus: Ego habeo testimoniū maius Ioanne. Opera enim quæ mihi dedit pater vt perficiā ea, ipsa opera quæ ego facio, testimoniū perhibet de me, quia pater me misit, &c. Et cap. x. Si nō facio opera patris mei, nolite credere mihi: si aūt facio, & si nō vultis mihi credere, operibus credite, vt cognoscatis & credatis, quia pater in me est, & ego in patre. Sed hactenus de Christi responsione, quoniā in Matthæo copiosiora dedimus. Obseruandum autem hoc loco venit quā fideliter discipuli Ioannis interrogationem Christo proposuerint, nihil addentes nihilque detrahentes, hoc enim fideles arguit legatos. Obseruandū item quàm diligenter Ioannes quærat salutem discipulorum suorum, quos cupit verè Christianos videre ante suam mortem, quæ iam erat in foribus, &c. Iā ad reliquū historiæ.

*Et cum discessissent nuncij Ioannis, cœpit de Ioanne dicere ad turbas. Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam?*

Ex operibus Christi Christū agnouimus, & iā qualis sit Ioānes Baptista, ex verbis & testimonio Christi discimus. Porrò si quæras quare Christus nō laudauerit Ioannē præsentibus huius discipulis? respondemus. Non indigebant discipuli Ioannis, qui sibi multis suum cōmendarent magistrum, de quo aliàs plus æquo sentiebāt. Item si encomium hoc audissent illi, cogitassent hæc omnia hypocriticè & fictè fieri ab Christo, vt qui discipulis audientibus laudaret magistrum, nō audientibus vituperaret. Solent enim inuidi etiam optima quæq; in deteriorem interpretari partem. Discimus multa præclara ex hac Christi concione, & maximè vt nemini inuideamus fœlicitatem suam, & quæ laudanda sunt, suo tempore ex animo laudemus. Discimus item quod verbi minister multam rationem habere debet suorum sermonum, vt quod per se bonū & vtile est, abusu suo non plus obsit quàm prosit. Audistis iam quare Christus noluerit veras Ioannis laudes canere in cōspectu huius discipulorū, nimirū quoniā nō profuisset illis vtcūq; verè dixisset. At sicut cōueniebat Christū vera hoc tēpore reticere, ita etiā cōueniebat Christū nō mentiri. Sed hæc aliàs. Nō ædificabis helluonē, si perpetuo illi occinis, Omne quod intrat in os, nō coinquinat hominē, &c. Sic pusillanimis cōuenit oratio de Dei ineffabili misericordia: at temerarijs nebulonibus cōueniet oratio de tremendo Dei iudicio instituta. Ad textū: Quid existis, inqt, in desertū videre? q.d. Charissimi auditores quæ fuit vestri cōcursus ad Ioannē causa? Quæ ratio vos mouit, vt relictis omnibus vestris negotiis magno numero ad Baptistā in deserto cucurristis? haud dubiè nō aliā ob causam existis, quàm vt eum, de quo tū tam magnifica prædicabatur, & videretis

rctis & audiretis: Bene, laudo studium vestrum: Quid autē de illo tūc tēporis vobis persuasum erat? Immo quid iā sentitis de illo, quū iā in carcere est, nec prædicare publicè, nec baptizare potest: Vidistis & credidistis tū in illo magnā esse cōstantiam, magnā fortitudinē: hanc dico vobis nondū exuit: Nō facit ad instar arundinis quæ omni vento agitatur: Sermo illius habet est est, nō nō: Non læditur vēto persecutionis, nec capitur tepido adulationis vēto: Quod ad Iordanē dixit, in carcere non reuocat. Testatus est me esse Agnū Dei qui tollit peccatū mundi, nec vnā sibi cōtradicet. Sed satis hæc sunt de Ioānis cōstantia. Hunc Ioannē imitari debēt verbi ministri, ne in suis cōcionibus sint Protei aut vertūni, ne aliud stātes aliud sedētes loquātur: sed sint secū cōcordes & perseuerent in eo quod bene cœperūt. Neq; enim aliqua ratione excusari potest quorundā cōcionatorū leuitas, qui nobis sua volubilitate, vt ita dicā, & diuersitate tantas excitarūt tragœdias, &c. Valeāt arundines illæ instabiles, siue sint prædicatores, siue auditores, nā vtriq; malè audiunt in scripturis. De doctorib⁹ plus satis iā dictū est: de auditoribus loquitē Paulus in hæc verba: Iā nō simus paruuli, fluctuātes, neq; circūferamur omni vēto doctrinæ in neqtia hominū, &c.

Contra cōcionatores in stabiles.

Ephe. 4.

*Sed quid existis videre, hominē mollibus vestitum? Ecce qui in veste pretiosa sunt & delitijs, in domibus Regū sunt.*

Sicut populus in Ioanne non sensit vllam leuitatem aut inconstantiam, ita etiā nō quæsiuit in Ioāne luxū & pōpam vestium: nam si populus capitur luxu vestium, & amar videre homines splendide ac elegāter vestitos, ac pōpaticè incedentes, poterat tales videre in Regia Herodis, in aula Pilati, & cæterorum ædibus magnatum, qui fuerant Hierosolymis, nec erat vlla ratio, propter illa relinquere ciuitatē, & desertū petere. Proinde alia causa fit, quare populus ad Iordanē exierit, necesse est. Litteræ sensus apertissimus est: Nā qualis fuerit Ioānis Baptistæ vestitus, vel cibi etiā luxus, aliis in locis plus satis dictum est. Oportebat enim veritatis præconē nō tantū verbis, sed & moribus & externo habitu pœnitentiam prædicare. Nec excusandi sunt Christiani, si qui præter modum in vestitu luxuriantur, id quod oportuniori loco olim manifestū faciā. Olim accusabantur monachi, ac si ipsam pietatem solo externo habitu metirētur, at quid iam vniuersus faciat mūdus, nemo est qui non videat. Enimuero Germania nostra hac in re supra modū stultescit, &c. Sed redimus ad Christi sermonē.

*Sed quid existis videre? Prophetā: Vtiq; dico vobis, & plusquā prophetā. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui preparabit viam tuam ante te.*

Matthæi quartodecimo Ioānes à populo Propheta dicitur & existimatur: Et Zacharias pater eius Ioannē adhuc infantem & lactentē Prophetā altiss. vocauit dicens: Et tu puer Propheta altissimi vocaberis, præibis enim ante faciē Domini parare vias eius, &c. Et fuerat huius nominis nō parua dignitas apud Iudæos, nec erat prophetarū rarū nomē, quoniā tā eximiorū vatum bona erat & copiosa successio, vsq; ad Machabæorū dies, vbi non multi prophetæ habebātur. Ideoq;, quoniā iuxta tritum prouerbiū, omne rarum charū est, quanto rariores erant Prophetæ posterioribus tēporibus, tanto magis honorabantur & amabātur. Oēs tamē Prophetæ pessimè tandē à Iudæis tractati sunt. Porrò Ioannes Baptista etiā à populo Propheta iudicatus est, quoniā in spiritu & virtute Heliæ venerat, & quoniā ad similitudinē veterū prophetarum & vita & verbis incedebat. Proinde cum fama ad Hierosolymitanos veneat, Ioannē ad Iordanē & prædicate

dicare & baptizare, exibat ad eũ omnis Hierosolyma, & oĩs vicina regio, &c. Et de hac profectione iam interrogat Christus turbã, inquiẽs: Qua de causa, vel quo mori instinctu existis in deser tum: an vt videretis Prophetam? Ego hoc confirmo vobis, si ideo procurri stis in desertum, vt videretis prophetam, non estis frustrati vestra expectatione. Omninò prophetã vidistis, atque etiam plus quàm prophetam. Siquidem hic est ille, de quo olim vaticinatus est Malachias, quòd esset præcursor Messiæ, quique præparaturus esset viam Messiæ, &c. Propheta est Ioannes, quoniam futura prædixit, dicens: Qui post me venit, ante me factus est, cuius non sum dignus corrigiam calciamenti soluere. Plus quàm propheta est, quoniam non solùm de Messia prædixit, sed eundem vbi venerat, digito demonstrauit: adde quod eundem in Iordane baptizauit, quæ prærogatiua omnium prophetarum dignitatem superat. Tertiò Angelus dictus est à propheta Malachia, nã prophetiam hanc ad Ioannis ministerium pertinere, Dñs prophetarũ attestatur, non quòd angelicæ substantiæ fuerit Ioannes (fuit enim verus & naturalis homo ex Zacharia & Elizabetha prognatus) sed quòd habuerit angelicam functionem, nimirum annunciare voluntatem Domini, nihilque contra eandẽ agere. Solet enim propheta ille Malachias etiam alios angelorũ noĩe honorare, nimirũ sacerdotes. Dicit enim: Labia sacerdotis custodiũt sciẽtiã, & legẽ requirent ex ore eius, qm̃ Angel⁹ Dñi exercituũ est, &c. Decet siquidem sacerdotes, vt voluntatẽ Dei populo purè exponãt, populũ angelico amore diligant, & angelica cõuersatione ædificent. O bone Deus, quàm degeneraui⁹ sacerdotes. Sequitur quod etiam ad Ioannis encomium pertinet.

Cap.2

*Dico enim vobis, maior inter natos mulierum propheta Ioanne Baptista nemo est: qui autem minor in regno Dei est, maior est illo.*

Nolumus hic multis disputare, quomodo inter natos mulierũ non sit maior Ioanne Baptista, sed credimus verbo Christi, qui testatur hoc se ita habere. Ioãnis conceptũ, ortũ, atque progressum, conuersationem item & prædicationem in superioribus audiuimus, quæ oĩa satis testantur qualis fuerit, etiamsi non tã magnificis verbis hic extolleretur à Christo. Nõ qui seipsum cõmendat, inquit Apostolus, pbatus est, sed quẽ Deus cõmendat. At Ioannem Deus Dei viui filius cõmẽdat, sic vt eũ & angelis æquet, & oĩbus hominibus præferat, itaque & rectè probatus & laudatus est. Iam qm̃ multa magna ac præclara Christus de Ioãne dixerat, periculũ erat ne populus ipse ad Ioannem à Christo deficeret, idem sentiens de Ioãne, quod Ioannis discipuli, scilicet Ioannẽ esse Messiam, eundemque lõgẽ præferendum Christo. Ad eximendã itaque hãc existimationẽ, statim encomio Ioãnis annectit: Qui minor est in regno Dei, maior est illo. Ac si diceret: Multum iam vobis laudaui Ioannem Baptistam, nec patior vt ab aliquo contemnatur, nec tamẽ is est quẽ multi putant. Est enim vnus illo maior virtute ac dignitate, qui tamẽ iuxta popularẽ existimationẽ minor est illo. Et his verbis Christ⁹ semetipsum tacitè ipsi Ioanni præfert, interim ad ipsius Ioannis testimoniũ alludẽs. Hic enim dixerat: Qui post me vẽturus est, ante me fact⁹ est: quia prior me erat, Et de plenitudine eius nos omnes accepimus. Et iterum: Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datũ de cælo. Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim: Non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum. Illum oportet crescere, me autem minui. Qui de sursum venit, super omnes est. Et apud alios Euangelistas Christus ipse se vocat minorem in regno cælo-

Vide August. con. aduersa. legis lib. 2. cap. 5

Ioan. 1

Ioan. 3

cælorum.i.regno gratiæ,&c. Nolum9 hic repetere quæ super Matthæi euangelio diximus, sed ad intermissum ordinem redire volumus.

*Et omnis populus audiens, & publicani, iustificauerunt Deum, baptizati baptismo Ioannis. Pharisæi autem & legis periti, consilium Dei spreuerũt in semetipsos, non baptizati ab eo.*

Siue hæc Euangelista historicè dicat, siue ex persona Christi, incertum relinquitur: at sensus non admodum incertus est. Idiotæ enim, humiles, & peccatores, qui videbantur à vera pietate alienissimi, & à scientia legis longè sentire, illi, inquam, amplexi sunt Dei beneficentiã, & verbis admonitorijs Baptistæ crediderunt, agnoscentes suam iniquitatem, & Dei iustitiam, baptizari se permiserunt in Iordanis flumine. Rursus Pharisæi, Scribæ, atque legisperiti, quos oportebat hæc maximè intelligere (vt quæ oraculis prophetarum fuerant prædicta & promissa) quiq; videbãtur legis columina, aspernati sunt oblatam Dei benignitatem, spreueruntq; modum hunc saluationis qui Deo placuit, nec dignati sunt semetipsos Baptistæ manibus submittere. At hac improbitate nihil incommodarunt Deo, sed suis ipsorũ miseris animabus. Hoc ẽm significare voluit dicendo: Consiliũ Dei spreuerũt in semetipsos, hoc est, in suã ipsorũ perniciem. Sic nostro seculo inuenire licet, qui Deo volũt præscribere quomodò debeat populi sui operari salutẽ, quiq; magna & impietate & temeritate Sacramẽta, quæ sunt instrumẽta & organa diuinæ gratiæ, nusquàm non calumniantur atq; detestantur, nec dubiũ est quin hoc ipsum suo maximo malo faciant. Succurrit hoc loci quod tãquam dictũ D. Augustini celebratur. Surgũt indocti & rapiunt cœlum, & nos cum doctrinis nostris mergimur in profundum, &c. Fit enim quod de quibusdam Paulus dixit: Cùm se crederent sapientes, stulti facti sunt, &c. Et volentes suã ipsorũ constituere iustitiã, iustitiæ Dei non sunt subiecti, &c. Sequitur.

*Ait aũt Dominus: Cui ergo similes dicam homines generationis huius, & cui similes sunt? Similes sunt pueris sedentibus in foro, et loquentibus ad inuicem, & dicentibus: Cantauimus vobis tibijs, & non saltastis, lamentauimus, & non plorastis. Venit enim Ioannes Baptista non manducans panem, neque bibens vinũ, & dicitis: Dæmoniũ habet. Venit fili9 hoĩs mãducãs et bibẽs, et dicitis: Ecce homo deuorator, & bibẽs vinũ, amicus publicanorũ et peccatorũ. Et iustificata est sapientia ab omnibus filijs suis.*

Hoc prouerbium à foro sumptum Dominus Iesus accommodauit ad Iudæos obstinatos, qui nec Ioannis austeritate prouocati sunt ad timorem vindictæ diuinæ, nec comitate beneficentiãque Iesu Christi. Venit ẽm Ioannes, singulari vitæ austeritate pœnitentiã prædicãs, & pœnitẽtiæ præbẽs exemplũ, neq; pane vescẽs, neq; vini vsum habẽs, in deserto viuẽs, cameli pilis tectus, zona pellicea cinctus, id quod in superioribus auditũ est. His tñ rebus Pharisæi, & alij quos supra taxauit, nihil sunt cõmoti ad pœnitentiã, sed potius cũ deberẽt relinquere peccata, peccatis peccata addiderũt, nõ imitantes, sed calũniantes Baptistã. Dicebãt ẽm: Dæmoniũ habet, caret sensu cõmuni, nõ est verè naturalis homo, &c. Quæris vbi hoc dixerint de Ioãne? In alijs Euangelij locis nõ inuenimus, nec tñ audemus, nec cogitamus Christũ dicere mendacẽ. Sicut enim non sunt perscripta omnia Christi & suorum discipulorũ beneficia, ita & illorũ maledicta & malefacta non sunt examussim perscripta. Porrò Christus venit manducãs & bibens, hoc est, consuetis hominum cibis vtens, & familiariter cum omnibus conuersans, imò longè diuersa via ab ea quam Ioãnes ingressus fue-

fuerat incedēs: Quid porrò profecerit apud impios Pharisæos, obscurū non est. Dicebant enim: Ecce homo deuorator, & vini potor, amicus publicanorum & peccatorum: Sic ergo nec tibijs, nec lamētationibus aliquid profectum est, hoc est, nec ieiunantes, nec comedentes Pharisæis placuerunt. Ieiunat Ioannes, male audit: comedit Christus, & male audit. Si pharisæi eos amant, & eos libenter cum obedientia audiunt, qui corpus suum ieiunijs & fame castigāt, quare nō audiūt Ioannē, cuius omnino & mirabilis & magna fuit abstinentia? Si autē tales amāt cōcionatores qui nihil singulare præ se ferunt, sed cum omnibus familiariter conuersantur, habēt quē audiāt, Christū. Porrò morosis & impijs illis pharisæis, nemo sufficiens est, verùm suo maximo malo. Suo enim iudicio condemnantur, quum vtrumque vitæ institutū & commendāt & vituperāt. In eo enim quod Ioannis austeritatem calūniantur, Christi humanitatem laudabilē esse testātur: In eo porrò quod humanitati Christi contradicunt, Ioānis institutum cōmendant. Cæterū forsan æquo prolixior sum hoc in negotio quod non omnino obscurum est, maximè si ad iudicia quorundam hominū huius ætatis respicias. Fit enim plerūque vt qui hoc in illo laudet, in alio vituperet, cū tamen vtrinque par sit cōditio: Exempla sunt odiosa, ideoque ab his abstineo. Porrò quomodo sapientia (Dei intellige) iustificata sit ab omnibus filiis suis, paucis aperiendum est. Nihil enim his verbis aliud vult ostēdere, quàm Ioānis & Christi prædicationem, & disparem conuersationē, nō omnino fuisse frustraneā: Licet enim apud Pharisæos nihil profectū fuerit, tamen apud filios Dei nihil frustra tētatum est, hi enim agnouerunt tā dispar vtriusque institutum Deo esse commodissimū. Huc pertinēt quæ alibi leguntur de ouibus quæ audiūt vocem pastoris, eumque sequuntur, quo exit, & quo intrat: Animalis aūt homo non percipit ea quæ sunt Dei, nec potest intelligere, &c. Sic filij Dei nō calūniantur Dei sapientiā, sed multo magis cōmendant, sciētes quia quod stultū est Dei, sapiētius est hominib⁹: Pharisæis aūt nihil nisi quæ ipsi & dicunt & faciunt, placet. Non recipit stultus verba prudentiæ, inquit Salomon, nisi dixeris ea quæ versantur in corde suo, &c.

Pro. 18.

*Rogabat autem illum quidā de Pharisæis, vt manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi discubuit.*

En ò bone, mirā Pharisæorū impudentiā: Non ita pridē Christū dixerūt hominē comedonē, & vini potorē, & iā eundē vocāt ad conuiuiū: Accedit Iesus, nihil moratus illorū inuidiā, sed parui pendens illorū calūniandi libidinē. Habebat enim Iesus cibū in hoc conuiuio manducandū, quē Pharisæi nō nouerant: Immo nihil temerè nihil præter expectationem, sed omnia iuxta sapiētissimū Dei consiliū fiunt. Sic enim disposuerat Deus pater cælestis, vt in celeberrimo conuiuio, in cōspectu etiam timidorū Pharisæorum, apertissimo exemplo demōstraretur, q̄ verè dixerit Christus, à Pharisæis contēni Dei sapientiā, eandē verò à filiis Dei honorari ac iustificari. Inuitat ergo Pharisæ⁹ Christū, ignorans quid spectaculi visurus esset. Inuitatus Christus venit, non ignorans quid se facere oporteat.

*Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quòd Iesus accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguēti, & stās retro secus pedes Domini, lachrymis cœpit rigare pedes ei⁹, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguēto vngebat.*

Quæcumque hic dicuntur, vel sole meridiano clariora sunt, nisi quis hic velit inaniter disputare, quot nam fuerint mulieres quæ in Euangelio leguntur diuersis in locis vnxisse Dominū.

Sunt qui duas tantùm, Sunt etiam qui tres volunt fuisse: at de nomine nulla est quæstio, sed de exemplo historiæ. Et profectò egregium hic cernitur exemplum pœnitentiæ: Quis iam desperet? Sed de hoc in sequentibus: Imo quis peccantem fratrem non patienter ferer, quum ex maximo peccatore, vix verè plus fieri possit? Quis es tu, inquit Apostolus, qui iudicas alienũ seruum, &c. Potens est Deus rursum erigere lapsum: An non hic videmus mirabilem animi mutationem? Quale spectaculum? Mulier quæ suis sceleribus hoc promerita fuerat, vt etiam inter alias peccatrices ipsa vel sola peccatrix nominaretur, venit in ædes Pharisæi. Quid huic negotij cum muliere, cum peccatrice? Nihil, nec tua gratia venit ô Pharisæe, nec tu illam inuitaueras. Audiuit Dominum Iesum fontem scilicet omnis bonitatis in ædibus tuis recumbere, & ideo venit. Quid factura? Non vt instar Marthæ mensis ministraret, non vt vel Ganymedis vel Hebes, vt in fabulis est, fungeretur officio, sed vt apud fontem gratiæ, peccatorum suorum ablueret maculas. Nec est quod impudentem velis dicere, quòd non vocata accesserit ad conuiuium: nec enim erubescunt infirmi medicis ostendere vulnera. Sed rursum ab ipso capite ordiamur historiam. Mulier erat in ciuitate peccatrix, vtique in ciuitate Hierusalem, mulier famosa, mulier non bonæ famæ: Quæ nam fuit illa? Quo vocata est nomine? Quid tua refert, ô pessime delator: An te iuuat traducere, quam Lucas nominare noluit. Profectò hic perstringendi nobis forent scelestissimi illi delatores, qui nihil magis student, atque fratrum traducere malefacta: nec cõtenti sunt aperuisse scelus, nisi addiderint & personam & locũ, & omnes circumstantias, &c. Sed valeant pessimi homines illi: Tu vide Lucam quàm circũspectè omnia agat. Duo hic sunt quæ occultare noluit, quoniã occultari nõ debuerunt: Misericordia scilicet Christi, & peccatricis pœnitentia. Hæc autem sic refert, vt medicũ indicet, malehabentis nomen silentio prætereat, voluit enim scribere historiã, nõ proximi proscindere famam. Habes ergo iã cur noluerit hic nominare mulierem. Hæc itaque mulier, vbi cognouit quod Iesus accubuisset in domo Pharisæi, accessit. Videtur hic innuere Euangelista, quòd mulier illa plurimũ solicita fuerit, quibus mediis posset ad Christum venire, nec aliunde potuisse inuenire occasionem, nisi recumbentẽ accederet. Accedit ergo in ædes Pharisæi, non ignara, quanto fastu soleat Pharisaicum hoc genus auersari peccatores, quum ipsi intus grauioribus maderent vitijs. Attulit autem secum delitias suas, nimirum delicatum vasculum vnguentarium, quod ob leuorem, qui obstat quo minus apprehendi possit, Alabastrum appellant: Attulit aũt vt quod prius fuerat dedicatũ mũdi vanitatibus, & instrumentũ peccati, fieret iam instrumentum pœnitentiæ. Olim autem qui voluptatibus carnis seruiebant, vnguentis impendio delectabantur: nostro seculo pretiosis vtũtur aquis, ita vt voluptas non sit sublata, sed potius mutata. Porrò quoniã lecti triclinij prohibebant bonam pœnitentẽ, quo minus corã se prouolueret ad pedes Iesu, stetit à tergo, & quod licuit, cœpit lachrymis rigare pedes Iesu, & hos sic lachrymarum imbre lotos, non linteo aliquo, sed capitis sui capillis tergebat: nec his contentus mirus peccatricis amor, lotis & extersis pedibus desigebat oscula, sicque omnia quondã inhonestæ voluptatis instrumenta vertit in obsequiũ illius, qui solus remittere potuit, quod peccatũ fuerat. Quis autẽ dubitet quin mulier peccatrix, multis modis Deũ, vnguento, oculis, crinibus, & ore offenderit? Sed iam omnia hæc Deo dicata sunt:

Rom. 14

Et profectò veræ pœnitentiæ est, vt perpetrata vitia, virtutibus compẽsentur illis contrarijs: vt qui prius blasphemauerit, iam benedicat: qui prius aliena rapuit, iam propria lubenti animo alijs impartiat: qui prius impudicus, iam sit castus, &c. Breuiter, ex Apostolo, quod volo audiemus: Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatẽ: ita nunc exhibete vestra membra seruire iustitiæ, in sanctificationem. Sed videamus quid interim hospes ille Simon ad hæc.

Rom.6.

*Videns autem Phariseus qui vocauerat eum, ait intra se dicens: Hic si esset Propheta, sciret vtique quæ & qualis est mulier quæ tangit eũ, quia peccatrix est.*

Hic Pharisæus ex se metitur omnes: & quoniam Pharisaica iustitia tumebat, eandem in Christo esse putabat. Porrò hoc hominum genus existimabat homines sanctos pollui, si cum peccatoribus quocunque modo commercium haberent. Hinc est quòd à foro recedentes simul atque sese recepissent domum, statim lauabant semetipsos, vt purificarentur: id quod ex Marco olim accepimus. Verùm quid ad hæc Paulus? Omnia, inquit, munda mundis. Immundis autem & coinquinatis nihil est mundum: sed polluta est illorum & mens & conscientia. Externa illa cohabitatio, & mutua conuersatio per semetipsam neminem improbum reddit: at prauus anim⁹, vbicunque fuerit, sibi similis existit. Habitauit in Sodomis Loth. Gen.xix. & vt D. Petrus ait, aspectu & auditu iustus erat, habitans inter eos, qui de die in diem animam iusti iniquis operibus cruciabãt, &c. Et D. Paulus alibi dicit: Si quis non velit omninò conuersari cum impijs huius mũdi, hunc de mundo hoc debere exire: sciebat enim haud dubiè vbiq; bonos & malos inueniri. Et de Philippensibus tamẽ dicit, quòd in medio nationis prauæ & peruersæ luceant, sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes. Proinde non est quod putet Pharisæ⁹ Christũ coinquinari tactu mulieris, & dicat: Hic si propheta esset, &c. Scilicet coinquinatur, iuxta Pharisaicam iustitiam, si quis tãgitur à peccatore aliquo infami, aut à publicano aliquo, aut si quis immeritò pios traducit, si quis famam proximi proscindit, si quis in maioribus peccatis existens, eos qui minus peccauerunt præ se cõtemnit, si quis, inquam, talia facit, nullam coinquinationẽ veretur. Certè Pharisæus hic non compatitur mulieri, non amat pœnitentem, de Christo incipit malè cogitare, nec tamen vllum putat se propter hoc habere peccatum, Christum autem peccare existimat, eam tantùm ob rẽ quòd permittit se tangi à peccatrice. Sic, si lubet, increpa medicum, qui ægrotũ tangit vt curet: & lauda eos qui ægrotantem nec inuisere dignantur. Sed suffecerit, hæc de Pharisæi stulta iustitia & impia hypocrisi dixisse.

Marc.7. Ad Tit.1. Gen.19. 2.Pet.2. 1.Cor.5. Philip.2

*Et respondens Iesus dixit ad illum: Simõ, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister dic. Duo debitores erant cuidam fœneratori, vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisq;. Quis ergo eum plus diligit? Et respondens Simon dixit: Aestimo quia is, cui plus donauit. At ille dixit ei: Rectè iudicasti.*

In rebus proprijs plerunque cæci sumus, in alienis autem plus æquo oculati, vnde fit, vt rarò quæ recta sunt iudicemus, sed iuxta quod affecti sumus, ita etiam iudicamus. Ad hoc arguendum plurimum faciunt parabolæ, quando scilicet sub aliena persona, nobis nostræ proponuntur iniquitates iudicãdæ. Sic Dauidi adultero proponitur parabola de duobus hominibus, quorum alter plures oues, alter vnam tantùm habebat: pauper porrò

2.reg.12

à ditiori opprimitur, vim patitur, sua sibi auferuntur. Dauid iudex constitutus semetipsum imprudens condénat. Idipsum in multis euangelicis parabolis à Domino Pharisæis propositis patet. Et in hac parabola Simon proprijs verbis capitur, & vt phreneticus, funé quo ligetur, in collo portare deprehenditur. Nec dubium est, quin longè aliter iudicasset, si apertioribus verbis ré audisset, hoc est, si dixisset Christus: Simon, vter me plus amat, tu ne, an peccatrix hæc? Profectò Simon non passus fuisset se postponi mulieri: verùm parabolam audiens, & quo tenderet ignorans, contra semetipsum fert sententiam. Porrò parabola nulla expositione opus habet, vt quæ per semetipsam aperta est. Omnes enim qualescunque sumus, Dei debitores sumus: hic quidem plus, alius minus debet. Sed quantum quisque debeat, siue plus siue minus, nemo per semetipsum potest soluendo esse, sed omnes egemus gratia Dei, clamantes: Remitte nobis debita nostra, &c. Arguit autem hic Domin⁹ præsenti parabola, se verè esse prophetam, imò prophetarum dominū, Dei filium, & scrutatorem cordium, quãdo ad stultas & impias Pharisæi responder cogitationes. Postremò quoniam Christus illius probat iudicium, dicēs: Rectè iudicasti, docemur veritatem à quocunque prolatam, non contemnere ex odio, vel personæ paruitate. Veritas Dei est, qualemcunque tandē habeat possessorem. Iam audiemus ad quid Christus parabolā proposuerit.

*Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit.*

Iam palam fit, vter mulierem hanc propius agnoscat, Christus ne an Pharisæus. Hic antè dicebat: Si hic, Christ⁹ scilicet, esset propheta, sciret vtique quæ & qualis esset ista mulier. Iam autem audit à Christo: Vides tu ô Pharisæe, hanc mulierem? Nouerat quidem pharisæus mulierem ex facie, nouerat ex nomine, nouerat ex malo facinore, & sic potuit agnosci à multis alijs. At Christus nouerat mulierem hanc ex corde, sicut à nemine alio agnosci poterat, nisi à solo Deo, qui prædicatur solus probare renes & cor, & scire quæ in homine sunt. Igitur qui mulierem propius nouerat, alij manifestiorem facit, exemplis demonstrans mulierem hanc non esse peccatricem, sed pœnitentem potius, & Christum plus amare, quàm amet illum Pharisæus. Vides hanc mulierē, inquit Christus ad Pharisæū, Putas ne mihi ignotum quæ & qualis fuerit? Nolumus referre qualis fuerit: sed tu considera qualis iam sit, nimirum non contemnenda, sed multis nominibus tibi anteponenda. Intraui enim domum tuam, quoniam inuitaueras me, neque tamen mihi aquam ex more dedisti, ad lotionem pedum, cùm tamen non pluris constitisset. At mulier hæc lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. Tu minora non dedisti, hæc potiora non negauit. Neque enim vsquam pretiosior aqua inueniri potest, quàm sint lachrymæ hominis pœnitentis, & deflentis peccata sua. Hæ enim tantam habent virtutem, vt si ex pœnitenti corde proueniant, omnia in vniuersum peccata abluant. Hæc aqua quãto pretiosior est, tanto minus reponenda est: non enim alium habet vsum, nisi vt effundatur. De hac pretiosa aqua in psalmis dicitur: Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Et iterum: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Et rursum: Potum meum cum fletu miscebam. Et Hieremias: Defecerūt, inquit, in lachrymis oculi mei, & oculi mei caligauerunt. De lotione porrò pedum non est vt multis disputem, quoniam iuxta

Hier.17.
Psal.42
Psal.41
Psal.101
Thre.2

iuxta morem Palæstinorũ peregrinis lauabantur pedes: id quod in historijs Abrahæ & Loth videre licet.

*Osculum mihi non dedisti: hæc autem ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos.*

Et hoc veterem resipit morem, imò non veterem, sed solùm à patrijs moribus alienum. Certè in epistolis Paulinis non rarò fit mentio osculi sancti, & osculi pacis, quod beneuolentiæ & apertæ amicitiæ fuerat symbolum. Et hactenus in multis regionibus in congressibus, amici amicos osculo excipiunt. Exprobrat itaque Christus Pharisæo, quòd nec consuetis quidem amicitiæ symbolis vsus erga se fuerit: Peccatrix autem omnem amicitiam & beneuolentiam exhibuerit. Tu mihi, inquit, non osculatus es vel semel genas, id quod nec publicis peregrinis denegatur: hæc autem non genas, sed pedes osculata est, nec hoc obiter, nec semel tantùm, sed ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos.

*Oleo caput meum non vnxisti, hæc autem vnguento vnxit pedes meos.*

Et hoc quod de oleo dicitur, gentilitium est, id quod ex alijs etiam Bibliorum historiis intelligimus. Surrexerat enim Dauid olim, audiẽs filium quem ex Bersabæa sustulerat mortuũ, faciem lauabat, & caput suũ vngebat. Et in Matthæi euãgelio legimus Christum dicere: Tu autem cùm ieiunas, faciem tuam laua, & vnge caput tuũ, ne videare hominibus ieiunans, hoc est, omnia facito quæ hilaritati conueniũt. Loquitur ergo Dñs ad Pharisæum: O Simon, tu ne vulgari quidẽ oleo vnxisti caput meum, quod officij vulgò præstatur conuiuis quibuslibet: hæc pedes meos, id est, abiectissimã meam partem, pretioso vnguento perunxit. Differentia est inter caput & pedes, inter oleũ & pretiosum vnguentũ. Tu nõ exhibuisti capiti, quod illa pedibus.

2.Reg.12

Cap.6

*Propterea dico tibi, Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multũ. Cui autẽ minus dimittitur, minus diligit.*

Quoniam iam vides, inquit, apertissimis & solidissimis argumentis, quantum me diligat mulier hæc quam peccatricem vocas, dignum est, vt suã operam non collocarit frustra. Itaque quoniam dilexit multum, meritò ei multa peccata remittuntur. Noli itaq; iam perpendere quantum peccarit, sed considera quantum amet. Quo enim grauius peccauit, hoc sibi magis displicet, ac me, cuius gratuita clementia est à peccatis liberata, vehementius amat. Porrò cui minus remittitur, minus diligit. Hoc est, qui se iustum esse putat, nec multum habere quod ipsi ignoscat Deus, frigidius amat. Clarius dicam. Qui magnitudinem peccatorum suorum agnoscit, horumq; se remissam à Deo impetrasse confidit, magis diligit Deum, quoniam magnum beneficium se sentit à Deo accepisse. At qui putat se nihil à Deo accepisse, idem putat se Deo aut nihil aut parum debere. Hoc etiã in infirmis & medicis huius mundi cernitur. Qui à leui morbo medici cura liberatus est, non putat se tãtum debere medico, quantum alius qui grauius laborarit, &c.

*Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata tua. Et cœperunt qui simul accumbebãt, dicere intra se: Quis est hic qui etiam peccata dimittit? Dixit autem ad mulierem: Fides tua te saluam fecit, vade in pace.*

Satis superq; iam misera peccatrix morbum suum medico visendum exhibuerat, satis fiduciam quam in medicum habebat, demonstrauerat: tempus itaque erat, vt absolueretur, vt cõsolationem acciperet, ab eo qui pater misericordiarum & Deus totius cõsolationis dicitur. Nouerat Christus hui⁹ morbo decentem medicinam, scilicet, vt nõ habẽti donaret debitũ. Absoluit

itaque

itaq; eam Chriſtus dicens: Remittuntur tibi peccata tua. Hic non poſſunt amplius ſe continere Phariſæi, quin ſuam prudentiam oſtẽdant, quin quid de Chriſto credunt, aperiant. Cogitant itaque intra ſe: Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit? En blaſphemiam. Volunt dicere: Ieſus Nazarenus fabri filius, homo peccator, Sabbathi tranſgreſſor, epulo, amicus publicanorum, ſibi vẽdicat quod ſolius Dei eſt. Qui ipſe peccator eſt, aliis peccata vult remittere. At Domin⁹ Ieſus nihil moratur Phariſæorum malitiam, nec reddit rationem ſuorum dictorum: ſed mulieri dicit: Fides tua te ſaluam fecit, vade in pace. Incredulitas Phariſæos perdidit: at fides mulierem ſaluã fecit, ſic vt quæ paulò ante peccatorũ premebatur pondere, turbatamq; habebat cõſcientiam: iam haberet peccatorum veniam, & quietam conſcientiam. Iam hic quidam diſputant, cui nam debeat acceptum ferri remiſsio peccatorum, fidei ne, an dilectiõi, an pœnitẽtiæ? Pœnitẽtiæ operavidim⁹ fletu ac lachrymis plena. De dilectione primò loquitur Chriſtus: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. De fide porrò: Fides tua te ſaluam fecit, vade in pace. Quid ergo dicemus? Fide agnouit quem diligeret, & eum dilexit, in quem, vt in omnium ſeruatorem crediderat. Quoniam autem videbat ſe illum peccando offendiſſe, eundem ſtudet pœnitendo placare. Tantum volui hic dicere. Præſtat enim pœnitentiam malè commiſſorum agere, quàm de pœnitentia longam diſputationem inſtituere. Tu ſi voles remiſſionem peccatorum inuenire, imitare ſanctam illam peccatricem, & ſpe tua minimè fruſtraberis. Sit autem huius capitis finis.

*Cui virtuti tribuatur peccatorũ remiſsio*

## CAPVT VIII.

*ET factum eſt deinceps, & ipſe iter faciebat per ciuitates & caſtella, prædicans & euangelizãs regnum Dei: & duodecim cum illo, & mulieres aliquæ quæ erant curatæ à ſpiritibus malignis, & infirmitatibus: Maria quæ vocatur Magdalena, de qua dæmonia ſeptẽ exierant, & Ioanna vxor Chuſæ procuratoris Herodis, et Suſanna, & aliæ multæ, quæ miniſtrabãt ei de facultatib⁹ ſuis*

Tanta erat Domini Ieſu benignitas erga peccatores reſipiſcentes, quantumlibet humiles, vt nõ ſolùm vnam hanc admiſerit Mariam ad contactum pedum, verùm etiam aliquot ſecũ circumduceret, vnà cum Apoſtolis ſuis, ac ſe ſuoſq; harum liberalitate ac miniſterio ſubleuari pateretur. Etenim cùm Ieſus per oĩa comitantibus diſcipulis ſuis, quò latius ſpargeretur ſemẽ euangelicæ doctrinæ, ſubinde locũ mutaret, perambulãs per ſingulas ciuitates ac vicos, ne quid deeſſet rerũ neceſſariarũ aſsiduè vagis, & vni negotio intẽtis, comitabãtur & Ieſũ aliquot mulieres, quas vel liberauerat à ſpiritibus immundis, vel à morbis ſanauerat. Digladiationẽ cuius & in proximo capite meminimus, de numero Mariarũ, quã ad ædificationẽ parũ facit, ſilẽtio præterire volumus⁹. Nõ abſurda tñ huic negotio intulit D. Caietanus Cardinalis in ientaculis ſuis. Suffecerit hic & animaduertere, & imitari, quod mulieres illæ à Luca nominatæ tam fideliter & Chriſtũ ſecutæ ſunt, & eidẽ famulatæ. Ex euangelica hiſtoria certè apertum eſt, quòd nec patientẽ, nec morientem in cruce reliquerint, eundemq; in ſepulchro quæſierint. Quomodo tractandi ſint exẽplo Chriſti cõcionatores, quoniã odioſum eſt, nolim referre. Paulus dixit: Presbyteri duplici honore digni ſunt, maximè qui laborant in verbo, &c. Sed ad contextum.

*Vltimo ientaculo.*

Cùm

*Cùm autem turba plurima cōueniret, & de ciuitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem: Exijt qui seminat seminare semen suum, & dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatū est, & volucres cœli comederūt illud. Et aliud cecidit supra petrā, & natū aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi audiat.*

Quoniam Dominus ipse parabolæ huius interpretationem aperiet, superfluum fuerit nos de illa plurima dicere. At moralem hinc licebit haurire doctrinam, scilicet ne cælum, quod dicitur, terræ misceamus, etiam si quod erogamus non redeat cum duplici fœnore. Neque enim delectatur Christus, si diuites ditioribus benefaciant, vt à quibus sperant retributionem: sed vult vt pauperibus, qui talionem benefactoribus suis reddere non habent, bene fiat à ditioribus. Aliam item doctrinam eruere licebit ex verbis Euangelistæ, nimirum vt non simus frigidi & segnes auditores verbi, sed multò magis properemus ad Christum, eiusque verbi præcones. Nemo via esse velit, nemo petra, nemo spinosus ager, sed bona terra: hoc pacto, prompto ridentique animo, bene culto & subacto agro, semina mandabimus. Quòd si lapidosum & incultum viderimus, dabitis veniam, si illic serere recusabimus. Summæ nanque dementiæ est, semina in incultam terram iacere. At si quis viderit terram seminis bene capacem, si viderit sementem magno prodire cum fœnore, non potest fieri quin agricola magnam sentiat laboris alacritatem. Certè Christus, sicut ex Matthæo patet, miram præ se fert alacritatem in docendo, dicente sancto illo Telone: In illa die exiens Iesus de domo, sedebat secus mare. Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita vt in naui sederet, & omnis turba in littore stabat. Quid porrò Christus dixerit per similitudinem, auditum est, & non ita multò post à Christo interpretabitur. Quod autem Christ[us] dicit: Qui habet aures audiendi, audiat: obseruandum est, quòd vbicunque hæc admonitio interponitur, mysticū esse manifestum est quod dicitur. Et quoties his sermonibus commonemur, ad dictorum intelligentiam prouocamur.

Cap. 13

*Interrogabant autem eum discipuli eius, quæ esset hæc parabola. Quibus ipse dixit: Vobis datum est, nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant.*

Haud dubiè intellexerant discipuli verba parabolæ à Domino propositæ, hoc est, intellexerunt rem se ita habere, sicut à Christo prædictum fuerat, scilicet quid ager, quid semen, quid fructus, quidve sator, siue agricola. Quis enim ignorat, non omne semen venire ad frugē? Qua de causa? Semen bonum est, in rustico non est vt requiras vel laborem vel diligentiam. Qui fit igitur, vt vix quarta pars ad frugem veniat? Terra nimirū, siue ager in causa est, dum non suscipit quod fideliter seminatur. Hæc, inquam, omnia intellexerant discipuli. Quoniam autem audiunt Dominum adijcere: Qui habet aures audiendi, audiat, non dubiū est, quin cogitauerint Christum hac agriculturæ imagine nonnihil aliud, & quidem præcipuum quid, adumbrare voluisse. Erant quidem omnes discipuli, omnesque circunstantes auriti: at non omnes audiendi verbum Dei aures habebant. Inuenire enim licebit qui aures habent, quas impuris cantibus, impijs doctrinis, & detractoribus non illibenter locant: at qui verbo Dei aures

res admoueat, vel eleemosynam petentem libenter audiat, vbi inuenies? Sed satis de hac re. Cæterùm interrogatio hæc nō est facta à discipulis, simulatq; Christus parabolam absoluerit, nec facta est præsente plebe, sed postea cum soli discipuli cum solo Domino in domo quadam erant. Et hinc discant laici boni, vt quæ non intelligunt, nō grauatè à doctoribus quærant. Labia sacerdotis custodiunt sciētiam, & legem requirent ex ore eius, ait Dominus per prophetam. Quid enim proderit identidem vel legere, vel audire, nihil tamen intelligere? Dicam cū Chrysostomo: Quis vestrū, respondere quæso qui assistitis, vnum, si exigatur, psalmum potest memoriter edicere? aut quamlibet diuinarum scripturarū alterā portionē? Nullus omninò est, &c. At Iudæorū pueri nō ita indocti sunt, quin aliquam possint ostendere fidei suæ rationem. Itaque quod ignoras, ô bone, ne pudeat te discere: habes in hoc quos imiteris Christi Domini nostri discipulos. Iam quid interrogantibus discipulis Dominus responderit, audiamus. Vobis datum est, inquit, nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Habent aulæ regum arcana sua, quæ celantur plebeis, & ab aulæ consortio alienis. Habet & Euangelij regnum secreta sua, non temerè cuiuis proferenda, sed ita proponenda, vt ab iis tātum cernantur, qui sunt aulæ domestici. Nolite, inquit Christus alibi, proijcere margaritas ante porcos, nec detis quod sanctum est canibus. Et fidelis Domini seruus familiæ, non alienis, cibaria dat suo tempore. Quòd si alieni in familiam Domini venerint, tunc tandem meritò fient mensæ Domini participes. Itaque quoniam discipuli facti sunt domestici Domini, & ij per quos olim Dominus obibit sua munia, dignum est vt intelligant, quæ alijs, sunt parabolis inuoluta & obtecta. Cæteri enim quoniam adhuc alieni sunt, à familia & discipulatu Christi, indigni sunt qui sublimia illa & sancta audiant: non enim magni æstimant verbum Dei, alioqui per semetipsos interrogassent ex Christo parabolarum apertam intelligentiam. Et longè melius est, veritatem nunquàm cognouisse, quàm cognitam despexisse. In hunc ferè sensum etiā doctissimus ille Adamantius interpretatur hunc locum, libro Peri archon tertio, vbi etiam cauet, ne quis in huiusmodi scrupulosis quæstionibus æquissimæ Dei dispensationi reluctetur, Deúmve perditionis nostræ velit facere autorem. Sed audiamus Christum suæ parabolæ interpretem.

Malach. 2. | Homil. 2 in Mat. | Matt. 7. | pag. 146

*Est autem hæc parabola: Semen est verbum Dei. Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt, deinde venit Diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant.*

Hic, inquit, est sensus parabolæ mysticus: non enim loquor de semine tritici vel siliginis, sed de verbo Dei, de euangelio quod filius hominis seminat in corda omnium hominum, qui tamen non omnes fructificāt, sicut agricolæ non omne semen ad fructū prouenit: nonnulla enim seminis pars secus viam cadit, & volucribus cæli in cibum fit. Sic etiam sunt qui audiūt verbum Dei, sed Diabolus haud ignarus quid ex frequenti auditione tandem prouenire possit, accedit & tollit verbum de corde auditorum, ne credētes salui fiant. Salui fierent enim haud dubiè, si audita & corde seruarent, & operibus perficerent. Proinde Satanas quos non potest à concionibus prorsus abarcere, eos tamen non permittit verbis corde attēdere: sed malitiæ suæ semen habet, hoc cordibus indit, vt sibi fructificent, non Deo. Itaque non temerè Ecclesiæ consuetudo habet, vt con

conciones à præcibus inchoentur, & præcibus peccatorúmque generali confessione, nec non signaculo crucis finiantur. Audis enim hoc loci Diabolum non cessare, vbi verbi Dei studium est: Præmonuit te Christus, caue ne depræderis. Non est tam socors qui admonitus affore furem vel raptorem pecuniarum, quin diligentius omnia custodiret. Sic enim habet Euangelica lectio: Si sciret Paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique,& non sineret perfodi domum suam. At thesaurus verbi Dei, quoniam omnibus diuitiis præponderat, maiori solicitudine, anxiorique cura custodiendus est. Non audis furem? raptorem non consideras? Audi Christum, sic dicentem: Diabolus continuo aduolans, sublegit verbum Dei, priusquam inhærescat animo. Fac igitur quod ille qui in Psalmis canit: In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Quare abscondit? quoniam timet ne aduolans raptor ille malignus abripiat. An in corde bene absconditum? Vtique, si enim inibi probe absconditum fuerit, nulla ratione eripi potest: at qui in aures tantùm immittunt, aut solum lingua circumferunt, cito facilliméque perdent. Tu itaque pondera qualis sit thesaurus, quid seruatus prosit, quidue perditus obsit,& cautius post hac age. Propheta ille Psaltes canebat: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Et iterum: Dilexi mandata tua super aurum & topazion, &c. Rursum audiamus cælestem Agricolam.

Psal. 118

Ibidem.

*Nam qui supra petram, qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum, & hi radices non habent: quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.*

Sequitur hic alia auditorum pars, qui & ipsi tantum adferunt fructus, quantum priores, hoc est nihil. Illi patiuntur sibi verbum Dei callidè à Diabolo eripi: hij patiuntur sibi violenter semen verbi Dei extorqueri: Illi volebant incipere credere, hij iam inceperant, sed vtrisque nihil profuit. Solet enim Satanas non vno solum modo Christianis negotium facescere: nunc astu & blanditiis vtitur, post vi ac persecutionibus, id quod in primitiua Ecclesia apertis & frequentissimis fiebat exemplis. Primum blandis verbis Tyranni conueniebant Christianos, & multos honores, magnamque vim diuitiarum pollicebantur, vt talibus illecti & capti homines fideles, ad idololatriam deficerent. Et non raro sic decipiebant homines. Quòd si hæc frustra tentassent, verbis asperis, crudelibusque comminationibus corda fidelium solicitabant atque tentabant, dicentes: Aut nega aut vapula: & hijs machinis nonnullos à fide desicere fecerunt. Huiusmodi exemplis vitæ sanctorum, & Christiana cronica abundant. Non possum hic silentio transire quod Diuus Hieronymus Stridonensis in vita Diui Antonii retulit: Voti tunc Christianis erat, inquit, pro Christi nomine gladio percuti. Verùm hostis callidus tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat iugulare, non corpora, &c. Addit Diuus Hieronymus duo exempla, de duobus adolescentibus Christianis, quorum alterum dirissimis tormentis, alterum verò nephandissimis libidinibus vincere satanas tentauerit: Sed longiora sunt quàm vt hic referri possint. Ad contextum itaque redimus, ad eos scilicet qui verbũ Dei cum gaudio suscipiunt, & quoniam radices non habent, temporales tantùm sunt, & in tempore tentationis recedunt. Neque enim dubium est, quin homines probi

Eccle. 2. varias sint experturi tribulationes: Hinc apud Sapientem dicitur: Fili accedens ad seruitutẽ Dei, præpara animam tuā ad tentationē. Et D. Petrus 1.Pet.4. inquit: Nolite peregrinari charissimi, hoc est, ne vobis videatur nouum quid accidere, si quando tentationis feruor vos corripuerit: sed communicantes Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis, &c. Igitur qui non vult tẽtari nomine Christi, frustra cōciones adit, frustra audit, frustra de illis gaudet, quoniam nihil proderit, etiāsi quis illa omnia fecerit, nisi quis paratus sit voluntati Dei præponere quicquid huius seculi existit. Proinde nemini satis esse videatur, si audierit verbū Dei cum gaudio, sed sic audiat, vt mente reponat, vt non obliuiscatur, vt nihil pretiosius existimet, paratúsq; sit illius nomine subire durissima quæq;. Porrò vt sic radicetur verbum Dei in cordibus hominum, nō humanarum virium est, sed Dei gratiæ, quæ sola liquefacere potest durissima corda nostra. Hoc nouerat Salomon dū diceret ad populum: Sit dominus Deus Reg.3. cap.8. noster nobiscum, sicut fuit cum patribus nostris, non derelinquens nos neq; proiiciens, sed inclinet corda nostra ad se, vt ambulemus in vniuersis vijs eius, Ezec.11. &c. Apud Ezechielem porro pollicetur nobis Dominus cor non durum, inquiens, cor lapideum auferā de carne eorum, & dabo eis cor carneū, vt in præceptis meis ambulent, iudicia mea custodiant faciántque ea, & sint mihi in populum, & ego sim eis in Deū, &c.

*Quod autem in spinas cecidit: hi sunt qui audierunt, & à solicitudinibus, & diuitijs & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum.*

Ecce quota pars hominum frustra audit Euangelium? Duo genera auditorum præmissa sunt: iam tertium sequitur, quod & ipsum frustra audit. Hoc genus diuitū est, qui cum audierunt, tot voluptatibus ac solicitudinibus occupantur, vt non possint ferre fructū, vt non habeant tempus reficiēdæ miseræ animæ. Qui enim diuites sunt, & Deo & Māmonæ simul & semel inseruire volūt. Deo quidē seruiūt in eo quòd verbum Dei audiunt, at Mammonæ sic addicti sunt, vt nullum fructū ferre possint, vt nō suppetat illis tēpus obediendi verbo audito. Quid? Inuenire iā licet, qui seruitio Māmonæ sic addicti sunt, vt ne semel quidē verbum Dei accedant: at de his nullā mētionem fecit Christus, vt qui indigni sunt, quorum vlla sit apud Christianos mentio. Vide autem hic tria in verbis domini, primum quòd diuitias spinis adsimilat, & quòd his addit solicitudines & voluptates. Qui autē possunt diuitiæ spinis cōparari, quū illæ delectēt, hæ autem pungant? At Dominus qui omnē diuitiarū conditionē nouit, nō frustra illas spinis adsimilauit. Et certè Chrys. 2.Thes. 2.Ho.3. spinæ sunt diuitiæ, nullū adferētes fructum, & cohibētes & impedientes alios fructificare: Imo spinæ dictæ sunt propter adnexā solicitudinem, quæ verè pūgit ac cruciat potius quàm delectat. Hinc & nos de homine qui magnis curis angitur, dicimus: Spinis insidet. Ita & diuites verè spinis insident: sic anxij sunt, sic soliciti, sic punguntur, vt nec læti māducare, nec quieti cubare possint. Hæc autem solicitudo non eo tendit, vt diuitijs rectè vtantur, vt rectè ipsas dispensent, sed vt eas vel augeant per fas & nefas, vel illis ad luxum & voluptatem abutantur. Iam verbum Dei non patitur, neque hoc neque illud, sed iubet vt sic omnia possideas, quasi nihil haberes, & voluptates huius seculi, cane & angue peius odias. Deme itaque solicitudines & vanas voluptates, & diuitiæ tibi non oberunt. Vtere illis ad frugalitatem, & vt decet: hoc

Chryso. in Ioan. Ho. 18. hoc est tanquam Dominus, non tanq̃ seruus, vt ea possideas, non ab his possidearis: Vtere, inquam, illis, non abutaris. Sed suffecerint hæc.

*Quod autem in bonam terram: hi sunt qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.*

Ex hac parabola licet intelligere quàm verè dixerit Christus: Angusta est via quæ ducit ad vitam, & pauci ingrediuntur per eam: Et multi sunt vocati, pauci verò electi. Quarta enim hominum pars vix obaudit verbo Dei. Illi autem rectè audiunt, qui verbum Dei bono corde suscipiunt, idémque retinent, & in patientia fructificant: At cor bonum est, quod omni malitia vacuum est, cor contritum & humiliatum, vt cum Propheta loquamur, cor quod peccasse pœnitet, quod emendationem iam iam meditatur: tale cor, inquam, bonum est, & quoniam auidum est & cupidum verbi Dei, auditum verbũ retinet, non patitur sibi à Diabolo eripi, sed in corde abscondit. Porrò sic absconditum, & sic retentum, non potest non fructificare. Iam & hoc prætereundum non est, quod semen etiam iam enatum & quasi maturum, non omninò liberum est, nec tutum est, sed habet aduersarios & insidiatores non paucos, ideoq; addit Christus, fructificandum esse in patientia, nesciat licet mundi tẽtatione frangamur, neq; spe futurorum deficiamus, &c. Sed hac de parabola plus satis.

*Nemo autem lucernam accendens, operit eam vase, aut subtus lectũ ponit: sed super candelabrum ponit, vt intrantes videant lumen.*

Ex capite Matthæi quinto intelligimus hæc Domini verba de accensa lucerna ad Apostolos ipsius pertinere, quos illic & sal terræ & lucem mundi huius nominauit. Quoniã enim Dominus supra dixerat Apostolis, vobis datũ est nosse mysteriũ regni Dei, cæteris autẽ in parabolis, nũc ostẽdit per eos etiã, cæteris aliquãdo idẽ mysteriũ esse reuelandũ. Nemo, inquit, accendit lucernam, & accensam operit vase, aut sub lectum reponit, sed imponit candelabro, vt qui domum intrant lumẽ videant: hoc est, Nihil nunc priuatim aut parabolis inuolutum traditur vobis, quod pòst non sit manifestandum toti mundo: nec quicquam nunc est tã obscurũ & abstrusum ab intelligentia rudiũ, quod progressu temporis nõ sit per vos eruendũ, & in omniũ notitiã proferendũ. Sic alibi dicit: Quod dico vobis in tenebris, prædicate in luce: & quod in aurem auditis, prædicate super tecta. D. Augustinus docet hic etiã à Domino caueri, ne quis habẽs verbi Dei notitiã, metu aliquo ab illius prædicatione cesset. Vasis enim & lecti nomine carnẽ, lucernæ verò nomine typicè verbum Dei intelligit. Iã qui verbum Dei ob metũ carnaliũ incõmodorũ reticet, hic certè carnẽ suã manifestationi veritatis præponit, &c. Facilia sunt hæc, & apud Matthæũ illustrata.

*Videte ergo quid audiatis. Qui enim habet, dabitur illi: & quicũq; nõ habet, etiã quod putat se habere auferetur ab illo.*

Vobis, inquit, videndũ est quomodo audiatis, nimirũ vt nõ sitis tantũ auditores verbi, sed etiã factores: ergo quod auditis, magna solicitudine infigatis animis vestris, ne quid excidat aut pereat: Qui enim habet, dabitur illi, &c. Hoc est dicere: Qui auidè accipit intelligentiã mystici sermonis, ac veluti thesaurũ diligẽter reponit in animo, dignũ se declarat cui plura cõmittantur: Qui verò indiligẽter thesaurũ hũc abscõdit, quicq; quod habet nõ fideliter impertit, etiã hoc ipsum quod videtur habere, auferetur ab eo. Eadem verba apud Matthæũ exposita sunt, nimirũ cap. xiij. & ca. xxv. Cõstat certè, quod postq̃ Deus benignissimus ille, bonitatis suæ

multitudinem in nos effudit, & nos re ipsa probè fuerimus vsi, augebitur bonitas erga nos, vtpote gnauos & gratos: Contrà fit cum eis, qui cum aliquid datum fuerat, vel abutuntur, vel non vtuntur: faciunt enim contra voluntatē Dei, qui non frustra sua dona largitur, sed vt fructificent per dilectionem ad gloriam ipsius: Hoc enim vult parabola de talentis, cui etiam appendix illa adiuncta est. Et infra apud nostrum Lucam ca.xij. audiemus. Omni cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo. Sequitur.

*Venerunt autem ad illum mater & fratres eius: & non poterant adire eum præ turba. Et nunciatum est illi, mater tua & fratres tui stant foris, volentes te videre. Qui respōdens dixit ad eos. Mater mea & fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt & faciunt.*

Lex Dei docet quidem nos honorare parentes, eosdémq; ex animo diligere, illis obedientiam præstare: at ea lex vult vt se, hoc est, cultū Dei, omnibus parentibus, fratribus & sororibus præferamus, id quod in sequentibus capitulis audiemus. Dominus itaq; Iesus vt declararet quàm preciosa res sit Euangelica doctrina, quantáque cura & solicitudine tradenda simul & accipienda sit: accidit die quodam, vt Iesu docente populum, veniret mater & fratres, hoc est, cognati ipsius, cupientes illum conuenire, de rebus aliquibus familiaribus, nec patebat aditus obstante dēsitate multitudinis: Quod cum illi nunciatum est, respondet quos maximè amet loco matris & fratrum, auditores nimirum & factores verbi Dei. Quo dicto matrem nō exclusit, neque negauit, sed potius numerosæ multitudini adnumerauit. Nā & ipsa non solum audiuit sermones eius, sed etiam eosdem custodiuit: capite vndecimo simile quid audiemus, quando Dominus dicet mulieri plebeæ: Beati qui audiunt verbū Dei, & custodiūt illud. Et apud Ioannē: Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei estis, & cognoscetis veritatē, & veritas liberos vos reddet: Plus enim amat Christus quæ spiritus, q̄ quæ carnis sunt. Huc etiam pertinet quod in superioribus dixit. Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse? &c. Obseruandum autem quòd verbi minister nec amicorum blanditijs, nec inimicorum iniurijs ab instituto suo remorari debet. Arguendum enim est, obsecrandum, instādum, opportunè & importunè, in doctrina tamen (vt non tantùm mala detestemur, sed etiam bona doceamus) & patientia, ne quid ex inuidia aut contentionis studio fiat. Sequitur.

*Factum est autem in vna dierum: & ipse ascendit in nauiculam, & discipuli eius, & ait ad illos: Transfretemus trans stagnum: Et ascenderunt. Et nauigantibus illis obdormiuit: & descendit procella venti in stagnum, & complebantur & periclitabantur. Accedentes autem suscitauerunt eum dicentes: Præceptor, perimus. At ille surgens, increpauit ventum & tempestatē aquæ: & cessauit & facta est tranquillitas. Dixit autem illis: Vbi est fides vestra? Qui timentes mirati sunt, ad inuicem dicentes: Quis putas hic est, quia ventis & mari imperat; & obediunt ei?*

Math.8 Marc.4

Nihil horum quæ hic legimus, casu factum est, sed omnia illo, per quem, & in quo omnia sunt, prædefiniente contigerunt, vt Christi potentia, & mira fidei efficacia panderentur. Et aperta quidem est historia, verùm necessarijs etiam doctrinis referta. Vide autem, obsecro, quàm pulcherrimo ordine omnia connectantur. In præmissis accepimus parabolam

rabolam de faciente sementem & diuersitate agrorum, hoc est, de prædicatore bono, & auditoribus & bonis & malis: adiectum est, quosdam auditores alios tempore tentationis recedere, alios autem blanditiis. Deinde admoniti discipuli ne accensam lucernam, subter lectum ponant, verùm quod acceperunt fideliter aliis ministrent. His subsecuti sunt mater & & cognati Christi, volẽtes domini sermonem interrumpere: at Christus, sicut annotauimus, docuit omnem cognationem, omnem amicitiam verbo Dei posthabendam. Ex hijs ergo admonemur ne vlla prosperitate, neue vllis blanditiis, à veritatis prædicatione cessemus. Iam porrò subsequitur grauis tentatio, iam de vitæ periculo agitur, neque tamen deficiendum est. Verbum enim Dei docet, Deum suos non relicturum, sed adiutorem fore oportuno tempore. Hoc quoniam discipuli audierunt, nec tamen firmiter crediderunt, increpantur à domino dicente ipsis: Vbi est fides vestra? Debebant enim discipuli firmam fiduciam habuisse in Christum, vt in eum qui non minus dormiens, quàm vigilans suos seruare possit. Non enim dormitabit neque dormiet qui custodit Israel. Nec potest fieri quin syncerus verbi minister non semper in tuto agat. Is enim qui auditoribus insidiatur, Diabolum puta, ne semen verbi Dei credant, vnde possent saluari, ille etiam haud dubie mille dolis Satori negotium facessit. Immo præcipuè Agricolam petit, ne aliquo modo ager colatur. Nunquam enim facilius sæuire poterit lupus in gregem, nisi primum dilaceratis canibus. Hæc itaque præsenti nauigatione Christus nobis depinxit: nec hoc tantùm, sed & alia non minus proficua. Dormit Christus in nauicula, quoniam iuxta humanam naturam, benè operando & prædicando defatigatus fuerat: Hac autem dormitione ostendit, quo labore verbi ministerio instandum sit, vt scilicet non cessemus à diuinis obsequiis, nisi humani nostri corporis imbecillitate auocemur. Ipse enim Dominus cognouit figmentum nostrũ, cognouit quod durabile nõ est, quod caret alterna requie. Docet item Dominus vnde nostra salus depẽdeat, nimirum à vigilante Christo: hoc ipso enim altũ dormiẽte, in ianuis periculũ habebimus. Perditio tua, inquit, ex te ô Israel, at salus tua in manu mea. Porrò quòd Christus, iuxta quod Marcus scribit, ceruicali innixus dormit, ipso dormiẽte tẽpestas illa periculosa exurgit, ænigmate quodã Christus depinxit, quantũ immineat periculi reb9 humanis, quoties hi dormiũt, huius mũdi cõmodis deliniti, qui vices Christi susceperunt. O bone Deus, q̃ altè & periculosè indormiunt hodie puluillis huiusmodi & ceruicalibus Prælati, qui voluptatibus dediti, qui regnãdi libidine temulẽti, qui nimis cõgerendis affixi, nec gregis cõmissi curã vllã agunt, nec suæ salutis meminerũt, neq; tantillum cõmuni periculo cõmouentur, vt expergefacti secum cogitẽt: Quid facio demens? Grex Domini mihi cõcreditus est pascendus, ac propediẽ veniendũ est ad tribunal æterni iudicis, qui pro his ouibus, quas meæ curæ commisit, pretiosum suum sanguinem fudit. Quid illi responsurus sum? &c. Iam quòd mare & venti obediunt Christo, argumentum est diuinitatis in Christo latentis. Et de hoc dictum est in Psal. lxxxviij. Tu dominaris potestati maris, motũ autẽ fluctuũ eius tu mitigas. Et iuxta patientissimũ illum Iob: Ipse posuit mari terminũ arenã dicẽs: Vsq; huc procedes, & nõ amplius, & hic cõfringes tumentes fluctus tuos: Iob. xxxviij. Sed longius forsan progredior ab instituto, ad contextum itaq; redeo. Quæ hoc loci desiderantur, in Mattheo & Marco inuenire licebit.

Mat. 8. Marc. 5. *Et nauigauerunt ad regionem Gerasenorum, quæ est contra Galilæam. Et cùm de naui egreßus eßet ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium iam temporibus multis, & vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis. Is vt vidit Iesum, procidit ante illum, & exclamãs voce magna dixit: Quid mihi & tibi est Iesu fili Dei altißimi? Obsecro te ne me torqueas.*

Tentatio tentationem excipit. Qui enim vix à naufragio liberati sunt, iam humani generis hostes in misero homine obuiam habent. De Gerasenis, Gadarenis, vel etiam Gergesenis non libet vllam mouere quæstionem. Quid factum sit quærimus potius, quàm vbi factum sit quod narratur. Et certè miserum hoc fuit spectaculum, nec est in tota historia dæmonium crudelius. Domicilium habebat in monumentis, eo quòd ligatum sæpe cathenis & compedibus omnia discerpsisset. Per montes item discurrens, & vias impediuit, ne quis ibi transire posset. Clamauit & concidit se lapidibus, veste etiam carẽs. Nihilominus vt vidit Iesum eminus, adcurrit, & adorauit eum, dicens cum clamore magno: Quid mihi tecum est Iesu fili Dei altißimi? Adiuro te per Deum ne me torqueas. Quare occurrit? Quare adorat, qui ipse in monte à Christo adorari cupiebat? Timor coegit, quo timuit, ne se Dominus præcipitaret in abyssum ad grauiora, quàm hic habebat tormenta. Vnde tam est sermõe perplexus. Feroculus enim est initio, dicens: Quid mihi tecum est? Deinde veluti adulatur, dum tam egregio exornat titulo: Iesu, inquiens, fili Dei altißimi. Tandem ad vim confugit. Adiurò te, inquit, ne me torqueas. Cognouit igitur Iesum tortorẽ suum esse, fortiorem, inquam, se, & potestatẽ habentem deiiciendi ipsum vsque ad inferorum æterna supplicia. Ideoque metuebat fortè diem illum adesse, quo oẽs dæmones qui iam vel in mundo vel in aere vagantur, æternis sunt addicendi supplicijs, malorũ omnium quibus hic affligunt homines pœnas daturi. Iam quid responderit Iesus, audiamus.

*Præcipiebat enim spiritui immundo, vt exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat eum, & vinciebatur cathenis, & compedibus custoditus: & ruptis vinculis agebatur à Dæmonio in desertο. Interrogauit autem illum Iesus, dicens: Quod tibi nomen est? At ille dixit: Legio, quia intrauerant dæmonia multa in illum. Et rogauerunt illum ne imperaret illis, vt in abyssum irent.*

De hoc iam diximus, declarant eñ hæc omnia potentiam Christi, & maliciam, imò etiam timorem Satanæ. Qui enim aduersus omnes homines ferocißimus fuerat, vix audet aduersus Christum mutire, nec quicquã ambit, nisi misericordiam, quoniam scit virtutem suam nihil esse aduersus potestatẽ Christi: non enim nunc solùm expertus est Satanas Christi potestatem, sed iam olim multis in locis. Supra audiuimus, quòd Christus septem dæmonia eiecerit ex Magdalena, quodque etiã alios liberarit à spiritibus immundis. Ad hoc autem non habet opus Christus vllis vinculis, cathenis vel compedibus, vniuersam Diaboli machinam vnico conuellit verbulo. Sed quid loquimur de potestate Christi in Satanam, cùm postea eiectus sit nequã perniciosus per apostolos, solo Iesu audito nomine? Hoc enim testatur Lucas in actis, & alibi veniunt discipuli dicentes: Quia etiam dæmonia subiiciuntur nobis, &c. Et iterum: Christus dedit discipulis suis potestatem super oĩa dæmonia, & vt etiam languores curarẽt. Quòd porrò Christus exquirit nomen Dæmonij, & audit legionem immundorum spirituum intrasse hominem, declarat miseriam hominis, qui tot malos

los habuit hospites apud se, & Christi aperit potestatem, qui non minus potuit elicere legionem dæmonū, quàm vnicum dæmonem.

*Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in montibus, & rogabant eum, vt permitteret eis in illos ingredi, & permisit illis. Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos: & impetu abijt grex per præceps in stagnum, & suffocatus est.*

Duo hic præcipuè notanda sunt, id quod & in alijs Euangelistis admonuimus, nimirum & dæmoniorum imbecillitas, & eorundem erga genus humanum inuidia & maleuolentia. Non enim possunt quod volunt. Volunt autem quæcunque homini aliquo modo perniciosa esse possunt. Vtrunque in historia Iobi inuenire est, scilicet quantum possit, & quantum velit. Certè non alia ratione petierunt porcos intrare, nisi ne sine hominum damno abire cogerentur. Sy vvolren ein beseletz geben: simul etiam declararunt, in quorum hominum corporibus habitare delectentur, nimirum qui semper versantur in luto peccatorū, neque volunt emendare vitam suam: & haud mirum est; si hi obnoxii fuerint dæmonibus, & sic tandem immergantur omnibus malis, qui sic peculinis affectibus feruntur, ventrem suum pro Deo habentes, nihilque differētes à porcis. Porrò quòd Christus permisit eos intrare in porcos, voluit indicare hominibus illius regionis, quanta mala illis inferre potuissent dæmones, nisi diuina benignitate prohibiti fuissent. Potuisset Christus eadem facilitate permittere vt intrarent in alios homines, sed noluit. Interim confirmamus spem nostram, cùm videmus dæmonem nullam habere potestatem, nisi permittente Deo. Et cur, inquis, Christus precibus dæmonum annuit, vnde facere potuerunt tantum damnum? Cur procurante Christo Gadareni tantam passi sunt iacturam? Ad hoc dicimus, quòd immeritò passi non sunt. Nam vel fuerunt Iudæi, vel fuerunt Gentes. Si Iudæi, non licebat eis habere porcos contra legem Dei, proinde rectè vltus est Christus legis paternæ contemptum. Si Gentes iterum probè vltus est, contemptum sui, quem nouit futurum post tantum virtutis suæ in liberando dæmoniaco beneficium. Tum quòd adeò nihil charitatis erat apud illos, vt porcos præferrent saluti dæmoniaci, quàmuis illos iam amisissent. Sed quid sumus prolixi in excusando Dominum cœli & terræ? Nam qui habet potestatem super homines, quidni haberet etiam in porcos? Immittit famem, bella, pestem, & cogimur dicere, peccata nostra sic commeruisse. Similiter dicendum de tēpestate, quæ frumenta, vina, armenta, pecora perdit & absumit. De morbis quoque, qui & porcos, & reliquas quæ nobis sunt vsui bestias ingēti perimūt numero, idem sentiendum. Neque fuit hic tantum damnū, quin quod factum erat bonum incomparabiliter esset maius. Nimirum non vnius erant porci, sed multorum, quocirca facilius poterant ferre iacturam. Beneficium verò tantum fuit, vt nemo non salutis commodum inde potuisset accipere, modò voluisset. Discere nanque valuissent, Christum esse potentem super Dæmonia, fortemque victorem eorū à quibus nobis omnia mala tum animæ tū corporis parantur. Sed cesso excusare nunquàm verè accusatum.

*Quod vt viderunt factum qui pascebant, fugerunt, & nunciauerunt in ciuitatem & in villas. Exierunt autem videre quod factum est: & venerunt ad Iesum, & inuenerunt hominem sedentem à quo dæmonia exierant, vestitum ac sana mente ad pedes eius, & timuerunt. Nunciauerunt autem illis & qui vide-*

De hac expectatione Paulus Tito scri bit: Sobriè, & iustè & piè viuamus in hoc seculo, expectantes beatã spem, et aduentum gloriæ magni Dei & salua toris nostri Iesu Christi, qui dedit se metipsum pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum peculiarem, sectatorẽ bono rum operum, &c. Porrò quoniam tur ba auidè expectarat Christum, offert se occasio quæ declarat, quem expe ctarit turba, nimirum eum qui vitæ & mortis haberet potestatem. Tãtum enim sibi de Christo pollicetur Iairus vir magni nominis, vtpote Archisyna gogus, qui illi ad pedes cadit, rogatque vt Iesus domum suam ingredi velit, & opitulari vnicæ, quã habebat filiæ: luctabatur enim bona puella iam cum morte, id quod mirum in modũ cru ciabat animum patris. Vnica erat filia, & annos nata ferè duodecim, duplici quidem nomine dilecta patri, tantoque magis moribunda affligebat animum patris sui. Sed audiamus quid ad Iairi postulata Iesus responderit.

*Et contigit dum iret, à turbis compri mebatur. Et mulier quedã erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quæ in me dicos erogauerat omnem substantiam suam, nec ab vllo potuit curari, accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti e ius, & confestim stetit fluxus sanguinis eius. Et ait Iesus: Quis est qui me tetigit? Negãtibus autem omnibus, dixit Petrus & qui cum illo erant: Præceptor, turbæ te comprimunt & affligunt, & dicis: Quis me tetigit?*

Locus hic difficultatis nihil habet, at admirationis multum. Vide enim quanta sit huius mulieris fides: neque enim cogitat vel diuturnitatem mor bi, vel desperationem medicorum, vel erogationẽ substantiæ, vel aliud quip piam, quo à fiducia in Christum retta hi potuerit: sed talem in corde ferebat fidem: Quantocunque tempore fueris infirma, & quantascunque pecunias frustra profuderis in medicos, si tan tum dabitur, vt vestimentum illius queas attingere, salua eris. Tetigit er go, & siccatus est fons sanguinis eius: & sensit corpore, quòd sanata esset ab eo flagello. Nihil hic superfluum, om nia notatu dignissima sunt. Vide stu dium vulgi, quàm affixus sit Christo à multis contempto. Alibi irruunt in Iesum, hic comprimunt Iesum, tanta est audiendi verbum Dei auiditas, tan tum desiderium. In hanc fœlicem tur bam, quæ Christum seruatorem in se concludit, venit & surrepit mulier mul tis nominibus misera. Mulier, inquam, sexu quidem imbecillis, at fide longè fortior Iairo archisynagogo. Illa enim tantam habuit fidem, quòd credidit se saluam futuram, etsi Christus ipsi non loqueretur, nec ad eam veniret, modò fimbriam eius tangere posset. E contra primas ille non credidit Christum sa nare posse filiam, nisi præsens præsen tem tangeret. Hactenus de fide mulie ris. Iam de infirmitate quid dicam. Mu lier imbecillis infirmatur infirmitate longè grauissima, vt quam medici per duodecim annos curare nõ potuerint, imò non curarunt medici, sed infirmi tatem sinistris suis medicaminibus lon gè grauiorem fecerant, & infidelitate & auaritia sua mulierculam vsque ad summam inopiam redegerãt. Id quod etiam plærunque à multis medicis fie ri videmus. At Christus alius est me dicus, qui confestim & gratis sanat, id quod iam accepimus. Fidei mulieris accedit humilitas, qua ducta non ausa fuit in faciem accedere, sed retro acce dit, nec corporis audet petere conta ctum, sed contenta est vel cõtactu fim briæ. Tam nobilem itaque mulierem non passus est Christus diutius latere, vnde & interrogat à quo sit tactus, non enim nesciens rogat, sed vt habe re posset occasionem de fide bonæ mu lieris huius dicere. Sequitur,

Et

*Et dixit Iesus: Tetigit me aliquis. Nam & ego noui virtutem de me exisse. Videns autem mulier quia non latuit, tremens venit, & procidit ante pedes eius, & ob quam causam tetigerat eum, indicauit coram omni populo, & quemadmodum sanata sit confestim.*

Vide Hugon. Aeteria num, li. 2. cap. 14

Non nouerat Petrus qua ratione interrogaret Christus, ideoq; quod potuit respondit: at Christus nō locutus fuerat de tactu, quem ille opinabatur, sed de magna fide mulieris: multi illum & sæpius attrectarunt, pauci verò in illum crediderunt. Si qualiscunq; Christi tactus aliquid potuisset, Iudæi & Gentes eum tetigerunt, imò & cruci affixerunt. Est alius tactus Christi qui saluat, sicut & alia Christi visio, quæ beatos facit. Beati oculi, inquit, qui vident quæ vos videtis. Quoniam aliter viderunt Iudæorum proceres, & aliter discipuli Christi. Sic etiam aliter turba tetigit Christū, aliter mulier. Illi nihil magni pollicebantur ex cōtactu Christi, hæc autem omnem salutem suam in contactum hunc posuerat, id quod etiam iam cogitur in conspectu totius turbæ agnoscere. Et hoc quidem multorum nomine, qui & ipsi ex hac confessione proficere potuerunt in fide. Quomodo enim putas Iairum hic cōsolatum, quādo vel in solo tactu Christi tantam audit inesse virtutem? Quomodo putas etiam fidem huius mulieris augmentum suscepisse, quæ sensit nihil posse Christum latere? Videns enim quia non latuit, inquit, tremens venit, & omnem rem exponit, quomodo scilicet in momento in vno Christo inuenerit, quod per duodecim annos à multis medicis accipere non poterat. Hanc confessionem interrogatio Christi extorsit, non quasi propriam quærens gloriam, sed quasi alienam quærens fœlicitatem. Omnia enim hæc propter nos instituit.

*At ipse dixit ei: Filia, fides tua te saluam fecit, vade in pace.*

In Ioannis Euangelio legimus: Dedit eis potestatē filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Et iterū: Nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quod erimus. Et Paulus in Galatis testatur nos omnes filios Dei esse per fidem. Sic & hoc loci Christus mulierem ethnicam vocat filiam, quoniam fidem filiorū Dei habebat, quā etiam satis testata est, sibi ex tactu fimbriæ sanitatem pollicens. Et profectò magna hæc est fides, & digna quam honoret Christus. Mulier ethnica à Repub. Israelis aliena, à Moyse nō edocta, ab omnibus Iudæis contempta, tantum fidit Christo, quantum non fidisset omnibus creaturis. Alii experti sunt manum Christi esse sanatricem, alij verba, alij sputum, hæc etiam & credit & sentit vestimenta Christi habere vim saluificam. Nihil autem virtutis emisissent Christi vestes, nisi illa plus Christo, quàm vestimentis confisa fuisset. Certè multi alij attigerunt & attrectarunt Christi vestes, sicut & superius admonuimus: at pauci sic contigerunt, quemadmodum mirabilis muliercula. Hinc Christus sanitatem tribuit, non vestibus, sed fidei. Nec miramur tātam virtutem extitisse in vestimento Christi, cùm non parum valuerint post sudariola Pauli. Sed suffecerint hæc, ad Iairum hactenus neglectum redimus.

Ioan. 1. Ioan. 3 Gal. 3.

*Adhuc illo loquente, venit quidam à Principe synagogæ, dicens ei: Quia mortua est filia tua, noli vexare illum. Iesus autem audito hoc verbo, respondit patri puellæ: Noli timere, crede tantùm, & salua erit.*

Non dubium est quin Iairo omnis mora satis lōga visa fuerit, donec Christus absoluit hanc mulierem: at bonam spem inde concipere potuit, quòd vidit mulierem hanc tam subitò pristinæ restitutam sanitati. Sola obstitit fidei paruitas, qua non tantum credit

Christo,

Christo, quantū illa crediderat. Et iam qui huius Iairi mentem periculosius discutiat, alius appropiat, dicens: Noli molestus esse Domino, frustra scilicet venturo, filia tua iam mortua est. Qui hoc nunciabat, nihilo magnificentius sentiebat de Domino Iesu, quàm de medico quopiam eximio, qui possit ægrotanti succurrere, mortuam excitare nō possit. Hæc cùm audiret Christus, & procul dubio videret bonū Iairum mœrore quasi exanimatum, non expectauit vt princeps synagogæ sibi loqueretur, sed præuenit eum, ne fortè omninò deficeret Archisynagogus, & diceret: Non opus habeo te, iam enim malum factum est, mortua est, quam sperabamus à te sanandam. Igitur ne quid tale diceret, incredulus enim erat & Iudæus, præueniens eum Christus, dicit: Ne timeas, tantùm crede, & salua erit filia tua. Bona consolatio hæc est, quoniam certa est, & ab eo facta qui solus futura nouit, quiq; solus prædicatur Deus & pater omnis cōsolationis, qui nos consolatur in omni tribulatione nostra. Non, inquit Christus, ne metuas, exorabo patrem vt resuscitet, nec inquit: ego à mortuis reuocabo eam, sed tantùm: Salua erit filia tua. Nec aliqua fit de mercede pactio, vnicam exquirit fidem, fidem autem firmam, & qualem Iairus iam iam in muliere prædicari audiuerat. Sequitur:

*Et cùm venisset ad domum, non permisit intrare secum quenquam, nisi Petrum & Iacobum, & Ioannem, & patrem & matrem puellæ. Flebant autem omnes, & plangebant illam. At ille dixit: Nolite flere, non est mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum, scientes quia mortua esset.*

Quos præcipuos voluit habere testes passionis, mortis & resurrectionis suæ Christus, hos etiā admisit ad præcipua miracula, vt sic in fide erga Christum firmati, pòst tanto minus à Christo deficerent. Si enim viderunt Christum habere vitæ & mortis potestatē, & tamen nihilosecius in illius passione scandalizati sunt, quid putas accidisset, si huiusmodi miraculorum prorsus fuissent ignari? Pater & mater puellæ non immeritò admittuntur vt testes verè mortuæ, & verè iterum resuscitatæ: & vt illi qui maiori fide Christum suscipiebant. Iam quòd plangebant, & postea Christum irridebant, confirmatio est miraculi. Vt enim postea dicere non possint, quòd non sit mortua, sed dormierit: propter hoc permisit Christus, vt prius derideretur à dicentibus, quod diceret: Nō est mortua. Vsq; enim adeò certa erat mors, vt deriderent dicentem: Non est mortua. Si porrò non fuit mortua, cur mittunt nuncium mortis ad patrem? quare plangunt? quare derident Christum vt ignarum discernere inter mortem & somnum? Interrogent, si lubet parētes, interrogent tres apostolos. Testes complures habent quòd mortua sit, & sic mortua, quòd à nullo quantumuis docto medico excitari potuerit. At nouum non est, puellulam mori: nouum autem sic mortuam excitari. Sed audi quomodo excitata fuerit.

*Ipse autem tenens manum eius clamauit dicens: Puella, surge. Et reuersus est spiritus eius, & surrexit continuò. Et iussit illi dare manducare. Et stupuerunt parentes eius, quibus præcepit ne alicui dicerent quod factum erat.*

Ex his videmus cui mortua fuerit puella, parentibus quidem & plangentibus, imò omnibus tunc præsentibus, sed Christo dormiebat, cui facilius erat puellam à morte reuocare, quàm nobis quempiam à somno. Et hoc quidem tum Iudæis & Gentibus mirabile videbatur, nobis autem qui Christianam fidem verè tenemus, non omnino est mirabile. Scimus enim quia veniet hora, in qua omnes qui in mo-

numen-

numentis sunt audituri vocem filij hominis, reuicturi sunt, sic vt proprius spiritus cuiusque ad suum reuersurus sit corpus. Sicut enim singuli homines sua recepturi sunt corpora, non aliena corpora: ita singuli suos recepturi sunt, non alienos spiritus, &c. Quòd iussit Christus puellæ cibum dare, cõfirmat fidem resurrectionis, ne scilicet videatur phantasma. Quòd cauet ne palam fiat miraculum, nõ ideo fit, quasi quid illaudabile egerit Christus, sed vt doceret nos in proprijs benefactis nõ debere esse ambitiosos. Pharisæi omnia faciunt vt pareant hominibus sancti: ab horum ergo moribus omninò horruit Seruator noster Iesus Christus, qui est benedictus in secula.

## CAPVT IX.

*Conuocatis autem Iesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarent. Et misit illos prædicare regnũ Dei, et sanare infirmos.*

Deus qui omnia ex nihilo condidit, posset sua potentia absque omnibus adminiculis totum mundum, & quæ in mundo sunt, homines omnes moderari. Verùm pro sua sapientia, vt omnia magis coalescerẽt, & amplius cognosceretur Dei benignitas, aliis alia munera concredidit. In cœlestibus habet angelos per quos multa operatur: ita etiam in hac terra, quod ad spiritalia attinet, delegit Apostolos, prophetas, & doctores, per quos populum erudire dignatur. Nemo enim negare potest, quin Deus sua illuminatione posset mentem hominis erudire & illustrare absque omni doctore, sed ita placuit Deo, vt per verbum suum & doctrinam alii alios erudirent. Porrò qui illi duodecim fuerint, supra capite sexto auditum est. Et hactenus quidẽ fuerunt cum Christo, vt sic per aliquod tempus formati & instructi, specimen quoddam suæ virtutis ederẽt suo tempore. Iam ergo eos conuocat, conuocatione hac innuens eos esse debere in functione sua concordes, neque in doctrina discordes. Ne verò prædicatio illorum humilium & idiotarum omninò careret autoritate, addidit illis virtutem & potestatẽ eiiciendi omne dæmoniorũ genus, & omne morborum genus sanandi. Congruebat enim vt qui regnum Dei prædicarẽt, haberent ius in impios dæmones, hostes Dei: & qui prædicarent eam doctrinam quæ sanaret omnes morbos animorũ, virtutem haberẽt sanandi morbos corporum: simulque decebat vt ad euangelij professionem homines beneficijs potius quàm terroribus allicerentur. Quæris an discipuli hanc potestatem acceperint, eaque vsi fuerint? Progressus Euangelij hoc ipsum ostendet. Obseruandum autem est, quòd non dicit Lucas, apostolis artem sanandi, sed virtutẽ tradidisse. Non enim sic tradit Christus virtutem, sicut homo homini artem, sed dicere Christi, est re ipsa facere & exhibere. Tã probè itaque instructos mittit prædicare regnum Dei, & sanare infirmos. Mittit prædicare, non seducere: mittit prædicare regnum Dei, & quicquid ad hoc dilatandum facere potest. Quibus porrò verbis hoc deprædicandum est? Nihil hic verborum exprimitur: at mihi dubiũ nõ est, quin iuxta formam quam ex Christo didicerant, omne negotium suum absoluerint. Ioãnes quidem Baptista sic orsus est: Pœnitẽtiam agite, appropinquauit enim regnũ cælorũ. Porrò postquam traditus est Ioannes, venit Iesus in Galilæam, vt testatur Marcus, prædicans euangelium regni Dei, & dicens: Quoniam impletũ est tempus, & appropinquauit regnũ Dei. Pœnitemini, & credite euangelio. Non autẽ intelligẽdum est, quasi his tantũ verbis vsi fuerint Christus & Ioannes, sed hæc fuit summa totius prædicationis. Et huic prædicationi haud

haud dubiè conformarũt se Apostoli, primùm oĩm prædicãtes pœnitentiã, vt hoĩes sua considerantes vulnera, de medico cogitare incipianr. Nisi eñ resipiscentia fuerit, Euãgelio nõerit loc⁹. Oportet eñ vt homo agnoscat se peccatorẽ esse, tũ vt velit peccatis exonerari,&c. Videãt ergo nostri Euangelici qui in concionibus suis confidentiam, nõ pœnitentiã præponũt. Accepimus iã quos vocauerit,& quales,& missionis causam, iam qua ratione quibusve medijs annunciandum sit, subiungit.

*Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neq; perã, neq; panẽ, neq; pecuniam, neque duas tunicas habeatis.*

Plerunque fit, vt qui peregrinaturi sunt, primò omniũ præparent quæ in itinere putant sibi fore necessaria, vt est virga qua se defendãt à bestijs,& cui innitantur defatigati: vt est pera, in qua reliqua reponuntur necessaria: item panis, pecunia, vestes,& cætera huiusmodi. Iam qui huiusmodi rebus studet, & tardus venit ad iter,& difficilè quo tendit properare potest. Vult itaque hac prohibitione Christus nihil aliud, nisi vt verbi minister, Euangelij negotium omnibus terrenis negotijs præponat. In posterioribus certè temporibus inuenimus, cùm irent Apostoli in orbem ad prædicandũ Euangeliũ, quòd etiam nonnunquam viaticũ secũ acceperint, & Paulus iubet sibi membranas & vestem adferri. Nihil itaque aliud voluit Christus hac rerũ necessariarũ enumeratione, quàm admonere discipulos, sibi cauerẽt ab omni auaritia, oẽm spem suã in Deũ collocarent, vt hi qui certò sciãt se Deũ habere procuratorẽ. Igitur quod errones Anabaptistæ hinc venãtur, ne somniauit quidem Christus. Dei dona semper bona sunt, at q his vtuntur, nõnunquàm satis malè vtuntur,&c. Breuiter qui virtutẽ & potestatẽ habebãt super oĩa dæmonia, quiq; lãguores hoĩm curare poterant, nõ indigebant magno viatico. Super hac re in Matthæo nostro copiosiora dixim⁹

*Et in quamcunq; domũ intraueritis, ibi manete, et inde ne exeatis. Et quicũq; nõ receperint vos, exeũtes de ciuitate illa, etiã puluerẽ pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos.*

Mihi hoc loci nihil aliud videtur Christus præcipere vel prohibere: nisi ne Apl's, Euãgelii minister, vel hunc cõrenat, vel huic blãdiatur. Si eñ ingressus Apostolus ædes boni alicuius hominis, postea mutaret præter necessitatẽ hospitiũ, videretur fortassis hunc suũ hospitẽ cõtemnere, & magnas deliciias apud alios quærere: & propterea cauet Christus ne trãscurrat de domo in domũ, sed cõtẽtus sit his quæ apud primũ hospitẽ inuenerit. Vix eñ Euãgelistæ noĩe dignus est, q geniũ suum delicatè curare solet. Porrò qm fieri potuit, vt Apl's diuerteret ad hominẽ prorsus impiũ, noluit Dñs suũ seruũ apud talẽ diuertere, vel diutius morari, sed iubet hospitiũ mutare, ita vt ne puluerẽ quidẽ impij cupere videatur. Vbi enim prædicator videt se frustra locare operã, relinquere debet inutiles,& cõcedere ad alios, vbi sperat se maiorẽ sementem facturũ Christo. Hui⁹ rei exẽplum nec tãtùm vnũ paulò supra accepimus.

*Egressi autem ibant per castella, euangelizantes, & curantes vbique.*

His verbis declaratur prõpta Apostolorũ obediẽtia, q nihil cũctãdo, nihilq; respõsãdo, statim proficiscuntur, euãgelium deprædicãtes, & sanãtes in noĩe Dñi, quotquot reperiebãt dæmoniacos, vel alio corporis vitio obnoxios. Et tales cõueniebat esse Christi Aplo's, qui scilicet alacres,& omni mora postposita, nihil aliud curarẽt, nisi quomodo Euãgelium purè ac syncerè deprædicaretur. Certè in actorũ Apost. libro male cõsultũ videbat Petro, quòd verbi ministri cogerẽtur ministrare mẽsis. Et Paul. ad Timot. suũ scribit: Nemo militans Deo, implicat se secularibus negotiis. Quisq; eñ ad euãgelizãdum

discipuli magna cũ alacritate,narrãtes quomodo succeßisset euangelij prædicatio,quantũ miraculorũ edidiſſent & ipsi in eius noĩe:& excipit eos Dominus suauiter,dicẽs,sicut Marcus testatur: Venite in desertũ locũ,& requiescite pusillũ.Erant enim qui veniebant & redibant multi,& nec spatiũ mãducandi habebant. Habemus nonnihil obseruatione dignißimũ. Narrãt hoc loci discipuli,q̃ fœliciter rem sibi iniunctam executi sint,quid egerint, quomodo,&q̃d obuenerit inter agẽdũ,&c. Diligẽter est itaq; videndũ eis,qui munus idẽ,prædicãdi scilicet euãgelij, cũ discipulis acceperũt,sic agãt, vt ad Dominũ olim aduenire nõ formidẽt:nam ratio dãda est omninò.Ne igitur accidat, quod seruo qui talẽtum absconderat,cauendũ est omni studio.Discimus etiã ex hac relatione, quòd oĩa nostra bona facta ad Deum referre debemus, vnde quod potuimus,accepim⁹.Præterea quietẽ interdũ esse necessariã operãtibus in vinea Dñi,an nõ hinc manifestũ?Requiescite paululũ,inq̃t Christus discipulis suis. Quod enim caret alterna requie,durabile non est. Porrò simulatque cognouit turba Dñm ad desertũ ceßiſſe,statim secuta est. Iesus aũt videns illorũ auiditatẽ,prodijt è latebris in quas secesserat,& adeo nõ repulit eos,vt vltrò etiã iret obuiã.Progressus aũt excepit illos, & primùm omniũ illorũ pauit animos, loquẽs de regno Dei,tũ eos qui morbis aliisque corporis malis tenebantur sanabat. Theophylactus hoc loci sic scribit:Docuit Iesus & sanauit,vt tu discas quòd Philosophia nostra verbo & opere cõstet,& neque dicẽda sint quæ facere nõ licet,neq; faciẽda quæ dictu absurda.

*Dies autem cœperat declinare, & accedentes duodecim,dixerunt illi:Dimitte turbas,vt euntes in castella,villasque quæ circa sunt, diuertant, & inueniant escas.Quia hic in loco deserto sumus.*

Demonstratur hoc loci, quàm aßiduus fuerit Christus in docendo, qui vsque ad diei vesperam non cessauerit docere turbas, ita vt etiã discipuli admonuerint ipsum,aliquando tandẽ dimitteret turbas,ad coemendum cibũ, id quod & tempus & locus videbatur postulare.Dies enim iam inclinabat,& aderat multitudo populi, nec habebat quod manducaret,& locus erat desertus:hæc enim omnia memorant Christo discipuli,vt qui adhuc nihil supra hominem sentiebant, sed iuxta communem modum & vsum hominum loquuntur, existimantes, homines citra naturalem cibum non posse subsistere,cibum autem in villis & oppidis commodius haberi, quàm in loco deserto,&c.Non recordantur illius dicti quod Christus Satanæ obiecerat:Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod progreditur de ore Dei, nec recordantur se secum habere eum, de quo scriptum est: Dat escam omni carni,&c. Ideoq; sic solliciti atq; anxij propemodum sunt discipuli,quasi turba hæc hoc in deserto cibari poßit minimè,putantq; se ex occasione temporis & loci egregiè argumẽtatos. Cõsentaneũ itẽ putant vt saturata anima verbo Dei,saturetur etiam corpus.

*Ait autem ad illos:Vos date illis manducare. At illi dixerunt: Non sunt nobis plus quàm quinq; panes, & duo pisces, nisi fortè nos eamus & emamus in omnẽ hanc turbam escas. Erant aũt viri ferè quinq; milia.*

Non hoc dicit Dominus,quasi ignorans discipulorum futuram responsionẽ:sed volẽs ipsos inducere,vt dicerẽt quot panes haberẽt: sicq; magnum ostẽderetur ex eorũ respõsione miraculũ,paucitate panũ,&multitudine hominũ audita. Obserua hoc loci humanitatem discipulorum, qui præsentem necesſitatem videntes, parati sunt omnes suas pecunias exponere, tãtùm ne turba famelica non deficiat, exemplo

 enim

enim magistri didicerunt esse hospitales discipuli. Quòd si quis allegoriã hic nolit contemnere, facilè videbit frustra à doctoribus expectari pabulum verbi Dei, nisi Dominus dederit. Hinc D. Augustini illa toties repetita oratio: Dñe, da quod iubes, & iube quod vis.

*Ait autem ad discipulos suos: Facite illos discumbere per conuiuia quinquagenos: & ita fecerunt. Et discumbere fecerunt omnes. Acceptis autem quinque panibus, & duobus piscibus, respexit in cœlum, & benedixit illis, & fregit, & distribuit discipulis suis, vt ponerent ante turbas. Et manducauerunt omnes, & saturati sunt. Et sublatũ est quod superfuit illis, fragmẽtorũ cophini duodecim.*

Promptam discipulorum obedientiam, & quomodo non diffidunt de Christi potestate, quum certò constet nil nisi quinque panes & duos pisces adesse, in alijs Euangelistis etiam ostendimus, vt non sit necesse rursus eadem pluribus admonere. Sic etiam diximus de gratiarum actione, quam pro refectione nostra Deo debemus, exemplo Christi, qui iam prædicatur in cœlum suspicere, gratias agere, frangere & distribuere. Certè qui quinque millia pauit tam modico cibo, ille idem est cuius beneficio totus mũdus satiatur, licet nos vix animaduertim⁹, tantũ abest vt gratias ageremus, quod certè nobis olim cessurũ est in magnũ malũ. Homo dũ nos pascit, nõ potest id bñficiũ satis extolli, agimus gratias tanta verborũ pompa, fatemur nos oĩa debere, promittimus nihil nõ facturos ad cõpensandũ, breuiter, mi:a agimus. Dñs verò cùm nos pascat hodie & semper, non solũ nõ referimus tale aliquid, sed sic cibo potuq; abutimur, vt conuitiis interim agamus aduersus eũ, & afficiamus velut meditata ignominia. Votamus, & ingurgitamus nos præter necessariũ, atq; hic nullus est modus, sicq; spoliamus pauperes, quibus per illa debebat esse prouisum. Post hac itaque cauti simus, & in cibo potuq; temperantes, sumamus & vtamur alimentis nostris, vt decet vti donis Dei, & sufficerit quod reliquũ est ad alendos pauperes. Nec est quod verearе ne tibi quid deficias: hodie & in perpetuũ viuet, qui bñdictione sua cibos nostros quãtũuis modicos multiplicare potest. Qui administrat semẽ seminanti, & panem ad manducandũ præstabit, ait alibi Paul⁹ 2.Cor.9

*Et factũ est, cùm solus esset orans, erãt cũ illo & discipuli, & interrogauit illos, dicens: Quem me dicunt esse turbæ? At illi responderunt & dixerunt: Ioannem Baptistam, alij aũt Heliã, alij verò, quia vnus propheta de prioribus surrexit.*

Dominus noster Iesus Christus pro sua ineffabili adeoq; æterna sapientia, sic vbique tẽperauit dicta & facta sua, vt nunc promeret indicia diuinæ virtutis, nũc ostenderet veritatẽ humanæ naturæ. Qui enĩ paulò ante satis mirabiliter pauerat modico pane multos homines, quod certè nõ est humanæ virtutis: iã inuenitur solus orãs, quod nõ est diuinæ necessitatis. Quid porrò, aut quibus verbis precatus fuerit, ex Euangelista nõ intelligimus: at dubiũ nõ est, quin nostro bono orauerit. Exẽplũ itẽ dedit, vt si qd egregij à nobis factũ est, è vestigio ad Deũ nos vertamus, agentes gratias ei q in nobis operat⁹ est & bene velle & perficere. Ei, inquã, q dixit: Sine me nihil potestis facere. Addã & hoc. Exemplũ etiã dedit suis vicariis Episcopis, vt frequẽter interrogẽt quid de Christo sentiat populus, an bene, an secus, & interpellẽt pro augmẽto fidei suorũ subditorũ. Sic igitur primũ orat Christus, deinde interrogat quæ aut qualis sit de se hoĩm opinio, quẽ existimẽt à quo tot miracula viderũt, cuius bñficentiã toties experti sunt. Responderũt aũt discipuli: Nihil de te mali sentiũt, sed magnificè de te loquũtur. Alij enĩ dicũt in te renatũ esse Ioãnem illũ Baptistã, quẽ Herodes decollari fecit. Alij te habent ꝓ Helia illo Thesbite, quem ex Malachiæ prophetia venturum sperant. Aliis videris vel vnus ex veterum

veterum prophetarum numero, qui & ipsi secretorum Dei fuerunt cōsej ; & miraculorū autores haud contēnendi. Non est qui vel dicta, vel facta tua sinistrè interpretetur, &c. In huiusmodi ferè sententiam opinor responsum esse à discipulis. Obserua autē hoc loci, etiam si non defuerint qui Christū improbè traducebāt apud vulgus, tamen discipuli maluerunt narrare quæ boni, q̄ quæ impij dixerunt. Hoc calūniatoribꝰ dictū esto. Sed qd ad hæc Christꝰ?

*Dixit autem illis: Vos autem, quē me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Christum Dei.*

Oportebat apud eos per quos Deus statuerat mundum innouare, concordem ac consentientē esse de ipso Christo professionem, vt vulgus non rectè sentiens, rectè tamen per suos pastores & episcopos posset institui. Vult itaq; Christus sic dicere : Vulgus suo more vacillat, nec sibi cōstat: vos autem qui me propius & domesticè nostis, qui sal terræ, & lux mūdi à me vocati estis, & quos oportet euangelium toti mundo annunciare, vos, inquā, quē me esse dicitis? A vobis aliud quæro iudiciū, aliam expecto confessionem. Labia sacerdotis custodiunt sciētiam, & legem requirēt ex ore eius, ait Dominus per Malachiam prophetam. Facilè enim condonatur vulgo, si non possit etiam ad vnguem enarrare diuina mysteria, sed tamen sacris literis credit sine hæsitatione, siue assequatur, siue nō, quod proponitur. At non potest non vitio verti Clerico, Pastori, Episcopo, si rudior fuerit plebe, si non maiorem fidei notitiam habuerit, si non potuerit suæ fidei certam demonstrare rationem. Et hinc est quòd Christus etiam à suis discipulis, quasi à vulgo seiunctis hominibus, liberam fidei confessionem requisiuerit. Petrus verò, sicut etiā ex alijs euangelistis accepimus, cæteris ardentior nomine & voce oīm respondet, dicens: Christū Dei te esse dicimus. Ac si diceret: Nos te scimus esse Messiam, quem Deus vnxit omnibus cælestibus dotibus, quem per patriarchas & prophetas in mundi salutem futurū promisit à multis temporibus, æternaliter regnaturum in totum orbem.

*At ille increpans illos, præcepit ne cui dicerent hoc, dicens: Quia oportet filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus, & principibus sacerdotū, & scribis, & occidi, & tertia die resurgere.*

Sæpissimè admonuimus, nō quæuis dicēda esse quouis tēpore, sed videndū quid ferre queat tēpus, & quid nō. Aliter enim si quis fecerit, cibū nō dispensat in tēpore suo. Vera quidem est Petri cōfessio, cùm dicit: Tu es Christꝰ filius Dei viuentis: tamen non conueniebat eum, vt hæc palam deprædicarentur. Quòd si quis requirat causam, Christum ipsum audiat dicentē: Quia oportet filiū hominis, intellige quem Petrus nomine omniū cōfitetur, & agnoscit Dei filiū, multa pati, &c. Si eīm populus audiret hūc esse Dei viuentis filiū, & eundē postea videret capi, crucifigi ac mori, non potuisset fieri quin scādalizaretur, hunc esse Deum, quem viderent mortuum, hunc esse mortuū, quem viderant mortuos excitasse. At non ita difficile est eum credere Dei filium, quē constat deuicta morte resurrexisse. Ergo quod ante resurrectionem potuisset offendere, post resurrectionē potuit supra modū ædificare. Ambrosius doctissimus ille Mediolanēn episcopus alias huius prohibitionis causas adfert, scilicet, vt fallat principē mūdi, vt declinet iactātiā, & doceat humilitatē, & addit: Prohibētur euāgelizare eū Dei filiū, vt euangelizarent postea crucifixū. Sed hæc sufficiant. In alijs enim Euangelistis præmonuit nos Dn̄s, ne demus quod sanctū est canibꝰ, neq; proijciam margaritas ante porcos. Quid nocuerint Ecclesiæ importuni quorundam sermones, non semel tantùm conquesti sumus. Sequitur in cōtextu:

*Dicebat autem ad omnes: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.*

Hoc dicit Iesus ad omnes, quod autem præcessit. s. de officio prædicandi, non omnibus dixit, quia non omnes vocati sunt ad id officiū: Sed Apostolis illud peculiare præceptū fuit, quod autem hic dicit, nō tam ad nos quàm ad omnes pertinet: ptoinde dignū est, vt sententia hæc Domini solertet explicetur, & fideliter in memoria seruetur. Facit autem hic Christus ad instar magnanimi ducis aut imperatoris, qui strennuos in armis, ad audaciam prouocat, non solùm eis honores pollicendo victoriæ, sed etiā asseuerādo, ipsam pati mortem, gloriosum esse. Prædixerat enim iam Apostolis; quòd oporteret eum perpeti Iudæorum calumnias, occidi, & tertia die resurgere. Ne igitur putarent Christum quidem passurum persecutiones pro mundi vita, eis verò licere lentam & delicatam vitam ducere, ostendit & ipsos per eandē viam, & per æqua certamina ad gloriā suā peruenire debere. Sic in aliis multis Euangelij locis Christus testatur, nos sui esse oportere imitatores. Apud Ioannē cùm dixerat: Nisi granū frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: Si aūt mortuum fuerit, multum fructum affert: quibus haud dubiè passionem & mortē suam prædicere voluit: statim suos ad imitationem prouocans, subiungit: Qui amat animā suā, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternā custodit eā. Pariformiter etiam Apostoli fructū passionis quidem primò omnium prædicarunt, sed statim adiecerunt imitationis exemplum. Si cōpatimur, inquit Paulus, & cōregnabimus. Si fuerimus socij passionum, & resurrectionis erimus. Et D. Petrus: Christus pro nobis passus est, nobis relinquens exemplū, vt vestigia eius sequamur. Neutrū certè in euangelica concione negligi debet, tùm quid ipse nobis dederit, tū etiā, quid ipse à nobis requirat. Sed audiamus ipsum Christū. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucē suam quotidie, & sequatur me. D. Chrysostomus annotauit hic, quòd Christus nolit seruitiū coactū, sed voluntariū, cū dicit: Si quis vult. ac si neminē velit cogere, sed omnibus liberū faciat, siue velint, siue nolint. Et rectè quidē hoc admonuit Chrysostomus aduersus negatores liberi arbitrij, qui dogmatizabant omnia ex mera necessitate euenire, nec aliud esse liberū arbitrium, nisi inane nomen. Cōtra eum errorē etiā D. Augustinus multa scripsit volumina, sic asserens liberum arbitrium, ne gratiæ Dei quæ in nobis & operatur & cooperatur, in nullo præiudicaret: qua de re nos suo loco peculiarē instituemus disputationem. Iam ad telā nostram redimus. Si quis vult venire post me, inquit, id est, Si quis vult meus esse discipulus, si quis vult me præceptore vti, abneget semetipsum, & omnibus huius vitæ curis simul & voluptatibus renūciet, se totum quātus quantus est, mihi dedicet atq; deuoueat, tollatq; crucem suam quotidie, semper paratū habens animū ad omnia perpetiendi pro meo nomine, & sequatur me. Si quis vult venire post me, si quis vult esse particeps regni mei & fœlicitatis, neminem cogo, oībus liberū sit; neminē reiicio, venite omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, inuenietisque requiem animabus vestris, vtcunque corpus ad sibi dura paratum esse oporteat. Abnegatio sui ipsius necessaria est, meo nomine arduissima quæque subeunda sunt, quotidiana crux sufferenda est, ego sequendus sum, nō Satanas, quem hactenus multi sequuntur: non mūdus, qui hactenus multos decepit vana sua gloria: non propria caro sequenda

quenda est, quæ nusquam non detrectat aduersis congredi, sed ego sequendus sum, vt qui vobis à patre meo missus sum, via veritas & vita: Et nemo venit ad patrem nisi per me: Ergò charissimi quod Dominus hic dicit credite, accipite, imitamini. Difficile est humanis viribus delicias contemnere, & ad difficilia & ardua nō dolere. Dicite ergo Domino cum Psalmista: Conuerte nos Deus salutaris noster. Dicite, orate cum Apostolo, vt ipse Dominus operetur in nobis, & velle & perficere pro bona voluntate. Dicite cum D. Augustino: Domine da quod iubes, & iube quod vis. Profectò abnegatio sui, & patienter ferre quotidianam crucem, nihil aliud est, quàm sese totum deuouere Christo, pro huius nomine libenter quicquid huius est vitæ, immo & vitā perdere, & in nullis aduersitatibus succumbere, omnia deniq; Dei facta & iudicia approbare. Origenes scribit de abnegatione illa in hæc verba: Abnegat aliquis seipsum, dum vitam prius in malitia consuetā, alteratione debita cōmutat: puta qui dudum in lasciuia vixerat, abnegat semetipsum lasciuum, cum fit castus, & similiter abstinentia cuiuslibet criminis, sui ipsius abnegatio est. Eiusdē sententiæ ferè est D. Hierony. quæst. iiij. ad Algasiam. Non est, inquit, delicata in Deum & secura confessio. Qui impudicus fuit, versus ad castitatē, temperantia luxuriam negat. Iniquus si sequatur iustitiā, negat iniquitatem, &c. Crucis nomine significantur omnia aduersantia carni nostræ: Nec est homo in terra, qui dicat se expertem crucis. Et fœlix, ô nimirum fœlix, qui impositâ sibi cruce Christum lætus sequitur. At iuxta illud Ethnici: Nemo sua sorte contentus. Optat Ephippia bos piger; optat arare caballus.

*Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet illam: nam qui perdiderit animam suam propter me, saluam faciet illam.*

Aperta est sententia. Qui voluerit vitæ suæ parcere, Christo neglecto atque reiecto, hic certè velit nolit perdere cogetur, & corporis & animæ vitam: Qui autem lubens ob Christi fidem, nec corpori, nec vitæ suæ pepercerit, hic & si vita naturæ succumbet, tamen in æternum cum Christo victurus est. Eius exempla multa vbiq; habemus, & eorum qui ob amorē Christi alacres in mortem abiere, & eorum qui amore præsentis vitæ, à fide Christi desciuere. Nec est quod existimes hæc domini verba, in pace Ecclesiæ, hoc est nostro seculo, non habere locum. Quisquis enim mundana hæc omnia, siue vita fuerit, siue quæ ad hāc pertinere videntur, Christo prætulerit, vitam æternam perdet. Tu iam apud temetipsum iudica, quantum apud te valeat Christus, huiúsque præcepta, promissiones & comminationes. Præcepta transgredimur, promissionibus nihil mouemur, cōminationes porrò ridemus. Dic deinde in quem alium finem omnis actio nostra dirigatur, nisi ne perdamus vitam nostram, & quæ ad hanc spectant. Mercator vsuras exercet, vt ditescat. Infirmus vel à Satana medicinam postulat, vt conualescat. Et sic de reliquis. Sed tu audi Christum.

*Quid autem proficit homo, si lucretur vniuersum mūdum, se ipsum autem perdat, & detrimentum sui faciat?*

Hæc audimus omnes, sed quantum nos mouent! Omnis conatus noster in hoc est, vt locupletiores simus temporalibus bonis, quicquid tandem de anima nostra fiat. Quæ nos nihil promouere, sed exitio esse possunt, illa ante omnia quærimus, ac si futura vita & animæ nostræ salus ad nos nihil pertineat. Profectò paruum lucrū est, etiam si vniuersum mūdum lucrareре, quoniam omne quod est in mundo, aut est cōcupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorū, aut deniq; superbia

vitæ: aut enim patris ad delicias carnis vtimur, aut auaritiam sectamur: aut re nostra in despectum infimorum abutimur. Mundus habet diuitias: & has multi sectantur per fas & nefas, modò quod volunt assequantur: Sed quid dicit Propheta Domini? Væ ei qui multiplicat non sua, vsque quo aggrauat contra se densum lutum. Auaro contra se densum lutum aggrauare, iuxta D. Gregorium Pont. est terrena lucra cum pondere peccati cumulare: Eleganter autem cumulatas diuitias vocat densum lutū, quibus diues auarus infixus hæret, nec se facilè inde explicare potest. Ad eos autem qui larga habitandi spatia quærunt, alius Propheta dicit: Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis. Nunquid habitabitis vos soli in medio terræ? Ecclesiasticus porrò: Auarus, inquit, non implebitur pecunia: & qui amat diuitias fructum non capiet ex eis. Et Salomon: Qui festinat ditari, non erit innocens. Profectò enim qui augere opes ambit, vitare peccatum negligit, & more auium captus, cum escam terrenarū rerū auidè conspicit, quo stranguletur laqueum peccati non agnoscit. Mundus habet dignitates & honores suos: Quid ad hæc Christus? Qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Et gloriosa virgo: Deposuit potentes de sede & exaltauit humiles. Sed nolumus plura adducere testimonia in re non dubia. Qui amicus huius mundi est, suo maximo malo olim experietur cui sese crediderit. Proinde audiamus hic dominum præceptorem nostrum cælestem, qui vult vt neque aduersis neque prosperis à vera pietate seducamur. Qui habet aures audiendi audiat. Multi nostro seculo, relictis Ecclesiæ castris ad aduersarios concesserunt, tantùm ob hoc vt tanto licentius viuere possent: Alij autem spe diuitiarū illecti, non dubitauerunt proin

Aba. 2.

Esa. 5.

Cap. 5.

Pro. 28.

adorare in monte superbiæ Satanam. Sed progredior.

*Nam qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet cū venerit in maiestate sua, & patris & sanctorum angelorum.*

Illum pudet sermonum Christi, qui ne vitam, honores vel diuitias perdat, aut similia, veritatem relinquit. Certè tempore nascentis ecclesiæ multos pudebat Christi, quibus crux Christi aut scandalū aut stultitia videbatur. Hinc Paulus dicebat: Nos prædicamus Iesum Christum, & hūc crucifixum, Iudæis quidem scandalū, gentibus verò stultitiam. De seipso verò: Non me pudet Euangelij Christi, inquit. Et rursum: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Quid quod ad Timothæum scribit, idem gentium Doctor: Noli erubescere testimonium Domini nostri, neq; me vinctum eius. Et in eadem epistola scribit: Fidelis sermo: Si commortui sumus, & cōuiuemus: Si sustinebimus, & conregnabimus: Si negauerimus, & ille negabit nos. Capite porrò iiij. scribit: Demas me reliquit, diligens hoc seculum. Et, in prima mea defensione, nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt. Vide quid sit erubescere Christum, nimirum ipsum abnegare, aut rem temporariam illi præponere. Tum enim pro magno crimine & piaculo habebatur, Christianum esse. Audiebatur, aut nega aut vapula. Quid? putas hoc seculo deesse in Christianorum grege quos pudeat Christi? Verè non desunt Nicodemi, qui minimè audent confiteri Christum publicè. Et sunt quos pudet pietatis, & delectat impietas, immò qui iuxta aliam scripturam, lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis. Hos si negauerit Christus in maiestate sua, coram patre suo, & omnibus angelis, nimis tarde illos pœnitebit. Horridum erit

2. Tim. 1.

Cap. 2.

Cap. 4.

erit ab eo qui omnia nouit, audire. Amen dico vobis: Nescio vos. Discedite à me maledicti in ignem æternũ. Saluandos ergo nouit, scilicet vt saluet, condemnandos verò non nouit vt saluet, ignorat, scilicet vt condemnet. Ergo quotquot sumus, Christum præponamus omnibus quæ extra Christum sunt, vt nos filios & fratres suos agnoscat, cum venerit iudicare viuos & mortuos.

*Dico autem vobis, verè sunt aliqui hic stantes qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei.*

Non est vt multis hic disputemus quid nam sibi hæc velint, cum contextus bonam habeat consequentiam. Ad omnes dixerat de abnegatione sui ipsius, de sufferenda cruce, de contemnendis huius mundi diuitiis, honoribus & potestatibus, iam conclusit se suos negatores non agnosciturum, cũ venerit in maiestate sua, & patris & angelorum: Iam ne quis putet hæc vana esse quæ de maiestate dicit, & de patre & de Angelis, certò affirmat aliquot ex suis auditoribus non visuros mortem, nisi prius videant regnũ Dei, quod iam iam maiestatẽ dixerat. Loquitur autem non de regno Dei, quod omnes futurum speramus suo tempore, sed loquitur de transfiguratione sui ipsius, paulo post futura, in qua non nullum suæ diuinitatis specimen suis tribus discipulis exhibebit. Videmus enim & in aliis locis Christum solere mentionem suæ diuinitatis facere, ne videatur plus polliceri, quàm possit exhiberi. Sic cum apud Ioannem disputaret de venerabili Sacramento corporis sui, & quidam ex Capernaitis plurimum admirarentur de tanta pollicitatione, dicentes: Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum? Nonne hic est filius Ioseph, cuius nouimus patrẽ & matrem? Quomodo ergo dicit se descendisse de cælo? Respondit: Nolite murmurare in inuicem. Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Et paulo post, inquit: Hoc vos scandalizat? Quid si videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius? Vides ergo quomodo ad faciendam verbis suis fidem, insinuet se plusquam communem hominem esse. Sic ergo hoc loci pollicetur suos, non ita multo post visuros regnum Dei, hoc est regnum & gloriam ipsius, id quod continuo in contextu sequitur.

*Factum est autem post hæc verba ferè dies octo, & adsumpsit Petrum, & Iacobum & Ioannem, & ascendit in montem, vt oraret. Et facta est dum oraret, species vultus eius altera, & vestitus eius albus & refulgens. Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses & Elias visi in maiestate, & dicebant excessum eius quem completurus erat in Hierusalem.*

Hi ergo tres Apostoli præmemorati, sunt quos dixit non gustaturos mortem, nisi prius videant regnũ Dei, hoc est, non infirmitatem hominis, sed gloriam Filij Dei. Viderunt autem quantum datur homini adhuc in corruptibili corpore constituto videre: postquam autem vita functi fuerimus, tunc, vt ait Ioannes, videbimus eum sicuti est. Videmus nũc per speculum & quasi in enigmate, postea verò, hoc est suo tempore, facie ad faciẽ, sic enim loquitur Paulus. Sed ad ordinem. Iesus ergo ostẽsurus discipulis suis, quòd à Deo patre missus sit in orbem redẽptor & doctor, cui consentiant lex & prophetæ, & in cuius manu sit vita & immortalitas, selectis ex omni turba tribus, Petro, Ioãne, & Iacobo, vt absolutior esset testium numerus, subducit eos in montẽ vehementer, vt Matthæus ait, excelsum, ipsa loci celsitudine declarans, se nihil humile, sed arduum & cæleste quippiam traditurũ.

Nam

Nam in montis cacumine protinus coram illis transfiguratus est, id est, eadem corporis manente substantia aliã superinduit formam & illustriorẽ quidem illam. Refulsit enim facies eius in morem solis, & vestimenta eius albicarunt in morem niuis & lucis. Sic enim gustum ipsis exhibebat aliquem diuinitatis, immo immortalitatis & futuræ gloriæ. Simul autem comparuere Moyses atque Elias, & ipsi vtiq; gloriosi. Hij colloquebantur cũ ipso. Dicebant autem excessum eius quem cõpleturus erat Hierosolymis. Quæcumque enim Christus passus est, quæcunque egit, non secus egit, nec aliter passus est, quàm prophetæ & ipsa lex prædixerant. Et hac manifestatione confirmatur confessio Petri, qui confessus est Christum esse filium Dei: & diluitur ac refellitur opinio vulgi, opinãtis in Christo reuixisse, vel Baptistam vel Eliam: eorum item qui dicebant Christi doctrinã legi & prophetis cõtrariã. Sed hac de re in Matth. & Marco. Dicũt porro excessum eius, vt Apostoli tanto minus dubitarẽt de verbis Christi, qui eadẽ prædixerat, de passione scilicet & cruce. Periculũ eñi erat, ne nõ crederẽt Apostoli futurũ esse, quod à Christo audierãt. Si enim filij⁹ Dei est, cogitabãt, si pater ipsum tali dignatur honore & gloria, nõ sinet ipsũ vel tradi vel illudi, nedũ crucifigi. At hic sunt testes veracissimi, qui asseuerãt omnia illa certò vẽtura, quæ Christus de passione sua prædixerat. Sed videam⁹ quod reliquũ est hui⁹ historiæ,

*Petrus verò & qui cũ illo erãt grauati erant somno. Et euigilantes, viderunt maiestatem eius, & duos viros qui stabant cum illo. Et factum est cum discederent ab illo, ait Petrus ad Iesum: Præceptor bonum est nos hic esse, & faciamus tria tabernacula, vnũ tibi, & vnũ Moysi, & vnũ Eliæ, nesciẽs quid diceret.*

Bonus ille Petrus, vtcunq; confidẽs, sibi tamen relictus, non potest non agere hominẽ: & in hoc verè ostendit quid homo ex seipso valeat. Christus in oratione est, imo & in clarificatione est, sed Petrus dormit, id quod alij discipuli etiam faciunt. Sic in monte Oliueti, dũ Christus in summo cõflictu est, etiam Petrus cum aliis duobus cõfratribus dormit, altissimo scilicet grauatus somno. Sic vtcũq; spiritus sit firmus ac prõptus, caro tamẽ semper est infirma, laboris est impatiẽs, gloriæ autem & quietis appetẽs. An nõ vides, q̃ à cruce horreat & trepidet Petrus? Audit ab Eliæ & Moyse mentionem fieri crucis, ignominiæ & mortis, alloquitur itaq; Christũ, vt is qui nõ libẽter sese tã periculoso pelago cõmittere ausit. Præceptor bonũ est nos hic esse. Si ita res se habet, quare nos ascenderemus Hierosolymã, dantes nos in extremum periculum. In portu ergo bonum erit nauigare, hic extra omne periculum sumus. Credimus Moysi, Elias verax est, & hij duo dira profecto præ nunciant, proin d præceptor, si tu vis, faciam⁹ hic tria tabernacula, tibi vnũ, Moysi vnũ, & Eliæ vnũ. Hac de re nõ prodigamus verba, tum quod in aliis Euãgelistis copiosè hac de re dixim⁹, tum etiã quod Lucas ipse testatur Petrum quid loqueretur ignorasse. Huius puto vel somnũ quo grauatus, vel stuporẽ quo correptus fuit, causam fuisse.

*Hæc autẽ illo loquẽte, facta est nubes & obũbrauit eos: & timuerũt intrãtibus illis in nubẽ. Et vox facta est de nube, dicẽs: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Et dũ fieret vox, inuẽtus est Iesus solus: & ipsi tacuerũt, & nemini dixerunt in illis diebus quicquã ex his quæ viderãt,*

Petrus timore crucis facit mentionẽ tabernaculorũ, quæ cõstrui in mõte cupiebat: at Domin⁹ repẽte facit tabernaculũ nõ manufactum, & in illud ingreditur cum Prophetis, vt ostẽdatur, q̃d in nullo sit minor patre. Sicut enim

in ve-

in veteri testamento nubes dicebatur habere dominum, & Moyses ingrediebatur in eam, atque sic legem suscipiebat: ita & nunc nubes Christū suscipit, nubes, inquam, non caliginosa, sed lucida. Transiit enim vmbra legis, & tenebrosa obscuritas illius: venit autem veritas, & illuxit gratia Euangelij. Porrò ex nube audita est vox dicens, Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. quasi diceret, Hactenus Iudæi suspexerunt Moysen & Eliam, qui vaticinati sunt de filio meo: magni fuerūt illi, sed serui mei: Hic est autem ille filius meus vnicus, vnicè charus animo meo, ipsum igitur audite. Hac voce sonante repertus est Iesus solus, ne suspicarentur in alium quàm ipsum, sensum & vim eius vocis pertinere. Proinde memori mente seruate Christum Dei filium, nobis à Deo patre doctorem missum, quem vnicum audire tenemur, cui neminē æquare possumus, sicut nec debemus: & quicquid huic contrarium est, fortiter aspernari & contemnere debemus, siue illud à Satana, vel à Pseudoprophetis, vel à mundo, vel tandem à propria carne, quæ semper spiritui bono repugnat, insinuetur. In vnico Dei filio salus nostra est, hic solus verba vitæ æternæ habet, in hoc vnico thesauri diuinæ sapientiæ & scientiæ sunt reconditi. Cæterùm, sicut etiam ex alijs Euāgelistis patet, Christus noluit visionem hanc à discipulis prædicari, & manifestam fieri, donec ipse à mortuis resurrexisset, quod etiam fecerunt, nemini quicq̄ hac de re, ante præfinitum tempus dicentes. Neque enim quouis tempore, sicut paulò supra etiā admonui, quæuis sunt aperienda. Fit enim vt quæ nunc dicta prosint, aliàs dicta summè noceant. Christus noluit à quopiam se prædicari Christum ante passionē, sed postquam perfectis omnibus, per mortis ignominiam, ad resurrectionis gloriam peruenisset, tunc illud ipsum prædicari voluit, quoniam tum prodesse potuit, quod antea non obesse non potuit. Post ascensionem enim Domini Petrus nihil dubitat hæc in vniuersum terrarum orbem perscribere, inquiens: Non enim arte compositas fabulas secuti, notam vobis fecimus Domini nostri Iesu Christi virtutem & aduentum, sed qui oculis nostris aspeximus illius maiestatem. Acceperat enim à patre honorem & gloriam, voce ad illum delata huiusmodi: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est. Et hāc vocem audiuimus è cælo delatam, cum essemus vna cum illo in monte. Et hactenus D. Petrus. Ioannes autem Apostolus non absimili fiducia orditur epistolam suam: Quod erat ab initio, quod audiuimus, quod perspeximus, &c. Quàm ardentissimus autem prædicator fidei fuerit Iacobus, qui tertius in monte fuit, dum Christus transfiguraretur, vel ex eo manifestum est, quod ipse primus ex piorum Apostolorum collegio, pro nomine Christi gladio Herodis occubuit. Sed ad alia.

[2.Pet. 1]

[Vide August. de sermo. Domi. in mōte li. 2. Ho. 2. a. Et in Epis. ad Gal. c. 1. Et in Psal. 5. versu, Perdes oēs qui loquūt. menda.]

*Factum est autem in sequenti die, descendentibus illis de monte, occurrit illis turba multa. Et ecce vir de turba exclamauit dicēs: Magister, obsecro te, respice in filium meum, quia vnicus est mihi. Et ecce spiritus apprehendit eum, & subito clamat & elidit, & dissipat eum cum spuma, & vix discedit, dilanians eum. Et rogaui discipulos tuos vt eijcerent illum, & non potuerunt.*

In Matthæi & Marci Euāgelio hāc ipsam historiam etiam habuimus copiose descriptam. Sic ergo res habuit: Dum Christus cum tribus Apostolis Petro, Ioanne, & Iacobo, in monte moratur, & ipsis magnum diuinitatis suæ specimen exhibet, vir quidam filium suum vnicum, eundémque Lunaticum ad reliquos nouem discipulos adducit, vt ipsum adiuuarent, sicut

& alios

& alios haud dubiè adiuuassent, (dederat enim illis Christus potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarent): At discipuli illi noue, conati sunt quidem spiritum immundum eiicere, sed non potuerunt. Quæris causam? Matthæus hanc ipsam nō tacuit, licet ipse vnus ex nouem illis discipulis fuerit. Incredulitas discipulorū in causa fuit, qui forsan nunquam antea nequius & peius dæmoniū viderunt, quod tam crudeliter cum homine ageret: & ideo non crediderunt suam potestatem quam à Christo acceperant, tantam esse, vt spiritum illū malignum expellere possent. Igitur cum iam deficeret potestas Apostolorū, scribæ visi sunt sibi habere ansam calumniandi Christum & discipulos eius, accesserunt ergo ad discipulos, disputant cum illis, nimirum exprobrando conatum illum temeratium, qui velint eiicere dæmonium, quum tamen nō possint. Turba verò quemadmodum Marcus ait, mox vt Iesum vidit, confestim stupefacti accurrunt ad Iesum, atque salutant. Et interrogauit eos dicens: Quid inter vos conquiritis? Tum vir ille pater lunatici omnem rem aperit, quemadmodum scilicet adduxerit filium ad discipulos, quos credidit habere tantam potestatem super dæmonia: qua spe iam delusus sit. Apparet autem in parente illo non modicam fuisse fidem, qui licet, quantum ad Apostolos adtinet, spe sua frustratus fuerit, tamen nihil dubitauit, quin Christi potestas maior sit: Et enumerat multa quæ possint Christum ad opitulandum facilè mouere. Quid porrò ad hæc Iesus?

*Respondens autem Iesus, dixit: O generatio infidelis & peruersa, vsquequo ero apud vos? & patiar vos? Adduc huc filium tuum.*

Doluit nō vulgariter Christo, quòd tam diu docuerat & fecerat, vnde possent ipsius potestatem & bonitatem nō difficile agnoscere. Quādiu, inquit, apud vos ero? Postquam quicquid dico, quicquid facio, frustraneū est. Hæc ad discipulos, ad patrem Lunatici, & ad vniuersam turbam confluentem, vtique dixit, quoniam omnium fides iam planè defecerat, id quod ex aliis Euangelistis certò constat. Quòd autem Christus tam seuerè respondet & ipsos obiurgat, nō tædio fit, sed multo magis ex commiseratione, qua dolet infirmitatem fidei nostræ. Ac si quis medicus, si ægrotum videat cōtra sua præcepta agere, dicat: Vsquequo accedam ad domum tuam? Quousque artis perdam industriam, me aliud iubente, & te aliud perpetrante? Quo verò videas compassionis nō iracundiæ verba esse, statim iubet Christum patrē dæmoniaci bene sperare, & filiū adducere.

*Et cum accederet, elisit illum dæmonium & dissipauit. Et increpauit Iesus spiritum immundum, & sanauit puerū: & reddidit illum patri eius.*

Poterat quidem Christus puerum etiam absentem curare, & à dæmonio malo liberare, sed magis expediebat ad gloriam Christi, vt præsens præsenti opitularetur: aliàs enim potuissent inuidi Pharisæi dicere, dæmonium à se ipso & voluntariè, nō ex imperio Christi exiisse. Factum est hoc etiam vt augeretur fides patris: Dum enim in præsentia Christi sic sæuit dæmoniū, & tamen adeo facilè ab illo eiicitur, potest pater cogitare, quàm in omnibus cogatur dæmonium subiectum esse imperio Christi. Quòd autem sic sæuit dæmonium, dum cogitur exire, illud indicat, quàm inuitus relinquat hominem, & permittat eum Christo. Tum Satanam adeo nocēdi nobis esse cupidum, vt dum animæ non possit, corpori tamen noceat. Sed hæc etiam alibi adnotauimus, vtinam nō frustra. Qui verè & ex animo expenderet q̄ pessime

pessimè nos odiat Satanas, non adeo
facilè cũ illo iniret commerciũ, se suaq;
illi cõcrederet minimè. At nos securi
sumus, & cum capitali nostro hoste
quasi colludimus, ab eo & vitæ nostræ
sanitatem, & diuitiarũ custodiã postu-
lamus: Sed tu fortè hæc ludis & vana
ducis. Caue nè in te à Deo accipiat po-
testatem: tũ enim senties quàm familia-
ris sit ille spiritus tuus. An non hoc
Euangelium satis arguit, quàm miserè
molestarit pessimus spiritus miserum
puerum, & hoc ab infantia? Si sic sæuit
in eos quos nos innocentes dicimus,
quid de nobis cogitandùm censes, qui
die noctúque nihil nisi Satanæ inser-
uimus? Cæterùm quare puer ille sta-
tim ab infantia permissus fuerit Sa-
tanæ crudelitati, occulta esse potest ra-
tio, non iniusta. Quid si ad gloriam
Dei? Sic enim de cæco nato, de La-
zaro infirmo, & aliis legimus: Et iam,
immo nunquam non, videmus multi-
plicia mala in paruulis, quorum tamẽ
causam ignoramus. Languescũt ægri-
tudinibus, torquentur doloribus,
famæ & siti cruciantur, debilitantur
membris, priuantur sensibus, vexan-
tur à spiritibus immũdis, &c. Non autẽ
fas est dici, aut ignorante Deo hæc fi-
eri, aut eum non posse resistere facien-
tibus, aut iniustè ista facere vel permit-
tere. Quæ igitur horum afflictio-
num in paruulis causa? Ingenuè hic
profitemur ignorantiam nostram, nõ
enim nearũ viriũ est oẽs causas enu-
merare. At dubiũ non est, quin omnia
fiãt in bonũ nostrũ, & quod Deus nihil
iniquè agat vel permittat. Habet Deus
quibus hæc paruulis tormẽta cõpen-
sare possit. Hæc quæstio certè D. Au-
gustinũ non parũ vexauit, sicut videre
est de Origine animæ ad Hiero. ca. xiiij.
Et de libero arbitrio li. iij. ca. xxiij. Ego
itaque hic nihil temere affirmauerim.

*Stupebant autem omnes in magnitu-
dine Dei. Omnibusq; mirantibus in om-
nibus quæ faciebat, dixit ad discipulos
suos: Ponite vos in cordibus vestris ser-
mones istos. Filius enim hominis, futurũ
est vt tradatur in manus hominũ. At illi
ignorabant verbum istud, & erat vela-
tum ante eos, vt nõ sentirent illud, & ti-
mebant illum interrogare de hoc verbo.*

Solet humana natura ad res super-
naturales, & stupere, & terreri, id quod
in multis aliis miraculorũ operationi-
bus in progressu Euãgelii audiuimus,
sic etiam hoc loco omnes stupẽt & ad-
mirantur magnificentiã Dei, qua Chri
stus tantam pestem ex misero puero
profligarat. Igitur cum hoc factũ, etiã
omniũ iudicio diuinitatis esset testimo
niũ, reliquis missis, Christus solos di-
scipulos alloquitur, dicens: Ponite vos
in cordibus vestris sermones hos, Fili9
enim hominis, futurũ est vt tradatur in
manus hominũ. Hoc est, Si factũ hoc
meũ arguit diuinã in me esse potestatẽ,
videte ne excidat, videte ne obliuisca-
mini: tempore enim futuro efficacia
videbitis argumenta humanæ infirmi
tatis in me. Sicut ergo vos delectat
diuina mea potestas, ita nec vos offen-
dat humana mea infirmitas. Licet enim
tanta mea potestas sit vt possim, quæ-
cunq; velim, vt possim pellere vel vni-
co verbo omne dæmoniorum genus,
tamen futurum est, vt Filius hominis
tradatur in manus peccatorũ. Futurũ
est, vt qui etiã dæmones fugat, ab ho-
minibus vinciatur. Futurũ est, vt qui
homines ab omnibus malis liberat, ab
hominib9 capiatur. Hic sermo tametsi
iã semel & iterũ auditus, non insederat
animis discipulorum, non enim pote-
rãt meminisse quod nõ libebat audire:
abhorrebant à mentione mortis in-
teri gloriæ Iesu, nõ intelligẽtes interim
Dñi gloriã per crucis ignominiã potis
simũ illustrandam esse. Breuiter non
potuerunt se explicare qui fieri posset
vt benignissimus caperetur, & Dei
dilectus filius moreretur: nec tamen
ausi sunt eum interrogare, nimirum

adhuc memores obiurgationis quam paulo ante audierāt: O generatio infidelis & peruersa, vsquequo ero apud vos & patiar vos? Filius autē hominis vadit sicut scriptū est de eo, siue intelligant discipuli, siue nō intelligāt. Quid porrò est, quòd Christus toties se dicit filiū hominis? Profectò ob id vel multo maximè, vt Dei summā charitatē erga nos attendamus, qui pro impiis & miserrimis vermiculis, Filius hominis fieri dignatus est. Ergo dum audimus de Christo, quod Filius hominis sit, nimiæ charitatis Dei, ac clemētiæ & humilitatis optimi seruatoris, nos memores esse oportet, vt illi fidamus, vt in eum speremus, atque eius exemplo aduersa perferre discamus, qua de re paulo ante diximus.

*Intrauit autem cogitatio in eos, quis eorū maior esset: At Iesus videns cogitationes eorū, apprehēdit puerū, & statuit illum secus se, & ait illis: Quicunq; susceperit puerū istum in nomine meo, me recipit: Et quicunq; me receperit, recipit eum qui me misit. Nam qui minor est inter vos omnes, hic maior est.*

Matthæus & Marcus hāc historiam copiosius descripserūt, q̄ hic noster Lucas. Qua autē ratione in hanc cogitationē peruenerint, nullus Euāgelistarū exprimit. Theophylactus putat hāc cōtentionē inde exortā, quòd dæmoniacū curare nō valuerūt, verisimile est enim, quod super hoc cōtenderint, dicētibus singulis, quòd nō propter suā, sed alterius cuiusdā infirmitatē puer ille sanatus nō fuerit: & inde accensa lis est, quis eorum maior esset. At Dominus visis singulorū cordibus, præuenit, & priusq̄ morbus incrudesceret, curauit radicitus eiici. Morbi enim ab initio facilè vincūtur, quū verò incruduerint, cu ratu difficiles sunt: Sed vide quomodo Christus hoc malū emendat. Apprehensum puerū ostēdit discipulis, manifestans eis per hoc, quod talē mentem oportet nos parare nobis, qualis est in pueris. Illi enim malitiæ expertes sunt, & simplicissimi: neq; inanis gloriæ cupidi, neq; ambitionis stimulis vexātur. Vos disputatis, inquit, de magnitudine: Apud me maximi sunt, qui minimi sunt. Quid hoc puero simplicius, quid humilius? Tales oportet vos fieri, si velitis esse primates in regno meo. Dico enim vobis, quod tantopere gaudeo simplicitate, & quod ea discipulos meos ita discernit, vt quisquis simplicissimum virū & innocentē susceperit, vt meū discipulum, me suscipit: Et qui me suscipit, hoc est, qui me honore afficit, honorat etiā eū qui me misit. Gaudet enim & lætatur Deus pater meus cœlestis nō minus de humilitate mea, q̄ ego de vestra humilitate lætor. Tanto enim quis mihi acceptior, quanto humilior. De hac cōtentione in sequentibus iterum audiemus. Inde datur intelligi quàm sequatur nos Spiritus superbiæ, quem rarissimus quisque vix effugit.

*Respondens autē Ioannes, dixit: Præceptor, vidimus quendam in nomine tuo eÿcientem Dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum.*

Quæ nā sermonis illius cōsequentia, quem Ioannes dixit, ad ea quæ Dominus præmisit? Vtiq; magna. Audierant iam paruulos etiam esse recipiendos in nomine Iesu: ideo venit in mētem Ioanni, quòd quendā exclusissent ab Euangelÿ cōsortio. Dubitat igitur quemadmodum omnes essent admittendi ad cōtubernium salutis, an itidē oēs essent admittēdi ad functionē prædicationis Euangelicæ, & peractionē miraculorū: Suberat autem & hic tacitus affectus inuidētiæ. Solis duodecim Dominus Iesus donarat potestatē eÿciēdi dæmonia ac sanandi morbos: hāc dignitatē nō putabāt aliis cōmunicādā. Ait itaq; Ioānes: Præceptor, quū abs te missi pergeremus ad munus Euāgelicum,

licum, vidimus quendam eiicientẽ in tuo nomine dæmonia, cum tamen nõ sit de numero duodecim, ac ne sequatur quidẽ te: hunc tanq̃ alienũ à nostro contubernio prohibuimus, ne faceret.

*Et ait ad illos Iesus: Nolite prohibere; qui enĩ nõ est aduersum vos, pro vobis est.*

Ca. 9. Apud Marcũ sic respõdet: Nolite prohibere eũ. Nemo est enim qui faciat virtutẽ in nomine meo, & possit cito malè loqui de me. Ratio est: Postquam enim videt tãtam virtutem esse in nomine Iesu, nec malè cogitare, nec malè loqui potest facilè de ipso: Imo cogitur laudare, & extollere, vt qui humanã virtutem excedat. Non est auditũ eiusmodi nomen, ad quod diabolus cedere cogatur: quare diuinũ esse quod hic agit, nemo non cogitur agnoscere: Ergo quod ille eiecit dæmonia in nomine Christi, nõ obfuit gloriæ Christi; sed multo magis profuit: huic enim datũ est videre quanta sit virtus Christi, vtpote ad cuius nomen maligni spiritus effugere cogũtur. Sed vide quã mira hic sit rerũ cõsequẽtia. Discipuli nõ potuerunt eiicere spiritũ malũ ex Lunatico puero, & ille, quisquis tandem fuerit, qui nõ est ex numero cõdiscipulorũ, valet eiicere dæmonia, tantũ nominato Christi nomine. Obseruandũ autẽ, quòd quædã dona Dei sunt gratuita, quæ & bonis & malis sunt communia, qua de re & in Corinthiis nostris diximus. Et ex Matthæi Euãgelio apparuit, multos posse eiicere dæmonia, & alias virtutes multas facere in nomine Christi, prophetare item, qui tamen non sunt ex grege electorũ Domini. Multi, inquit Christus, dicent mihi in illa die: Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus? Tunc confitebor eis: Amẽ dico vobis, nescio vos, &c. Proinde non miremur etiamsi aliquando videbimus, etiam in pessimis hominibus, præcipua Dei dona gratuita. Solet enim Deus his vti ad salutem & profectũ filiorum regni. Ergo quisquis agit, quod gloriam Domini promouet, non est prohibendus, etiam si ipse non per omnia facit, quod debebat. Sed de his aliàs.

*Factum est autem, dum complerentur dies adsumptionis eius, & ipse faciem suam firmauit vt iret in Hierusalem. Et misit nuncios ante conspectum suum, & euntes intrauerũt in ciuitatẽ Samaritanorũ, vt pararẽt illi. Et nõ receperũt eũ, quia facies eius erat euntis in Hierusalẽ.*

Quid est quod dicit, dũ cõplerentur dies adsumptionis eius? hoc est: Instabat tẽpus quo postq̃ sustinuisset salutarẽ passionẽ pro nobis, oportebat assumi in cælũ, & cõsidere Deo, & patri. Tunc igitur quũ appropinquauit tẽpus passionis eius & assumptionis eius ex hoc mundo, decreuit non vltra hinc & inde obambulare, sed ascendere Hierosolymã: Quia ibi oportebat verum agnũ offerri, vbi figuralis agnus quotannis immolabatur. Dicit autẽ Euangelista: Obfirmauit faciẽ suã vt iret in Hierusalẽ. Obfirmatione enim opus est & fortitudine, ad passionẽ spõte properanti. Vnde & Ezechieli (cui dixerat Deus: Fili hominis in medio scorpionũ tu habitas, & ne timeas eos) obfirma, inquit, faciẽ tuã, & dedi faciẽ tuã æneã, & frontẽ tuã ferreã. Sic ergo Christus firmauit faciẽ suã, sic in proposito habuit, sic cõstituit, vt iret Hierosolymã. Porrò nũcios præmittit, vt parent ipsi diuersoriũ. Cumq; ingressi essent vicũ Samariæ, vt præpararẽt ei, nõ susceperũt illũ, quia facies eius erat vadẽs in Hierusalẽ. Et quare nõ susceperũt eũ? Hostili inter se Samaritani atq; Iudæi discordãt odio, & cũ oẽs oderint gẽtes, proprio cõtra se furore bacchãtur. Et in tantũ se mutuo persequũtur, vt postq̃ de Babylonia Iudæi sunt reuersi, ædificationem templi semper impedierint. Cumq; vellẽt & ipsi cum eis ædificare tẽplũ, respõderunt Iudæi: Nõ licet nobis & vobis ædificare domũ Domini.

Hiero. ad Alga. Quæ. 5

Denique pro summa iniuria Pharisæi exprobrabāt Domino: Nōne dæmoniū habes,& Samaritanus es? Et in parabola de Hierusalē descēdentis Hiericho, Samaritanus ponitur pro signo atque miraculo, quod mal⁹ bene fecerit: & ad puteū Samaritanæ scriptum est: Nō enim coutuntur Samaritanis Iudæi. Vidētes ergo Samaritæ Dominū Hierusalē pergere, id est, ad hostes suos, quod audierāt à discipulis eius, qui ad parandum hospitium venerant, Iudæum esse cognoscunt, & quasi Iudæum & alienum, & eum qui ad inimicos pergeret, suscipere noluerūt. Hæc ex sententia Diui Hieronymi.

*Cum vidissent autē discipuli eius, Iacobus & Ioannes, dixerunt: Domine vis dicamus, vt ignis descēdat de cælo & cōsumat illos? Et conuersus increpauit illos dicens: Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis nō venit animas perdere, sed seruare. Et abierunt in aliud castellum.*

Apostoli in lege versati, in qua tantū iustitiam nouerant, oculū pro oculo, dentē pro dente, vlcisci nituntur iniuriā, & imitari Eliā, ad cuius vocē duos pentecōtarchos militū ignis absumpserat, dicuntque ad Dominū: Vis dicamus, vt ignis descendat de cælo & cōsumat eos? Pulchrè vis (inquiunt) dicimus. Nam & Elias dixerat: Si homo Dei sum, ignis descēdat de cœlo super vos. Multa porrò hic obseruanda sunt, quæ nos breuissimis expediemus. Prudentiæ Christianæ est nihil velle sine Christo. Est & forma quædam orandi hic nobis præscripta, vt sic oremus, qua tamē voluntatē nostrā resignemus Deo, dicentes: Si tu vis, fiat, &c. Quod autē Christus dicit: Nescitis cuius spiritus estis? innuit plus maiorēque perfectionē requiri à nobis in tēpore gratiæ, quā ab illis qui sub lege fuerunt. Prohibet item priuatā vindictā, vt vitium corruptæ naturæ, & vltra naturā aliquid monet: nēpe inimicos diligendos esse, aduersarios veritatis tolerandos, iniurias dissimulādas, pro odio nos habentibus, pro ingratis, pro inhumanis erga nos, etiā orandū. Sic etiā in Matthæo loquitur. Dictū est antiquis: Oculum pro oculo, dentē pro dente. Ego autē dico vobis nō resistere malo, &c. Et iterū: Audistis quia dictū est antiqs. Diliges proximū tuū, & odio habebis inimicū tuū: Ego aūt dico vobis, Diligite inimicos vestros, &c. Ergo necesse est vt discipuli domini ducātur spiritu mansuetudinis & dilectionis, nō spiritu odij & inuidiæ. Porrò ne dicerent, vel saltem cogitarent discipuli: Ita ne impunè licebit Samaritanis, te contēnere? addit Christus: Filius hominis nō venit animas perdere, sed seruare: Hoc est, Iā nō est tempus, vt cōtemptores meos perdā, sed vt ipsos beneficijs, mansuetudine, verbis & factis ad resipiscentiā alliciā. Nō enim misit Deus filium suū in hunc mundum, vt iudicet mūdum, sed vt mundus saluetur per ipsum. Breuiter primus aduētus filij hominis est, iudicari & occidi ab impiis, ad quos saluandos venerat. Secundus porrò aduentus erit, vt impij iudicētur ab ipso.

*Factum est autem ambulantibus in via, dixit quidā ad illum: Sequar te quocunque ieris. Dixit illi Iesus, vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, Filius autem hominis, non habet vbi caput reclinet.*

Ex Matthæi Euangelio apparet illū togatorem fuisse, nō aliquē plebeiū, sed Scribam, vnde facilè animaduertimus ipsum nō simplici animo ad Iesum accessisse. Et inde est, quòd Augustinus vulpes illas & volucres cæli, malos spiritus interpretatur, significās nō Christo, sed malitiæ & dæmonibus patere hospitium in cordibus huius Scribæ. In scripturis enim diuinis plerunque vulpis nomine malū quid significatur, vt in Canticis, vbi legitur, capite nobis vulpes paruulas, &c. intelliguntur hæretici.

Matth.

reiecit. In Psalmis: Partes vulpium erũt, designãtur dæmones: Sic etiã ipse Dominus alibi interpretatur volucres cæli, diabolos, &c. Rursum, ite, dicite vulpi illi, de Herode, infra xiij. Quoniã itaq; Scriba hic malo animo accessit, sicut in Matthæo copiosius diximus, meritò Christus vulpiũ & volucrum cæli mentionẽ facit. Non possumus eũ probare, quẽ Dominus reiecit. Audiamus Theophylacti interpretationem. Hic qui accessit ad Iesum, & petiit vt sequeretur illum, mala mente accessit. Quia enim vidit magnam turbã sequi Dominũ, suspicatus est quòd pecuniã ab illa colligeret Dominus: & sperauit etiam ipse sequendo, pecunias se congregaturũ: idcirco repellit eũ Domin⁹ quasi talia dicens ei: Tu quidem putas, quòd pecuniã ab his qui me sequũtur corradã. Enimuero vsq; adeo paupertatẽ doceo & induco, vt quũ alia quidẽ animalia foueas habeant, ego autẽ ne domũ quidẽ habeã: & sic eum repulit. Quid me propter diuitias & lucra huius seculi cupis sequi? cum tantæ sim paupertatis, vt alieno cogar vti tecto. Huic Scribæ meritò assimilantur illi; qui solũ quæstus gratia inuadũt ministeria & officia Ecclesiæ, nõ vt prosint illi, sed vt rapiant, & sibi viuant: Tales multos habet hoc seculum. Dominus autẽ videbit & iudicabit. Apagesis cum illis vulpeculis, quæ semper sunt internæ insidiis, vt inquit Ambro. & nunq̃ non rapinas fraudulẽter exercent. Hoc animal catũ & nociuũ, nihil tutum, nihil ociosum, nihil securũ esse patitur, immo intra ipsa hominũ hospitia prædam exercet. Quòd si breuioribus hãc Christi respõsionẽ expedire voluerim⁹, dicẽdum erit, Christum suo responso Scribæ ostẽdisse, nõ aliam esse viam ad Christum quã per crucẽ, ideoq; qui se velit sequi, eum necesse sit omnibus renunciare, & sic pauper pauperem sequi Christum. Hæc pro loco suffecerint.

*Ait aũt ad alterũ, Sequere me. Ille aũt dixit: Domine, permitte mihi primũ ire, & sepelire patrem meum. Dixit ei Iesus: Sine vt sepeliant mortui mortuos suos, tu autem vade & annuncia regnũ Dei.*

Ex his verbis vides & intelligis, quòd oportuit magnã fuisse causam, quare Dominus magistrum illum aut Scribã noluit recipere, quum tamen hunc sic vocet, vt quod aliàs piũ & bonũ opus probatur (hoc enim est sepelire mortuos parẽtes) illum voluit negligere, & potius ire ad annunciandum euangeliũ regni Dei. Sic alibi loquitur Dominus: Qui amat patrẽ aut matrẽ suã plusq̃ me, nõ potest me⁹ esse discipulus. Vult enim Dominus vt ipsi nihil omnino præponatur, sed potius vt posthabitis omnibus ipsum solum sequamur, ipsiusq; mandatis pareamus. Bonũ quidẽ ac pium opus est sepelire parẽtes, hoc est parentes honorare vsq; ad sepulturam: at melius opus est annunciare regnũ Dei: Et dignũ est bona præponere malis, & bonis præponere meliora. Quòd si etiã nõ sepeliatur parẽs tu⁹ ex animi tui sentẽtia, nõ refert plurimum: at magnum piaculum est, si tua culpa cursus Euangelii impediatur. Itaq; nõ videndum est, quid affectus velint, sed quid multorum salus requirat. Et certè longè facilius est sepelire parentes, quàm annunciare regnum Dei. Ex his itaque discamus in nostris operibus nos semper debere eo respicere, vt multis prosimus, semperque ad meliora & perfectiora tendamus. Bonum quanto communius, inquit ille, tantò diuinius. Hinc est quod Chrisostomus eleemosynas longè præfert ieiunio, etiam durissimo. Sic Pharisæis facillimum fuerit decimare mentam & anethum, & grauiora legis implere non æquè facile. Sic inuenire licebit qui cotidie templa petunt, missis adsistunt, cereos ponunt, nihil curantes egenos vel ægrotos, immo qui pleni sunt odio & inuidia, & aliis vitijs

In virtutibus, & intensiones sunt & remissiones, ait Damas. lib. Orthodoxæ fi dei 4. cap. 15.

vitiis, &c. Et tamen nihilo secius sibi videtur belli Christiani, qua de re aliàs & copiosius & oportunius. Puto me clarum fecisse, quid sibi hæc vocatio Christi voluerit. Iam quare Christus parentes adolescentis, qui vtiq; adhuc temporali vita viuebant, mortuos appellauerit, paucis explicandum est: neq; enim hæc à Christo præter figuram dicta sunt. Quomodo possent mortui sepelire mortuos, nisi differentia esset inter vitam & vitã, mortem & mortẽ? Obseruandum itaque est eum non viuere verè vel fœliciter, in quo nõ viuit Christus, qui solus vita est animarum nostrarum. Hinc est quod Apostolus ad Timothæũ scripsit: Vidua quæ in deliciis est, viuens mortua est. Ab hac sentẽtia nõ abhorret quod Barlaã ille Eremita, apud Damascenũ, se quadragenarium nominat, quum tamẽ fuerit quasi septuagenarius, & eius rei rationẽ Iosaphat catechumeno reddens, ait: Nullo modo à me in mẽsura vitæ cõputantur anni, quotquot in vanitate mundi expensi sunt. Quando enim viuebã carne seruiens peccatis, mortuus eram in interiori homine. Annos igitur mortis, nunq̃ vitæ nominabo. Ex quo verò mihi mundus crucifixus est & ego mundo, & deposui veterem hominẽ, qui corrumpitur secundum desyderia erroris, non iam viuo in carne, sed viuit in me Christus. Quod autem viuo, in fide viuo filij Dei, qui tradidit semetipsum pro me, &c. Et tu talem habeto cogitationem semper, nequaquam arbitrans viuere eos, qui mortui quidẽ sunt in opere bono, viuunt autẽ in peccato: Et hactenus quidẽ ille satis piè. Videamus quæ in Luca sequũtur.

1.Tim.5 · Gal.6. · Ephe.4.

*Et ait alter. Sequar te Domine: sed permitte mihi primum renũciare his qui domi sunt. Ait ad illum Iesus: Nemo mittens manum suam ad aratrum & aspiciens retro, aptus est regno Dei.*

Hic longè mitius Domini responsum meruit, quàm Scriba ille, qui primus dixerat: Domine sequar te quocunq; ieris. In Scriba siquidẽ nec initium quidẽ bonum fuerat, vt qui malo animo accesserat, ideoq; & dura verba audiuit, & repulsam passus est. In tertio autem illo non desyderamus bonã intentionem, sed in bono perseuerantiã. Neque enim tantum refert quomodo inceperis, quantũ refert quomodo finieris, quoniã multi nouissimi erũt primi, & primi nouissimi. Qui autẽ perseuerauerit in finẽ vsq;, inquit Christus, hic salu[9] erit. Rectè ergo huic respõdet: Nemo mittens manum suã ad aratrũ, &c. Et alibi iubet eũ qui instituit ædificare, primum omniũ cõputare sumptus, ne postea cum perficere nequiuerit audire cogatur: Hic homo stultus cœpit ædificare, & nõ potest perficere. Certè qui statuit semel Christũ sequi, hũc nullo affectu remorari necesse est, id quod & supra diximus. Sed Christus huiúsq; negotiũ omnib[9] creaturis anteferendũ est. Quapropter qui semel manus admouit ad aratrũ, qui semel instituit arctã illã ingredi viã, quæ ad vitã ducit, qui semel deliberauit humeros suos iugo domini submittere, hic necesse est, nõ retrospiciat laboris impatiẽs, neq; pœniteat eũ suscepti operis, sed potius prospiciat in Christũ Dominũ qui præcessit, respiciat in autorẽ vitæ, sicut Apostolus loquitur, & clamet ad Dominũ, qui vocauit illũ: Trahe me post te. Dñe adauge in nobis fidẽ: perfice in nobis quod vt vellem[9] ipse dedisti. Ipse enim Dominus, iuxta Pauli doctrinã operatur in nobis, & velle & perficere. Itaq; nõ est retrospiciendũ ad eos qui nos remorari nitũtur, sed ad eũ respiciẽdum, qui nos adiuuare possit, vt cœptũ iter cõficere possimus. Obserua hic quisq;s Christianismũ delicias & voluptates putas. Aratrũ in man[9] tuas tibi cõmendat Christus, nõ rosas, nõ pecunias, & id genus reliqua, quibus mũdus suos nõ tam allicit quàm decipit.

Hæc

Hæc sic in genere dicta sunt ad omnes homines, vt tamen peculiariter ad ministros verbi pertineat, qui semel vocati ad munus illud cōcionatoriū, quo nullum sanctius, sicut & nullum difficilius, nunquam debent retrospicere ad ea quæ mundus ostentat, sed perpetuò incumbere officio suo, & vt hoc ritè perficiat, non dubitare subire durissima quæque. Alibi confert Christ9 verbi ministrum agricolæ, qui exijt seminare. Verbum autem Domini semini iacto: hic autem illi committit aratrum, vt durissima & terrea corda prædicatione pœnitentiæ proscindat, semenq; euangelicum postea inijciat. Sed hæc in re plana dixisse suffecerit: ad caput decimum progrediamur, visuri Dominum alios & plures ministros verbi ordinare.

Sup.8

## CAPVT X.

*Post hæc autem designauit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem, & locum quo erat ipse venturus.*

Supra, capite proximo scilicet, diximus, qua de causa Deus nostram salutem ministerio hominum operari velit, quum tamen certò constet, ipsum posse, si velit, citra omnem humanam operam nos suæ veritatis facere participes. An ne putamus manū Dñi nostri sic abbreuiatā esse, vt non amplius possit ex agricola prophetam, ex puero Daniele iudicem & æquissimum & prudentissimum, ex piscatore Apostolum, & ex Telone Euangelistam facere? Potuit & potest quidem haud dubiè, subest enī ei cū voluerit, posse: sed aliter ipsi visum est, nimirum per stultitiam prædicationis, saluos facere credentes: qua de re non ita multò post sumus locuturi. Iam expendamus principium huius capitis. Designauerat Dominus antea duodecim Apostolos: his autem iam addit septuaginta duos, quò latius proferretur Euangelij veritas. Rectè ergo designat Dominus, qui solus nouit quid sit in homine, qui solus nouit quas oues quibus pastoribus concredere debeat. Plures pastores ordinat, quoniam plurium ouium salutem sitiebat. Non abeunt septuaginta duo discipuli, nisi antea designati & missi à Deo. Nemo enim debet sibi sumere talem honorem, nisi qui à Deo fuerit vocatus, sicut Aaron. Binos aūt & binos mittit, quo non solùm declarare voluit prædicationē noui & veteris Testamenti, sed etiā admonere suos discipulos & concordiæ & charitatis. Quisquis enim concionator fuerit, qui non amat subditorum salutē, & quisquis non potest æquo aio ferre collaborantem in verbo, is non rectè præcedit faciem Christi, nec vocationi suæ per omnia respondet. Sequitur: Misit illos in omnem ciuitatem & locū quo ipse erat venturus. Sic etiā Baptista Ioannes præibat ante faciem Domini, parare plebem voluntariam Christo, atq; perfectam. Additum est: Misit eos ante faciem suam, quo nimirū significauit verum verbi Dei cursum, verbumq; externum minimè esse contemnendū. Præit enim in ordine verbum externum, de quo Dominus ad Prophetam dixit: Dabo verba mea in ore tuo: dein sequitur verbum internū, de quo rursum per prophetam dixit: Scribam verba mea in corde eorum, & dabo legem meam in visceribus eorum. Nisi enim hæc duo se inuicem sequuntur, nullum sequitur incrementū, vtcunq; plantarit Paulus, vel rigarit Apollo. Sed hac de re aliàs diximus.

*Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.*

Causam reddit, quare numerū præ-

dicatorum augere voluerit, nimirum eam, quòd quemadmodũ multa mesſis plures requirit messores: ita & populi multi multos requirunt pastores. Quid igitur dicemus? In Christi corporali & paſsibili præſentia multi fuerant homines, tam ex Iudæis, quàm ex Gentibus, qui non poterant audire Euangelium Dei, propter paucitatem bonorum prædicatorũ. Pharisæi enim & alij, quorum intererat promouere verbi prædicationem, tantum abest vt promouerint, vt etiam Christũ ipsum impedire conati sint. Et hæc Dñi Iesu ad discipulos querela, nec hodie quidẽ frustra fieret. Diuus ille Pontifex Gregorius, dum hanc Domini lectionem interpretabatur pro concione, Romæ in Basilica Lateranenſi, dicebat & conquerebatur, inquiens: Ad messem multam operarij pauci sunt, quod sine graui mœrore loqui non possumus: quia etsi sunt qui bona audiunt, desunt tamen qui dicant: Ecce mundus sacerdotibus plenus est, sed tamẽ in messe Dei rarus operatius inuenitur: quia officiũ quidem sacerdotale suscipimus, sed opus officij non implemus. Quid obsecro hic à bono pastore dictũ est, quod non ad nostra tempora, heu dolor, referri posſit, & iustius quidem referri? Quid igitur faciendum? Num nobis desperandum? aut patul ne faciendum? Rogandus Dominus, vt ipse mittat operarios in messem suã. Neq; frustra rogabimus Dñm, si modò ex animo rogabimus, & non fuerimus salutis nostræ contẽptores. Quomodo enim negaret nobis operarios, dum petim⁹, qui etiã illos nobis pollicitus est, antequã peterem⁹? Dabo eis piscatores multos, ait Dominus apud prophetam, & piscabũtur multos. Rogemus ergo Dominum messis, Dominum cuius populus sumus, cuiusq; pascuæ oues sumus, vt mittat operarios, non cessatores, non raptores, & mittat in messem suã, in mesſẽ Dñi, hoc est, qui nõ quærant quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, qui nihil aliud quærant, quàm propagationem Euangelij, & salutem miserrimi populi, &c. Sequitur.

Hier. 16.

*Ite, Ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos.*

Hæc scilicet sors est prædicatorum. At si Deus prò nobis, quis cõtra nos? Est aũt Deus & pro, & cum illis, quos suo noĩe emittit, sicut ad Moysen timentem faciem Pharaonis dicebat: Ego ero tecum. Et ad Hieremiã: Ad oĩa quæ mittam te ibis, inquit, & vniuersa quæcunq; mandauero tibi, loqueris. Ne timeas à facie eorum, quia ego tecũ sum, vt eruã te, dicit Dñs. Proinde quãtum ad malitiã hoĩm pertinet, & infirmitatem discipulorũ, idẽ euenit ipsis, quod ouibus inter lupos. At luporum tyrannidẽ & crudelitatẽ De⁹ facilẽ extinguere potest, nec solùm extinguere, sed etiã malitiã luporũ ad mãsuetudinẽ ouiũ cõuertere, id quod multorum exempla testantur, quæ recensere nolumus, cùm vnicũ Pauli sufficere poſsit. hic enim ex lupo ouis, hoc est, ex persecutore ecclesiæ factus est acerrimus ecclesiæ defensor, &c. Sed multis ambagibus omiſsis, ad verba & mãdata Dñi redimus. Ecce ego, inquit, mitto vos. Nolite timere quicquam, nihil temerè facietis. Ego qui nullius hoĩs autoritatẽ vel timeo, vel egeo, mitto vos, sicut me misit viuẽs pater. Ecce admiratione plenũ est quod auspicor. Rẽ grauiſsimã, modo apud mundũ contẽptiſsimo, perficere instituo. Iudæi expectant regis sui, Meſsiæ sui satellites, ego verò verus ille Meſsias in lege ꝓmissus, vos contẽptos, ignobiles & idiotas mitto. Illi, Iudæos puta, opinantur inimicos ipsorũ à ministris meis trucidãdos esse. Hoc tãtum abest, vt instituerim, vt velim vos tantum nocere aduersariis vestris, quantum oues nocere possunt lupis. Mitto enim vos, sicut oues in medio luporum, nõ vt alicui iniuriã faciatis, sed potius, vt iniuriam patiamini.

Exod. 3.

Hier. 1.

*Nolite portare sacculum, neq; peram, neque calciamenta, & neminẽ per viam salutaueritis.*

Absurda quidem hæc videntur, sed probè intellecta nihil incommodi habere, probabitur. Quid enim aliud hic significare voluit Christus, nisi quòd verbi minister nihil faciat, spe quæstus aut amicitiæ mundanæ scilicet. Nam peram, vel virgam, vel sacculum gestare, vel aliquem in via salutare, nihil incommodi habent, modò nõ impediãt cursum verbi Dei. Exempli gratia sic aio: Qui opes illas fluxas mundi huius ambit, qui pluris facit fauorem hominum, quàm vocationem suam, & profectum Euãgelij, huic profectò magno impedimento futura sunt, pera, baculus, sacculus, calciamenta. Alium autem qui lucri cupidus non est, illa omnia nihil remorantur penitus. Diuus Hom.9. ille Chrysostomus in commentarijs quos in epistolam ad Philippẽs scripsit, mouet quæstionẽ, quomodo Petrus qui caligas habuerit, & Paulus q̃ de penula & pallio sollicitus fuerit, hoc Christi mandatum neglexerint: addit autem solutionem, Mandatum illud de non portandis sacculis, peris, & duabus tunicis, fuisse non perpetuũ mandatum, sed temporale. Quid enim decuit Apostolos facere, dic quæso? Vnam habere tunicam? Quid ergo cùm lauanda fuerit, domi ne nudum sedere oportet, aut nudum circuire, exigente necessitate, & præter decorum agere? Nequaquam. Neque enim hæc voluit Christus, sed vnicum illud, ne cura ventris à munere concionandi impedirentur. Igitur quod reliquum est videamus, nã illud nihil habet difficultatis.

*In quamcunque domum intraueritis, primum dicite: Pax huic domui: & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra, sin minus, ad vos reuertetur.*

Vel ex his verbis intelligimus superiora, hoc est, proximè præmissa non esse accipienda iuxta verborum sonum, sed potius iuxta mentem Domini. Iusserat autem discipulos, ne aliquem in via salutarent (id quod olim etiã Helizæus puero suo mãdauerat) iam verò ne amica illa salutatio re ipsa videatur Christiano homini esse indigna, iubet vt discipuli intraturi alicuius domum, familiam amicè & blandè salutent, bona ei precentur, dicendo: Pax huic domui. Et hæc salutatio si in probã familiam inciderit, non erit inanis: sed potius erit efficacissima, & quod discipuli imprecati fuerint, è vestigio eueniet domui huic. Frustra autem bona imprecabuntur impijs & ingratis, quoniam verbum illud & imprecatio nullum sortietur effectum: iuxta illud Psalmi: Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo: elegit maledictionem, & eueniet ei, &c. Dicit itaque Dominus: In quamcunque domum intraueritis, primum dicite: Pax huic domui. In quamcunq; domum intraueritis, citra delectum, siue ille fuerit dominus, siue famulus, precemini bene, dicite: Pax huic domui, Pax inquam, quam mundus dare non potest, pax conscientiæ, pax quam solus Christus Dei filius dare potuit: pacem spiritualem eis precemini. Et si ibi in domo fuerint filij pacis, hoc est, dicto audientes, & qui animarũ suarum curam agunt, quod precati fuistis, eueniet eis, reconciliabũtur enim Deo patri per Christum Dñm. Pax enim multa est diligentibus legem Dñi, sicut Psalmista alibi dicit. Sed si ibi vbi diuertistis non fuerit filius pacis, Pax vestra, & bonũ illud quod precari estis, ad vos reuertetur. Hoc est, Labor vester non erit inanis, non perdetis mercedem vestram, etiamsi non obedierint verbis vestris.

*In eadem autem domo manete, edẽtes & bibentes quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum.*

Dom-

Dominus noster Iesus Christus qui paulò ante discipulis solicitudinem de victu prohibuit, iam quibus stipendijs illi viuere debeant, ostendit, nimirum, dignum esse, vt quibus spiritalia seminant, vt Pauli verbis loquar, illorum carnalia metant, hoc est, vt alantur ab his, quorum nomine peregrinantur, & quorum salutem operantur. Vult autem Dominus, vt ipsius discipuli non quærant delicias, & exquisitiora fercula, sed potius paruo sint contenti. hoc enim significare voluit, dicēdo: Nolite transire siue circumcursare de domo in domum. Duo itaque hoc loci præscribit Dñs, alterum, vt ministri probè alantur: & alterum, vt ministri munus suum exequantur cum maxima diligentia, & contenti sint subministrantium inopia. Iam quàm sedulò vtraq; pars suum munus exequatur, quid deplorare iuuabit? Oues induerunt naturam luporum, nimirum ad rapiēdum, quàm elargiendum inclinatiores. Et pastores sic suo funguntur officio, vt paratiores sint metere carnalia, quàm seminare spiritualia: neq; enim ex animo dicere possunt quod Paulus: Non quærimus vestra, sed vos. Sed audiamus quid sua ætate sanctissimus Pontifex Gregorius hoc loci conquestus fuerit. Quid nos, ô pastores, quid nos agimus, qui mercedem temporalē percipimus, & tamē operarij nequaquam sumus? Fructus quippe sanctæ Ecclesiæ in stipēdio quotidiano percipimus, sed tamen pro Ecclesia minimè in prædicatione laboramus. Pensemus cuius damnationis sit sine labore hic percipere mercedē laboris. Ecce ex oblatiōe fideliū viuimus, sed neq; oratione, neq; prædicatione pro illorū salute laboramus, &c. Hactenus ex sententia illius boni pastoris, quibus multa subiungit duriora, interim ostendens qua ratione Ecclesiastæ siue pastori liceat mercedem à subditis recipere. Merces quæ in præsenti accipitur, inquit, hoc in nobis debet agere, vt ad sequentem mercedem robustius tendatur. Verus ergo quisque prædicator, non ideo prædicare debet, vt in hoc tempore mercedē accipiat, sed ideo mercedem accipere, vt prædicare sufficiat. Quisquis nāque ideo prædicat, vt hic vel laudis, vel muneris mercedem recipiat, æterna procul dubio mercede se priuat. Sed quid præmissis subiungat Christus, videamus.

*Et in quamcunque ciuitatem intraueritis, & susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis: & curate infirmos qui in illa sunt. & dicite illis: appropinquauit in vos regnum Dei.*

Quomodo se discipuli in singulis domibus habere debeant, auditum est: iam quomodo in ciuitatibus se habere debeant, audiendum ēst. Summa est. In quamcunque ciuitatem vos introire contigerit (omnibus autem ciuitatibus sitis parati annunciare Euangelium) & susceperint vos, neque enim recusantibus debetis esse molesti, manducate quæ apponuntur vobis, non requirētes gulosi lautiora, neque vt hypocritæ quærentes viliora: Sed contenti sitis his quæ pater familiâs obtulerit. Et ad maiorem gratiarum actionem, non sitis contenti illis ciuibus verbū Dei annunciasse, sed si quos habent infirmos, & hos curate, restituite debiles ac mancos, liberate dæmoniacos: atque hæc omnia gratis ac promptè facite, neminem reijciētes, neque pauperem neque diuitem. Ac tum dicite illis: Appropinquauit in vos regnum Dei. Quasi dicat: Videtis argumenta virtutis diuinæ, præparate animos vestros ad studium innocentiæ, iam enim ad vos appropinquat regnum Dei. Pelluntur morbi corporū, mox profligabuntur & animorū morbi, peccata. Hactenus princeps huius mundi regnum obtinuit, atque tyrannidem suam exeruit in cordibus hominum

minum, quos ad suam voluntatem & voluptatem captiuos duxit: at iam appropinquauit regnum Dei, regnũ gratiæ, regnum filij Dei, qui non ita multò post sathanam confidenter triumphabit, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, &c. Theophylactum audiamus: Quando in anima quis sanatus fuerit, tunc venit in eum regnum Dei. Ab ægrotante enim longè istud est, quandoquidem in illo peccatũ regnat ac dominatur.

*In quamcunque autem ciuitatem intraueritis, & nõ susceperint vos, exeuntes in plateas eius dicite: Etiã puluerem qui adhæsit nobis de ciuitate vestra, extergimus in vos, tamen hoc scitote, quia appropinquauit regnum Dei.*

Ex tam sedula commendatione satis relucet, quàm necessarium sit ministerium verbi Dei, vtcunque iam ab imprudenti mundo contemnatur. Sed consideremus commissionem Domini. Quòd si quam ciuitatem fueritis ingressi, in qua nemo sit qui vos recipiat, nolite illic supplices ambire hospitium, sed prodite in plateas eorum, atque ibi publicè palamq; dicite: Gratis obtulimus vobis nuncium æternæ salutis, nihil inde aucupantes, nisi vestram salutem. Tantum enim abest, vt ambiuerimus vestras diuitias, honores, vel digni tates, vt etiã ne puluerem quidẽ vestræ ciuitatis, qui pedibus nostris adhæsit, velimus, sed potius extergamus in testimonium à nobis oblati, & à vobis spreti Euangelij. Illud tamen scitote, quòd siue receperitis, siue non receperitis, in proximo est vobis regnum Dei. Si receperitis, vestro bono: sin minus, veniet vestro malo. Obseruandum hic, quòd sicut Dominus paulò ante discipulis suis prohibuit luxum & gulæ vitium, ita iam admonet, ne auaritia illecti verbum Dei negligant. Inuenire enim licebit, qui loco non ita illibenter verbum Dei postponunt, contenti quòd mercede non priuantur.

*Dico vobis, quia Sodomis in die illa remissius erit, quàm illi ciuitati.*

Hæc subdit Christus, ne quis existimet contemptores verbi Dei perpetuò fore impunitos. Non necesse fuerat vt Apostoli vel ignem de cælo euocarẽt, ad perdendos Euangelij hostes, vel se de illis alio quopiam modo vindicarent. Sufficit enim Deo tanta potentia, vt si velit, contemptoribus suis facilè possit talionem reddere. Hinc iam dicit: Dico vobis, quia Sodomis in die illa, visionis scilicet, remissius erit, quàm illi ciuitati. Nam in ciuitate Sodomorũ (sic enim loquitur Eusebius) nõ caruerunt angeli hospitio, sed Loth inuentus est dignus ad quẽm Angeli diuerterent. Si ergo ad accessum discipulorum nec vnus inuenietur in ciuitate, qui eos recipiat, quomodo non peior erit ciuitate Sodomorum? Sodomitæ quoque, sicut & venerabilis Beda adnotauit, etsi inhospitales fuerint, inter cætera carnis animæq; flagitia, nulli tamen apud eos tales hospites, quales Apostoli, reperti sunt. Nam Loth quidem aspectu erat iustus & auditu, non tamen ibi aliquid signorum fecisse perhibetur.

*Væ tibi Chorozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilitio et cinere sedentes pœnituissent. Veruntamen Tyro & Sidoni remissius erit in iudicio, quàm vobis. Et tu Capharnaum vsque ad cœlum exaltata, vsque ad infernum demergeris.*

Quæ hic nobis occurrunt, apud Matthæum more nostro, hoc est, simplicissimè exposuimus. Quid enim opus est hic obscuras & quasi inexplicabiles mouere quæstiones? Non possumus diffiteri, quin ratio nostra humana ibi cæca sit, neque videre possit

boni est, non respondere Christi legato: ita etiam boni legati fuerit Dominum suum in omnibus audire, in nullo autem contemnere.

*Reuersi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo.*

Supra dictum est, quòd Dominus misit discipulos gratia spiritus sancti insignitos: facti itaque prædicationis ministri, officium suum gnauiter executi sunt. Verisimile est enim ipsos septuaginta duos iuxta præceptum Domini abijsse, Euangelium annunciasse, virtutes multas fecisse, atque multos ægrotos curasse. Quis enim dubitare animum induceret, quin discipuli, simulatque acceperant potestatem, prædicatum abierint, licet hoc à Luca expressè scriptum non inueniatur: nisi quis dicere velit, in vocula reuersionis, abitionem satis esse designatam, hoc quod temerè nequaquam diceretur. Discipuli itaque septuaginta duo, postquam iuxta mādatum Christi officio suo functi fuerunt, viderunt laboris sui mediocrem successum, Reuersi sunt cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo. Quid sibi tali gaudio volunt boni discipuli? Quare non recensent & alia? scilicet, Verbum Dei fœlicem fecisse cursum, homines anteactæ vitæ pœnitentiam agere, se apud nullos repulsam passos? Nihil hic reticebimus. Boni illi discipuli non in totum exuerant carnis genium, sed nonnulla inani mouebantur gloria, hoc quod Domini verba testantur. Nam ex responsione Domini facilè intelligimus, quo animo successum suū ipsi discipuli ad Christum retulerint.

*Et ait illis: Videbam Sathanā sicut fulgur de cælo cadentem. Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutē inimici, & nihil vobis nocebit. Veruntamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subijciuntur: gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.*

Qualis hæc verborum consequentia? Discipuli referūt quomodo triumpharint de Sathana. Christus porrò refert de casu Sathanæ. Optima sanè cōsequētia, si modò rem penitius introspexerimus, & quæ iam diximus, bene meminerimus. Dominus noster Iesus Christus, verus cardiognostes & inspector cordium, bene videbat in cordibus discipulorum nonnihil vanæ & inanis gloriæ subortum, ideoque vt hoc ipsum illorum cordibus eximeret, mētionem facit casus Sathanæ, qui propter vnicum superbiæ vitium, è cælo deiectus est. Cogitent ergo discipuli, si vsque adeò Deus abominatur superbiam, vt propter hanc cælo eiecerit Angelos, certè alia mens nobis induenda est, ne & nos dignitate nostra excidamus. Sic alibi Diuus Petrus in terrorem hominum adducit, quòd Dominus angelis peccantibus non pepercerit, &c. Habetis ergo causam, quare Christus deiectionis illius meminerit: & habetis exemplum, quàm displiceat Domino tumidus & inflatus hominis animus. Addit deinde Dominus: Ecce dedi vobis potestatem, &c. Dedi vobis, inquit, potestatem, non habetis à vobismetipsis. Et qui dedi, rursus si visum fuerit, vobis adimere possum. Olim, ante multa nimirum secula, angelorum meorum ministerio, diabolum & angelos ipsius è cœlis profligaui, iam eam potestatem vobis dedi, vt è cordibus hominum ipsos dæmones abigatis. Nec est vt eos timeatis: talem enim ac tantam potestatem vobis dedi, vt nihil vobis nocere possint. Vocat autem CHRISTVS dæmones, serpētes

& scorpiones, & inimicos nostros, vt sic alludat ad illud psalmi: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & cõculcabis leonem & draconem, &c. Vocatur autem Sathan serpens, quòd apertè nos deludit, & scorpius, quòd callidè nobis insidias struit, sicut in psalmis legimus: Insidiatur in abscõditis, quasi leo in spelunca sua. Insidiatur, inquit, vt rapiat pauperem. Postremũ epitheton dæmonis, quòd scilicet inimicus hominum vocatur, notent & obseruẽt hi, quibus quasi amica quædam familiaritas est cum malis spiritibus, quos illi familiares vocare solent. At tu noli aliquem credere spiritũ familiarẽ, nisi bonos angelos, quos D. Paulus administratorios vocat spiritus, missos in ministeriũ eorum qui constituti sunt cælestium hæredes. Præmissis subiungit Christus: Veruntamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subijciuntur: gaudete autem, quòd nomina vestra scripta sunt in cælis. Audisti sententiam. Quæris causam? In promptu est: Quoniam etiam mali homines, magi, imò & dæmones permittẽte Deo, possunt miracula operari: at tales non scribuntur in librũ vitæ. Solet enim Deus operari miracula citra delectum, iam per bonos, iam per malos, semper autem in profectum Euangelij, & in commodum electorũ. Hac de re multa habet Diuus Augustinus, cùm in multis locis alijs, tum etiam in libro octoginta trium quæstionum, quæst. lxxix. Nos hac de re multa diximus in Euangelio Matthæi, & in Corinthijs nostris, ideoq; breuissimè rem expediuimus. Post prædicta rursum sequitur.

*In ipsa hora exultauit in spiritu sancto, & dixit: Confiteor tibi pater Domine cœli & terræ, quòd abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Etiam pater, quoniam sic placuit ante te.*

In ipsa hora, inquit Lucas, nimirum, in qua redeuntes discipuli narrauerunt, quàm fœliciter negotium Euangelij successerit, in ipsa hora, in qua discipulos ad modestiam admonuit, exultauit Iesus in spiritu sancto, ac de successu Euangelij patri suo cælesti gratias egit: nos interim instituens exemplo suo, vt si quid fœliciter cesserit nobis conantibus, exultemus non humano affectu, sed gaudio spirituali: non nobis arrogantes vllam gloriam, aut gloriæ vllam portionem, sed gaudentes illustrari gloriam Dei, gaudẽtes de profectu proximi. Neque enim dubiũ est, quin Christus non ex necessitate sui ipsius gratias egerit, sed multò magis ad exemplum discipulis suis, vt cogitarent ipsi quid se facere oporteat, cùm videant Christum patri suo tam ingentes agere gratias. Sed audiamus gratiarum actionem. Confiteor tibi, ô pater, ô Domine cæli & terræ, gratias ago tibi, quòd abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis: hoc est, Licet sapientes & prudentes huius seculi, doctrinã tuam cælestem, bonum Euangelij tui nuncium, suscipere noluerint: tamen simpliciores, & huius mundi quasi purgamenta, illud susceperũt, & ideo tibi gratias ago, &c. Neque enim agit gratias Christus, quòd sapiẽtes huius mundi noluerint acceptare Euangelium (nam hoc non gratulatione, sed potius deploratione dignum est) sed agit patri gratias, quòd paruuli reiecti non fuerint. Sic Apostolus Paulus in omnibus suis epistolis, gratias agit Deo super incremento fidei: ac excæcationem & obdurationem Iudæorum deplorat. Attendendum autem, quòd Christus non simpliciter dixit, mysterium regni Dei prudentibus & sapientibus esse absconditum, sed intelligi voluit eos qui in oculis suis, vt scriptura dicit, sapientes sunt, qui magnificè de semetipsis sentiunt,

Rom.

tiunt, quique apud hunc mundum sapientes & prudentes videntur, de his enim dicitur: Cum se crederent esse sapientes, stulti facti sunt. Et iterum: Volentes suam iustitiam constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Nā quos dignatus est Deus sua reuelatione, hi demum sunt verè sapientes. Idipsum sentiendum de paruulis, hoc est, humilibus, qui suæ imbecillitatis semper sunt memores, qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quiq; sese totos voluntati Dei dedicarunt. Quæris rationē, quare posthabitis sapientibus, euangelij negotium reuelatum sit paruulis, humilibus & modestis? Audi Christum. Ita pater. Sic enim complacuit tibi. Hæc certissima, adeoq; verissima ratio est, quam ipsa veritas protulit, & extra illam quid opus est alias quærere? Iniustum esse non poterit, quod iusto Deo semel placuit. Stultū esse non potest, quod ab æterna sapientia præfinitum est. Altiora te ne quæsieris, ait scriptura sacra, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, Ecclesiast. iij. Itaque non simus temerarij scrutatores consiliorum Dei, sed ea quæ non intelligimus, potius admirari & laudare, quàm calumniari studeamus. Sequitur:

Ratio diuinæ vocationis.

*Omnia mihi tradita sunt à patre meo.*

Et hæc Domini verba præmissis concatenata sunt. Perstat enim Dominus in proposito suo, quo sic cohibere voluit discipulorum mundanos affectus, vt tamen gloriæ vnigeniti nihil decederet. Sic ergo ordinandus & conglutinandus est sermo Domini. Egerat Dominus Iesus patri suo gratias, non quidem ex necessitate sui ipsius, sicut paulò antea diximus, sed ad exemplum discipulorum. Porrò ne quis hæc in hoc interpretaretur, ac si virtutes illæ per Apostolos factæ, ad Christum non pertinerent, nec esset Christo eadem æqualisque cum Deo patre potestas, tacitè impiam illam opinionem refutat, inquiens: Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Egi, inquit, patri meo cœlesti gratias, non quod mihi eius rei nullam putem superesse potestatem, sed vt vobis ostenderem, cui pro acceptis beneficiis grates debeatis. Eiusdem & æqualis ego sum potestatis cum patre meo. Omnia enim mihi tradita sunt à patre meo. Hic enim statuit sibi reconciliare mundum per me. Mihi data est summa illa potestas, non vobis. Sic in Euangelio Ioannis etiam loquitur: Omnia quæcunque habet pater, mea sunt, Ioan. xvi. Et iterum alloquitur patrem: Omnia, inquiens, tua mea sunt: & omnia mea, tua sunt, cap. xvij. Nihil igitur hic habet Arrius, cur calumnietur, Christum patre esse minorem. Sequitur.

b

*Et nemo scit quis sit filius, nisi pater: & quis sit pater, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.*

Satis magnifica de semetipso prædicarat Christus, inquiēs: Omnia mihi tradita sunt à patre meo: iam itaq; ne quis in ipso scandalizaretur, quæ iam diximus, addidit. Multi profectò erant in comitatu Iesu, qui ipsum non verè cognoscebant, sed eum pro magno propheta, adeoque pro Iosephi fabri naturali filio habebant: horum ergo errori voluit Dominus mederi. Quasi dicat: Magnifica de me ipso prædicaui, at non falsa. Nec itaq; debetis scandalizari in me, quasi plus æquo mihi vendicarim: non sum fabri illius naturalis filius, sicut vos putatis, neque enim ille mihi multa dare posset, imò eorum quæ discipulis meis concredidi, nihil dare potuit. Vnde, dic obsecro, fabro lignario tanta potestas, vt vel per se, vel per aliōs

possit eiicere dæmones, sanare ægros, mundare leprosos, & alia eiusmodi operari mirabilia. Itaque neque me, neque patrem meum nostis. Dicò vobis, nemo scit quis sit filius, nisi pater, qui eũ ab æterno genuit, Deum de Deo, lumen de lumine, principium ex principio. Et nemo nouit patrem, non Iosephum illum fabrum lignariũ, quem multi vestrum nouerunt: sed patrem meum cœlestem, omnium rerum opificem, nemo nouit, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Ergo hi solùm verè agnoscunt patrem & filium, quibus filius hoc ipsum dignabitur reuelare. Deum enim nemo vidit vnquã. Vnigenitus autem qui est in sinu patris, ipse enarrauit, &c. Hic ergo verè & solus nouit quis sit vel pater, vel filius, vel etiam spiritus sanctus, cui vnigenitus, qui ex naturali æqualitate nouit, enarrare dignabitur. Sed quos qualesve dignabitur sui reuelatione? Apostolos & discipulos suos, paruulos illos & simplices, de quibus in superioribus diximus. Et considera diligenter verum argumentum eius quod Christus dixerat, sibi omnia esse à patre tradita. Non ita multo supra audiuimus ipsum Dominum Christum patri egisse gratias, quòd mysteria illa regni cœlestis reuelarit paruulis: iam verò declarat etiam se esse illum qui reuelare illa possit. In reuelatione illa, & in vera illius cognitione vita æterna consistit, ipso Christo clamante: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Eius cognitionis participes fecit illos quibus dixit, Ioan. xv. Iam non dicam vos seruos, sed amicos: quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis. Et rursum capite decimo septimo: Pater iuste, mundus te non cognouit: ego autem te cognoui, & hi cognouerunt, quia tu me misisti, & notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, vt dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis, &c. Diximus itaque mysterium regni Dei sic reuelari à patre, vt tamen filius interim non sit ociosus: & sic reuelari à filio, vt pater ab hoc diuino opere non excludatur. Breuiter autem his declaratur, cognitionem Dei non esse humanarum virium, sed virtutis Dei, vt qui velit gloriari, in Domino glorietur, non in Paulo, vel Cepha, vel alio aliquo ministro.

*Et conuersus ad discipulos suos, dixit: Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi reges & prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt; & audire quæ auditis, & non audierunt.*

Certè si vita beata in eo consistit, vt quis cognoscat verum Deum patrem cœlestem, & huius filium Dominum nostrum Iesum Christum: discipulis autẽ illud ipsum & à patre & filio, imò & à spiritu sancto reuelatum est, non possunt non esse beati. Quid enim aliud viderunt, quid aliud audierũt, nisi Dominum nostrum Iesum Christum in terris missum à patre cœlesti, vt sibi reconciliaret mundum, nec tãtum hoc viderunt & audierunt, verùm etiã crediderunt, Beato Petro coapostolorum suorum nomine respondente, Tu es, inquiens ad Christum, Christus ille filius Dei viuẽtis. Et in alio loco inquit Christus discipulis: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei. Beati ergo sunt boni discipuli, qui meruerunt videre Christũ in carne, & prædicare, & mirabilia operari, hoc quod multis denegatũ est, q tñ illud ipsũ summis votis optarũt. Misellis discipulis tãta fœlicitas cõtigit, quãta multis regib9 & prophetis cõtingere nõ potuit. Dico vobis, inqr Christus, quòd multi pphetæ & reges voluerunt, hoc est, cupiuerunt & videre

videre & audire, quæ vos auditis & videtis. Qui nam sunt illi reges? qui illi prophetæ? Dauid, Asa, Iosaphat, Ezechias, & alij, quorum probitas in scripturis conspicua est. Sic Abrahã, Isaac, Iacob, & alij patriarchæ. Sic denique totus prophetarum chorus. Nam illi prisci patres, spiritu edocti, nouerunt illa omnia certò ventura, quæ postea discipuli suis ipsorũ oculis viderunt facta esse. De Abraham Christus ipse dixit: Abraham exultauit vt videret diẽ meum, vidit & gauisus est. Si sola spe, qua certò venturũ esse Christum sperauit, sic lætatus fuit: quantum puras exultasset, si vel adhuc paruulũ Christum in manibus Simeonis videre contigisset? Taceo, si datum Abrahæ fuisset, videre Christum prædicantem & miracula operantem. Iam quod de Abrahamo dicimus, etiam de alijs Patriarchis intelligere debemus. Non enim minus persuasum habuerunt Christum venturum, atque nos habemus persuasum, iam Christum, iuxta prophetarum illorum oracula, certo certius venisse. De Esaiæ prophetia paucis agamus. Hic enim sic expressis verbis omnem Christi historiam ante multa tempora expressit, ac si vidisset omnia suis oculis iam facta. De incarnatione Christi, an ne clariora dicere potuit? Egredietur, inquit, virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini. Et iterum: Ecce virgo concipiet & pariet filium, &c. Rursum, ac si illa tempora vidisset, exultando clamat: Puer natus est nobis, & filius datus est nobis, &c. De operatione miraculorum ait: Ecce Deus vester veniet, & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Iam de passione Christi inquit: Vidimus eum, & non erat ei aspectus. Verè languores nostros ipse tulit, &c. Quum itaq; tantam boni prophetæ de Christo habuerunt certitudinem, tamque certas promissiones, quis amplius dubitare possit, quin ex animo, summisq; votis optarint, talia non tam fide, quàm re ipsa videre? In vno illo sene Simeone videre est, quid de prioribus patribus sentiendum sit. Quanto enim studio rogauit ille Dominum, annos vitæ suæ eo producendos, vt possit videre Christum Domini. Quàm porrò gaudet & gratulatur puerum Iesum in vlnis habens? Nunc dimittis, inquit, seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. Sed de his plus satis.

*Et ecce quidam Legisperitus surrexit tentans illum, & dicens: Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo?*

Siue hic arrogans legis peritus, & Nomodidascolus interruperit Domini Iesu sermonem, siue alia die ipsum accesserit, non multum nos moueat. Verba hic & horum intelligentiam quærimus, de temporibus parũ anxij sumus, nisi illa maiorem lucem scripturæ adferre videantur. Tum enim Euangelistæ vt plurimum, tempora ipsa annotare solent: sicut pauld supra auditum est. In illa hora, &c. Legis ille peritus qualiscunque sibi fuerit, videat ipse, nobis certè non inutilis nec ingratus est, vt qui causa fuit vtilissimi sermonis qui sequetur. Sed attendamus num aliquam consequentiam hæc habeant cum superioribus. Christus Iesus gratias egerat patri suo, quòd absconderit Euangelii veritatem prudentibus huius mundi, ac paruulis reuelarit, quod quàm verum sit, præsens historia testatur. Discipuli, ceu antea diximus, paruuli sunt, quibus dignatus est Dominus reuelare, & beati sunt horum oculi, quia vident quæ etiam regibus & prophetis

concessa non sunt. Iam audimus legis peritum, nimirum vnū ex his prudentibus, quibus Euangelij mysteriū reuelatum non est. Quare hoc? Quia ipse volens sibi offudit tenebras. Legis erat peritus, & id nominis sibi arbitrabatur meritò impositum, & ex lege agnoscere potuit, quid de Messia sentiendum fuerat. Sic tamen propria malitia, & malitiosa prudentia sua excæcatus est, vt malit tentare Christum, quàm obtemperare Christo. Accedit enim callidus, & blandiusculè alloquitur Christum, quem tamen mallet falsa, quàm vera respondere, quasi scilicet scrutator cordium hypocritā non noscat, aut ipsa veritas falsa docere possit. Magister, inquit, quid faciendo vitam æternam possidebo? Ardua certè quæstio est, nec minus necessaria. Veteres philosophos per multa secula hæc quæstio habuit occupatos. At vni Christo reseruata est huius solutio, quam paulò post audiemus.

Augus. de ciuit. Dei.lib. x.cap.i

Tantum in lege profecerat Nomicus ille, vt sciret aliquid faciendum esse ei qui cuperet esse possessor vitæ æternæ, quoniam hæc ociosis non contingeret. Et de possessione vitæ æternæ quærit Christum, non de alia aliqua re ociosa. Et nos hoc præcipuè à Christo quærere studeamus, quo medio liceat nobis possidere vitam æternam. Nam qui à Christo quærunt, vel ab huius Euangelio, quo modo ditescant, quomodo in delicijs viuant, vel regnum aliquod huius mundi occupent, frustra adierunt Christum. Regnum ipsius non est de hoc mundo. Videat ergo vnusquisque, quo modo, quaue de causa Christum adeat. Accedite, inquit Propheta, ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur. Accessit autem Legisperitus, non vt illuminaretur, nam visus est sibi egregiè prudens, & qui Christi doctrina opus non habebat: accessit, inquam, non vt disceret, sed vt tentaret Dominum, & ab ipso audiret quæ calumniari posset.

*At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? quomodo legis? Ille respondens dixit: Diliges Dominū Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum sicut teipsum.*

Quid me interrogas? inquit Christus. An ne tibi videor noui quid in mundum attulisse, & diuersum ab ea doctrina quam hactenus in lege, in prophetis, & psalmis scriptam legistis vos Iudæi? In lege quid scriptum est? quomodo legis tu qui eius cognitionem vbique profiteris? Oportebat te legis peritum eatenus legem scire, vt non opus foret mea responsione. Quid si alij hoc ex te interrogarent? Si eius rei ignarus es, quid legisperiti intumescis titulo? Si autem ex lege didicisti, quid me rogando tentas? In lege Domini certè compendiosa præscripta est via ad vitam æternā, ita vt non sit necesse multis hac de re digladiari: tu itaque qui legis cognitionem profiteris, quomodo legis? Quid porrò ad hæc legisperitus? Scriptū est, inquit, Diliges Dominum Deū tuum ex toto corde tuo, & ex tota aīa tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximū tuum sicut teipsum. Hactenus ille, & piè quidem. Si igitur hæc nouerat in lege scripta esse, quid plura ex Christo rogat? Sed sic solemus miseri: plus amamus de pietate disputare, quàm in via pietatis ambulare. Apertum est quod lex Domini præscripsit, scilicet vt diligamus Dominum Deum nostrum ex toto corde, &c. hoc est, vt omnem affectum, ac omnes tam animæ quàm corporis vires, ad amandum, honorandum, colendum Deum conuertamus. Minus enim Deum diligit, qui quicquā cum ipso

Augu. de doct. Christ. lib.i.ca.x

ipso

ipso diligit, quod non propter ipsum diligit: Addit lex, vt etiam diligamus proximum sicut nos ipsos. Duo porrò circa hanc dilectionem sunt consyderanda, vt proximus beneficij impensione foueatur, & malitia nulla lędatur. Sic enim alibi à Domino dictū est: Omnia quęcunque volueritis vt faciant vobis homines, sic & vos facite illis. Amabis itaque vt volueris amari: Benefacies vt tibi volueris benefieri. Neminē lędas, vt non volueris lędi. Si quis verò malum intulerit, non malum sed bonum reddas, nā hoc ipsum & tibi visfiat, si quempiam lęsisses. Ea enim est regula dilectionis, sicut D. Augustinus loquitur, vt quę sibi vult bona prouenire, & illi velit: & quę accidere mala sibi non vult, & illi nolit. De vera relig. cap. xlvi.

*Dixitq; illi: Rectè respōdisti, hoc fac & viues. Ille autem volens iustificare seipsum, dixit ad Iesum: Et quis est meus proximus?*

Approbat Christus legisperiti responsum, vtcunque falso tentatus ab ipso fuerat: Sed oportet vt nō contradicamus veritati, à quocunque tandem proferatur, siue ille sit amicus, siue aduersarius noster. Hinc D. Augustinus alibi scribit, si quid veritatis, si quid boni sit apud Ethnicos, ab ipsis tanq̄ ab iniustis possessoribus auferendum esse. Sic etiā si quid boni est apud hęreticos nobis vsurpamus, non quidem in gratiam illorum, sed in gloriam Dei qui subinde etiam impiorum malitiā in bonum Ecclesię conuertere solet. Hęc dixi ex occasione quòd Christus veritati, hostis & tentatoris sui, nō cōtradicit, sed approbat, inquiens: Rectè respondisti: Hoc fac & viues. Satis, inquit, declaras te scire quid à populo suo requirat Deus, nimirū dilectionem Dei & proximi, hęc facito & bene tibi erit. Tentando, disputando, vel etiam bene respondendo, non acquiritur vita ęterna, sed faciendo: Neque enim cognitio legis dat vitam, sed obseruatio. Audimus igitur &c. nos quid faciendū sit ei qui cupit possidere vitam ęternā: accingamus ergo nos operi, diligamus Deum & proximum, in hoc enim vniuersa lex pendet & prophetę. Sinamus alios digladiari de iustificatione impij, de sola fide, &c. nos accepimus Domini sententiā, quam vt impleamus Dei ipsius gratia ambienda est. Cęterùm audiens legis peritus se rectè respondisse, sed ad impletionem legis etiam à Christo missum esse, excogitat diuerticulum vnde elabi possit, quęstionē quęstioni addens, quasi iustus sit, quasi bono & docibili animo accesserit, non quasi tentator, sed quasi discipulus, & promptus ad omnia subeunda quę Christus iusserit. Hęc enim mihi videtur Lucas velle quum scribit: Ille autem volens seipsum iustificare, hoc est, simulabat se simplici animo accessisse. Rogat autem Dominum: Et quis est meus proximus? Ac si diceret: Si nihil aliud doces quàm dilectionem Dei & proximi, bene res se habet, paratus sum obedire, vt sic etiam vitam ęternam consequar. At rursum est de quo dubitem. Lex iubet diligi Deum & proximum. Iam quem Deum lex diligere pręcipiat, satis clarum est, quum scriptum sit: Audi Israel, Dominus Deus tuus vnus est, & pręter me non est alius Deus: At de proximo incertus sum, quē lex iubeat diligi, &c. Hęc autem omnia ceu diximus ex hypocrisi loquitur legis peritus.

*Suspiciens autem Iesus, dixit: Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Hierico, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt semiuiuo relictò. Accidit autē vt sacerdos quidam descenderet eadem via, & viso illo præteriuit. Similiter & Leuita, cum esset secus locum, & videret eum, pertransiit. Samaritanus autem*

*quidam iter faciens, venit secus eum, & misericordia motus est: Et appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum, & imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit. Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario & ait: Curam illius habe, & quodcunque supererogaueris, ego cum rediero, reddam tibi: Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Iesus: Vade & tu fac similiter.*

Non immeritò alibi clamat Christus dicẽs: Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Verè enim mitem & humilem hic se præbet doctorem, qui ad versutissimi Hypocritæ interrogationem, tam modestè, tã dextrè, tamq; sufficienter respõdet. Exemplo autem hoc sit omnibus doctoribus, vt interrogati ab aliquo modestè & verè respondeant: immo omnes superiores hæc lenitas & modestia decet, vt scilicet interrogati, non exhibeant se difficiles. An non videmus hic quàm longo responso Dominus dignatus fuerit legisperitum, quum tamen breuioribus vtique expedire potuisset: Quid enim hæc parabola aliud docet, nisi omnem qui ope & auxilio nostro opus habet, nostrum esse proximum, siue ille iuxta carnem nobis cognatus sit, siue non notus. Iudæi enim proximum neminẽ fermè interpretabantur, nisi de suæ gentis hominibus, existimantes sibi fas esse odisse exteros, nec in hos quicq̃ conferre beneficij. Sed Samaritanus longe aliter iudicat, vt qui videns Hierosolymitanum spoliatum & vulneratum, non meminit eius contentionis quæ est inter Iudæos & Samaritanos, sed misericordia mouetur, accedit, fert opem, & quoniam ipse nõ sufficiebat, alium substituit qui opitularetur, ad quod pietatis exemplum respiciẽdum est etiam legis perito. Hæc breuissima est huius parabolæ sententia. Iam quid aliud in se habeat videamus, non plurimum anxij historia ne sit, an parabola: est enim pulcherrimis adeoq; necessariis doctrinis referta. Principio cauendum nobis ne ab Hierosolymis, descendamus in Hiericho, hoc est, ne à Dei amicitia, ne à pace quæ nobis ad Deum est, recedamus in loca periculosa, hoc est à virtutibus ad vitia, ne incidamus in laqueos Diaboli. Secundò hic admonentur principes, vt vias omnes à latronibus securas & innoxias faciant, ne in ipsorum ditionibus fiat, quod hic de Hierichinitinis legimus. Tertiò admonẽtur hic Sacerdotes & Leuitæ misericordiæ in pauperes, considerantes quàm malè audiant hic Sacerdos & Leuita, qui prætereuntes miserum hominẽ, ne verbo quidem dignantur, nedum denariolo. Certè immisericordiæ crimen, plerisq; exprobrat Deus huic hominum generi: Misericordiam, inquit, volo, & non sacrificium. Admonendi estis & vos vt Samaritanum hunc imitemini: proximis vestris, hoc est, omnibus qui vestra ope opus habent, benefaciatis, & hoc ex animo, ex commiseratione, & nõ quasi ex necessitate: Hilarem enim datorem diligit Deus. Certè non potuit Christus euidentiori exemplo nos admonere, quàm huius Samaritani. Nihil enim infectum relinquit Samaritanus, quod ad veram opem aliquo modo facere potuerit. Videt miserum, misericordia mouetur erga ipsum, descendit equo, accedit, non detrectat saníe repleta tangere vulnera, infundit oleum & vinum, & modis omnibus medetur vulneribus: Quibus factis non sinit illum sub dio iacere, sed imponit iumento suo, vehit in pandocheon, curam huius agit: deinde cum per negotia Samaritano integrum nõ est diutius manere in pandocheo, conuenit certis conditionibus, cum stabulario,

lario, vt & ipse curam miseri illius hominis agat, &c. An ne egregiè ad amussim omnia misericordiæ opera exhibuit ille Samarites? Quis negare poterit? Putemus ergo nobis omnibus dictum, quod dictū est legis perito, Vade, & tu fac similiter. Neque enim hæc parabola à Christo recitata est propter vnicum legis peritum, sed scripta est ad doctrinam nostrā, sicut & aliæ historiæ, quæ nos nostræ professionis admonere possunt. Et hactenus quidē tentatori illi responsum est, & quasi digito commonstratum, quis sibi proximus sit. Iam quoniam hæc Euangelij lectio nō caret pulcherrima allegoria, & hanc breuissimis tractemus, veterū sequentes vestigia. Omnes consentiūt per hunc misellum hominē designari Adam, & in hoc vniuersum genus humanum, Adam enim de Hierusalem in Hiericho, hoc est, de Paradysi delicijs, in hanc lachrymarum vallem descendit, vbi sic vulneratus & vestibus suis spoliatus est, vt verè fuerit semiuiuus derelictus, latrones autem qui hominem spoliarunt veste innocentiæ, & vulnerarūt pessimo inobediētiæ & superbiæ iaculo, mali angeli sunt, quorum suggestione primi parentes decepti sunt: Vulnera illa multa fuerunt, quæ etiā nos partim sentimus, & partim in baptismi sacramento curata sunt. Maximum vulnus est, nasci in indignatione Dei, postquam in peccatis concepti sumus. Magnum vulnus, magna plaga est, hominem semper esse pronum ad malum, habere malam concupiscentiam, per liberum arbitrium ex seipso nihil posse nisi peccare. Quod autem non porrò mortuus prædicatur, sed semiuiuus homo, argumento est hominem non omnino factum esse stipitem aut truncum, sed remansisse in eo non nihil donorum Dei, id quod lumē rationis vocant, & legem naturæ, quia homo vtcunque potest dignoscere bonum à malo: Hinc Paulus de gentilibus dicit, Gentes quæ legem (scriptā) non habent, ipsi sibi sunt lex. Et in multis veterum Philosophorum literis inuenire licet, quantum etiam corrupta natura possit. Hinc egregia virtutum exempla, vt pro patria mori, filios probè educare, boni & honesti bonam habere rationem, &c. Sed hac de re aliàs. Hoc vnicum autē hic protestamur, nihil hoc loci nos dicere ad extollendam hominis naturam, sed ad commendandā domini creatoris nostri misericordiam; qui de se malè meritos, non radicitus deleuit. Sed sic vulnerari permisit, vt tamen suo tempore restaurari poterit. Porrò vulneratū scimus hominem: iam qua ratione sanatus fuerit contemplandum est. Accidit, inquit Christus, vt Sacerdos quidam descenderet eadem via, & viso illo præterijt. Similiter & Leuita cum esset secus locum, & videret eum, pertrāsijt. Per Sacerdotem & Leuitā, veteres intellexerunt legem & Prophetas, quibus certè vulneratum genus humanū restaurari minimè potuit. Audiamus rationem. Per legem cognitio peccati, ait Paulus: At inter abolitionē & cognitionem vulnerum magna est differentia. Non statim curare potest morbum, qui hunc cognoscere potest: Lex ergo & prophetæ demonstrare quidē potuerunt peccatum, sed non curare, hoc quod Paulus in Romanis & Hebræis clarissimè testatur. Nihil, inquit, ad perfectum adduxit lex: Et iterum. Impossibile est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata: ideo ingrediens in mundum dicit, hostiam & oblationem noluisti, corpus autem adaptasti mihi: holocaustomata & pro peccato non placuerunt tibi, Tunc dixi ecce venio: In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam. Ergo quod Moyses & Aaron, & totus Propheticus ordo non potuit, hoc reseruatum est Samaritano illi, qui sibi adaptans corpus ex sanguinibus Diuæ

virgi-

Cùm hæc noua iam sit & alia historia, non est necesse vt multum anxij simus in quærendo consequentiam: licet hæc fortè inuentu non fuerit difficilè. Quod enim Christus superius sub inuolucro parabolæ,& verbis legis docuit, scilicet dilectionem Dei & proximi, hoc iam præsens historia declarat: Martha enim circa secundã tabulã, de dilectione proximi videlicet, occupatur. Maria verò circa priorem tabulã de diligendo Deo occupatur. In Christo verò, Deus & homo diligitur, vt qui nõ posthabita diuinitate, humanitatẽ assumpserit. Igitur quod Christum hominem adtinet, à Martha accipitur: Quod Christum Deum adtinet, à Maria auditur. Inquit ergo Lucas: Intrauit Iesus quoddam castellum, & mulier quædã Martha nomine excepit illum in domum suam. Quod nã erat illud castellum vel oppidulũ? Bethania nimirum, sic enim apud Ioannẽ legimus, Bethaniam fuisse oppidulum Mariæ & Marthæ sororum: Et ibidem legimus Mariam & Martham à Christo valde dilectas, vnde mirum non est, quod hic legimus Christũ ad has sanctas sorores diuertisse. Diuertit autem non ex necessitate, sed ex bona voluntate. Cui enim in deserto ministrauerant Angeli, ille fame haud periisset: Sed non remoramur hic Christi necessitatem, quum de voluntate Marthæ certi simus. Voluntatem ergo mulieris Marthæ imitemur, erga eos qui necessitatem patiuntur, qui in nomine Christi aliquid à nobis petunt: nam quicquid illis fecerimus, in Christum collocatum existimemus. Neque enim minus fœlices sunt qui Christũ in mẽbris suis suscipiũt, quàm illi qui ipsum in carne ambulantem recipere meruerũt. Iam quid de Maria dicemus? Hæc feriata à negotiis domesticis, adsidebat ad pedes Domini humiliter, audiens sermones illius diligenter, quibus adeò rapiebatur, vt non posset auelli, quicquid tandem curaret Martha soror. Et hæc Maria nobis exemplo sit, quo desiderio, quaque deuotione à nobis audiendum sit Dei verbum: nimirum vt cæterarum rerum prorsus obliti, totos nos dedamus verbo Dei. At quàm parum nobis cum illa conueniat quid attinet dicere? Pauci sunt qui ament ad pedes Domini sedere, hoc est, qui sese humiles & dociles velint exhibere discipulos: sed multi sunt qui nostra admonitione se nõ habere opus putent. Iam quàm parum exuamus curas rerum temporalium, conciones ingrediẽtes, notius est quàm vt referre opus sit. Postremò quomodo audiamus Euangelium, & quanti hoc faciamus, suo loco & tempore copiosius dicemus.

*Martha autem satagebat circa frequens ministerium: Quæ stetit, & ait. Domine nõ est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare.*

Aperta sunt quæ legimus: Martha sollicita de apparatu cõuiuij, sursum ac deorsum cursitat, ne quid desit quod ad suauiter suscipiendum Dominũ eiusq; discipulos pertinere possit. Cùm ergo ægrè sufficeret omnibus obeũdis quæ pertinebant ad apparatum, & videret sororem feriatam sedere ad pedes Domini, Iesum interpellat, conquerens de sororis negligentia. Hæc quidem non loquitur ex indignatione, neq; ex odio in sororem, sed ex nimia sollicitudine, qua timet ne Christo non satis fiat. Et miratur Martha, quòd soror quasi oblita Domini amicitiæ, nihil curet quomodolibet tandem tractetur Christus. Docemur autẽ hoc quidẽ loci, quàm impigrè inseruiendum sit proximo: Et si quando nos non sufficimus opitulari proximis, etiam aliorum imploremus auxilia, hoc quod hic Martha facit. Et si nihil proficimus apud homines, vel Deum rogemus quatenus corda peccatorum emolliat ad misericordiam

diam. Sic Martha non ignara quã difficilè posset auellere sororem, Christum interpellat: Quid ad hæc porrò Christus?

*Et respondens dixit illi Dominus: Martha Martha solicita es, & turbaris erga plurima. Porrò, Vnum est necessarium: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.*

Audit quidem Maria querulationem sororis, sed nihil respõsat, immo omne negotium Christo commisit, vt qui suos doceat omnes insultus patienter sufferre: Sic alibi, dum à discipulis propter vnguenti effusionem corripitur Maria, se nequaquam excusat, sed à Christo Iesu sic excusatur: Sinite eam, bonum enim opus operata est in me. Iam accusata à sorore, illi patrocinatur Christus, in hunc ferè modum: Martha Martha sollicita es, & turbaris erga plurima: tota occupata es in hoc vt me lautè & largiter reficias. At hæc nulla necessitas vrget, quoniam etiam te non curante, non peribimus fame: Vnum est necessarium, scilicet vt anima nostra primum omnium curetur: In hoc tota est soror tua Maria, ideoq; meliorem partem elegit, & ideo meliorem partem, quia non auferetur ab ea. Magis necessarium reputauit vt ipsa spiritualiter pascatur à me, quàm vt me cibaret corporaliter. Nusquam nõ inuenies vnde corpus alatur, at cibus animæ non vbique parabilis est. Adde hoc, quod tu agis perpetuum non est, quod Maria agit perpetuum est. Donec hic sumus, oportet vt proximis inseruiamus, at post hanc vitam non erit cui subuenias: eleemosynis tuis. Adiunge his, quod anima nostra tam in præsenti quàm in futuro, necesse habet verbo Dei sustentari. Bonum igitur est quod Martha instituit: at melius est quod Maria perpetrauit. Non vituperatur Martha, sed præfertur Maria. Quid igitur hic docemur, nisi quod ad finem prioris capitis etiã admonuimus, scilicet in genere virtutum magnam esse differẽtiam, bonóq; operi, melius esse præferendum. Diximus bonum adeoq; pium opus esse sepelire mortuos, at Christus iussit contempto hoc officio, aliud amplecti, nimirum munus annunciandi regnum Dei. Sic colligere piis eleemosynas, quis negabit bonum opus esse? Sed tu audi Apostolum dicẽtem: Non æ quũ est nos derelicto verbo Dei, ministrare mensis. Et Diuus Paulus magis extollit concionandi, quàm baptizandi functionem, hoc quod in Corinthiis nostris abundè demonstrauimus. Plus enim requiritur ab Ecclesiaste, quàm à baptista. Sic ergo in præsenti historia longè præfertur Maria Marthæ, quòd hæc corporalia, illa verò spiritalia cogitauerit. Quæ alii hic de actiua & cõtemplatiua vita disputarunt, iam immiscere non libet: hoc vnum admonentes, hanc de illa re disputationem non excogitatam ab ociosis & stolidis monachis, sic enim aduersarij nostri loquuntur, sed à probatissimis Ecclesiæ doctoribus, Ambrosio, Augustino, Gregorio, Bernardo, & eius generis reliquis, quos enumerare longum, contemnere verò impiũ est. Iam quòd hic Maria commendatur, quòd meliorem partem elegerit, admonemur vt & nos semper meliora eligamus. Quæ illa sunt meliora, inquis? Quæ à nobis auferri non possunt: at iam multi sunt, qui eligunt, cupiunt, atque venantur diuitias, honores, potestates huius mũdi, & sibi videntur optima elegisse. Si auferri à nemine possunt, meritò iuxta Christi sententiam optima vocantur, iam falsi non sunt. Si porrò auferri possunt, aut optima dici non possunt, aut Christus incerta docuit. Quis autem ignorat, diuitias, potestates, & honores res esse caducas? Nouimus ex Euangelio diuitem Lazari contemptorem, nouimus Herodis potestatẽ, nouimus.

Anne

n b

Annæ & Cayphæ honores: at quem finē illi omnes sortiti sint, nemo ignorat. Ergo alia eligenda sunt, vt meliorem partē nobiscum habeamus: Quæ alia? virtutes & vera veræ pietatis officia, hæc enim auferri inuito nō possunt, sed potius comitantur hominem ad vera gaudia, &c. Postremò sic instituamus vitam nostram, vt & in nostris domibus sint Maria & Martha, hoc est, vt & bona à Christo domino audiamus, & quæ audiuimus lubenti animo exequamur, in Dei honorem & proximi nostri æmolumentum, &c. His ergo caput decimum explicatum volumus.

## CAPVT XI.

*ET factum est, cum esset in quodam loco orans, vt cessauit, dixit vnus ex discipulis eius ad eum: Domine doce nos orare, sicut docuit Ioannes discipulos suos.*

Sæpe inuenimus Dominū nostrū Iesum Christū in multis Euangelij locis orantē, raro autē quibus verbis orarit, nec hoc nos plurimū moueat, contenti eo quòd sciamus ipsius orationes omnes pro salute nostra fuisse institutas. At quādo vel quomodo Ioānes baptista suos docuerit discipulos orare, prorsus ignoramus. Et in capite tertio huius Euangelij audiuimus Lucā dicentem de Ioanne: Multa quidem & alia exhortans Euāgelizabat populo. Et verisimile est, quod Baptista etiam suis discipulis certas præscripserit precatiunculas, sicut & certa præscripserat ieiunia, de quibus in Matthæo auditū est. Igitur cum quodam in loco iuxta suā consuetudinem Christus oraret, venit cuidā ex discipulis in mentem, quòd nulla esset religio quæ nō haberet suas precandi formulas, quoniā nullū hominum genus est quod nō opus habeat auxilio & consilio. Orabant Pharisæi frequenter & prolixè, sed tristes & in publico. Orabant & discipuli Ioannis, Orabant & Samaritani in monte suo. Habebat & Ethnicorum religio suas preces. Quoniam autem nec ijdē ritus orandi erant omnibus, nec eadem petebantur: & discipuli nihil ferè agebāt nisi consulto Domino: quidam discipulus, videns Christum orare, expectat orationis finem, dein sic interpellat Dominum: Domine, doce nos orare, sicut docuit Ioannes discipulos suos. Est autem oratio, secretus ille congressus, qua mens humana discussis omnibus curis & phantasmatibus rerum terrenarum, velut sublecta in cælum, cum Deo miscet colloquiū. Sunt autē orationis duæ præcipuæ species, aut enim pro beneficiis interpellamus, aut pro acceptis beneficiis agimus Deo gratias.

*Et ait illis: Cum oratis, dicite: Pater, sanctificetur nomen tuum.*

Vt hoc loci simplicioribus maximè inseruiā, omnes orandi partes, sicut Matthæus posuit, rursus interpretabimur. Sicut enim Matthæus testatur: eū Christus multis verbis docuisse, Christianorū precationē nec oportere ad ostentationē paratā esse, nec de rebus quibuslibet, præscripsit huiusmodi formam, quomodo & quid petendum sit ostendens. Pater noster qui es in cælis, sactificetur nomen tuum. Quis facilè amplectatur animo, ò boni, quāta sit Domini circa nos dignationis & bonitatis vbertas, qui nos sic voluerit orationem incipere, vt Deum patrem vocaremus, quod non ita obuium est in veteri testamento, quum nusquam præceptum sit filiis Israel, vt Deum, patris nomine orando compellant, sed Domini nomen eis insinuatum est, tanquam sub lege seruientibus. Et cum Abraham, vir tātus (qui amicus Dei appellatus est) non absque multo tremore loquutus est.

Pater.

Ne indigneris, inquiens, domine, si loquar ad dominũ meũ, quũ sim puluis & cinis: quis nostrũ Deũ illũ conditorẽ, seruatorẽ, ac moderatorẽ omnium, quæ in cœlis sunt & quæ in terris, patris nomine cõpellare, & sibi honorificẽtissimũ nomẽ filii Dei, quo nec Angelos suos dignatus est, vẽdicare ausit, nisi ille iussisset? Dicimus ergo pater, nõ tã quòd pater sit ratione creationis, secundũ id quod dictũ est: Nunquid nõ ipse est pater tuus, qui possedit, fecit & creauit te. Deut. xxxij. sed magis ratione adoptionis, qua gratuita pietate, nos in filio suo renatos, in huius nominis honorem adoptauit, ac potestatem fecit, quotquot eum receperunt, vt filii Dei fierent, qui credunt in nomine eius. Dicendo ergo Pater noster:

1\. In primis gratias agimus Deo, quod non ex meritis nostris, sed gratuita adoptione facti sumus filij Dei, profitemurq; hoc nomine nos in baptismo renũciasse Diabolo & omnibus operibus eius, iãq; solũ nosse & habere cœpisse nos patrem qui sit in cœlis, cuius potentia conditi sumus, quũ nihil essemus, cuius bonitate restituti sumus, quũ periissemus, cuius sapientia gubernamur & cõseruamur, ne reuoluamur in exitium. In quam sententiam Dominus dixit: Nolite vocare vobis patrẽ super terrã, vnus est enim pater vester qui in cœlis est.

2\. Secundò quia persuasum est nobis Deum esse patrẽ nostrum, auget in nobis magnã fiduciam, vt ad ipsum nulla diffidentia accedamus. Confidentius enim ad patrem, quàm ad dominũ, aliquid postulaturi accedimus. Hanc autem confidentiam non aliundè concipimus, quàm ex spiritu sancto, qui testimonium reddit spiritui nostro, quòd simus filij Dei, in quo etiam clamamus Abba pater. Ro. viij.

3\. Tertiò quisquis Deũ patris nomine cõpellat, videat ne degeneret, sed potius patrem referre studeat, ne rursus repudietur à filiatione. Cogitet ergo quæ Dominus per Prophetas dicit: Si ego pater vester, vbi est honor meus, Malach. 1. Et per Esaiam: Filios educaui & enutriui, ipsi autem spreuerunt me. Esaiæ 1. Nulla autem alia ratione magis referimus patrem nostrum, nisi diligendo proximos, hoc est, beneficentia, & misericordia, sicut Christus alibi dicit: Estote misericordes, sicut & pater vester cœlestis misericors est. Et rursum: Benefacite his qui vos oderunt, vt sitis filii patris vestri qui in cœlis est. Huius etiam nos admonere voluit, nimirum fraternæ dilectionis, Christus, quando non voluit nos dicere Pater meus, sed Pater noster, vt nos scilicet non dedignaremur illos habere fratres, quos ille dignatus est habere filios. Vides ergo iam quàm fœcunda sit Dominica oratio, cuius vel vnica dictio tanta complectatur. Quum autem compellamus patrem nostrum, non eum qui in mundo est, quique nos mundo genuit, sed illum qui in cœlis est, conquerimur nos non in patria nostra, sed in exilio esse, & peregrè agere, nihilque aliud desiderare, nisi vt detur nobis filiis cum patre nostro in cœlis esse.

*Aug. in Euange. Ioan. Tract. 11*

*Noster.*

*Qui es in cælis.*

*Sanctificetur nomen tuum.*

Quid? Nũquid optamus, vt aliquid sanctificationis Deo à nobis accedat, vel vt nomẽ Dei sanctificetur orationibus nostris, quod in se perpetuo sanctũ, gloriosum, & maiestate plenũ existit? Nequaquã, sed hoc petimus, vt nomẽ Dei, quod in se sanctissimũ est, sanctificetur quoque & glorificetur, ac sanctum & celebre in nobis & in omnibus gentibus fiat. Quod vt magis perspicuũ fiat, à contrario docemus. Dicitur enim nomen Dei, pollui, non quòd nomen tam sanctum, quod ad se attinet, à nobis vllo modo contaminari possit, sed quòd quantum in nobis est, illud contumelia ac ignominia in nostram perniciem afficiamus.

*Vide D. Hilar. in Psal. 14 versu, Domine nomen tuũ, &c.*

Quod

Quod qua ratione fiat, quum oſtēdērimus,mox manifeſtum euadet ; quid prima iſta particula ( quæ merito in omni oratione noſtra & voto prima eſſe debet)petamus.Nomen itaq; Dei ſecundum hanc rationē multifariā afficitur contumelia.In primis à gentibus Ethnicis,quæ ignorato vel contempto rerū omniū conditore , venerantur & adorant cōtemptiſſimas etiā creaturas, muta idola ac ſtatuas, de quibus dicit Apoſtolus:Quia quum cognouiſſent Deum,non ſicut Deum glorificauerunt,aut gratias egerunt,&c. Secundò Iudæi,& ſi externa abominentur idola,nomen tamen Dei probris afficere nō ceſſant,quum Chriſtum Dei filium in ſuis Synagogis aſpernantur & reiiciunt. Iam Chriſtiani quoque duplici ratione Dei nomē ignominioſius tractant,ſcilicet quum fiduciā ſuā à Deo viuo in creaturas transferunt , diffidentia ac ſuperſtitione laborant , magicis artibus & incantationibus dant operam,hæreſes ſeu impias doctrinas ſectantur:& quum non imitantur patris ſui cæleſtis mores ac voluntatem, ſed veluti degeneres filij, omnia contraria faciunt , qua de re à principio etiam diximus . Ergo tum verè ſanctificatur nomen Dei , ſiue Deus ipſe, quando ab Ethnicis verè agnoſcitur, quando Chriſtus à Iudæis tanq̄ verus Meſsias ſuſcipitur,& quando à Chriſtianis corde,ore & opere, dignè veneratur . Et hoc ipſum ſummis votis à Deo petendū eſt,id quod fit, ſi ex animo dixerimus: Pater noſter qui es in cælis,ſanctificetur nomen tuum : Hoc eſt dicere , Pater noſter cæleſtis , nos in terris conſtituti , quos tua bonitas dignata eſt vocabulo filiorum , oramus te , vt tua potentia , tua ſapientia , tua bonitas, magis ac magis innoteſcat hominibus, neq; ſit vlla creatura,quæ non magnificè de te ſentiat, quæ non de tua bonitate confidat, quæ ſapientiæ tuæ non libenter obtemperet , &c. Dignum enim eſt , vt patris noſtri laudem,honorem & gloriam, ante omnia petamus. Certè hoc petitionis genus veteris teſtamenti patribus,non fuit porrò incognitū.Audi obſecro , vel Ieſum Syrach : miſerere noſtri omnium,ô Deus,& reſpice nos, & oſtende nobis lucē miſerationū tuarum,& immitte timorē tuū ſuper gentes quæ nō exquiſierunt te, vt cognoſcant te , quia nō eſt Deus niſi tu , vt enarrent magnalia tua.Alleua manum tuā ſuper gentes alienas, vt videant potentiam tuā,&c.Eccle.xxxvi.Huc facit quod Moyſes & filij Iſrael toties allegant gentium blaſphemias in Deum. Ne,quæſo,dicāt Aegyptii:callide eduxit eos,vt interficeret in montibus, & deleret è terra,&c.Exo.xxxij.Et in Nu. cap.xiiij.Ne dicant ſcilicet:Nō poterat introducere populum in terrā pro qua iurauerat,idcirco occidit eos in ſolitudine.Magnificetur ergo fortitudo Domini,&c.Contra hāc petitionē peccāt, quotquot blaſphemare,& nomen Dei in vanum adſumere cōſueuerunt. Vide ergo ne orans ſanctificari nomen patris tui cæleſtis,poſtea ore maledico nomen illud ipſum proſcindas.Sed videamus quæ ſequuntur.

*Adueniat regnum tuum.*

Quid,inquis,eſt quod petimus aduenire regnū Dei? Nunquid nō Deus ab æterno regnauit,aut quādo nō regnat? aut nūquid regnū apud Deum incipit, quod & ſemper fuit,& eſſe nō deſinit? ſicut Pſaltes ait:Regnū tuū,regnū omniū ſeculorū,& dominatio tua in omni generatiōe & generationē. Immo non hoc petim⁹, vt adueniat regnū Dei in terrā,quaſi verò etiā ipſe nūc nō regnet in terra, ſemperq; in ea regnauerit à cōſtitutione mūdi,ſed hoc petim⁹,vt adueniat nobis,id eſt,vt in primis mūdo id ignorāti manifeſtū fiat, ſicut & nomē ei⁹ vt in nobis ſāctificetur poſtulam⁹.Nā veluti lux,licet præſēs ſit,cæcis tamē eſt abſens,quod nihil luminis eis adferat,

adferat, ita & regnũ Dei, tametsi vbiq; præsens, mundo tamẽ ignoranti deest, cui vt adueniat, petimus, dicẽtes: Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuũ, hoc est, fac vt omnes agnoscant te esse regem nostrum, vt tu in omnibus nobis regnes, vt nos tibi oẽs seruiamus. Sunt enim in quorum mortali corpore peccatum regnat, sunt quos ad voluntatẽ suã captiuos habet Satanas, sunt item qui te patre contẽpto, tyrannũ Satanã sequuntur, sunt postremò quibus magis arridet Satanæ regnum, quàm tuũ, da igitur ô Pater cælestis illis omnibus meliorem mentem, vt te vnicũ regem agnoscant, audiant & venerentur. Breuiter petimus vt Deus omnia sit in omnibus. Erepti semel sumus à potestate diaboli, & huic in regenerationis lauacro renunciauimus, at hic nõ cessat nobis facescere negotiũ, circumiens & quærẽs quẽ deuoret: rogamus itaq; vt nunq̃ illius tyranni subijciamur imperio. Certè in commune prouerbium apud nos abiit, in tanta huius seculi licentia, diabolum rupisse vincula, & Abbatis fungi officio: necesse est igitur vt Deus à nobis interpellatus illi remorã iniiciat, &c. Caro item nostra mortificata quidem & sepulta est cum Christo in baptismo, at reliquiæ veteris hominis hactenus reluctantur homini regenerato, & caro cõcupiscit aduersus spiritũ, vt & hic necessariũ sit Christi interpellare auxiliũ, ne à carne & huius cõcupiscentiis vincamur. Mũdus deniq; sua illecebra sollicitat ad defectionẽ, affectatq; in nos magistratũ, vt relicto patre nostro cœlesti ipsi seruiremus: igitur & cõtra hu[9] insidias precandũ est vt regnũ Dei adueniat, hoc est, vt Pater noster cœlestis in omnibus primatũ habeat. Iam videmus qui qualésue tyrãni totũ mundũ occuparunt, superbia, inuidia, luxuria, crapula, vsura, ambitio, & quod malũ nõ: At hæc non sunt arma regni Dei, sed instrumẽta diaboli. Pater noster satellites habet, humilitatẽ, charitatẽ fraternam, munditiẽ, abstinentiã, misericordiã, & totũ deniq; virtutũ chorũ: hinc ergo cõijcimus q̃ necessariũ sit pro regno Dei patrẽ nostrũ cœlestẽ inuocare. Oram[9] etiã hac petitione vt Pater noster miseratus nostrum exiliũ, nos recipiat in suũ regnũ cœleste. Sequitur, *Fiat volũtas tua sicut in cælo, ita et in terra.* Scriptũ est in Psalmis: Oĩa quæcũq; voluit Dominus fecit in cœlo & in terra. Et iterũ: Deus noster in cælo, omnia quæcũq; voluit fecit. In eius siquidẽ potestate cuncta sunt posita; vt Mardochæus piè dixit, nec est qui possit ipsius volũtati resistere. Et ipse operatur omnia secundũ cõsiliũ volũtatis suæ. Huc etiã pertinet quod per Esaiã dicit, cõsiliũ meũ stabit, & omnis volũtas mea fiet. Quid ergo est quod hic rogamus, vt domini voluntas fiat? Nũ vt Deus noster quod vult, faciat? Nihil minus, volũtas enim Dei fit semper, & si nos, vt fiat, nunq̃ poscamus. Quid ergo aliud est quod petimus, nisi vt Deus nõ quod vult faciat, sed vt nos facere possimus quod vult Deus. Nam si ingenuus filius imprimis studet atq; elaborat optimo patri suo morem gerere, & quod illi gratũ putat efficere, eiq; in nullo displicere: quanto putas iustius est, nos indignissimos quidem seruos, adoptatos tamen ex sola gratia in Dei filios, ab illo eodem erga nos tam munifico patre nostro votis omnibus postulare, dicendo Pater fiat volũtas tua: hoc est, da Pater vt nos homines, in terris, quod iubes impleamus, & quod vetas caueamus: Vtque sic per omnia nos conformemus iustissimo voluntatis tuæ beneplacito, sicut faciunt beati in cælo, &c. In cælo siquidẽ nemo est, qui diuinæ voluntati aliquo modo reluctetur, sed omnes faciũt voluntatẽ Domini, sicut Psal. ciij. habetur. Quid autẽ loquor de beatis voluntatẽ Dei in cœlo facientibus? Non est alia

creatura

creatura quæ voluntati Domini non obediat: solus homo se proteruum & præuaricatorem exhibet. Quæris huius rei argumēta? In Psalmis est: Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, faciūt verbum Domini. Et iterū: cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentū. Quid autē nox & dies? nūquid æquas inter se portiones, vt Nazianzenus ait, sortiuntur? Quid verò sol & luna, stellarūq; pulchritudo & multitudo? quæ omnia iuxta voluntatē Dei oriuntur & occidūt. Mare autē & terra, nōne placide inter se cōmiscētur? Posuisti mari terminū, inquit Psaltes ad Dominum, quē nō trāsgredietur, &c. Sileo arbores, agros, & cætera id genus reliqua, quæ cursus & tēpora sua obseruant: quæq; omnia enumerare longū est. Solus homo semper pronus ad malū est, & plus æquo semetipsum diligit, plusq; quàm par est sibi cōplacet: ideoq; ex animo rogandus est Dominus, vt sua voluntas, quæ nunq̄ nō bona est, apud nos primū locū obtineat, nobisq; nūq̄ aduersum sit, quod semel Deo placuisse nouerimus. Habemus quidē liberā voluntatē, sed hæc sibi soli relicta malè abutitur sua libertate, seque voluntati Dei opponere non veretur. Ex hijs ergo intelligimus quid sibi velit hæc tertia petitio, nimirum vt Deus nostra corda sic immutet, vt non affectemus ea quæ caro & voluntas nostra appetit, sed potius quæ Deus præscripsit. Postq̄ verò voluntas nostra sic purgata fuerit, non magis detestabimur quæ nostræ carni aduersa, quàm quæ amica sunt. In prosperis non extollemur, & in aduersis non despondebimus animum. In diuitiis positi, grates agemus: in ægestate non desperabimus, dicentes eum patientissimo Iob: Sicut Domino placuit, ita factum est: Sit nomē domini benedictum. Et rursum eum eodem: Etiam si occiderit me, in ipsum sperabo.

*Panē nostrū quotidianū da nobis hodie.*

Quæ præmissæ sunt petitiones præcipuè eò institutæ sunt, vt per nos nomen Dei illustretur, quæ autem iā consequuntur eò pertinent vt ea consequamur, quæ tam corpori quā animæ nostris necessaria sunt, donec ex hoc exilio ad patrem nostrum cælestem perueniemus. In prioribus diximus, ô pater tuum nomen sanctificetur, tuum regnum adueniat, tua item voluntas fiat in terra; quemadmodum & in cælo. Iam porrò dicemus de pane nostrò, de debitis nostris, &c. Quo admonemur vt in primis gloriam Dei quæramus, dein tandem commodum nostrum. Primum quærite regnum Dei, inquit Christus, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Et in Decalogo talis ordo seruatus est, vt primū discamus quid Deo, deinde quid nobis conueniat. Dicimus ergo in hac petitione, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Panis autem nomine multa intelliguntur in scripturis, verbum Dei scilicet, Eucharistiæ sacramentum, omnia denique ad præsentis vitæ subsidium necessaria, & præsertim ea, quæ ad victum & amictum spectant. In quam sententiam dixit Iacob Gen. xxviij. Si Dominus dederit mihi panē ad vescendū, & vestimentū ad induendū, erit mihi Dominus in Deū, &c. Et hac appellatione hic cōtenti simus, nimirum vt hac petitione oīa à Deo petamus, quæ ad hāc vitā tēporalē conseruandā sunt necessaria, veluti sunt cibus, potus, vestes, sedes, ac alia omnia, sine quibus cōmodè viuere nō possumus. Sed roges, qui fit, quod nos Dominus orare iubeat pro his adipiscendis, quæ huic vitæ necessaria sunt, quū ipse alibi dicat. Nolite soliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quibus operiemur? Hæc enim oīa gētes inquirunt: Scit enim Pater cælestis, quia his omnibus indigetis. Nā si pro

*Panis noster.*

hijs solliciti esse non debemus, ne orandum quidem pro eis videtur, quum oratio sine solicitudine videtur non posse fieri. Immo sola solicitudo & cura ne deficiamus, nos ad precandũ impellit. Nolite putare Christum sibimetipsi contradicere, sed sic rem perpendite. Panem nostrum, hoc est, omnia quibus temporalis nostra hæc vita sustentatur, non à nostra solicitudine, non à nostris laboribus accipimus, sed à Deo solo omniũ bonorũ largitore. Mundus autem, quicquid ad sustentandum corpus nostrum pertinet, magis solicitudini ac labori humano adscribit, quàm quòd illa à Deo expectet. Ergo Christus, quũ hanc precãdi formulã præscribit, docet nos aliter iudicare, nimirũ vt confiteamur tam tẽporalia quã spiritualia à solo Deo, esse & expetenda & expectanda. Ergo petitionis huius est sensus: Quemadmodum filij huius mundi, quàm diu non sunt abdicati vel emancipati, sed in parentum potestate constituti, de victu soliciti non sunt, sed tantùm quum opus est, cibum à parentibus postulant, certi se quod petunt accepturos. Sic multo minus deceat nos de victu solicitos esse, qui edocti sumus omnem crastini solicitudinem abiicere, ac agnoscere patrem nostrum cælestem tam diuitem, tam benignum, tam amantem, cui tantopere curæ sumus, non commissurum, vt quum pascerculis etiam de victu prospiciat, quum lilia campi tanto decore vestiat, nobis in filios cooptatis, victus aut amictus à se petitus & expectatus vnquam desit. Rogandus est itaque Dominus, vt nobis elargiatur vitæ necessaria: sic autem rogandus, vt etiam petitioni nostræ, & spei nostræ addamus labores nostros. Neque enim putandũ est, Christum noluisse vt laboremus, quum ad laborandum conditi sumus, quemadmodum aues ad volandum. Porrò de cura & solicitudine, de labore etiam manuum pro victu, in capite sequenti nonnihil adiiciemus.

*Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

Lucas sic habet, Et dimitte nobis peccata nostra, siquidem & nos dimittimus omni debenti nobis. Debitorum enim nomine nihil aliud quàm peccata nostra censentur, hoc quod manifestissimum est. Nouit enim Dominus quæ & qualis nostra sit cõditio, nimirũ ab adolescẽtia procliuis ad malũ, vnde quotidie delinquimus ac peccamus, tum in Deũ, tum in proximũ, neq; tamen Deus pater ille noster cœlestis cõtinuò vult peccatores vel abiicere, vel ex albo filiorum Dei delere: sed iubet potius vt veniã petamus, certi quod apud ipsum inueniemus, immo ipsi etiã peccantibus in nos fratribus indulgeamus. Neq; enim fieri potest, vt aliquis tam grauiter peccet in nos, atque nos peccamus in Deum. Ergo si volumus & petimus, vt Deus nobis grauiora remittat, dignum est vt & nos minora remittamus. Qua de re in Matth. cap. xviij. abunde diximus. Arguuntur autem hic Nouatiani hæretici, simul & Anabaptistæ, qui Christianis post susceptũ baptismũ peccantibus, nullũ relinquũt salutis locũ, manifestissimè enim hinc cõuincuntur erroris, quòd Christus nos iubet remissionẽ peccatorũ petere, quòd si nulla esset, frustra rogarem9. Reuocat itẽ nos Christus hac precãdi formula, ad nostræ infirmitatis cõsiderationẽ, bonũq; humilitatis insinuat, vt scilicet agnoscamus nos oẽs in cõspectu Dei esse peccatores & reos, ne sibi quis quasi innocens scilicet placeat, sed quisque suæ cõscientiæ recordetur. Quod & Ioãnes in epistola sua monet dicẽs: Si dixerimus quia peccatũ non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis nõ est. Et Salomon Prouerb. xx. Quis potest, inquit, dicere: Mundum est cor meũ, & purus sum à peccato? Et si enim

non

non omni tẽtationi cõsentiamus, quis tamen non sentit se circũferre carnem peccati, qua impellente fit, vt quisque cogatur multa adhuc in seipso desiderare, & sentire se multa perpetuaq; cõdonatione egere, &c. Docet etiã Christus hanc peccatorum remissionẽ non aliundè, quàm à patre cælesti petẽdam esse. Nemo enim potest peccata dimittere, nisi solus Deus. Marc. ij. Et ipse ait: Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates vestras. Esa. xliij. Si igitur cõfessi fuerimus peccata, fidelis est Dominus, qui nobis peccata dimittit, ait Ioannes. Denique facilitatẽ remissionis confirmat adiecta conditio, qua tanquam certo signo, nos certos de sua voluntate Deus facit, nostramq; imbecillitatem ac diffidentiam confirmat ac corrigit, hoc, inquam, signo: Remittenti remittetur. Ne enim quis de benignitate Dei diffidere possit, asserit in nostra potestate esse iudicium futurum, perinde ac si dicat: Quemadmodum tu tibi ipse iudicabis, etiam tibi iudicabo. Si enim remiseritis hominibus errata sua, ait Christus, remittet vobis pater vester cœlestis errata vestra. Obseruanda itaque sunt singula huius precationis verba. Dimitte, dicimus, quo ostendimus hanc remissionẽ non esse debiti, sed gratiæ. Et dicimus: Dimitte, non mihi soli, sed nobis omnibus, quoniam omnes peccatores sumus, &c. Et dimitte debita nostra, non tua: quoniam tu ea non es operatus in nobis, sed nosmetipsi, nostra nõ magis libera quàm mala voluntate, &c. Iam porrò negligendũ non est, quod Christus expressit, qua conditione accipere possumus remissionem peccatorum, eam nimirum, quòd si remiserimus in nos peccantibus, & ipse quoque sit peccata nostra dimissurus. Nec est vt quisquam hic putet à Christo impossibilia præscripta, quasi nemo sit qui in se peccanti ex animo cõdonare possit. Certè si Deum vis habere patrem, necesse est exemplo eius non tantùm amicos, sed & hostes & inimicos diligas, & cõplectaris. An tu eũ dedignaris habere fratrem, quem Deus dignatur habere filium? Sed ais, fratrem non esse qui te læsit: pari modo cogita nec te esse fratrem Christi, nec filium Dei patris, qui vtrunq; læseris quàm sæpissimè. Scio carnem nostram delicatam abhorrere ab amore inimicorum, Deo itaq; supplicandum est, vt omnes inuidiæ vel odij reliquias animis nostris eximat. Sed dices: Quid si quispiam eam adhuc imperfectionem in animo suo sentiat, vt proximo noxam statim remittere posse sibi non videatur, nunquid is penitus ab hac oratione desistet? aut saltem orationis dominicæ formam immutabit? Respondeo, Multum differre, an quis affectum eum nondum habeat, eum tamen à Deo sibi dari affectet. An verò eum necdum habeat, nec etiam habere sese optet, sed magis odio ac liuore tabescat, eligens magis mori, quàm vindictæ libidinem ponere. Siquidem prior ritè ad orationem accedit, atque adeò magis oratione indiget, quo corruptiorem gerit affectũ. Is itaque piè & dominicam orationem totã recensebit, si hanc particulã quam tractamus, animo permurmurans, à Deo expetat sibi hunc affectum dimittendi proximo, ac spiritum dulcem largiri. Quod faciẽs, adeò nõ orabit cõtra se, vt etiam quod fideliter petit, sit impetraturus. Pater siquidem vester, inquit Christus, dabit spiritum bonum petentibus se. At posterior qui obstinauit animum suum contra proximũ, is certè frustra orat sibi dimitti peccata, Christo exertè dicẽte: Si non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. Hæc, opinor, simpliciores admonuisse ꝑfuerit. Stulti certè sunt, qui Christi formulã inuertere volũt, ac si Christus ignorauerit, quid cuilibet cõuenire possit: nos itaq; his posthabitis, ad alia ꝑgredimur.

*Et ne nos inducas in tentationem.*

Tentatio est vita hominis super terram, siue militia, vt ait Iob, qui hoc ipsum in semetipso satis animaduertere potuit. Et Paulus docet, quòd caro concupiscit aduersus spiritũ, & quòd lex membrorũ legi mentis repugnet. Et Petrus testatur, aduersarius, inquiens, vester tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Salomonis denique sententia ac doctrina est: Fili, accedens ad seruitutem Dei, statim præpara animam tuã ad tentationem. Hæc igitur quũ ita se habeant, facilè videmus quàm necessaria sit hæc precatio, qua deprecamur periculosam illam Satanæ, mundi, & carnis nostræ tentationem. Bono autem ordine hæc mutuò se consequuntur. Præcedenti siquidem petitione precati sumus nobis remitti præterita peccata, iam consequenter à Deo petimus præseruari à futuris: ne scilicet rursus tentatione victi, eadem aut etiam grauiora perpetremus, sicq; nouissima nostra fiant peiora prioribus. Etenim cùm sine tentatione præsens vita transigi non possit, ceu ex præmissis testatissimũ est, necesse est, vt vel alieno auxilio muniti, à tentatione nõ vincamur. Neq; tamen rogamus à Deo omne tentationis amolimentũ, quoniã non expediret prorsus nõ tentari, quia homini laudabile non esset, si ideo bene viueret, quòd ad male viuendum nihil ipsum inuitaret. Nã si tentationẽ tribulationemq; tollas, vbi quæso fortitudo, cõstantia, patiẽtia, cæteræq; morales virtutes locũ habebunt? Quomodo coronabitur quis, nisi ante vicerit? Quomodo vincet, nisi pugnauerit? & quomodo pugnabit, si hostis qui cum impugnet defuerit. Sicut ergo qui necesse habet igne purgari, nõ orat vt nõ vratur, ignéve attingatur, sed tantũ vt nõ exuratur, igneque non extinguatur: ita & nos nõ petimus præsentem vitam sine omni tẽtatione ducere, quasi nolimus hic quicquã tribulationis sentire, sed tantùm petimus ne permittamur tentationi succumbere, eique consentire: non deprecamur canes, vt ita loquar, qui nos fugant, sed laqueos & retia timemus. Hoc ad perditionem, illud verò ad coronam facit. Beatus vir qui suffert tentationẽ, ait D. Iacobus, quoniã cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Tentari enim à Deo permittimur, vt infirmitatis nostræ nobis conscij facti, neque superbiamus, neque veluti securi in vtranque autem dormiamus, sed magis in humilitatis ac virtutum profectu conseruemur, ac in timore Dei nostram salutem operemur.

*Vide D. Hilar. in Psal. 118.*

*Augus. in epist. ad Gal. cap. 5.*

Doceat te Paulus, quantum interdum prosint tentationes. Ne magnitudo reuelationũ extollat me, inquit, datus est mihi stimulus carnis, angelus Satanæ, &c. Et Dauid dicit: Bonum mihi Domine, qa me humiliasti, &c. Quæ cùm ita sint, nemo ob id despondere debet animum, quòd à Satana, vt Christi verbis vtar, vel impetitur, vel cribratur: nec se ob hoc debet exosum putare Deo, multoque minus derelictum, quin potius hinc statuere debet, se Deo curæ esse, quoniam ipse castigat quem diligit. Et manifestum est sanè argumentum, nondum esse in hostis potestate, quem is adhuc acriter impugnat. At qui nullis tentationibus impetitur, magis habet cur formidet, quòd quem hostis iam captiuum habet, occupat, ac vinctum tenet, minus infestet, quemadmodum alibi Chrysostomus docet exemplo latronum, qui insidiari solent, non quidem fœno, stramini, &c. sed auro, argẽro, rebusque preciosis, &c. Hac itaq; petitione postulamus à patre cœlesti eam gratiam nobis donari, qua suffulti carnalem libidinem, & quæcunque sunt à quibus accẽdi solet caro, domemus, ac totis viribus curemus, vt oĩa incitamenta voluptatis cruci Christi

affigere

affigere & mortificare possimus. Ad hæc, ne nos vlla mundi creatura sua fucata venustate ac dulcedine sollicitet ad peccandum, sed magis prouocet ad Dei laudem & gloriam. Rursus, ne nos mundi malitia, persecutiones ac tribulationes ad impatientiã, vindictã, itam, aliaque vitia incitent, sed vt constãtes in mortem vsque, fidem in Deũ firmã teneamus. Itidem si flagellis castigemur, ac delicta nostra plagis iustissimè immissis puniantur, tum ad hanc petitionis formulam rectè postulauerimus, vt Deus huius tentationis fœlicem exitum faciat, quo scilicet patienter ferentes quod immittitur, hic leuẽ vindictam experti, post hac non cum hoc mundo damnemur. Deniq; petimus, ne nos Satanæ tentatio obruat, qua nos, vt in superbiam, vel in odiũ, vel in alia spiritualia crimina, atq; adeò tandem in desperationem protrudat, subinde impetit. Rogamus autem non singuli pro nobis, sed pro omnib9, hac ratione, vt cœlestis pater omnium illorum agat curam, qui cum grauibus & magnis tentationibus cõflictantur, vt nos omnes defendat, confirmet & erigat in hac calamitosa vita. &c.

*Sed libera nos à malo, Amen.*

Hæc est dominicæ orationis clausula, vniuersas petitiones ac preces nostras collecta breuitate concludens. Quoniam enim, quàm diu sumus in hoc mundo, aut potius in exilio, nunquam possumus esse quieti vel tuti, malis varijs, multisq; aduersitatibus sibi inuicem succedentibus: neq; tamen certò scimus, quæ cuiusuis tribulationis causa existit, ideò Dominum deprecamur, vt nos liberare dignetur à malo, hoc est, vt nos ab omnibus præseruet ac muniat, quæ nobis occasio peccãdi esse possint. Ad finem precationis iubemur subiungere Amen, hoc est, fiat, fiat, ac si diceremus: O pater cœlestis, si hæc vota filiorum tuorum pia sunt, si iuxta formam à filio tuo descriptam concepta, certa sumus fiducia, tuam bonitatem quod petimus præstituram. Et hactenus quidem breuissimis dominicam precationem interpretati, iuxta tenorem quem nobis Matthæus præscripsit, Dñs det, vt quod fideliter petimus, efficaciter consequamur.

*Et ait ad illos: Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, et dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, et nõ habeo quod ponã ante illum, & ille deintus respondens, dicat: Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere & dare tibi. Et si ille perseuerauerit pulsans, dico vobis, & si non dabit illi surgens, eò quòd amicus sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.*

Exemplum apertum est, quo declarare scilicet voluit Christus, quàm exorabilis sit Deus, natura beneficus erga filios suos: simul etiam admonere, ne preces nostras vel negligenter, vel remissè faciamus. Parabola porrò illa satis pulchra est, etiam si solam literã inspexeris. Quis enim non videt, quàm egregiè nobis hominum mores depingat. Qui opus habet alieno auxilio, nihil non facit quod ad exorandum aliquo modo facere potest. Media nocte surgit, amici fores adit, necessitates suas exponit, excusationem amici nihil moratur, sed non cessat pulsare, donec ex oratore exorator fiat. E regione ille licet amicus sit, tamẽ accuratissimè sese excusare conatur, tum ob temporis importunitatem, tum ob filiorum charitatem, quos noctu solos relinquere nõ potest. Quid igitur aliud hic docemur, quàm vt tanta diligentia, tantaq; patientia Deum precemur, quãta homo hominem precari solet. Non improperamus homini, si querelis nostris pijs non statim obtẽperarit: & sic agimus cum

cum Deo nostro, ac si ferulæ nostræ subijci debeat. Non sic impij non sic. Sed si recto & legittimo ordine orare vis, primum recordare miseriæ tuæ, deinde Dei bonitatem, post accepta fiducia preces tuas funde, non numerum illarum, sed ardorem attendens. Et si animus incalescere noluerit, nõ statim desperes, sed potius frigus illud accipe occasionẽ ardentioris orationis, Deum sollicitando, quatenus preces tuas acceptabiles facere velit. Quod si semel atque iterũ oraueris, neque tamen exoraueris, noli propterea desperare, nec propterea tibi Deum offensum cogitare, sed potius admirare ipsius in te bonitatẽ, qui noluerit tibi dare quod postulasti, sed quod tibi in bonum cedere potuit. Nonnunquam enim ignorantes, perniciem nostram oramus, qua de re suo loco diximus. Diuus ille Augustinus egregius precator erat, qui alibi sic precabatur: Deus vniuersitatis conditor, præsta mihi primùm vt bene te rogẽ, deinde vt me agam dignum, quem liberes, postremò vt liberes, &c. Soliloquiorum lib. 1. cap. 1. Et lib. 1. cap. x. de ordine, inquit: Satis mihi sunt vulnera mea, quæ vt sanentur penè quotidianis fletibus Deum rogãs, indigniorem tamen esse me qui tam citò saner quàm volo, sæpe memetipse conuinco, &c. Et hæc quidem hactenus. Quæ alij hic allegoricè exponunt, non contemnentes, sed breuitati studentes trãsiliemus.

*Et ego dico vobis, petite & dabitur vobis, quærite, & inuenietis, Pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur.*

Diligenter hic ponderandũ, quàm seriò Christus hic dixerit: Et ego dico vobis. hæc enim magnæ autoritatis sunt verba. Hic enim nos iubet orare, petere, quærere atque pulsare, cui non obtemperare nobis non foret integrũ. Audiuimus enim in Euangelijs cælestem illam vocem: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite. Audiamus itaque quod dicit: Ego dico vobis, ego qui in salutem vestram de cælo descendi, ego cui de patris mei voluntate erga vos certò constat, ego, inquam, seruator vester dico vobis: Petite, quærite, pulsate, & eritis votorum compotes, dabitur enim vobis, aperietur vobis, & quod quæritis inuenietis. Proinde si non moueamini parabola præmissa, moueat certè præceptum meum, imò & promissum meum. Apud hominem nonnunquam incassum funduntur preces, vel quia non potest præstare sine suo damno quod rogatur, vel quia non vult. Verùm apud Deum quisquis petit, accipit: quisquis quærit, inuenit: quisquis pulsat, huic aperietur. Si enim non dat quæ rogamus, certè dat quæ nouit nobis ad salutẽ æternam conducere, hoc est, si non verba nostra audit, certè vota nostra audit. Nemo certè sciẽs, perniciem sibimetipsi imprecabitur, sed potius salutem: quod si illud roget ignorans, hoc autem non acceperit, puto querulandi causam non habebit. Sequitur:

*Quis autem ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? Aut piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ouum, nunquid illi porriget scorpionem? Si ergo vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quanto magis pater vester cælestis, de cælo dabit spiritum bonũ petẽtibus se?*

Alio exemplo probat Christus, nos orantes propter mandatum & promissionẽ certò exaudiri, & pro nostra vtilitate. Vult autem hoc exẽplo probare, si petierimus à Deo salutifera, quòd non simus recepturi lethifera vel noxia. Quis enim est pater qui nõ malit filium suum bonis honestare rebus, quàm malis? At pater cælestis nos dilectorum filiorũ loco habet, vnde nõ est

est dubium quin nobis bene velit. Imò magis amamur à patre cœlesti, quàm à patre nostro, qui nos mundo genuit. Hinc est quod alibi apud prophetam loquitur: Dixit Sion, dereliquit me Dominus, & Domin⁹ oblitus est mei. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Esa. xlix. Ergo non poterit pater carnalis sic amare filium suum, atque nos amamur à Deo patre nostro cœlesti, licèt nunquam cogitemus aliquando respondere amori paterno, vt non immeritò Dominus per eundem prophetam conqueratur inquiēs: Filios educaui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Sed ad rem propius. Si vos cùm sitis mali, inquit Christus, nostis bona data dare filijs vestris; quanto magis pater vester cœlestis, de cœlo dabit spiritum suum bonum petētibus se. Excutiamus hæc verba. Videmus enim quomodo Christus nos ad spem diuinæ bonitatis alliciat, ne fortè aliquis considerans quanta est differentia inter Deum & hominem, & ponderans peccata sua, dum non sperat impetrare, nec incipiat petere. Ideo patrum & filiorum similitudinem introduxit, vt etsi propter peccata nostra desperemus, propter paternam veritatem, bonitatē Domini speremus. Quod porrò dicit parentes esse malos, non ob hoc dicit, quasi malum & culpa dignum agat pater, qui filio petenti nihil denegat, si modo salutaria petit, sed aliam rationem hæc habent. In alio Euangelij loco cùm quidam Christo diceret: Magister bone, &c. statim respondit Christus: Quid me vocas bonum? Nemo bonus est, nisi Deus. Hoc breuissimis sic expediemus. Sicut Christus lux mundi dicitur, & tamen nihil præiudicat illo quod Apostolis alibi dicit: Vos estis lux mundi: ita & hoc loci Christus homines malos vocat, patrem verò cœlestem bonum: quoniam hic natura bonus est: nos porrò nobismetipsis relicti nihil bonitatis habemus. Si autem quid boni in nobis est, hoc non nostræ naturæ, sed Dei bonitati debemus. Ad comparationē itaque Dei, qui solus singulariter bonus est, omnes alij mali videntur. Mali ergo dicuntur, non iuxta Manichæorum hæresim, quasi iuxta quod caro sunt, à malo quodam principio creati sint, sed quia ex transgressore Adā prognati ad malitiam proni sunt. Et certè nusquam nō se prodit malitia in homine, donec lucta illa spiritus & carnis in hominibus manserit. Sed exemplis ostendemus, qualis nam malitia in homine, in parente sit, quum nihil nisi bonum in Deo sit. Ecce si hodie pater iniuriam patiatur à filio, statim affectus illi⁹ mutatur in odium, & irascitur illi, forsitan & castigat. Non quia ille iniuriam faciens patri, peccauit in Deum, sed ideo pater irascitur, quia sibi facta est à filio iniuria. Alioqui si pater iniuriā passus, non propter iniuriam suam irascitur filio suo, sed propter illius peccatum: in omni peccato filiorum similiter irasceretur. Nunc autem quando ipsi iniuriam patiuntur, dolent & fremunt: quando autem aliter filij eorum peccauerunt in Deum, nihil curant. Deus porrò offensus ab homine, non tātum ideo irascitur, quia cùm ipse sit Deus, tamen ab homine est contemptus: sed etiam quia homo peccato seruiens, perdidit animam suam. Verè ergo nō irascitur de iniuria sua, sed dolet de perditione humana. Et si castigat, non vt suam iniuriam vindicet, castigat: sed vt illum ad salutem corrigat. Audi eū per prophetam dicentem: Si dereliquerint filij eius legem meam, visitabo in virga iniustitias eorum, misericordiam autem meam nō dispergam ab eo, &c. Psal. lxxxviij. Obseruandum & hoc quod Christus dicit, à patre nostro cœlesti nobis dari spiritum bonum, spiritū sanctum, donum nimirum pretiosis-

tiosissimum. Hoc donum & hunc spiritum si quis habet, non facilè aberrabit in precationibus suis, imò sine ipso nemo rectè orare potest. Hic enim spiritus auxiliatur infirmitatibus nostris. Siquidem, id quod Paulus dicit, hoc ipsum quod oraturi simus, vt oportet, non nouimus. Rom. viij. Verùm ipse spiritus intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

*Et erat eyciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cùm eiecisset dæmonium, loquutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ.*

Spiritum bonum nobis promisit Dominus Iesus, non spiritũ malũ. Spiritũ bonum precamur qui aures nostras patefaciat verbo Dei, quiq; linguam soluat ad confitendum nomini Domini. Deprecamur autẽ ex animo spiritum illum malignum, qui suos solet & surdos & mutos reddere ad omnẽ pietatis occasionẽ. Sed ad rem. Adducitur ad Iesum dæmoniacus, quẽ spirit⁹ malignus sua malitia & mutũ, & surdum, & cæcum fecerat. Sed quoniam Christus in hoc venit, vt soluat opera diaboli, statim coactus est malus spiritus exire ab hoĩe: quo absente, homo locutus est, omnibusq; suis sensibus restitutus. Nec poterat Christus huic misero homini in terris maius facere beneficium, q̃ vt immundũ & difficilem hunc hospitẽ abigeret. Quicquid enim mali in se habebat homo ille, à spiritu immũdo habebat. Et quãto miseria hominis maior fuit, tanta, imò & potior fuit à Christo cõsolatio. Et hic videre licet, quid nobis à Christo sperandũ, qd à Satana timendũ. Christus oẽs neruos suos intẽdit, vt nos saluet: ille aũt vt nos perdat. An non in vno hoĩe hoc satis ostendit Satanas, quàm perditè nos amet, cùm ipsum & surdũ, & cæcũ, & mutũ fecerit? Profectò quo ad sum⁹ in hac miseria, nunquã cessat nostrã molitri perniciẽ: vnde mirũ est, inueniri homines quib⁹ spiritus illi immũdi in deliciis esse solent. Porrò hic obseruandũ est, qualẽ habeamus hostẽ, & vnde nobis contra hunc præsidia quærenda.

*Quidã autẽ ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorũ eijcit dæmonia.*

Qui nã sunt pestilentissimi nebulones, quos nõ pudet etiã filij Dei opera calumniari? Audiamus veracissimũ testẽ Matthæũ, qui sic inquit: Stupebant oẽs ad hoc miraculũ, & dicebant: Nunquid hic est filius Dauid? Pharisæi autẽ audiẽtes dixerunt: Hic non eijcit dæmones, nisi in Beelzebub principe dæmoniorũ. Ergo sanctuli illi ex optimis meliores, quorũ professio erat Dei cultũ promouere, illi, inquã, pharisæi calumniantur opera filij Dei, tam diu expectati Messiæ. Vide obsecro. Turba videt & audit grande miraculum, & apud semetipsam iudicat hoc excedere hominis alicuius virtutẽ: ideoq; incipit altiora de Christo suspicari, ipsum longẽ præferens filio Dauid. Hoc autem ferre non possunt Pharisæi, vt qui sibi nullius hominis sanctitatem conferri volunt: ob id igitur, cùm negare non possunt dæmonium eiectum, atque hominem liberatum, negãt hoc miraculum virtute Christi, sed virtute Beelzebub, virtute diabolica factum esse, blasphemo ore calumniantur: quo peccato vix aliud grauius comminisci potest. Proin tu vide, ne in idem peccatũ cum impijs illis Pharisæis cadas, vt velis opera Dei Satanæ asscribere, id quod multi hoc infœlicissimo seculo facere nihil dubitant. Non loquor solùm de illis qui miracula ad diuorũ sepulchra facta calumniantur, sed etiam de his quibus nunquã aut raro Dei facta arrident. Sed hæc suffecerint.

*Et alij tentantes, signum de cælo quærebant ab eo.*

Et hanc impudentiam Matthæus Scribis & Pharisæis adscribit, adijciens Christi responsum fuisse, Generationẽ prauã & adulterã petere signũ, sed non nisi signũ Ionæ pphetæ accepturã, &c.

Tu

Tu porrò iam audi, qua ratione maleuoli illi signũ de cælo petierint. Quærunt ab Iesu signum de cælo, quasi miraculum præsens non sufficiat ad fidẽ conciliandã Dño, licet non sint eius animi, vt visis maioribus signis, à calumniãdo cessare velint: hoc enim testatur Lucas, dicens quòd signum petierint tentantes eum. At qui tentandi animo aliquem rogat, profectò paratã secũ habet calumniam. Quapropter etiam si Dominus fecisset vel ignem cadere de cælo, vel obscurari solem, vel audiri tonitrua, tantum effecisset, quantũ Moyses sua miraculorum turba apud Pharaonem. Quomodo enim fidẽ habuissent Christo propter talia signa, cùm postea à mortuis iam liberato, & in cælum assumpto, credere noluerint?

*Ipse autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet.*

Vide obsecro, bonitatem & patientiam Iesu saluatoris nostri, qui cum potuerit solo nutu omnes aduersarios vel grandine, vel igni perdere, voluit verbis & argumẽtis iisdẽq; fortissimis gloriam patris defendere. Quod autẽ adducit argumentum, sic se habet: Omne, inquit, regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet. Hoc ita se habere, manifestissimũ est, & multorum regnorum & ciuitatum cruenta exempla docent, siue ad veterum, siue ad nostra tempora respexeris. Satis prudenter ille dixerat: Cõcordia paruæ res crescunt, discordia maximæ dilabũtur. Iã audiamus quid Christus velit inferre.

*Si aũt & Satanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnũ eius? quia dicitis in Beelzebub me eijcere Dæmonia?*

Attendite vim huius argumẽti quòd à simili deductũ est. Si omne regnum in quo alter ab altero, princeps à subditis, & hi ab illo dissident, stare non potest, sed oĩa pessum vadũt, id quod negare nemo potest. Sequitur profectò, quod regnum Satanæ stare nõ poterit. Quomodo enim stare potest illius regnum, si alter altero insidiatur, hic illũ eijciat, quod hic vulnerat, alius curat. Hoc aũt fit, si verum dicitis me potestate & adiutorio Beelzebub principis dæmoniorum eijcere dæmonia. Iam qm̃ Satanas suum regnum saluum esse optat, alter ab altero non dissidebit. Et quoniam humani generis hostes sunt, nõ est verisimile, quòd hominibus bene velint. Apparet ergo Satanæ Satanam nequaquam aduersari, neq; dæmonium hoc virtute Beelzebub eiectum: apparet item vos impudentissimè esse mentitos.

*Si autem ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij vestri in quo eijciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt.*

Aliud argumentũ innocentiæ Christi. Christus eijcit dæmonia, eijciunt & huius discipuli Iudæorum filij. Agite igitur perfidi Iudæi, qua potestate, quo nomine Apostoli vestri filij eijciũt dæmonia. An propria virtute? Nihil minus, cùm ante Apostolatũ tale nihil potuerint. An ne potestate Beelzebub? Quòd si sic, cur in filijs vestris æquanimiter fertis, quod mihi vitio vertitis? Sed horũ nihil. Quid igitur? An in nomine meo? Certè negare nõ potestis. Si igitur mei nois tãta virt⁹ est, vt vestris filijs adstãs dæmões effugare possit, quæ erit necessitas me ad illud ipsum opus aliena virtute, eademq; diabolica opus habere? Ideoq; filij vestri testantur, & in futuro iudicio testabuntur, quas blasphemias à vobis immeritò passus fuerim. Quod si quispiam filiorũ nomen ad Apostolos referre voluerit minimè, sed potius ad alios Iudæorum Exorcistas, de quibus supra ca. ix. & Iosephus, & in actis Lucas, nihil mea retulerit.

*Porrò si in digito Dei eijcio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei.*

Quod hic Lucas digitũ Dei, Matthæ⁹

spiritum Dei interpretatur, vt videamus, sanctissimam perfectissimamque trinitatem hominum operari salutem. Pater dat spiritum sanctum, per quem Iesus Christus Dei filius dæmonũ opera dissoluat. E regione Satanas non solus machinatur hominum perniciẽ, sed cum toto suo regno diu noctuque nobis omnibus insidias struit, tantum abest, vt hominem obsessum liberare velit, id quod etiam nõ ita multò post audiemus. Ergo quoniam Deus pater, Deus filius, Deus spiritus sanctus operantur hominum salutem, dæmones fugant, manifestissimum argumentum est, regnum Dei ad homines peruenisse, Satanæque regno imminere exitium. Satis iam diu Satanæ tyrãnidem passi sumus, & quoniam nosmetipsos redimere ab illo non potuimus, misit Deus filium suum in mundum, vt ex seruis peccati faceret libertos iustitiæ, vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi, in sanctitate & iustitia, &c. Tu igitur hic disce, quicquid vspiam alicui accidit boni, hoc ipsum non Satanæ, sed Dei bonitati adscribas.

*Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior illo superueniens vicerit eũ, vniuersa arma eius auferet, in quibus cõfidebat, & spolia eius distribuet.*

Vide, obsecro, quanto studio, quibus item argumentis Christus Pharisæos blasphemiæ conuincat. Primò ostendit, non sic sibi cum Satana conuenire, vt alter alteri suppetias ferre velit. Secundò ostendit, se illius nequam præsidiis non egere, cùm sua potestas tanta sit, vt vel sui nominis appellatione tantum, etiam alij, Apostoli scilicet, Dæmones expellere valeant ab hominibus. Tertiò iam declarat Christus, se ideo in hunc mundum venisse, vt confligeret cum Satana, qui hactenus intolerabilem tyrannidem exercuerat in miserum hoĩm genus. Clarũ aũt est exemplũ quod Christus proposuit. Fortis armatus Satanas est, qui à peccato Adæ, vsque ad passionem Dñi princeps huius mundi visus est, sic vt etiam à multis pro Deo cultus fuerit. Fortior aũt illo Christus est, cui dedit omnia pater in manus, cui data est à patre potestas in cælo & in terra: hic ergo superueniẽs per mortem suam destruxit eum, qui habebat mortis imperium, dein ascendens in altum, captiuã duxit captiuitatem, dedit dona hominibꝰ. De hac victoria loquebatur Christus apud Ioannem: Nunc iudiciũ est mũdi: nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Hãc victoriam præfigurabat pulchra & decãtatissima illa monomachia Dauid & Goliath. Christus ille verus est Cyrus, cui subiectæ sunt oẽs gentes, qui portas æreas contriuit, & vectes ferreos confregit, &c. Esaiæ xlv.

*Qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit.*

Quid tibi rei, ò Christe, cũ Satana? Quæ controuersiæ causa? Respondet Christꝰ: Qui nõ est mecũ, cõtra me est. Magna inter Christũ & Belial est dissẽsio: nõ cõueniunt, alter alteri molestus est. Christus amat salutem nostrã, sed hanc nobis inuidit Satanas. Christus conatur nos ad vnũ ouile, in vnã ecclesiã colligere: at Satanas discordias seminat inter nos, vt dispergamur. Quæ Christo placẽt, illi displicẽt. Quæ Christus præcipit fieri, ille, ne fiant, impedire molitur. Christꝰ nos ad cælũ, ille ad gehennã sollicitat. Cùm igitur tãta sit inter duos potẽtes discordia, nõ potest fieri, vt alter alterꝰ rẽ promouere animũ inducat. Itaque qm̃ Satanas hoĩbus infẽsus est, eos torquere, si modo permittitur, nõ cessat. Qm̃ verò Christꝰ hoĩm amator est, illos deserere nõ potest. Ex his ergo liquet, Satanã Christo nõ esse opitulatorem ad effugãdos dæmones.

*Cùm immũdus spiritus exierit ab hoĩe, ambulat*

*ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, & non inueniens dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et cum venerit, inuenit eā scopis mundatā. Et tunc vadit, et assumit septē alios spiritus secū nequiores se, & ingressi habitant ibi. Et fiūt nouissima hoīs illius peiora priorib9.*

Ad finē Apologiæ suæ ꝑperat Christus. Cōtinet aūt hic locus multa obseruatu dignissima. Quod si ad præcedētia adaptare volum9, hic sensus erit, hæc interpretatio: Vos impij Pharisæi contenditis me ope & præsidio Beelzebub eijcere dæmonia. Profectò non est hic genius Satanæ, vt malum spiritū ab hoīe expellat: imò tanta inuidia, tantoq; odio ardet spiritus ille malign9 erga genus humanū, vt, si quando semel eiectus fuerit ab hoīe, nō cesset ab insidiando. sed nacta potius occasione, adducit secum plures, & eos seipso nequiores, vt tāto magis incommodare possit, quāto plures ex maligna societate secū habet, tantū abest, vt ad liberationē hoīs adiuuare velit. Secūdò videtur Christus hæc dixisse in terrorem & admonitionē hoīs, quē iam à dæmonio liberū fecerat, vt scilicet hæc audiēs pōst cautiùs ambularet, ne ꝑ vno malo spiritu, postea lōgè pluribus cōmittatur. Nā alibi Dn̄s cuidā dicit: Ecce sanus factus es, iā amplius noli peccare, ne deterius quid tibi cōtingat. Tertiò in terrorē Iudæorum hæc verba Christi deprompta sunt, vt q semel ab idolorū cultu erepti, popul9 Dei facti sunt: pōst aūt malitia ipsorū sic redijt, vt non cōtenti Deū contempsisse, etiā filiū eius vnigenitū crucifixerint, vnde & grauior pœna illos manet. Nunq̄ certè sic in totū à Deo relecti fuerunt, atq; iā sunt ab ascēsione Dn̄i nostri in cœlū: qua de re suo loco dicemus. Postremò hic locus de spiritu immūdo prope expendēdus est oībus Christianis, qui in sacramēto baptismi à diaboli iugo exempti sunt, huicq; abrenunciarūt. Certè nō dormit Satanas, sed vt capitalis hostis noster circuit, quærēs quem deuoret, &c. Certè locū hūc Euangelij egregiè tractat doctiss. ille Origenes, in Exod. cap. xx. Hom. viij. sed prolixiora sunt quæ habet, q̄ vt hic retractare liceat. Quod porrò de locis aridis & humidis dicitur, quoniam in Matthæo nostro nonnihil diximus, hic silentio trademus.

*Factum est aūt, cùm hæc diceret, extollēs vocē quadā mulier de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. At ille dixit: Quinimò beati qui audiunt verbū Dei, et custodiūt illud.*

Rectè à D. Paulo dictū est: Stultam fecit Deus sapientiā huius mūdi. Et in superioribus audiuimus Christū patri gratias egisse, quòd mysteriū regni abscōderet à prudētibus huius seculi, reuelarit aūt paruulis: hoc q̄ verū sit, præsens factum satis declarat. Pharisæi & Scribæ vident opera Christi & calumniātur: mulier verò plebea tantū abest vt cōtēneret Christū, vt vel miris laudibus etiā celebraret illius matrē, inquiēs, imò exclamās: Beatus vēter q te portauit, &c. O mulierē fortē, quæ nō verita Pharisæorū tyrannidē, tanta libertate ausa est Christi testimoniū date innocētiæ. Certè hæc fiducia scitissimè à Luca perscripta est. Non eīm scribit hāc mulierē expectasse tempus, vt vel sola soli acclamaret, sed ait: Factū est, cùm hæc diceret Iesus, hoc est, cùm Iesus sua excusatione Pharisæos prorsus exasperasset, cùm iam omnia erant plena tumultus, illa mulier nihil verita, non apud semetipsam mussitauit, sed extollens vocem suam è media turba, dixit illi: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. Hæc fiducia sic placuit Christo, vt non solùm approbaret eius acclamationem, sed etiam ostenderet, qua ratione etiam aliis salus, beatitas, & iustitia contingere posset. Inquit enim: Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.

Vni datum est, Mariæ scilicet beatissimæ virgini, Christum in vtero portare, & vberibus lactare: sed multis contingere potest, vt & ipsi beati sint, neque ab ea fœlicitate, qua Diua Virgo iam fruitur, excludantur. Exemplo itaque huius mulieris discamus Christiana confidentia & fortitudine, Christum confiteri, huiusque verba & facta apud aduersarios propugnare. Postremò nō tradamus obliuioni quod Christus dicit, quantus sequatur fructus eos qui audiunt verbum Dei, & custodiūt illud. Quomodo custodiunt? Vt corde scilicet credant, & operibus exequantur. Sequitur.

*Turbis autem concurrentibus cœpit dicere: Generatio hæc, generatio nequam est, signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Nam sicut fuit Ionas signum Niniuitis, ita erit & filius hominis generationi isti.*

Supra auditum est, Scribas & Pharisæos rogasse à Domino signum aliquod eximium de cælo, & ad hoc pertinet, quòd Lucas iam refert. Mulier enim illa sua vocalissima exclamatione multos prouocauerat, qui accurrentes, ita vt fit, voluerunt audire & videre, quidnam ageretur inter Christum & Pharisæos, putātes fortè Christum ostensurum ipsis Pharisæis, vtpote doctis ac sublimibus viris, aliquod peculiare prodigium. At Christus summa libertate respondet calumniatoribus suis, non ignorans scilicet, quo animo peterent prodigium aliquod insolitum. Generatio, hæc, inquit, generatio nequam est, signū quærit, &c. Hæc natio, vult dicere, mala est, minimeq; simplex, vtcunq; simulēt pietatem. Sic enim à me petunt signum aliquod eximium, quasi illo viso libenter & facillimè sint credituri, quum tamen in hoc toti sint, vt quicquid à me factum fuerit, statim paratam habeant calumniam. Ergo generatio nequam est, quā ego intus & extra noui, adeoq; generatio indigna, quæ aliquod videre debeat miraculum. Hinc ergo non dabitur generationi huic pestiferæ signum de cælo, quale illa postulat, sed aliud longè excellentius, quale hactenus nunquam visum est, nec vnquam postea secundū habebit. Dabitur enim illi signū Ionæ prophetæ. Nam sicut Ionas fuit signum Niniuitis, ita erit & filius hominis generationi huic. Apud Matthæum explicatius legitur in hæc verba: Sicut Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita erit & filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. Hoc certè signū nemo imitari potest, tale nemo vnquam facere poterit. Legimus quidē aliquos ex mortuis reuixisse, sed qui suapte virtute resurrexerit, præter Christū neminē legimus. Allusit ergo, & quasi tacitè indicauit Christus talibus verbis, se non latere, quid Pharisæi ac scribæ moliantur, quodq; non sint cessaturi à malitia, donec ipsum in crucem egerint, & in mortem. Porrò simul atque à mortuis in triduò resurrexerit, re ipsa declarabit, qualis sit, quidve de ipso sentiendum sit. Quid enim ei impossibile, qui neque à morte, neque ab inferno teneri potuit, quiq; suapte potestate suam ipsius animam & ponere, & resumere potuit? Certè nostri Iudæi maiorem partem miraculorum Christi, quæ in Euangelio perscripta sunt, credunt. at quod ipse CHRISTVS ex mortuis resurrexerit, & hoc propria virtute, vt credant, nullis rationibus adduci possunt. Quid? Iudæi illi veteres qui traditores CHRISTI fuerunt, nullum miraculum Christi sic occultari carauerunt, atque CHRISTI à mortuis resurrectionem: hoc vnico enim persuaso, ceu diximus, facilè induxeris hominem, vt & alia omnia de Chri-

sto credat. Possim hic adducere, quod neq; Apostoli hunc fidei nostræ articulum facilè credere voluerunt, sed transeundum, & breuitati studendum est. Iam, opinor, clarum est, qua de causa Christus Ionæ illius meminerit. Quæ sequuntur, sic se habent.

*Regina Austri surget in iudicio cum viris generationis huius, & condemnabit illos, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis: & ecce plus quàm Salomon hic.*

Locus vnde hæc historia desumpta est, habetur iij. Reg. xij. & notior est historia, quàm vt necesse sit longo tractatu referre. Est & interpretatio satis aperta, arguens Iudæorum improbitatem, qui oblatam Euãgelij doctrinam acceptare noluerint, quum gentilis olim mulier tam auida fuerit audire sapientiam Salomonis, quem tamen longis, quod dicitur, parasangis Christus à tergo reliquit. Vide iam collationem. Regina Austri, mulier gentilis, idololatra, legis Dei ignara, audit famam de sapientia Salomonis, auet hanc audire, non moratur itineris longitudinem, sed Hierosolymam properat, vt quod fama volante perceperat, re ipsa audiret, &c. At Iudæi, populus Dei, legis cognitionem habens, Messiam per multos iam annos expectans, videt, audit, sentit filij Dei doctrinam & sapientiam, & tantum abest, vt hanc amplectatur, vt magis illam calumniari animum induxerit.

Igitur cæteris paribus, iustior est regina Austri, omnibus illis Iudæis qui Euangelij doctrinam acceptare noluerunt.. Arguit hic locus eos, qui in rebus non magni momenti plusquàm curiosi sunt: in veritate autem vel inuenienda, vel retinenda porrò stupidi sunt atque supini. Arguit item locus hic, verum esse, quod Christus alibi dicit: Multi primi erunt nouissimi, & nouissimi primi. Et sit nonnunquam, vt contemnamus eos, qui si non meliores nobis, certè pares, vel non peiores sunt. Calumniabantur perpetuò ferè Iudæi Gentiles, quum tamen & ipsi nomini & vocationi suæ nunquam aut rarò responderent: hincq; non rarum est in veteris testamenti literis, quòd Gentiles videntur Iudæis præferri. Transite ad insulas Cethim, ait Dominus per Hieremiam, & videte: & in Cædar mittite, & considerate vehementer, & videte, si factum est huiuscemodi, Si mutauit gens Deos suos, & certè ipsi non sunt dij. Populus verò meus mutauit gloriam suam in idolum. Et ibidem: Nunquid obliuiscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? Populus autem meus oblitus est mei diebus innumeris. Et hæc quidem capite secundo. Capite verò octauo, etiam animalia bruta cum Iudæis confert, inquiens: Hæc dicit Dñs, Nunquid qui cadit nõ resurget, & qui auersus est, non reuertetur? Quare ergo auersus est populus iste in Hierusalem auersione cõtentiosa? Apprehenderunt mendaciũ, & noluerunt reuerti, Attendi & auscultaui, nemo quod bonũ est loquitur. Nullus est qui agat pœnitentiã super peccato suo, dicens: Quid feci? Omnes conuersi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium. Miluus cognouit in cælo tempus suum, turtur, & hirundo & ciconia custodierunt tempus aduentus sui: populus autem meus non cognouit iudicium Domini, &c. Ex his videmus, quibus exẽplis Iudæis suam ipsorũ contumaciam exprobrare soleat: & quæ ad nostra tẽpora referri cõmodè possint, quis non videt? Certè Iudæus cognatum suũ plus diligit, q̃ Christianus Christianum. Iudæi constantiores sunt in infidelitate sua, quàm nos in fide nostra. Iudæis peculiare est, suos liberos erudire, sic vt aliquem prætextum suæ religionis

 præten-

prætendere posſint. At quid nos puetos doceamus, notius eſt quàm velim. Sed audiamus Chriſtum latius diſſerentem.

*Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt illã, quia pœnitentiam egerũt ad prædicationem Ionæ. Et ecce plus quàm Ionas hic.*

Hæc hiſtoria ex prophetæ Ionæ libro deſumpta eſt, vnde qui volet, copioſiora legere poterit. Eſt autẽ rurſus collatio Iudæorum ad Gentes. Niniuitæ ſiquidem gentiles erant, neq; legem ſcriptam viderant, nec vllum aliquando prophetam audierãt: tamen ſimulatq; Ionam prædicantem audiuerant, huic nihil mali intentarunt, nõ calumniati ſunt, nec ab ipſo poſtularunt miracula, ſed admoniti pœnitentiam egerunt, ſic vt Deum ad miſericordiam prouocauerint, Deiq; iram à ſemetipſis amouerint. At Iudæi non tantùm prophetam, ſed prophetarum dominum audierunt, viderunt, miracula innumera ſuis ipſorum oculis cõſpexerunt, ſed quid hæc apud ipſos promouerint, quis eſt qui neſciat? Bene admonentem, & ſalutem ipſorum nunquam non quærentem & procurantem, in crucem adegerunt.

*Nemo accendit lucernam, & in abſcondito ponit, neque ſub modio, ſed ſupra candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant.*

Hac ſimilitudine lucernæ Dominus etiam in ſuperioribus vſus eſt, capite ſcilicet octauo, & ferè in eandem ſententiam. Et capite quinto, in Euangelio Matthæi ad Apoſtolos eadem locutus eſt. Videtur autem mihi hæc eſſe verborum conſequentia. Chriſtus eiecerat dæmonia, & Phariſæorum ora mẽdacijs aſſueta obſtruxerat efficaciſſimis argumentis: quod cùm illi inuidi audirent, voluit Chriſtus hac ſimilitudine palam facere, qua ratione nec poſſet nec deberet à miraculorum operatione, vel à prædicatione Euãgelij abſtinere, vtcunque inſanirẽt illi. Nemo, inquit, lucernam accendit, & in abſcõdito ponit, &c. Hoc eſt, Nemo in hoc aliquam gratiam à Deo accipit, vt hãc negligat, vt hac in nullius cõmodum vtatur: ſed potius vt proximis ſuis tanto diligentius inſeruiat, quanto cumulatius donis Dei præditus & donatus eſt. Iam cùm me pater meus cœleſtis in hunc mundum miſerit, vt per me ſeruet mundum, non poſſum otioſus eſſe, ſed neceſsitas vrget vt prouinciæ ſuſceptæ reſpondeam, quicquid tãdem alij de me iudicauerint. Pater meus hãc lucernam igne ſpiritus ſui accendit, ſuper candelabrum poſuit, filium ſuum in hunc mundum miſit, carneq; veſtiuit. Ego ſum lux mũdi, ait alibi, Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis ſitis, &c. Hic certè ſimpliciſsimus ſenſus eius loci mihi videtur: & quæ iam ſequuntur, non malè cohærent.

*Lucerna corporis tui, eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit. Vide ergo ne lumen quod in te eſt, tenebræ ſint. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & ſicut lucerna fulgoris illuminabit te.*

Ea eſt inuidiæ indoles & malus genius, vt de proximi verbis & factis nec poſſit, nec velit bene iudicare, ita fit vt quæ ex animo piè & rectè facimus, illa in pelotem partem interpretari nun quã ceſſet. At quæ eſt iuſtitia Dei, tibi non oberit, quomodocunq; tandem alij tua facta iudicent, ſi tu modò ſimplici & bona intentione illud exequare. Sic aliena laus tibi non proderit apud Deum iuſtum iudicem, ſi quando impiè egeris. Et ad hoc probandum

dum videtur mihi Christus hanc adiecisse similitudinem: Si enim oculi nomine intentionem cordis, & corporis nomine, opera intellexeris, efficies quod iam diximus: diximus autē hæc ex sententia D. Augustini, cuius verba non grauabimur adiicere. Sic autem bonus ille Antistes loquitur: Oculum hic accipere debemus, inquit, ipsam intentionem, qua facimus quicquid facimus. Quæ si munda fuerit & recta, & illud aspiciens quod aspiciendum est, omnia opera nostra quæ secundū eam operamur, necesse est bona sint, &c. Nō ergo quid quisq; faciat, sed quo animo faciat considerandum est. Hoc est enim lumen in nobis, quia hoc nobis manifestū est bono animo nos facere quod facimus. Omne enim quod manifestatur lumen est. Nam ipsa facta quæ ad hominum societatem à nobis procedunt, incertum habent exitum, & ideo tenebras ea vocauit. Non enim noui, cum pecuniam porrigo indigēti & petenti, quid inde aut facturus sit, aut passurus: & fieri potest vt vel faciat ex ea, vel propter eam patiatur aliquid mali, quod ego cum darem nō euenire voluerim, neq; hoc animo dederim. Itaq; si bono animo feci, quod facerem mihi notum erat, & ideo lumen vocatur: illuminatur etiam factum meum qualemcunque exitum habuerit: Qui exitus, quoniam incertus & ignotus est, tenebræ appellatæ sunt, & duplici corde quasi vmbram facit. Si autem malo animo feci, etiam ipsum lumen tenebræ sunt. Hinc Christus dicit. Si ergo lumē quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ sunt? Hoc est, Si ipsa cordis intentio (qua facis quod facis) quæ tibi nota est, sordidatur appetitu rerum terrenarum & temporaliū, atq; cæcatur: quanto magis ipsum factum, cuius incertus est exitus, sordidum & tenebrosum est: quia etsi alicui bene proueniat quod tu nō recta & immūda intentione facis: quomodo tu feceris tibi imputatur, non quomodo illi prouenerit. Hactenus ex sententia D. Augustini super sermonem Domini in mōte, lib. ij. Iam porrò quid ex prædictis sequatur, quidue ad hæc inferri posisit, quis non videt? Si intentio nostra opus nostrum aut bonū aut malum facit, certè quæri potest, quid iudicandum de illo qui malum opus ex bona intētione fecerit? Ad hæc primo respondemus, hominis esse Christiani vt semper roget, voluntatem suam à Deo regi, roget sempiternam illā prudentiam, ne aliqua specie boni decipiatur. Intentio siquidem nostra non satis est ex se, ad illuminādum operum corpus, cum à se fusca sit & impia, ac ferè veræ lucis nihil habeat: ideoq; necesse est vt à Dei spiritu illustretur, vt cum Dauide rectè dicere posisit: Quoniam tu illuminas lucernam meam domine Deus meus illumina tenebras meas. Psal. xvij. Secundò respondemus hanc regulam de bona intentione sic esse limitandam, vt tantùm referatur ad ea opera quæ hypocrisim admittere possunt, hoc est, quæ per se neque malà neque bona sunt, possunt tamen & à bonis & à malis fieri, vt est, Eleemosyna, oratio, ieiuniū, & id genus reliqua. Nam homicidium, aut furtum, aut rapina, & huius classis reliqua, non excusantur bona intentione. Mandatum itaque dilectionis in hoc negotio vtilissima est regula. Igitur rectè dicunt scolastici quòd duo necessario requiruntur, vt oculus sit simplex, vt bona sit intētio, scilicet vt hoc ametur quod finaliter est amādum, & eligatur quod iustissimè est eligendū. Neque enim suffecerit ad bonam intētionem, vt in rectum & bonum finem ordinetur, sed etiam vt per recta & æqua media ed perueniatur. Certè Apostolus non patitur eos qui dicunt: Faciamus mala, vt inde eueniant bona. Exempla nota sunt. Vt si quis furatur diuiti alicui, vt subueniat pauperi, iam pauperi subue-

nire bonum est, furari autem pessimũ est. Videatur hac de re Chorus Scholasticorum iij. sen. dist. xl. Habet & D. ille adeoque Maximus Basilius, in Regula Monachorum cap. xiij. quæ huc mirè quadrant. Quæstio illic est, vtrũ liceat homini aliquid dicere vel facere, quod sibi videtur bonum, absque testimoniis diuinæ scripturæ? Docet itaq; quod in omnibus dictis & factis nostris egeamus duce itineris spiritusancto, vt nos ducat in omnem veritatẽ. Deinde addit Basilius: Quia in omnibus negotiis, & verbis in quibus versamur, quædam quidẽ in scripturis diuinis distinguuntur, quædam verò reticentur. In hiis ergo quæ scripta sunt, nulla prorsus licẽtia permittitur cuiq;, vel admittere quod prohibitum est, vel omittere quod præceptum est: cũ ipse Dominus ita præceperit dicens: Et custodi verbũ hoc quod ego mãdo tibi hodie, non adiicies ad illud, neque auferes ab eo. In hiis autem quæ scriptura reticuit, regulam nobis Apostolus posuit, dicens euidenter: Omnia licent, sed non omnia ædificant. Omnia licent, sed non omnia expediunt. Nemo quod suum est quærat, &c. Hactenus ex sententia Basilii dicere placuit: Iam cœptum ordinem ingrediemur.

*Et cum loqueretur, rogauit illum quidam Pharisæus, vt pranderet apud se. Et ingressus recubuit. Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare nõ baptizatus esset ante prandium.*

Exemplum hoc egregiè nobis declarabit, quàm verè prædixerit Dominus de oculo duplici, hoc est, de intentione mala: Solet enim Lucas doctrinæ ac verbis Christi, plerunque viua exempla adiicere. hic enim Pharisæus nobis probabit quid sit habere oculũ duplicem, & ex hoc vno licebit colligere quales alii fuerint. Siquidem Pharisæi cum haberent oculum viciatum, iustitiam constituentes in cæremoniis corporalibus, & negligerent ea quæ non cernuntur, nisi puris oculis, hoc est mundo corde, ibi putabant esse lumen, vbi erant tenebræ, & tamen maximè impingebant, quum sibi viderentur pulchrè ingredi, & illic iudicabant esse graue crimen, vbi nullum erat, vbi verò grauis erat culpa, nullã esse putabant. Hic igitur Pharisæus de quo nobis sermo institutus est, rogauit Iesum, vt pranderet apud se. Non recusauit Iesus, nulli se non præbens, vt omnes ad se pertraheret. Quum autẽ Dominus accubuisset illotus, idque præter morem Pharisæorum, cœpit Pharisæus tacita secũ cogitatione mirari, quid esset causæ, cur non lauisset Dominus priusquam accubuisset, nimirum hanc Domini intermissionem in pessimam partem exponens. De hac pharisæorum consuetudine exorta est illa disceptatio, cuius Matthæus ca. xv. meminit, de non lotis manibus, isthic enim discipuli, hic autẽ Dominus accusatur. Et in nuptiis apud Euangelistam Ioannem, inuenimus sex hidrias positas secundum purificationem Iudæorum. Sed audiamus Christi responsum.

*Et ait Dominus ad illum: Nunc vos Pharisæi quod deforis est calicis & catini mundatis: quod autem intus est vestrum, plenum est rapina & iniquitate.*

Marcus Euangelista sic alibi scribit. Cap. 7. Pharisæi & omnes Iudæi, nisi crebro lauerint manus, nõ manducant, tenentes traditiones seniorum: & à foro nisi baptizentur, non comedunt, & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis seruare, baptismata calicũ, & vrceorum, & æramẽtorum, & lectorum, &c. Hinc ergo liquet qua occasione Christus in hanc disceptationem cum Pharisæo venerit. Nos negotium hoc & breuiter & dilucidè expediemus. Accusat & obiurgat Dominus Pharisæum hunc, & in alios

in hoc alios omnes, quod mundarent & lauarent ſua pocula, calices, parapſides, catinos, & reliqua id genus vaſcula, quæ vel ad potum vel ad eſculenta pertinebant; de interna autem corporis ſui immunditia nihil erant ſoliciti. Non autem hoc dicit Chriſtus, quaſi impium ſit externa illa vaſa in miniſterium hominum apta lauare, hoc enim ciuilitatis eſt, non impietatis: ſed quod Phariſæi ex externis illis metirentur puritatem animi, de vera pietate & puritate animi ne per ſomnium quidem cogitantes. Externa igitur illa adiaphora ſunt, & iuxta vtentis affectum iudicari debent. Sic & in omnibus cæremoniis iudicandum eſt, non vt hæ pium cor faciāt, ſed vt hoc illas acceptabiles faciat. Quæcunque enim impii imitari poſſunt, hæe non ſunt certiſsimæ pietatis teſtes infallibiles. Omnia ſiquidem quæ in ſpeciem bona ſunt, hypocritæ referre poſſunt: at veram animi munditiem, veram fidem, referre poſſunt minimè. Sed nos hac de re nonnihil diximus in Matthæi noſtri caput decimum quintum, vnde qui volet, requirat. Eccleſia noſtra, ſicut & forum etiam publicum, non poteſt regi abſq; cæremoniis aliquot externis: ſed diligenter diſpiciendum eſt, vt omnia ſuo loco habeantur. Quæ ad honorem Dei & charitatem proximi promouēdam faciunt, nulla ratione negligi vel contemptui haberi debēt. At his omnibus, à quibuſcunque tandem inſtitutæ fuerint, Domini mādatum præferendum eſt. At Phariſæi ſicut diximus, traditiones ſeniorum, traditiones humanas, longè præferebant diuinis legibus. Religionē putabant bene lotis manibus diſcumbere: at quod corda ſua ipſorum & rapinam & iniquitatē ſitiebant, ſuſque deq; ferebant. Lauare manus neque pium neque impiū eſt, at rapere vel deſiderare rātum aliena, pluſquam impium eſt. Sic ergo Chriſtus hunc ſuum hoſpitem alloquitur: Vos Phariſæi corpus ſubinde lauatis, lauatis calices & catinos, ex quibus neque boni neque mali fieri poteritis: at rapinam & iniquitatem cordibus veſtris non excutitis, quum tamē inde deterrimi fiatis. Creditis vos inquinari, ſi biberitis ex illoto calice, aut ederitis ex catino non loto, & puri vobis videmini, ſi calix ſimul & catinus, & quod in illis eſt, fraude & rapina partum ſit.

*Stulti, nonne qui fecit quod deforis eſt, etiam id quod deintus eſt fecit? Veruntamen quod ſupereſt, date Eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.*

Neminem hic moueat quod Chriſtus Phariſæos ſtultos nominat, quum tamen hoc ipſum nobis interminatus fuerit, inquiens: Qui fratri ſuo dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. Neque enim ſimpliciter prohibuit Chriſtus, ne alter alterum fatuū appellitet, ſed prohibuit ne quis odio, inuidia, aut contemptu motus, fratri ſic conuicietur. Quod autē hic à Chriſto fit charitatis eſt, non odii: neq; enim vult cōtemnere Phariſæos, ſed potius emendare. Sic alibi proprios ſuos diſcipulos alloquitur, dicens: ò ſtulti & tardi corde ad credendum. Et Paulus Galathas ſuos, quos tanquam filios diligebat, increpaturus, inquit, ò inſenſati Galathæ, quis vos faſcinauit non obedire veritati, &c. Et iterum: Sic ſtulti facti eſtis, vt cum ſpiritu cœperitis, nūc carne conſummamini? Gal. iij. Sic & alia huius generis mandata limitanda ſunt. Certè ſcriptura dicit. Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulēta oſcula odientis. Hæc ideo adieci ne quiſpiam hic offenderetur à Chriſto, audiens Phariſæos vocare ſtultos, qui tamen ne idē faceremus nos prohibuit. Quid autem ſibi volunt hæc verba Domini? Nonne qui fecit quod deforis eſt, etiam id quod deintus eſt fecit? Hæc verba Domini non ſunt referenda ad

ea quæ

ea quæ de calice & catino dixit, sed ad lotionē manuum, quæ & ipsa Pharisæis frequens in vsu fuit. Vult autē dicere Dominus: Non suffecerit vobis Pharisæis, quod externè solum lauamini, quasi internè nulla lotione opus sit: Certè qui fecit corpus, fecit & animam: & necesse est vt vtraque pariter aut saluentur aut pereant. Proinde necesse est vt vtraque munda sint. Imo par erat priorem esse curā eius partis, quæ potior est: sed interim vobis ipsis blandimini quasi abundè puris, si corpus & vasa subinde laueritis. Nā sicut nulla vtilitas fuerit poculum extrinsecus esse mundum, intrinsecus autē repletum esse sordibus: ita nulla erit vtilitas si corpus extrinsecus lotum fuerit, anima autem vitiis inquinata fuerit. Sed quid interim Pharisæo faciendum, vt intus & extra mūdus sit? Audi Dominum Christum, qui non est cōtentus mala detestari, sed etiā vult docere bona. Verūtamen, inquit, quod reliquum est, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Egregium hoc est Pharmacum ad morbos Pharisæorum. His enim paulò antè exprobrauerat rapinā & iniquitatem: at hijs nihil æque repugnat atque eleemosyna. Rectè ergo Dominus dixit: Date eleemosynā & omnia munda erūt vobis. Quod tamē nō sic accipiendū est, ac si sola eleemosyna hominū ad salutem sufficere possit: quoniam & alia nobis mandata à Domino præscripta sunt, vt in illis ambulemus. Neq; enim hic voluit Christus præscribere Pharisæo, omnia quæ ad salutē cōsequendā ab homine requirūtur, sed tantū medelā adhibere potiori Pharisæorū criminis, nimirum auaritiæ, rapinæ, & iniquitati. Errāt ergo qui aliis impietatibus studētes, sola eleemosynarū elargitione sibi parare cogitant vitā æternā. Hac enim de re sic loquitur D. Augustinus: Sanè qui sceleratissimè viuunt, nec curant talem vitam moresq; corrigere, & inter ipsa facinora & flagitia sua, eleemosynas frequentare non cessant, frustra sibi ideo blandiuntur, quoniam Dominus ait: Date eleemosynā, & ecce omnia munda sunt vobis: Hoc enim quam latè pateat, non intelligunt. Neque enim hoc intelligere licebit, vt Pharisæis nō habētibus fidem Christi, etiam si non in eū crediderint, nec renati fuerint ex aqua & spiritu sancto, munda sint omnia, tantum si eleemosynas dederint, sicut isti eas dandas putant, quū sint immūdi omnes quos nō mundat fides Christi, de qua scriptum est: Mundans fide corda eorum. Actorum xv. Porrò si quis volet eleemosynæ nomen & latè & ordinatè accipere, & illam vt decet dare, à se ipso debet incipere, & eam sibi primum dare. Est enim eleemosyna opus misericordiæ: verissiméque dictum est: Miserere animæ tuæ placens Deo, Ecclesiastici xxx. Non autem miseretur animæ suæ, nec placet Deo, qui tantum aliis facultates terrenas impartit, animæ autem suæ salutem præterea non curat. Et hæc quidem hactenus ex sententia Diui Augustini in Enchyridio ad Laurentium, cap. lxxv. & lxxvi.

*Sed væ vobis Pharisæis, qui decimatis mentam & rutam, & omne olus, & preteritis iudiciū & charitatē Dei. Hec autē oportuit facere, & illa nō omittere.*

Videtur certè hic Christus satis inciuilis & inhumanus esse cōuiua, qui sic inuehitur in eos quorum humanitate pascitur. Sed quis scit quo animo Pharisæi Christum inuitauerint: fortè non vt ipsum sic honorarent, sed potius vt obseruarent ipsum, ne quid scilicet præter decorum & honestatem vel diceret vel faceret. Solent enim interdum pessimi quique simulare humanitatem erga bonos & simplices, vt sic quasi inescatos nihilque tale cogitantes opprimere possint.

Porrò

Porrò quomodocunque tandem hoc se habeat, Christi fuerat ad impietates illas Scribarum & Pharisæorum minime conniuere: aliter enim si fecisset, putaretur ventris negotium egisse. Sic ergo inuehitur in bestias illas: Væ vobis Pharisæis, qui decimatis mentham & rutam, hoc est, etiam olerum vilissima, & præteritis iudicium & charitatem Dei, hoc est, fraudulenter agitis cum proximo, & à charitate in Deum estis alienissimi. Sed quæritur quare imprecetur Dominus Pharisæis tam dira propter decimationem olerum? An ne peccatum est dare decimas de omnibus fructibus? Certè in lege scriptum est, decimas tuas nō tardabis reddere. Exo.xxij. Et rursum, decimam separabis de cunctis fructibus terræ, &c. Deut.xiiij. Hoc opinor si fecerit Pharisæus non peccabit. Quid ergo dicemus? Non increpantur hoc loci Pharisæi quòd decimas dant, etiam de minutissimis oleribus, sed quòd his datis, putant se omne pensum absoluisse, iudicium autem & charitatē porro negligunt. At Deus non solum de decimis præcepta dedit, sed & de alijs quæ ad charitatem proximi faciunt. Nam qui dixit decimas tuas non tardabis reddere, idem dixit, Diliges proximū tuum sicut teipsum. Et, Non concupisces rem proximi tui. Rectè ergo hic dicit Christus, Hæc oportuit facere, & illa nō omittere: nimirum quoniam & hæc & illa à Domino præcepta fuere. Certè non est piatum mentium sic vētilare Domini præcepta, & ex his eligere, vel reprobare quæ volueris. Sed hac de re aliàs etiam nō nihil diximus. Quod decimarum rationem adtinet, nihil dicemus. Dandæ certè sunt, quousque hoc iusserit aut remiserit magistratus. Disputatur quidem iure ne diuino an humano dandæ sint: sed certè dandas esse omnes consentiunt, hoc quod hic adiecisse suffecerit.

*Væ vobis Pharisæis, qui diligitis primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro.*

Sedere in primis Synagogæ cathedris, vel salutari honorificè in foro peccatum non est, sed hæc amare, propter hæc omnia facere, planè stultū & impium est. Præsidibus certè tam spiritualibus quàm secularibus suus debetur honor, sua reuerentia: at qui his intumescunt, meritò hic à Christo obiurgantur. Paulus dixit: Honore inuicem præuenientes. Et, Cui honorē, honorem: Cui timorem, timorē, &c. Erant igitur, vt qui maximè, qui nullam personarum differentiam in Christianismo ferre possunt. Valeant itaque Anabaptistæ cum ficticiis suis fraternitatibus, qui omnem Christiani ordinem interturbare conati sunt.

*Væ vobis, quia estis vt monumenta quæ non parent, & homines ambulantes supra nesciunt.*

In proximo notauit Christus in Pharisæis ambitionem, qua ex dignitatibus suis intumescebant: at hoc dicto arguit eorundem pestilentissimam hypocrisim. Simulabant enim pietatem, cum tamen ipsis nihil vel pietatis, vel frontis, vel bonæ mentis inesset. Orabant, non pro imperranda peccatorum remissione, nec agebant diuinæ bonitati gratias, sed aliud quid spectabant, nimirum applausum populi. Sic eleemosynas dabant, nulla commiseratione, sed detestanda ambitione cōmoti. Ieiunabant, non ad mortificandum carnis suæ voluptates, sed ad cōciliandum pietatis titulum. Omnia, inquit Christus, faciunt, vt videātur hominibus. Breuiter quod erant, videri nolebant: quod non erant, videri volebant. Apparebant externè homines Deo deuotissimi, quum tamen nihil minus erant. Iam externus ille color per se non vituperatur, sed quod ex corde non procedit vituperatur. Ergo assimulantur sepulchris quæ extrinsecus

secus aliquãdo speciosa sunt, sed intus plena sunt fœtoris,&c.

*Respondens autem quidam ex legis peritis,ait illi: Magister hæc dicens, etiã contumeliam nobis facis. At ille ait: Et vobis legis peritis væ, quia oneratis homines oneribus quæ portare non poßunt, & ipsi vno digito vestro non tangitis sarcinas.*

Peculiaris hic est genius hypocritarum,hoc est,eorum qui tãtum specietenus pij atque probi sunt, vt vel leuiter reprehensi, statim irritentur,irascãtur, acerbasque apologias parent, ad recriminandum quàm ad resipiscendum promptiores. Simile ingenium in Legisperito hoc videre licet, qui verbo non nominatus,sed à propria suiipsius conscientia tactus, non potest æquo animo ferre dissertationem Domini nostri Iesu Christi,sed re ipsa declarat verum esse quod vulgi fertur prouerbio. Si quis in magnum numerum canum lapidem iecerit, illum solum clamare qui ictus fuerit,& quod docti loquuntur:conscius ipse sibi, de se putat omnia dici. Christus siquidem Dominus, Pharisæorum iniquitatem taxabat tantùm, Legis peritorum nullam faciens mentionem, at Legis peritus simili detentus morbo, Christi sermonem etiam ad se pertinere putans, inquit: Magister hæc dicens etiam contumeliam nobis facis: Scilicet egregiis illis viris parcendum fuerat,& sola plebecula traducenda. Quid porrò adhæc Iesus? Certè assentiri nescit,à Deo venit, viam Dei in veritate docet, hoc quod alibi vltro fatentur Herodiani, nec respicit personas hominum, nec ipsi cura est de aliquo, ergo & Legis peritos obiurgare animum inducit,nõ calumniandi,sed sanandi animo, dicẽs: Et vobis legis peritis væ, quia oneratis homines oneribus quæ portare nõ possunt,& ipsi vno digito vestro non tangitis sarcinas. Non culpantur hic legis periti quod onera illa hominibus imposuerint (si modo de onere legis Mosaicæ locus hic intelligendus est) sed quòd ipsi onera illa ne digito quidem attigerunt. Legi siquidem diuinæ nihil detrahendum fuerat: at decebat bonos legis latores, non tantùm legis obseruantiam quærere,sed & verbo & exemplo hanc ipsam ex animo præstare. Fit autem plerunque vt in aliis simus strenui censores, nobis autem satis blande ignoscamus. Sequitur.

*Væ vobis qui ædificatis monumenta prophetarum, patres autem vestri occiderunt illos: profectò testificamini,quod consentitis operibus eorum,quoniam ipsi quidem occiderunt illos, vos autem ædificatis eorum sepulchra.*

Hæc in cunctos principes Iudæorũ dicuntur,nõ in solos legis peritos: Ad ostentationem enim suæ integritatis, extruebant monumenta Prophetarũ, insinuare volentes Prophetas nõ morte, sed summa veneratione fuisse dignos, qui autem ipsos Prophetas occidissent fuisse detestabiles. Iam si malè faciunt, qui ne veritatis præcones audire cogantur, Prophetas Domini occidunt:quid de illis sentiendum,qui eadem de causa Prophetarum Dominum occidere non verentur? Ergo si patres Iudæorum peccauerunt Prophetas occidendo, certè multo magis peccant illorum filii,Christum Dei filium ad mortem quærẽdo. Rectè ergo dicit Christus Pharisæos,& reliquam eius generis fecem,patribus Prophetarum occisoribus consentire, non quidem quasi idem sit Prophetam occidere,& Prophetæ sepulchrum extruere:sed quod patres & filij fuere veritatis inimici, paratiores veritatis præcones occidere, quàm veritatis prædicationem æquanimiter ferre. Explicatius leguntur hæc apud Matthæum. Væ vobis, inquit, Scribæ & Pharisæi, hypocritæ, quia ædificatis sepulchra pro-

Prophetarum, & ornatis monumenta iustorum, & dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, nō fuissemus socij eorū in sanguine Prophetarum. Itaq; testimonio estis vobismetipsis, quia filij estis eorū qui Prophetas occiderunt. Et vos implete mensurā patrū vestrorum: Sic & in Luca iā sequitur.

*Propterea & sapiētia Dei dixit: Mittam ad illos Prophetas & Apostolos, & ex illis occident & persequentur, vt inquiratur sanguis omnium Prophetarum, qui effusus est à constitutione mūdi à generatione ista, à sanguine Abel, vsque ad sanguinem Zachariæ, qui perijt inter altare & ædem. Ita dico vobis, requiretur ab hac generatione.*

Sapientia Dei, de qua Christus loquitur, nō magno labore inuestiganda est. Christus enim ipse à Paulo prædicatur Dei sapientia esse, & in ipso omnes thesauros sapientiæ & scientiæ esse absconditos, eodem Paulo admonente non ignoramus. In Matthæo porrò sic legimus: Ideo dico vobis. Ecce ego mitto ad vos Prophetas, &c. Matth. xxiij. Ergo Christus est ille qui Iudæis iam olim miserat Prophetas, & iam fatetur se nō ita multo post etiam alios velle mittere, quò mundo testatum faciat Iudæos sua malitia, non Dei negligentia perire. Placuit Lucæ hoc loci ponere Dei sapientiam, non Filium hominis, vt sic maius pondus habeat Christi sermo. Neq; enim audiendi sunt supercilioſi illi Pharisæi, contra quos hic Christi sermo institutus est, horum enim sapientiam fecit Deus stultam: at Dei sapientia, qui est Christus, fallere potest neminem. Hæc ergo Dei sapientia dixit, se missuram prophetas & Apostolos, &c. Misit quemadmodum pollicita est, & boni illi Prophetæ & Apostoli ad Iudæos missi, persecutionem passi sunt, lapidati sunt, occisi sunt iuxta quod prædictum fuerat à Christo, qui est Dei sapiētia. At Iudæi hæc impune non fecerint, vtcunque impiis videatur, lento siquidem gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, raritatem autem, supplicij grauitate compensat. Dabunt enim pœnas grauissimas, omnis sanguinis iusti qui effusus est à sanguine Abel iusti, vsq; ad sanguinem Zachariæ, qui periit inter altare & ædem, &c. Pharisæi siquidem nouerunt occisionem Abel & Zachariæ iniustam fuisse: at nihilominus quod in aliis accusant, idem ipsi perpetrare non dubitant. Si iniquum est ex inuidia occidere quempiam, si iniustum est bene monentem occidere: vt quid Pharisæi & Sacerdotes quærunt occidere, sola inuidia moti, Christum innocentissimum, & nihil aliud quàm patris sui cælestis gloriam, & nostram salutem procurantem? Ergo tanto grauius punientur Iudæi illi, quanto certius notitiam veritatis habuerunt. Seruus siquidem sciens voluntatem Domini sui & non faciens, plagis vapulabit multis, &c.

*Væ vobis legisperitis qui tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui introibant, prohibuistis.*

Sunt qui clauis huius nomine intelligunt verū intellectum & vsum legis, & per eos qui introibant, intelligunt Prophetas, qui legis verum vsum & intellectum docuerunt: sed à Pharisæis, Scribis, & legisperitis occisi sunt. At nos clauis nomine legem ipsam, cuius veram interpretationem legisperiti sibi vendicabant, intelligimus. Lex enim pædagogus noster fuit ad Christum. Et Christus ipse dicit: Si crederetis Moysi, crederetis & mihi, de me enim ille scripsit. Et rursum: Scrutamini scripturas, illæ enim testimonium perhibent de me. Iam legisperitos conueniebat sic interpretari legem, vt populus ex lege manuduceretur ad Christum. Legis verò

periti populum magno studio, sumptisque laboribus à Christo abducere conati sunt. Lex promittit Prophetam, hoc legunt legisperiti in auribus populi: At iam venit propheta. Legisperiti vocant eundem aduersarium legis. Lex iubet audire prophetam illum: at legisperiti decreto cauent, vt si quis confiteatur Christum è synagoga excludatur. Populus admiratur opera ipsius Christi, incipit credere, at hoc legisperiti maximè cauent, dicentes: In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Sed hæc aperta sunt.

*Cum hæc ad illos diceret, cœperunt Pharisæi & Legisperiti grauiter insistere, & os eius opprimere de multis insidiantes ei, & quærentes aliquid capere ex ore eius, vt accusarent eum.*

Hic est genius hypocritarum, vt quod sunt, audire nolint. Fructus enim sunt iniquæ hypocrisis, grauiter insistere, os Christi opprimere multis, insidiari ei, & quærere aliquid capere de ore eius, vt eum accusent: hoc quod iam Pharisæi faciunt. Cùm enim debebant agnoscere & confiteri iniquitatem suam, & veniam à Christo petere: ipsi multo magis irritantur, iniquitati iniquitatem adiicientes, grauiter insistunt, rixantur, & multa obiiciunt vni Christo, vt vel ex multis aliquid ipsum lateat, vel silentio oblita pertransiens, videatur à Pharisæis victus. Eiusmodi multa exempla nobis Euangelium multis in locis suppeditat, vt non sit necesse multis hic disputare. Certè malus genius est in homine, qui non vult agnitæ etiam veritati cedere. Pij autem hominis est ex animo sectari veritatem, inuentam amare, amatam nunquam velle relinquere. Pii hominis est vt doctori instet, non vt doctorem vexet, sed vt à doctore quæ vera sunt discat. Pij hominis est non multa quærere, sed necessaria. Pharisæi autem hoc loci penitus diuersum faciunt, Christo grauiter instant, multa ex ipso rogant, omnia verba ipsius diligenter obseruant: sed in quem finem? Audi Lucam: Vt accusarent eum, inquit. Prohibeat Deus tales Pharisæos ab omni Christianorum conuentu. Valeant fuci illi; qui quod alii mellificant, ipsi deuorare non cessant. Sit autem huius capitis finis.

## CAPVT XII.

*Multis autem turbis concurrentibus, ita vt se inuicem conculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos. Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.*

Apud Matthæum sic legimus, Cùm venissent discipuli Iesu trans fretum, obliti sunt panes accipere. Qui dixit illis: Intuemini & cauete à fermento Pharisæorum & Saducæorum, &c. Et sequitur. Tunc (increpati scilicet à Christo) discipuli intellexerunt quia non dixerit cauendum à fermento panum, sed à doctrina Pharisæorum & Saducæorum. Matthæi xvi. Apud Marcum verò dicit: Videte & cauete à fermento Pharisæorum & fermento Herodis, Mar. viij. Hic autem apud Lucam nostrum apertis verbis Christus ipse explicat, quid fermenti nomine intelligi velit, inquiens: Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. Nouerat enim Dominus Iesus insanabilem esse Pharisæorum malitiam, ideoque voluit illorum hypocrisim palàm traducere, ne quis incautus illorum simulatione falli posset: Et vide quàm egregiè hic delusi sunt Pharisæi. Tentabant enim ipsum Christum venari in sermone, vt turbis eum nudarent.

At res in contrariū euenit: magisq; adierunt turbæ, & in turbas innumeras colligebantur: & ita singuli cupiebāt appropiare ei, vt & se inuicem conculcarent. Cæterùm & nobis dictum esse vt caueamus ab hypocrisi Pharisæorū putare debemus, hoc est vt nihil fictè, nihil simulatè faciamus, sed omnia ex animo, & in veritate. Neque enim curat Dominus quid facias, sed quo animo facias, & iuxta cor tuū potius, quā iuxta facta tua à Domino iudicaberis. Et vt quid ampliꝰ dicā. Si cor tuū bonū fuerit, laudaberis, etiā si non dabitur facultas operandi. Et fit aliquando vt etiam in speciem benefacta vituperantur, id quod apud Matthæū videre est, quum bono animo nō fiūt. Sed quoniam in superioribus hac de re plura diximus, ad sequētia diuertimus.

*Nihil enim opertum quod non reueletur: neque absconditum quod nō sciatur: Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur: & quod in aurem locuti estis in cubilibus, prædicabitur in tectis.*

Hæc tam elata sunt, vulgoq; nota & vsurpata, vt nulla longiori explanatione opus habeant, dicta verò sunt, ne quis hypocrisim suam perpetuo latere posse putet: Vtcunque enim quispiam homines fallere potest sua simulatione, certè Deū fallere nequit. Homo videt in faciem, inquit Scriptura, Deus autē intuetur cor. Et in Euāgelio de Christo legitur: Ipse enim sciebat quid esset in homine, &c. Potest autē & hic locus referri & ad diē extremū, de quo Paulus inquit: Nolite ante tēpus iudicare, quo adusq; veniet Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarū, & manifestabit consilia cordiū. Est autem hæc sententia Domini memoriæ commendanda, qua dicit: Nihil opertū, quod nō reueletur, &c. Quisquis enim in omnibus factis hæc cogitaret, à multis certè impietatibus & flagitiis abstineret. Sed videamus alia.

*Dico autē vobis amicis meis: Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc nō habent amplius quid faciāt. Ostendam autem vobis quem timeatis. Timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ità dico vobis, hunc timete.*

Sunt qui palam profiteri nō audent quod verè sunt, & quare nō ausint habent causam. Pharisæi nō audebāt palam ostendere quales essent, quoniam mali erant, & volebāt videri boni, qua de re iā paulo supra dictum est. At licet alios inuenire qui quum boni sint, palam testari non audent, & ad tales pertinet quod hic à Domino dicitur. In primitiua certè Ecclesia multi Christiani aliasq; boni viri negabant se esse quod erant, tū amore vitæ præsentis, tum timore tormentorum, quæ videbant Christianis parata. Ad tales ergo loquitur hic Christus, inquiens, Dico vobis amicis meis: Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, &c. sed timete eum qui postq̄ occiderit corpus potestatem habet animam mittere in gehennam. Certè moriatur necesse corpus, siue breui siue post multos annos. At anima vt corpus interimi non potest, sed necesse est semper viuat. Qui ergo corpori suo propter Christum non parcit, animæ maximè parcit, qua de re in Matth. ca. x. fusius diximus. Adnotauit hoc loci Theophylactus quod Christus non dicit: Timete eum qui postquam occiderit, mittit in gehennam, sed potestatē habet mittere in gehennam. Non enim semper qui moriuntur peccatores, inquit Vulgarius, mittuntur in gehēnam, sed sunt in potestate Dei, vt etiā dimitti possint. Hoc autē, inquit, dico propter oblationes & distributiones quæ fiunt pro defunctis, quæ non parum conducunt etiam his qui in grauibus peccatis mortui sunt &c. Summè itaq; nobis hic obseruandū puto,

ne vitæ præsentis amore in Christum peccemus: Fit enim plerũque vt quod Christo negas, naturæ negare poſsis minimè. Cicero alibi ait: Naturam nobis vitæ vſurã dediſſe, tanquam pecuniæ, & hoc nulla præſtituta die. Quid eſt igitur, inquit, quod querare, ſi natura repetit cum vult? Ea enim conditione acceperas, &c.

*Nonne quinque paſſeres veneunt dipondio: & vnus ex illis non eſt in obliuione coram Deo. Sed & capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt. Nolite ergo timere, multis paſſeribus pluris eſtis vos.*

Quoniam Chriſtus admonuerat nõ eſſe eos timendos qui occidũt corpus, & dein quid amplius facere poſſint nõ habent, re ipſa declarauit bonis diſcipulis ſuis imminere exitium: Igitur ne mala illos ſuſpicio terrere poſſit, quaſi Chriſtus non poſsit cohibere peſtes illos Tyrannos, aut quid illo inuito diſcipulis accidere poſſet, addit quæ iam prædicta ſunt: Nimirum tribulationes & cruciatus illos nec inuito nec inſcio Deo fieri. Qui enim poſſet Deus negligere ſuos chariſsimos diſcipulos, qui nec paſſeres inutiles nimirum & viles auiculas negligit. Aut quid poſſet Dominum de diſcipulis latere, quum nec paſſerculus in terram cadat, ignorante Domino? Et quomodo poſſunt diſcipuli Deo eſſe incogniti, quum vel illorũ capillos etiam in numerato habeat. Nihil igitur eſt quod diſcipuli timere debeant, quicquid tandem contra ipſos moliantur tyranni. Eſt autem hæc conſolatio contra crucem, à ſingulari prouidentia Dei, qua ipſe curat pro confeſſoribus veritatis, ita vt non poſſint perſecutores aliquid incommodi illis addere, ſine voluntate Dei & permiſsione diuina. Eſt autem hæc & firmiſsima & ſupra modum neceſſaria conſolatio. Nam in aduerſitatibus & tribulationibus plerunque ſic ſumus adfecti, quaſi Deus noſtri amplius non recordetur. Contra hanc falſam perſuaſionem in Pſalmis militat Dominus dicens: cũ ipſo, viro ſcilicet probo, ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum, &c.

*Dico autem vobis, omnis quicunque cõfeſſus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei: Qui autem negauerit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei.*

Superioribus hæc cohærent. Omnia enim eò tendunt, ne vlla re vel moti vel ſeducti abnegemus Chriſtũ. Dixerat ſiquidem paulo ante de gehenna, quæ certè fidelibus non videtur luſus, addit patrem cœleſtem ſuos non poſſe negligere, cum etiam volucres minutiſs. curare ſoleat. Iam addit maximam mercedem, nimirum ſe etiã pro diſcipulis agniturum illos, qui cõſtanter confitebuntur nomen ipſius: abnegantes autem ſeipſum non agniturum. Iam quis eſt qui neſciat quàm terribilis vox ſit, ab eo quem nihil latere poteſt audire: Amen dico vobis neſcio vos, &c. Rectè ergo Paulus de ſeipſo dicit: Non enim me pudet Euãgelij. Et ad Timotheum ſuum ſcribit: Noli erubeſcere teſtimonium Domini noſtri, neque me vinctum eius. Nõ enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis & dilectionis & ſobrietatis ij. Timoth. I. Ad Philippen. verò ſcribit: Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum vt in eum credatis, ſed vt etiam pro illo patiamini, Philip. I. Cæterùm quatenus, quando, & vbi confitendus ſit Chriſtus, & omnia quæ Chriſti ſunt, in Math. cap. x. abunde docuimus. Sic certè confitendus eſt, vt interim non demus ſanctum canibus, neque proiiciamus margaritas ante porcos. Legimus Paulum à fratribus in ſporta miſſum per murũ & le-

& legimus eundem paratum non solum alligari, sed & mori pro Christo: Omnia verò suo loco. Summa totius negotij est, ne aliquid præferamus Christo, huius gloriam & honorem, quantum in nobis est, vbique & semper propagemus.

*Et omnis qui dicit verbum in filium hominis, remittetur ei: ei autẽ qui in Spiritum sanctum blasphemauerit, non remittetur.*

Eorum qui negãt Christum magna & memorabilis est differẽtia: sunt enim qui ipsum negant ex sola imbecillitate, corporis cruciatus timentes, hosq; vitare & effugere volentes. Alii porrò tantùm in hoc negant Christum, vt liberius vti & frui possint rebus temporalibus, honore, potestate, diuitiis, cuius rei multa in historiis sanctorum exempla extant. Alii denique & negant Christum & blasphemant sola malitia & inuidia ducti, non ignorantes, sed scientes quis & qualis sit. Huc pertinet magna pars Scribarum, Pharisæorum & Pontificum, qui mera inuidia Christum reiecerunt. Abnegauit Petrus Christum, ore, nõ corde, crucem nimirum timens. Nicodemus agnouit Christum, sed huius mauult esse occultus quàm apertus discipulus. Abnegarunt & alii multi Christum, nulla vel malitia vel inuidia ducti, sed sola ignorantia seducti, non credentes Dei filium talia agere, qualia agebat Christus. Videbant Christum, edere, bibere, dormire, familiarem esse publicanis & peccatoribus, ignorabant item virgineum partum, & ideo non poterant sibi persuadere Iesum illum esse Dei filium. Ideoque miracula videntes, non calumniabantur sed admirabantur. His igitur & talibus, etiamsi quid dixerint contra filium hominis, facilè remittitur, & pro talibus etiam rogat Dominus ipse inquiens: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Sed de Pharisæis & Pontificibus aliud sentiendum, qui maluerunt opera filij Dei calumniari, quàm potestate & honore spoliari. Hi ergo quoniam benè agnitæ veritati sola inuidia moti contradicere solent, certè malus subibunt iudicium, immo peccant in spiritum sanctũ, peccato quod neq; in præsenti neq; in futuro seculo remittetur. Cæterũ quoniã de peccato in spiritũ sanctũ, hoc est de peccato irremissibili, nõ tam difficilis quã periculosa est disputatio, nõ ausim mare hoc profundũ altius ingredi, sed malim D. Augustini benè piã sententiã proferre. Hic in expositione epistolæ ad Romanos inchoatæ sic scribit: Ille peccat in Spiritum sanctũ, qui desperans vel irridens atq; contemnens prædicationem gratiæ, per quam peccata diluuntur: & pacis per quam reconciliamur Deo, detrectat agere pœnitentiam de peccatis suis: & in eorum impia atque mortifera quadam suauitate perdurandum sibi esse decernit, & in finem vsque perdurat. Et ibidem, dicit per repetitionem, perseuerantiam in nequitia & malignitate, cum desperatione indulgentiæ Dei, peccatum in Spiritum sanctũ esse. Et in ipso libro, siue homilia quam de peccato in Spiritum sanctũ inscripsit, scribit impœnitẽtiam esse spiritus blasphemiam, quæ non remittetur, neque in præsenti seculo, neq; in futuro. Addit autẽ Augustinus, illã impœnitentiã vel cor impœnitens, quàm diu vnusquisque in hac carne viuit, non posse iudicari. De nullo enim desperandũ est, inquit, quàm diu patientia Dei ad pœnitentiam adducit, nec de hac vita rapit impium, qui non vult mortem impii, sed tantùm vt reuertatur & viuat. Paganus est hodie, vnde scis vtrum futurus crastino sit Christianus? Iudæus infœlix est hodie: quid si cras credat in Christo? Hæreticus est hodie, quid si cras sequa-

Vide D. Aug. de peccato in Spiritu s. & de Sermo. Domini in mõte lib. 1. c. viiij.

sequatur catholicam veritatē &c. Hactenus ex Diuo illo Antistite Augustino. Scholasticos etiam Doctores quæstio hæc aliquādiu occupatos habuit, sicut videre licet in iij. Senten. distinctione xliij. quæ nos omnia, compendio gaudētes nō adducemus. Porrò videtur hic locus de peccato in Spiritumsanctum: præcipuè à Christo adductus, cōtra eos qui non dubitant homines adhortari ad abnegationē Christi, opera & virtutes Christi non Spiritui sancto, sed potius dæmonibus ascribere non dubitantes. Neque enim clam est quibus artibus, Iudæorum & gentilium tyranni, multos fideles à Christi professione deiecerint. Illi ergo nisi resipuerint, & gloriam Deo reddiderint, nunquam remissam peccatorū suorum inuenient. Sequitur.

*Cùm autem inducent vos in Synagogas & ad magistratus & potestates, nolite soliciti esse, qualiter aut quid respōdeatis, aut quid dicatis. Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora, quid oporteat vos dicere.*

Et hæc etiam hactenus pertinent ad confessores Christi. Possent enim boni discipuli dicere: Quid nos sumus ô bone Iesu, vt nomen tuum publicè profiteamur. Sumus enim idiotæ simplices, expertes omnis literaturæ, & ideo de te rogati non possumus bonum & conueniens ferre testimonium. His igitur cogitationibus sic obuiat & medetur Christus, inquiens: Cùm autē inducent vos, &c. Ac si diceret, Quāuis estis idiotæ, tenues & humiles, non est quod metuatis mundi tumultum aduersum vos. Sufficit spiritus Dei benignus ac simplex, aduersus omnem vel fraudem vel violentiam huius mūdi. Quum igitur pertrahemini in Synagogas illorum, delati de magnis criminibus, quum pertrahemini ad Magistratus & Principes; nolite facere quod vulgus eorū solet, scilicet anxiè præmeditari quibus modis verba facturi sitis, & qua ratione instituturi defensionem, quidue adducturi pro defensione causæ. Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere. Sic apud Ioannem etiam loquitur Christus ad discipulos suos. Cùm venerit Paracletus, &c. ille testimonium perhibebit de me: Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Qui hoc negotium exactius intelligere volet, legat secundum librum Lucæ de Apostolorum actibus, & ibi inueniet quàm egregiè vis Spiritus sancti sese exeruerit, in idiotis Apostolis & discipulis Domini, Petro, Ioanne, Stephano, & aliis. Præmissis adiicit Lucas in sua Euangelica historia.

*Ait autem ei quidam de turba: Magister dic fratri meo vt diuidat mecū hæreditatem. At ille dixit ei: Homo quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos?*

Certè quæ à principio huius Euāgelii dicta & audita sunt, satis declarant Christi regnum non esse de hoc mundo, neque ipsum velle temporaliter in mundo regnare, cum non adsumit satellites, qui alios oppugnare possint, sed piscatores ad suffrendum quàm ad feriendum paratiores. Sic & hoc loco manifestissimis verbis declarat Christus, se non in hoc venisse, vt Magistratus officia subeat, alias leges temporalium rerum nomine præscribat, vel Magistratu aliquos deponat: sed potius vt in cordibus nostris regnet, sic vt ad æterna bona nos venire contingat, quicquid tandem de temporalibus nostris bonis eueniat. Igitur cum à Iudæo quodam interpellatur, vt velit se in repetenda hæreditate iuuare, Respondet: Homo quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos? Quasi diceret: An mundus hic non

non habet iudices, qui lites tam humiles dirimant? Mihi non est delegatum, vt hic aut ille ditescat hæreditate, sed vt omnes perueniant ad vitæ immortalis hæreditatem. His autem dictis Christus multa insinuare voluit: nimirum eum qui gerit munus apostolicū, neutiquam oportere implicari negotiis profanis ac sordidis, sic enim alibi Apostolus dicit: Nemo militans Deo, implicat se secularibus negotiis. Et Apostoli communiter in Actis dicunt: Non est æquum nos relinquere verbū Dei, & ministrare mensis. Voluit item Christus hac redargutione ostendere, suam doctrinam non abrogare officia magistratus, sed potius cōfirmare, vnde & alibi dicit: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Et cum discipuli certarēt de præsidentia, inquiebat: Reges Gentium dominantur eorum, & quæ sequuntur: Quo nimirū declarauit, neq; se, neque suos, seculares, vt vocant, fore debere iudices. Neque enim hac recusatione ordinem magistratus aboleuit, sed multò magis, ceu diximus, solidauit.

*Dixitq; ad illos: Videte & cauete ab omni auaritia, quia non in abundantiā cuiusquā vita eius est, ex his quæ possidet*

Siue Dominus hæc verba ad discipulos suos, siue ad fratres illos de hæreditate contendentes dixerit, parum refert. Ad quoscunque tandem dixerit, certum est idipsum & ad nos pertinere, & ad nostram doctrinam scriptum esse. Videte, inquit, & cauete ab omni auaritia, hoc est, ab omni confinio & specie auaritiæ. Multi enim cùm sint auari, tamen nolunt id vitiū agnoscere, sed prætexunt necessitatem, boni patres familias dici volunt, non auari. Addit autem Dominus rationē, quare cauendum sit ab auaritia, & ab omni superfluorum cupiditate. Quia non in abundantia cuiusquam vita eius est, inquit, ex his quæ possidet. Hoc nō putat mundus: sed plerique sic fidunt in diuitiis suis, vt in his ingens aliquod humanæ fœlicitatis præsidium collocent: at vehementer fallūt semetipsos. Non enim abundantia facit ad fœlicitatem, sed potius ad sollicitudinem. Et qui paucis contentus est, suauius viuit quàm qui plura concupiscit. Adijciamus quod Ecclesiastes super hoc negotio dicit: Est malū, inquit, quod vidi sub sole, & quidem frequens apud homines. Vir cui dedit Deus diuitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus quæ desiderat, nec tribuit ei Deus potestatē, vt comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud. Eccl. cap. vi. Et Ecclesiasticus inquit: Insatiabilis oculus cupidi, in parte iniquitatis non satiabitur, donec consumet arefaciēs animā suā, ca. xiiij. Hic idem dicit quod Christus, nimirū, auarum non melius habiturū in vita sua, etiam si in magna abundantia fuerit. Et Abacuc. cap. ii. dicitur: Væ qui congregat auaritiā malum domui suæ, vt sit in excelso nidus eius, & liberari se putat de manu mali. Sed hæc apertiora erunt, subsequenti historia audita. Præmissis enim adiicit Christus.

*Dixit autem similitudinem ad illos, dicens: Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit, & cogitabat intra se, dicens: Quid faciam, quòd non habeo quo congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam, Destruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.*

Hac certè historia satis declarat Christus, quàm parum fœlix sit homo auarus, quantumuis diues sit. Vide q̄ sollicitus est, quàm miserè timeat, quàm inquietus sit? Est enim duplex tentationum species, vt inquit D. Basilius: aut enim tribulatio cor vexat humanum, & sicut aurum in camino, proba-

tur vnusquisque & agnoscitur: aut interdum etiam ipsa vitæ prosperitas ad tentationem cedit hominibus. Similis nanque & eiusdem ignauiæ est, in aduersis humilem ac miserabilem fieri: & in prosperis insolēter efferri. Exēplum planè quòd nō debemus animo deijci in aduersis, habemus magnificū Iob, in tristibus penitus indignari nescientē: qua de re iam dicendi locus non est. Exemplū verò eorum qui per secūdos vitæ successus prosperitatesq́ tentantur, si vnquam aliàs, certè Diues hic de quo nobis sermo est, euidentissimum præbet. Audite ergo quid Dñs loquatur, quàmq́ egregiè nobis harpagum hunc Christus depingat. Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager pertulit, &c. Dicis fortasse, cur ager hominis nihil boni operaturi, hominis auari, hominis aliàs locupletissimi, vberes fructus attulerit? Responsum accipe, Vt magis magisq́ Dei patiētia nosceretur, dum ad huiusmodi homines beneficia suæ benignitatis extendit. Pluit enim super iustos & iniustos, & solem suum oriri facit super bonos & malos. Verùm talis ista benignitas Dei, sicut per nimiam patientiā, facultatem conuersionis & emendationis indulget, ita maiora & grauiora supplicia coaceruat, vt conuertat ingratos. Largitus est ergo Deus imbres vberes agro hominis huius diuitis, solem præstitit ad nutriendas segetes, multiplicandasque fruges; vt aceruos diuitis augeret, qui ipsius cor augere non potuit. Inquit enim diues ille, Quid faciam? Non habeo quo congregem fructus meos. Ac si diceret: Omnia bona mea simul cōposita ac recondita claustris validissimis & signaculis tutissimis cōmuniui, nulli quicquam tribui, quinimò & ad custodienda ea vigilias meas addidi, curas impendi, solicitudines tribui. Quid iā faciā? Horrea plena sunt: at cor adhuc quàm latissimè patet. Hoc ergo faciam. Destruam horrea mea, & maiora faciā, & illuc cōgregabo oĩa quæ nata sunt mihi. Proh malū consilium, consultori aūt pessimū. Sic debebat potius dixisse: Aperiā horrea mea, & replebo esurientes animas pauperū, patefaciam quæ recōdita sunt, & inuitabo indigētes, ac releuabo afflictos, &c. At nihil tale ex ore insatiabilis hominis auditur, sed potius consultat de dilatandis promptuariis, vt scilicet futura congreget, qui nō potuerit præsentibus frui. Terra enim huic non tantam frugum, quātā curarū copiā germinauit, vt verè dictū sit: Qui addit diuitias, addit & labores. Sed quid facturus es, hominū infœlicissime, dilatatis horreis? Dicam, inquit, animæ meæ: Aīa, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Quid si non suffecerit tempus, vt vel incipias ædificare, nedum ædificium consummare? Stultum igitur est cōsiliū. Quid si frustra ædificaueris, fructibus in agro pereuntibus, vel igne, vel aqua. Solent enim hæc et fructibus iam maturis euenire. Quantū igitur etiā hoc adtinet, stultū est consilium. Adde, alloquitur animam, quasi & hæc carnea sit, victuraq́ ex prouentibus agrorum. Certè longè alio cibo anima tua reficienda fuerat. Animæ siquidem natura est talis, vt virtutibus alatur, vt verbo Dei saginetur, vt intellectibus pijs, & religiosis disciplinis atque exercitijs excolatur. Quid porrò ad stultos cogitatus, qd ad impia verba diuitis Christ⁹?

*Quæstio* (marg.)

*Dixit autē illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem parasti, cuius erunt?*

Rectè D. ille Iacobus admonet, vt negotia nostra nō iuxta fortunæ casū, sed iuxta Dei voluntatē & prouidentiā metiamur. Ait enim: Ecce nunc qui dicitis: Hodie aut crastino ibimus in illā ciuitatem, & faciemus ibi quidē annū, & mercabimur, & lucrum faciemus (qui ignoratis quid fiet de crastino)

Quæ

Quæ est enim vita vestra? Vapor est ad modicũ parẽs,& deinceps exterminabitur,pro eo vt dicatis: Si Dñs voluerit, &c. Si vixerimus, faciemus hoc aut illud.Iacob.iiij. Diues enim ille nõ ita secũ deliberarat,vt diceret:Si Deus voluerit, destruã horrea, &c. Sed sine omni conditione: Destruam,inquit, horrea mea,Dicã animæ meæ,&c.At Deus,cuius prouidentiã nemo mutare potest,quiq; hoĩs vitæ terminũ posuit ineuitabilem & immutabilem, noluit propositum auari illius optatũ habere successum,ideoq; dicit illi: Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te. Tu multos promisisti tibi annos, at non videbis lucem crastinam, ideoq; omnis tua deliberatio cassa & stulta est. Si autem hac nocte morieris,quæ parasti,cuius erunt?Certè tua non erunt. Hinc est,quod de homine stultè auaro Psalmista dicit:Thesaurizat,& ignorat cui congregabit ea. Psal. xxxviij.Et in Ecclesiastico legimus: Est qui locupletatur,& dicit:inueni requiẽ meã mihi, & manducabo de bonis meis solus: & nescit quod tempus prætereat illum, & mors appropinquet, & relinquat omnia alienis, & moriatur, Eccles.xi. Et rursum Psal.xlviij. Ne timueris,cũ diues factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius.Qm cùm interierit,nõ sumet oĩa secũ, neq; descendet cum eo gloria eius,&c.

*Sic est qui sibi thesaurizat,& non est in Deum diues.*

Est accõmodatio similitudinis, quã declarat Christus diuitias mũdi seruare nõ posse:igitur cogitandũ esse pro diuitiis spiritualibus,quæ seruare possũt in æternum. Et huic Christi sententiæ multi alij scripturarũ loci adstipulãtur. Diuites eguerunt,& esurierunt,inquit Psalmographus, inquirentes aũt Dominũ non deficient omni bono. Psal. xxxiij. Huc pertinet quod Paulus ad Timotheum dicit:Diuitibus huius seculi præcipe non sublime sapere, neq; sperare in incerto diuitiarũ, sed in Deo viuo,qui præstat nobis omnia abundè ad viuendum:bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, cõmunicare,thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum,vt apprehendant veram vitam,&c.i.Timoth.vi.

*Dixitq; ad discipulos suos: Ideo dico vobis:Nolite soliciti esse animæ vestræ, quid manducetis,neque corpori, quid induamini. Anima plus est,quàm esca, & corpus plus quàm indumentum.*

Quoniam, inquit, audistis, quàm infœliciter cesserit auaro illi diuiti sua solicita deliberatio,ideo dico vobis,ne sitis soliciti animæ vestræ, &c. Locus hic intellectu facilis est. Nihil enim hic vult Christus,nisi vt non plus iusto simus anxij in quærendis vitæ nostræ necessariis,sed vt vocationi nostræ inhærentes,fidamus ei qui nobis corpus & animã dedit.Qui enim corpus dedit, vestimentã non negabit: & qui animã dedit,rogatus victum nõ negabit. Nolo aut hic intelligas Christum solicitudinis nomine,laborem,vel familiæ curam prohibuisse. Alibi enim scriptura loquitur:Qui non laborat, non manducet. & Qui domesticos non curat, infideli est deterior.Obseruandum igitur, quod D. Augustinus ad Consentium lib.de mendacio dicit,cap.xv.Diuinæ scripturæ,inquit,nõ solùm præcepta Dei continent,sed etiam vitam, moresq; iustorum. Vt,si fortè occultũ est, quemadmodum accipiendum sit quod præcipitur,in factis iustorum intelligatur. Velut cùm legimus in Euangelio, Accepisti alapam: para alteram maxillam. Exemplum autem patiẽtiæ nullum,quàm ipsius Domini potẽtius & excellentius inuenimus. At ipse cùm alapa percussus esset,non ait: Ecce altera maxilla, sed ait:Si malè dixi, testimonium perhibe de malo:si autẽ benè,quid me cædis? Vbi ostendit illam præparationem alterius maxillæ in corde

De sermone Domini in mõte lib.i.

corde faciendam. Sic & hoc loci quod Dominus sollicitudinem victus & vestitus prohibuit, ad alia scripturæ loca, & ad exempla iustorum conferendum est. Videmus autem alibi Dñm ipsum habuisse loculos, quo ea quæ dabantur, mittebantur, vt seruari possent ad vsus pro tempore necessarios. Videm⁹ & ipsos Apostolos procurasse multa fratrum indigentiæ: non solùm in crastinum, sed etiam in prolixius tempus impendentis famis. Ex hoc itaque intelligimus Dominum non simpliciter prohibuisse omnē sollicitudinem, sed eam solùm, quæ ex amore rerum temporaliū, quæ ex auaritia, quæ ex diffidentia prouenit.

*Considerate coruos, quia non semināt neq; metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, & Deus pascit illos. Quanto magis vos plures estis illis?*

Argumentum est à generali prouidentia Dei, qui non contentus nos à se creatos, nisi etiam nos conseruet. Hanc autem prouidentiam quoniam ergà minutas bestias videmus, nullo pacto negare possumus. Sensus apertus est, nimirum ille: Deus coruos pascit: quomodo igitur posset vos negligere. vos enim longè nobiliores estis & coruis & aliis creaturis. Et De⁹ propter hominem coruos creauit, nō propter coruos homines. Apud Matthæū simpliciter legimus: Respice volatilia cæli. Hic autem coruos nominat, quorum frequens est in sacris literis mētio. Ferunt autem naturalium exploratores, coruos adhuc implumes à matribus porro negligi, eò quòd albi sunt, & à matre degenerari videantur. Si iam his coruis Deus adeò benignè prospicit, vt eos vel rore, vt quidam putant, vel enatis in nido vermiculis pascat, quanto magis nos, quos tanto pretio redemit, alitur⁹ est. De hac coruorum pastura alibi loquitur Iob. xxxviij. Quis præparat coruo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum vagientes, eo quòd non habeant cibos? Et Psalmo cxlvi. Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorū inuocātibus eum, &c. Ergo si ad nihil aliud etiam valerent corui, certè ad hoc valent, cuius rei gratia adducti sunt iam in exemplum. Sic à Salomone in vituperationem pigri hominis adducitur opera laboriosæ formicæ. Imò nullū est animal brutum, quantumuis vile, quod non aliquam cōmoditatem homini adferre possit, siue intelligamus, siue minus. Hinc apud D. Augustinum legimus, quòd & illa animalia quæ nos pungunt & diuexant etiam, instituta & creata sunt in bonum hominis. Sic enim loquitur ille Tractat. i. in Euangelium Ioannis. Propter superbiam instituit Deus istam creaturam minimam & abiectissimam, vt ipsa nos torqueret: vt cùm superbus fuerit homo, & se iactauerit aduersus Deum: & cùm sit mortalis, mortalē terruerit: & cùm homo sit, proximum hominem non agnouerit, cùm se erexerit, pulicibus subdatur. Quid est, quod te inflas humana superbia? Homo tibi dixit conuitium, intumuisti, & iratus es: pulicibus resiste, vt dormias. Cognosce qui sis (nam vt noueritis fratres) propter superbiam nostram domandam creata sunt ista, quæ nobis molesta sunt. Docendi gratia hæc adiiciemus. Si populum Pharaonis superbū potuit Deus domare de vrsis, de leonibus, de serpentibus: cur muscas & ranas illis immisit? Profectò ideo factum est, vt rebus vilissimis superbia domaretur. Et hactenus quidem ex sententia D. Augustini, verbis parcè mutatis. Possem & alia brutorū animantiū exēpla adducere, sed ex productis poteris & alia iudicare. Sequitur in Luca nostro.

*Quis autem vestrum cogitando potest adiicere ad staturam suam cubitum vnum? Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de cæteris solliciti estis?*

Aliud argumentum adducit Christus, nimirum ab inutili, vel potius ab impossibili, sciens nimirum, quàm altè radices egerit impia illa cura ventris. Quomodo enim credibile est, eũ posse prorogare vitæ periodum, qui nec staturam corporis alterare potest? Multi certè amant fieri corpulentiores, & identidem macrescunt: alii rursus macrescere cupiẽtes, pinguescũt, qua re declaratur nõ esse in potestate nostra nosmetipsos immutare. Ergo, cùm ea quæ quasi nullius momenti sunt cura nostra promouere nõ possumus, quid est igitur, quòd sic pro curando vẽtre plus æquo anxii sumus? Corripiuntur aũt hic quos dispositionis corporis sui pœniret, quiq; non agunt gratias creatori suo pro creatione, sed potius secũ iniquè factũ clamitant, quod nõ ex oĩbus Absolones vel Sampsones fecerit, &c.

*Considerate lilia, quomodo crescunt, non laborant neq; nent: dico autem vobis, quia nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur, sicut vnũ ex istis. Si autem fœnum quod hodie in agro est, & cras in clybanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei?*

Quæ ad victum pertinent, præmissa disputatione absoluta sunt: iã anxiã curam de vestitu pulchris argumentis amolitur. Si lilia hæc sic vestit Deus, vt neq; Salomon in omnibus deliciis suis possit sic vestiri, quomodo vnum ex istis, idq; cũ nulla necessitas sit pulchritudinis liliorum, quãto magis vos qui tam digna creatura estis, vestiet? præsertim cùm necessitas corporis indumentum postulet. Quomodo non prouideret homini, qui prouidet his, quos hominis gratia condidit? Quod autem addit de modica & pusilla fide, arguit hanc nostram de victu & vestitu sollicitudinem non aliunde nasci, nisi ex diffidentia erga patrem & potentiss. & liberaliss. & prouidẽtissimum.

*Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis, & nolite in sublime tolli, hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Pater autem vester scit quoniam his omnibus indigetis. Veruntamen quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.*

Ex præmissis facilè intelligimus, quis sit horum verborum sensus. Exẽplo diuitis declaratum est, quàm stulta & impia fuerit diuitis illius sollicitudo. Addita sunt exempla, quàm vigilãs sit creaturarũ suarum prouisor Deus. Hæc ergo si rectè considerantur, non erimus plus iusto pro alimentis nostris solliciti. Sic enim angi cura victus, non filiorum Dei, sed Gentilium est, qui putant aut deos penitus non esse, aut etiã si sint, ipsos humana non curare. Addit Deum non ignorare, qua re nobis opus sit. Iam si Deus est, potest nobis auxiliari: si pater noster est, non potest filios suos defraudare, &c. Proinde quæramus regnum Dei, & iustitiam eius, primam curam saginandæ animæ nostræ impendamus, Deiq; nostri monitis obtẽperemus, & illa omnia quæ sustentationi nostræ conueniunt, adiicientur nobis. Lucas hic habet quod in Matthæo non legimus, scilicet: Et nolite in sublime tolli, quod & variè & piè exponi potest. Quidam sic exponunt, vt sit sensus: Nolite in sublime tolli, Quasi vos ex vobis, curis vestris & laboribus, habeatis victum & amictum, & non potius ex diuina prouidentia. Et huic adstipulatur, quod Paulus Timotheo scribit, vt præcipiat diuitibus, ne velint sublime sapere, &c. Alii exponũt, Nolite in sublime extolli, hoc est, Nolite supini pendere ab astris, obseruãtes oĩa tempestatũ præsagia, pallescẽtes quoties astra minitãtur annonæ penuriã. Theophylact9 inqt: In sublime tolli, prorsus nihil aliud dicit, q̃ distractionẽ & mẽtis instabilẽ versionẽ, nũc hoc, nũc illud cogitãtis, & semp sublimius quiddã secũ imaginãtis, &c.

Quæ-

Quartam expositionem adijciam, vt intelligamus hoc loci à Christo prohibitam omnem illam ambitionem, qua nobis blandiri velimus, quòd habeamus tam magnum prouisorē, cùm potius deplorare deberemus nostram imbecillitatem, quæ sustentationibus huiusmodi opus habet. In hanc sententiam videtur Augustinus intellexisse, cùm ait: Tale est hoc, ac si se vulneratus quis iactet, quia habeat multa emplastra in domo, cùm hoc illi bonum esset, vt vulnera non haberet, nec vno quidem emplastro indigeret.

*Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.*

Nihil refert, siue hæc Domini verba vel ad vnum Apostolorum chorum, vel ad omnem Christianum populum referas. Euangelium siquidem multis in locis arguit electorum paucitatem. Pauci ingrediũtur, inquit, angustam viam, & arctam portã. Et Multi sunt vocati, pauci verò electi. Hunc ergo pusillum gregem alloquitur, inquiens: Noli timere grex quantumuis pusille, quantumuis coram mũdo cõtempte (nam mundus eos pro infanis habet, qui magna non ambiũt, qui ingẽti animo non suspirant ad summa) Noli e, inquã, timere, sed fidite potius vestro patri cælesti, huic enim complacuit vobis dare regnum. Quod autem ei semel placuit, non potest non semper placere, & ratum esse. Et qui dabit & communicabit regnum suum, non denegabit quæ minora sunt, in quibus numerantur quæ ad sustentationem corporum faciunt. Sic etiã alibi dicit: Dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnũ, vt edatis & bibatis mecum super mensam meam, in regno meo, &c.

*Vendite que possideris, & date eleemosynam. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis, quo fur non appropiat, neq; tinea corrũpit, Vbi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.*

Duo discipulorum genera habet Christus. Vnum egenum, & omnibus huius mũdi præsidiis destitutũ, alterũ verò satis diues & locuples. Vtrunq; ergo sui officii admonet: illos vt in summa inopia constituti, non diffidant de Dei patris bonitate, neq; despondeant animos, sed primùm quærãt regnum Dei, & iustitiam eius, reliquum Deo committant, vt qui cælestia nobis pollicitus est, etiam quantum nõbis opus est, de terrenis prouideat. Diuites porrò admonet, vt nihil fidant præsentibus opibus, quasi iis deperditis, ipsi enutriri non possint, sed potius sua pauperibus communicent, vt thesaurizent sibi thesaurum non deficientem in cælis. Addit autem Dominus duas rationes, cur meritò non magnifacere debeamus huius mundi fluxas diuitias: alteram, quòd diuitiæ multos habeant insidiatores, vt aut nunquam, aut rarò seruari & custodiri satis queãt. Insidiantur enim diuitiis fures, tineæ, & rubigo, hoc est, tam alienos, quàm domesticos habent hostes. Licet enim sic includas bona tua, vt neq; fures, neque tineæ appropinquare possint: attamen non potes ærugini omnem prohibere accessum, &c. Altera causa est, quòd non solùm cura nostra inanis est, sed etiam multum nocua & incommoda. Hæc enim cura nos remoratur à cura animæ nostræ, sic vt non possimus satis custodire temporalia, & interim amittimus æterna: hoc enim haud dubiè significare voluit Christus, dicendo: Vbi thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit, &c. Et hæc videtur mihi simplicissima huius loci expositio. Neque enim sic intelligenda sunt hæc, quasi piaculum sit hominẽ Christianum possidere propria, aliàs talis expositio præiudicaret & aliis scripturæ locis, & piorum hominum exemplis. Diuitiæ enim per se malæ non sunt,

sunt, sed potius vt ille ait: Redemptio animæ viri, diuitiæ suæ, &c. qua de re suo loco fusius.

*Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: & vos similes hoībus expectantibus Dominum suū, quando reuertatur à nuptijs, vt cùm venerit et pulsauerit, cōfestim aperiāt ei.*

Quæ iam sequuntur interpretanda, cum superioribus bonam consequentiam habent: quoniam enim Dominus admonuerat, omnem inanem sollicitudinem rerū temporalium reiiciendam esse: continenter docet pietatis operibus potius incumbendum, & vt Pauli verbis vtamur, nō sperare in incerto diuitiarum, sed diuites fieri in bonis operibus, hocq; ideo, quia in oēs horas expectamus Dominum, certò scientes hunc venturum, sed ignorantes qua hora adfuturus sit. Hæc quoniam simplicissima sit huius loci expositio, non opus est vt in singulis partibus huius parabolæ discutiēdis plurimum sudemus. Diuus ille Gregorius satis piè & doctè hanc Euangelii partem explicat, inquiens: Lumbos præcingimus, cùm carnis luxuriam per cōtinentiam coarctamus. Lucernas verò ardentes in manibus tenemus, cùm per bona opera proximis nostris huiusexempla monstramus. De quibus profecto operibus Dñs dicit: Sic luceat lux vestra corā hoībus, vt videāt opera vestra bona, & glorificent patrē vestrū q in cælis est. Theophylactus ferè in eum sensum interpretatur, vt lumbi præcincti nobis declarēt promptū & expeditū animū ad Deo seruiendū. Lucernæ aūt ardentes, verbū Dei, quod nos docet, quæ & quomodo facienda, iuxta id quod Dauid dicit: Lucerna pedibus meis verbū tuū, & lumen semitis meis. Ex verbo itaq; Dei discamus quæ oporteat nos facere, eaq; expeditè exequamur, expectātes Dñm nostrū, quādo reuertatur à nuptiis, vt nōvereamur ei cōfestim aperire, hoc est, cū hora vitæ nostræ præstituta aduenerit, nō grauatim moriamur, sed potius cū piis leuātes capita nostra, sciētes quia appropinquat redemptio nostra. Expectamus enim, vt Paulus ait, beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei.

*Beati serui illi, quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes. Amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiēs ministrabit illis.*

Etiā aliis in locis hac vtitur similitudine, qua declarare vult, quanta amicitia & beneuolētia Dñs dignaturus sit suos discipulos. Sic ēm alibi discipulis suis loquitur: Vos estis qui permāsistis mecum in tentationibus meis: & ego dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi pater, vt edatis & bibatis mecum in regno meo sup mēsam meā. Quod non sic intelligendum est, quasi in futura vita aliqs vsus sit futur⁹ corporaliū alimentorū: sed potius significare voluit Dñs, quòd arctissima familiaritate sibi adiūcturus sit discipulos. Nos siquidē eos nostra mēsa dignamur, quos nobis familiaris. esse putamus. Sic & in præsentis euāgelii textu intelligēdum est, quòd sicut aliqs paterfamilias fidelibus suis famulis se beneuolū ac familiarē reddit, ita & Dñs satis liberalis futurus sit fideliū retributor. Quæ porrò maior potest esse familiaritas, imò & humilitas patris familias, q̄ si se ministrum exhibet famulis suis? Hinc alibi Dñs ad discipulos suos ait: Quis maior est, qui ministrat, an q recūbit? Nonne q recūbit? Ego aūt in medio vestrū sū, sicut q ministrat. Sed satis superq; hanc similitudinē tractauimus. D. Gregori⁹ nō ineptè hoc loci philosophatur, inquiens: Venit quippe Dñs, cùm ad iudiciū properat: pulsat verò, cùm iā per ægritudinis molestiā, esse morte vicinam designat: Cui cōfestim aperimus, si hunc cū amore suscipimus. Aperire ēm iudici pulsanti nō vult, qui exire de corpore trepidat, & eū quē contēpsisse se meminit, videre iudicē formidat, &c.

finem vitæ nostræ, quàm certò scire. Impii enim & malitiosi hanc certitudinem sibi raperent in occasionem malitiæ & crudelitatis, certò scientes se à nemine ante præstitutum diem posse interfici. Piis porrò certitudo illa de qua disputamus, causa foret minoris meriti. Si enim Paulus præscius non moriturum se, pericula contempsisset, quid magni momenti fecisset? Et si Abrahæ certò constitisset filium Isaac non posse mori illo die, non haberet vnde maximè gloriaretur. Adiiciam adhuc vnam causam. Si homines certò scirent suæ vitæ finem, quomodo putas, staret præsentis mundi status? Qui scirent breuitatē vitæ suæ, quæcunque humana sunt, aut perderent, aut porrò negligerent. Et si auari prolixos & longos annos vitæ suæ nossent, quanta putas auaritia ad se raperent aliena? quum suæ mortis ignari & dubii sic corradunt vndique diuitias, quasi sint perpetuò hic victuri. Sed iam diu nos reuocat Lucas ad intermissum ordinē.

*Ait autem ei Petrus: Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes? Dixit autem Dominus: Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram? Beatus ille seruus, quem cùm venerit Dominus, inuenerit ita facientem: verè dico vobis, quoniam supra omnia quæ possidet, constituet illum.*

Diuus ille Apostolorum vertex Petrus, nusquam non est sui similis, sed semper ardens Christi discipulus, diligens auditor Domini, & confratrum suorum curam gerens. Cùm igitur hoc loci Dominum audit tam diligenter disserere de officio fidelium seruorum, putat suarum partium esse interrogare, ad quem peculiariter hæc dicta sunt; num ad solos Apostolos, an ne etiam ad omnes in vniuersum. Sunt enim aliqua præcepta quæ ad omnes Christianos pertinent. Sunt deinde quæ ad priuatas personas pertinent: & breuiter præceptorum Dei magna varietas est, sicut diligens verbi diuini indagator facilè intelligere poterit: qua de re nos alibi nonnihil diximus. Petrus igitur, sicut cœperamus dicere, sciens diuersa esse Christi præcepta, nec omnibus omnia conuenire compertum habens, rogat Dominum, dicens: Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes? Nouerat enim D. Petrus Dominum subinde propria quædam ipsis commendasse. Dominus verò non manifestè ad interrogationem respondet, sed occulto quodam modo indicat, quòd dicta parabola cōmunis sit, & ad omnes quidem pertineat fideles, in primis verò ad Apostolos, & eos qui vel doctrina, vel dignitate præsunt. Nam qui priuatus est, necesse habet vt vel animam suam corpore suo nō negligat. Qui verò altis præpositus est, multo maiori vigilia opus habet, ne & se, & sibi commissos perdat. Oportet itaque vt talis verè sit fidelis & prudens dispensator, vt quæ dispensanda sunt, & fideliter & prudenter dispenset: alterum enim sine altero consistere minimè potest. Sic alibi vult Christus Apostolos esse simplices, sicut columbæ sunt, & prudentes sicut serpentes. Nam sicut in dispensationibus terrenarum substantiarum, si quis fidelis fuerit Domino suo, non autem prudens, & dispensat res Domini sui, nesciens illa dispensare sicut conuenit, & dat quando non oportet, damnum facit domino malus. Iterum si prudens quis fuerit, & expendat, infidelisque sit, is tanto intolerabilior, quanto prudentior: huius exemplū habem[9] in villico iniquitatis, qui faciebat sibi amicos de māmona iniqtatis. Sic & in rebus diuinis opus est & fidelitate & prudētia. fidelitate, vt fiāt quæ faciēda sunt: prudētia, vt fiāt quādo faciēda sunt. Vult eīm

pater familiàs, vt seruus & œconomus suus, familiæ dent demensum cibum, hoc est, quæ illi debentur: & vt det in tempore, id quod dispensatoris est. Talis dispensator fuit Paulus, cùm nunc istos lacte, alios verò solido cibaret cibo, & quoniam nouerat, quantum referat, qualis dispensator Ecclesiæ sit, non aliũ voluit eligi episcopũ, quàm eum, qui rectè posit secare verbum veritatis. Non autem rectè secat, qui in deprædicando verbo Dei, non habet rationem loci, temporis, & personatũ, qua de re etiam aliis in locis disputatũ est. Admonere potest etiam hæc similitudo, quid in rebus tum publicis, tũ priuatis deceat & patremfamiliàs, & famulos: vt scilicet famuli fideliter dominis inseruiant ac famulentur. Domini autem famulos suos fideles bene tractent, & digna mercede sese gratos declarent. Sequitur.

*Quòd si dixerit seruus ille in corde suo: Moram facit dominus meus venire, & cœperit percutere seruos & ancillas, & edere & bibere, & inebriari: veniet dominus serui illius, in die qua nõ sperat, & hora qua nescit, & diuidet eum, partemq; eius cum infidelibus ponet.*

Exẽplo fidelis & frugi serui, adiũgit Dñs exemplũ serui nequam & infidelis, vtrunq; suis coloribus sic depingẽs, vt non tantùm indicet vtriusq; facta & studia, sed etiã huius pœnã, illius autẽ, sicut accepimus, mercedem. Et væ, iterumq; væ talibus seruis, qui donum spiritualis præsidentiæ acceperunt, & dispensationẽ sibi cõmissam infideliter gerũt, & bibũt ac inebriãtur. Iã si lubet, singula Dñi verba excutiamus. Quòd si dixerit seruus ille in corde suo, &c. Oĩa cũ magno põdere dicuntur. Seruus est, de quo loquimur, non dñs: & seruus ille quẽ constituit dñs super familiã suum. Adde, in corde suo dicit, hoc est, prudẽs ac sciens, non coactus, sed volens: nõ per risum, sed in corde di cit: Morã faciet Dñs venire. Quid hæc cogitas, ô serue? Num vt tanto maiori studio officiũ tuũ facias? Aut quis tibi dixit, dñm facturũ morã, aduentumq; suum in longos annos protrahere? Si itaq; scis Dñm morã facturũ, dignũ est vt absentis vicem fidelis seruus geras. Sed nihil tale, inquit Christus, facit malus seruus: imò incipit percutere seruos & ancillas, & edere & bibere, & inebriari. Proh pestiferum seruum. In se luxum, in alios tyrannidem agit. Quos alere oportebat, percutit: & qui ipse parcè ac temperanter viuere debebat, quo aptior esset functioni suæ, sese inebriat. Prohibeat Dominus Iesus Christus tales non pastores, sed lupos ab ecclesia sua, qui luxu semetipsos, tyrannide autem alios perdere non dubitant. Satis superq; fuerat tantùm in seipsum tyrannum esse, nedum in alios quos subleuari oportebat. Percussio autem familiæ multis modis fit, ne quis putet eos pastores excusatos, qui manu non feriunt sibi cõmissos. Maior plaga est, percuti anima, quàm percuti corpore. Percutiuntur ergo miseri, cùm vel mala doctrina seducuntur, vel bona doctrina, ea tamen intempestiua non ædificantur: vel impia superiorum vita offenduntur. Sed hæc notiora sunt, quàm vt aliqua exemplorum demonstratione opus sit. Audiuimus malitiam infidelis serui à Domino depictam: iam ordo iubet, illius audire pœnam. Veniet Dominus serui illius, inquit Christus, in die qua non sperat, & hora quã nescit, & dissecabit eũ, & ponet partem eius cum infidelibus. Dixerat seruus: moram faciet dñs meus: sed dominus venit præter opinionẽ serui, & punit eum grauiter, ponitq; partem eius cum infidelibus, hoc est, eorũ facit pœnarũ participẽ, quorum scelera imitatus fuerat. Ex his discimus, nòn minimam esse causam impietatis nostræ, quod inopinatũ Dñi aduentum non cogitamus, & semper nobis

nobis pollicemur longos annos, Memorare, inquit ille, nouissima tua, & in æternum non peccabis.

*Ille autem seruus qui cognouit volun tatem domini, & nō præparauit, nec fecit secundum volūtatem eius, vapulabit multis. Qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.*

Magnificum quid est, si quis à Domino constituitur quasi œconomus & dispensator totius familiæ, cuique communicauit Dominus arcana consilii sui, sed ob hoc nemo debet insolentior esse, sed potius solicitior. Onus suscipit potius & verius, qui curam animarū suscipit, quàm honorem. Ait ergo Dominus: Seruus ille quem Dominus præ cæteris habuit eximium, quiq; cognouit volūtatem dñi sui, &c. Seruus, inquit, est, nō Dominus, sicut alibi Paulus dicit: Non dominamur fidei vestræ. Et iterum: Sic nos existimet homo, vt ministros Christi. Et rursum: Legatione fungimur pro Christo. Talis ergó seruus qui cognouit voluntatem Domini sui. Cognoscere autem ipsam potest ex Dñi mandatis, quæ satis indicant quid velit Dominus eius, quid fidelem Domini seruum agere oporteat, Qui ergo nouit quid facere oporteat, & non facit, impunè nō faciet, sed vapulabit plagis multis. Si enim officiū suū facere noluit, cur hoc munus subire animum induxit? Quæ Theophylactus super hoc negotio habet, certè digna sunt vt audiantur, At sunt, inquit, qui quærant. Esto bene. Puniatur is qui scit voluntatem Domini, & non facit: qui autē nescit, quare punitur? Eo quòd potuisset etiā ipse discere, & noluit, sed piger fuit: ipse in causa fuit, quo minus didicerit, quapropter puniendus est, quòd non spōte didicit. Hactenus ille. & quidē satis piè. Tantùm enim abest, vt hac ignorantia sint excusabiles, vt etiam dupli ci nomine puniendi sint, tùm quod officium facere noluerunt, tùm etiam quòd quid se facere oporteat, audire contempserunt. Quis enim pater filiū nolentem ipsius mandata audire, excusatum habebit? Primum igitur est, vt mandata Domini nostri discere studeamus, proximum, vt illa fideliter impleamus. Et hactenus quidem potissimū de illis diximus, qui Christiano censentur nomine, quibusq; nulla deest occasio ad exquirenda Domini mādata. Quod verò ad Iudæos & Ethnicos attinet, paucis expedire possumus, non ignorantes, quòd Scriptura infidelibus nunc cognitionem mandatorum Dei tribuit, nunc rursum adimit, omnia autem suo modo & suo loco. Psalm. xiij. legimus: Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Et D. Paulus: Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus. Alibi autem dicit illos legem scriptam habere in suis ipsorum cordibus. Duplicem igitur ponamus notitiam mandatorum Dei, alteram generalem, quam quia omnibus mortalibus, qui sunt corporis & animi viribus integri, Deus irradiat, naturalis dici solet. Hæc tanta quidem est, vt omnem excusationē nobis adimat, & nos apud nosipsos impietatis conuincat. Altera verò plena est & solida, fideq; fulta. Et hæc peculiare sancti spiritus donū est. Et hæc cognitio fideles ab infidelibus discernit, nec à carne & sanguine nobis contingere potest, sed à patre cœlesti, quemadmodum Petro dictum est: Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Et apud Ioannē Dñs dicit: Nemo nouit filium, nisi pater: & patrem, nisi filius, & cui voluerit fili⁹ reuelare. Sed hæc altiora sunt, q̄ vt instituto nostro seruiāt. Hoc enī loci disputatur de cognitiōe mādatorū Dei, quæ sic oīb⁹ cōtigit, vt oēs præuaricatores sint inexcusabiles. De Iudæis qdē dicitur quòd Dñs ipsis iudicia sua manifestarit, crediraq; sint illis ipsis Dei eloqa. At de Gētilib⁹ sic disputat Paulus: Gentes quæ

legem(scriptam intellige)non habent, ipsi sibi sunt lex, cùm legem in suis ipsorum cordibus scriptam habeant. Et addit Paulus: Qui sine lege peccauerunt, sine lege peribunt, &c. Quòd porrò ad eos pertinet tam infantes quàm adultos infideles, quibus Christus non annunciatur, quique sine baptismi sacramento hinc abeunt, non temerè quicquam vel rogandum, vel asserendum est, nisi quãtum ex scripturarum certa intelligentia euinci poterit. Certò nobis persuadeamus, nemini fieri à Deo iniuriam. Iustus Dominus in omnibus viis suis, ait Propheta, & sanctus in omnibus operibus suis. Et Dominus ipse: Nolo mortẽ peccatoris. Apostoli dictum, si placet, superioribus adijciã: Omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionẽ veritatis peruenire. Hæc aperta scripturæ testimonia arguunt Dei erga nos misericordiam & iustitiam, & admonent, ne mortem nostrã Deo, sed potius nostræ malitiæ adscribamus. Adiiciam & hoc, quod nemo potest conqueri, sibi immeritò denegatam cognitionem mandatorum Dei, quum nemo sit qui non plura cognoscat in illis, quàm perficiat. Et in perquirendis mandatis Dei sumus talpis cæciores: in non necessariis & perniciosis etiam, volumus esse lyncei. Vtinam animaduerteremus ad sentẽtiam Pauli, quam in Thessalonicen. posteriori epistola habet. Eò, inquit, quòd charitatẽ veritatis non receperunt, vt salui fierẽt, ideò mittet illis Deus operationẽ erroris, vt credãt mẽdacio, &c. cap.ij. Sed videamus quæ sequuntur.

*Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.*

Qui hanc Domini sententiam ex animo perpenderit, non facilè conqueretur, se minus aliis à Deo accepisse. Quid habes quod non accepisti? ait Apostolus. Qui ergo multa accepisti, multa habes de quibus rationem cogeris dare, id quod in sequentibus capitibus aliquot parabolis declarabitur: vt in parabola de villico iniquitatis, de expositis talentis, &c. Et ad hæc si peruentum fuerit, copiosius negotiũ hoc expediemus. Certè crede mihi, tutius est auditorem, quàm doctorem esse. Et minus periculi est in parendo, quàm in præcipiẽdo. An non audis hic Dñm, hoc est, veritatem ipsam dicentẽ, quòd cui multum datum est, multum quæretur ab eo. Certè consentaneum est, vt cui parũ datum est, parum etiam ab eo requiratur. At siue parũ, siue multũ acceperis, de omnibus reddenda est ratio. Proin nõ te putes tanto miseriorẽ, quãto in inferiori loco constitutus es: olim enim, in extremo die iudicij scilicet, non pœnitebit supremum locum hic in præsenti non ascendisse. Bonum est, ait quidam, in præsenti regum more viuere, sed longè præstat mendicorum more extremum diem obire. Sed suffecerint hæc pro præsenti loco.

*Ignem veni mittere in terrã, & quid volo, nisi vt accẽdatur? Baptismo autem habeo baptizari, & quomodo coartor, vsque dum perficiatur?*

Non fuerit necesse in oĩbus Euangelistarum scriptis ordinem & rerum cõsequentiam multis laboribus quærere: cõstat enim illos non semper obseruasse tempora & ordinem, tam in gestis, quàm in dictis Domini, id quod probatu nõ fuerit difficile. At nõ fuerit hic magni laboris ostẽdere, q̃ hæc Dñi verba cõsequentiã ad præmissa habeãt. Quid enĩ aliud voluit Dñs præmissis verbis declarare, q̃ quo studio velit deprædicari verbũ Dei, quũ quærit dispensatorem & fidelem & prudentẽ: & cùm depingit pœnã quæ cessantẽ maneat. Rectè ergo iam sequitur, quàm sedulò, quanto studio ipsemet hoc negotium perficere velit. Neq; enim ineptè hoc loci, ignis appellatione verbum

bum Dei, significari arbitrabimur. In Psalmis legimus, ignitum eloquium tuum vehementer? Et Hiere. v. dicit Dominus prophetæ: Ecce ego do verba mea in ore tuo in ignem. Et cap. xxiij. Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram? Sic ergo hoc loci ignis appellatione intelligimus verbum Dei, Euangelium ipsum, quod Christus ex animo optat euulgari, vt credentes salui fiant. At Christo nondum passo nõ potuit ignis ille vim suam exerere, quoniam Apostolis suis dixerat: in viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis. Passo autẽ Christo, in omnem terram exiuit sonus prædicationis Apostolicæ, quum ipsis dictũ esset: Euntes in mundũ vniuersum, & prædicate, &c. tum demum ignis hic verbi Dei rectè accensus est, sic vt peccatorum scoriam deuorare, & fideliũ corda ad amorem Dei accendere & inflammare potuerit, id quod & apparentes illæ igneæ linguæ in die Pentecostes significarunt. Ignis itaq; & baptismus quorum hic Christus meminit, bonã ad inuicem cõsequentiam habet: quoniam ignis, ceu diximus, verbum Dei significat: Baptismi verò nomine, passio Christi significatur. Sic enim alibi Christus Zebedæis dicebat: Potestis bibere calicem quẽ ego bibiturus sum, & baptismo baptizari, quo ego baptizabor? &c. Ergo Christus qui volebat verbum Euangelij depredicari in vniuersum orbem, etiam volebat passionem suam accelerari, qua peracta Euãgelium cum fructu prædicari potuit. Iam igitur obseruandum quanto ardore sitierit Christus salutẽ nostram, cui non est satis visum dixisse: Volo vt Euangelium meum adnuncietur vniuerso terrarum orbi, & ob id mortem obire paratus sum: sed sub verborum inuolucro, voluit subindicare quàm sitierit salutem nostram. Audi obsecro quàm plena spiritus sint Christi verba: Quos habent affectus? quam vim? Ignem, inquit, veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur, hoc est, nihil sic me vrget, nihil maius in votis habeo, quàm vt Euangelium suũ cursum habeat. Et, baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor vsq; dum perficiatur: Hoc est, scio quod mortis genus me maneat, Ich vveist vvas mir die Iuden fur ein bade vbergehenckt handt, sed tantum abest vt me ab instituto meo deterreant, vt etiã interim mihi omnis mora longa sit, donec quod instat perficiatur. Iam hic locus admonet Ministros verbi, quãto ardore ac studio debeant incumbere officio suo, cuius rei exemplum, quod imitentur in Christo habent.

*Putatis quia venerim pacem mittere in terram? Non dico vobis, sed separationem. Erunt enim ex hoc quinq; in domo vna diuisi, tres in duo, & duo in tres diuidentur, pater in filium, & filius in patrem suum, mater in filiam, & filia in matrem, socrus in nurum suam, & nurus in socrum suam.*

Ex hoc loco quidam sumpserunt occasionem, vt supra dicti ignis nomine, non Euangelium ipsum, sed dissidium quod ex occasione Euãgelii exoriturum erat intelligerent: & his Domini verbis, volunt quod ignis imagine dictũ est, expressius explicari. Hæc licet absurda non sint, tamen nos præmissam nostram interpretationẽ continuabimus: Sensus est & verborum consequentia. Ignem veni mittere in terram, &c. Veni Euãngelium regni Dei inuulgare mundo, & per meipsum & per vos Apostolos: sed non potest ad plenum enunciari, nisi etiam baptismus meus, hoc est passio mea, impleatur, ex qua Euangelii prædicationi omnis authoritas & virtus prouenire debet. Iam passione mea completa, & igne Euangelij plenius coruscante &

ardente, non statim erunt omnia pacata, proinde nolite putare quod venerim pacem mittere in terram. Certè, mei Apostoli, si perrexeritis mundo adnunciare Euangelium, habebit auditores & discipulos, sed non omnes obedient Euangelio. Contingет enim vt propter Euangelii doctrinam pater insurgat in filium, quum scilicet hic Euangelium amplectitur, ille verò persequitur, & eodem nomine, insurget mater in filiam, socrus in nurum, & econuerso. Iam quum nec pater filio, nec mater filiæ, nec socrus nurui parcet, quia obtemperant vestro Euangelio, haud difficile est cõiectare, qualis procella persecutionis vos maneat. Ego, vult dicere Christus, non potui Euangelium adnunciare, nisi in magna persecutione: & vos manet baptismus vester, quem vos subire necesse est, si modo vultis promouere ignis Euangelici cursum. Si me persecuti sunt, ait alibi, & vos persequentur, &c.

Cap.12.

*Dicebat autem ad turbas: Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis, nymbus venit, & ita fit: & cum austrum flantem, dicitis, quia æstus erit, & ita fit. Hypocritæ, faciem cæli & terræ nostis probare, hoc autem tempus, quomodo non probatis? Quid autem & à vobis ipsis non iudicatis quod iustum est.*

Conabimur & hunc Domini sermonem superioribus cõnectere. Omnis disputatio hactenus per aliquot periodos fuit de euulgando verbo Euãgelii, quod quàm fideliter quàmque prudenter euulgandum, & in orbem terrarum proferendum sit, Christus & suo & suorum discipulorum exemplo commonstrauit. Post adiecit quid pronunciato Euangelio futurum sit, nimirum magnum in mundo hoc dissidium, sic vt inter sanguine coniunctissimos, maximum futurum sit odium: qua de re iam iam diximus. At mundus dissidium hoc non suæ improbitati, sed potius Euangelii præconibus adscribet, quasi eius sint pietatis, vt agnitæ veritati nequaquam sint reluctaturi homines, si modò certò constaret hoc quod Christus & Apostoli moliuntur pium esse. At hæc iã respondet, præoccupatione quadam, Christus, Iudæos in rebus nihili satis curiosos esse, sed in rebus ad pietatem pertinentibus planè stupidos. Ex cæli motionibus iudicare possunt, quid crastina dies paritura sit, & raro suis coniecturis falluntur: at verbum Dei minus fallere potest, quàm ventorum cursus. Igitur si Iudæi animum aduertissent ad scripturæ archana, sicut animaduerterunt ad res lõgè leuioris momenti, non difficilè inuenissent, quid de Christo huiusque discipulis sentiendum foret. Hinc Dominus alibi dicit: Si Moysi crederetis, crederetis & mihi: de me enim ille scripsit: Si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis? Ioan. iiij. Et ibidẽ. Scrutamini scripturas: quia vos putatis in ipsis vitam æternã habere. Et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me: & non vultis venire ad me vt vitam habeatis, &c. Hactenus Christus, qui certè omnia iuxta condictum & præscriptum Prophetarum egit, qua in re merito à Iudæis agnosci debebat. Iuxta prophetiam Esaiæ ex virgine natus, iuxta Micheam in Bethleem, iuxta Iacob post ablatum à Iudæa sceptrũ, iuxta Oseam in Nazareth educatus est: iuxta Hieremiam piscatores misit, iuxta Baruch in terris, & cum hominibus conuersatus est, &c. Ad hæc putamus Christum tendisse, quando dixit Iudæis, cum videritis nubẽ, &c. Quod autem addit: Quid autem & à vobis ipsis non iudicatis quod iustũ est? Videtur significare omnia sic esse aperta, quæ egit & fecit iuxta prophetarum oracula, ceu diximus, vt etiam à nullo admoniti hoc ipsum intelligere potuerint. Hinc apud Ioannem legimus: De turba

Christi aduẽtus iuxta Prophetarum oracula

Cap.12.

turba autem multi crediderũt in eum, & dicebant: Christus cum venerit nũquid plura signa faciet quàm quæ hic facit? Ioan. vij. Quòd porrò Hypocritas vocat, arguit omnia ab illis & fucatè & dolosè fieri, vt qui nullam aliã ob causam ignorantiam prætendunt, nisi vt impietati suæ prætextum aliquem habeant, quales bestias hoc nostro seculo complures inuenire licebit. Complures enim audimus conquerentes se nescire qua vel eant, vel redeant, in tanta Ecclesiastarum turbatione, quum interim manifestissimis ijsdemque pessimis sceleribus operam dant. Quod huic loco addam non habeo.

*Cum autem vadis cum aduersario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo: ne forte trahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem. Dico tibi, non exies inde, donec etiam nouissimum minutum reddas.*

Si hæc ad præmissa retuleris, hic erit sensus: Dixi, inquit Christus, quale dissidium futurũ sit, percurrente Euãgelica prædicatione in toto terrarum orbe, etiam inter affines & sanguine coniunctissimos, quod non fieret, si animaduerterent ad Prophetarũ oracula tanto studio, quanto studio animaduertunt ad ea quæ nullius sunt momenti. Iam autem quoniam dissidium & odium intercessit, proximum est vt sopiatur, vicissimq; ineant bonam concordiam, qui male fuerunt discordes. Nisi enim tu aduersario recõciliatus fueris, impune nõ feceris, quoniam traheris ad Iudicem: Iudex tradet te exactori, exactor verò te in carcerem mittet, vnde nõ exibis, donec etiã nouissimum minutum reddideris. Breuiter hac parabolica locutione Christus voluit adhortari ad studium concordiæ & fraternæ dilectionis, à quo Pharisæorum & Scribarum turba erat alienis. Diuus Augustinus aduersarij nomine intelligit sacram scripturam, quæ nunquam non obstrepit affectibus nostris mundanis, ea scilicet prohibens quibus maximè delectamur, & ea præcipiens à quibus maximè abhorremus. Aduersarius noster vult vt oremus, ieiunemus, eleemosynis operam demus, de omnibus bene mereri studeamus: at nobis præ oratione, blasphemia, præ ieiunio crapula, præ eleemosynis rapina arridet: & malumus fraudem facere quàm pati, &c. Ex his videre licebit quàm nobis aduersetur scriptura, & nos illi: proinde necesse est sic agamus vt quod de nobis cõqueratur nihil habeat: Hoc autem si fit, præceptis illius humiliter obtemperabimus. Alii aduersarii nomine Diabolum intelligunt, à quo liberamur, si ita instituerimus vitam nostram, vt nihil in nobis quod suũ est inuenire possit, sicut Christus dicit. Venit princeps mundi huius & in me nõ habet quicq;. Nam ille præcipuus noster aduersarius est, vt Ambrosius ait, qui serit illecebras delictorum, vt habeant in supplitio participes, quos habuit in errore consortes: atq; ideo socios quærit ad culpam, vt obnoxios prodat ad pœnam. Quod iam iam ex Augustino adduximus, etiam placuit Ambrosio, sicut ex huius commentariis videre licebit. Nos ad finem huius capitis properauimus.

## CAPVT XIII.

*Aderant autem quidam ipso tempore nunciantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificijs eorum.*

Quoniam sacræ literæ huius crudelis. historiæ non meminerunt, cogimur veterum opiniones super hac re producere. Certè Theophylactus non contemnendus author, sic hanc describit historiam, vt videatur eius exactã habuisse

habuisse cognitionem. Eius verba sic habent. Iudas Galilæus, cuius & in Actis ipse noster Euangelista meminit, quum & ipse aliquantum doctus esset in lege, docuit etiã alios Galilæos suo dogmati adhærere. Docebat autem non ferendum vllum hominem omnino dominũ dici, neque honoris vel modestiæ gratia, & ne regem quidem ipsum. Vnde & multi ipsorum grauiter feriebantur, qui & docebant Sacrificia à Moyse cõstituta non offerenda, eo quòd pro Cæsare & Romanorum gente fierent sacrificia. Verisimile igitur, inquit Theophy. Pilatum ob hæc indignantem, iussisse occidi Galilæos illos, super sacrificia quæ ab eis prohibebantur fieri pro Romanorũ gente, & ita commisceri sanguinem eorum sanguini sacrificiorum. Vtcunq; hæc se habeãt, apparet Pilatũ hic aliqua grauissima causa motũ, cur sic desæuiret in Galilæos: & ex Historiis constat quãtis seditionibus Iudæi semper conati fuerint iugũ Romanorũ excutere, vnde & in grauiss. sæpe venerũt discrimina. Quũ igitur Christus sic cum auditoribus suis de condonãda mutua offensa dissereret, adueniunt quidã nunciantes, q̃ sæuierit Pilatus in Galilæos illos, vt scilicet sanguinẽ Galilæorum hominũ misceret cũ sanguine pecudũ, quas nimirũ illi offerẽdas secũ ferebãt. Quare porrò nunciarint hanc tragœdiã Lucas nõ expressit. Fortè volebãt à Christo audire quid ipsi super hac re videretur. Nõ enim erat dubium quin inter partes nõ cõuenirет, dũ hic Galilæos, ille verò Pilatum defenderet. Sic alibi sunt quibus videtur censum pẽdendum Cæsari, & sunt qui diuersum putãt. Ita & hoc loci, fortè quibusdã videbatur Pilatus grauiter deliquisse, q̃d tenaces paternarũ traditionũ, & osores Idololatrarũ interfecisset. Alij aũt putabãt illos iustissimè passos, vtpote seditiosos, & irritãtes Pilatũ in odiũ Iudæorũ. Quid porrò ad hæc Saluatore

*Et respondẽs dixit illis: Putatis quòd hij Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint? Nõ dico vobis: Sed nisi pœnitẽtiã habueritis, oẽs similiter peribitis.*

Ex hac Domini respõsione apparet nuncios illos in ea opinione fuisse, quod Galilæi illi iustè & merito in discrimen illud corporis & vitæ peruenerint, eo quòd tã impia contra magistratus attentauerint. Christus autem non negat illos peccasse (Magistratui enim reluctari pro adipiscenda carnali libertate grauissimũ peccatum est) sed docet etiã illos nũcios peccatores esse, eosq; nisi resipuerint pœnã nõ effugituros. Neq; eni est nisi vnicũ seditionis crimẽ, neq; qui seditiosus nõ est, ideo nõ est peccator. Multa sunt scelerũ genera, multæ species, & qui hoc scelere nõ tenetur, fortè alio & maiore etiã tenetur. Proindenõ est quod vobis de innocẽtia vestra plurimũ placeatis, quũ & vos ipsi magnis sceleribꝰ dediti sitis. Immo nisi pœnitẽtiã egeritis, oẽs similiter peribitis. Galilæos illos gladiꝰ Pilati ꝑdidit, at vos si in peccatis vestris perstiteritis, nequaq̃ Dei effugietis iudiciũ.

*Sicut illi decẽ & octo supra quos cecidit turris in Siloe, & occidit eos putatis quia & ipsi debitores fuerunt, præter omnes homines habitantes in Hierusalem? Non, dico vobis, sed si non pœnitẽtiam habueritis, oẽs similiter persbitis.*

Varium & inperscrutabile est Dei Iudicium, tam in pios quàm in impios, hoc quod homines meritò à temerario iudicio prohibere debebat. Ecce Galilæi, de quibus iam diximus, peccauerant, & à Pilato puniti sunt. Decem & octo illi vtique peccauerunt, sed licet à Magistratu non fuerint correpti, tamen pœnam non effugerunt: turri in Siloa illos opprimente. Rursus peccatores sunt multi, qui in hoc quidem seculo neque ab hominibus, neque à Deo puniuntur.

Sic

Sic ergo licebit in hoc mundo inueni-re viros probos qui cum Abrahamo fœlicitatibus huius mundi egregiè fruuntur: & rursum viros probos qui cũ iusto Iob miserè affliguntur. Totidẽ possumus dicere de turba impiorum quorum pars in delitiis, altera verò pars in summa egestate & inopia viuunt, imò pereunt. In tanta ergo diuersitate quis certò potest iudicare de quoquam? Tutissimũ igitur est, vt relictis aliis, in sinum nostrum inspiciamus, vt qui non de aliorum sed de nostris factis vel infectis Deo rationem reddere cogemur. Si Galilæos & Hierosolymitanos illos meritò puniri putamus, vt quid etiam non de nobismetipsis decernimus? Prædicamus nõ mœchandum, non furandum: interim nos & mœchamur & furamur, &c. Cæterùm vsus horum duorum exemplorum est, vt corde doleamus de damno & interitu proximi: non gloriemur in illius damno atque interitu: discamus item ex proximi damno & interitu, nos idem damnum & eundẽ interitũ nostris peccatis meruisse. Certè beatus est ille quem aliena pericula cautum reddunt.

*Dicebat autem & hanc similitudinem: Arborem fici habebat quidã plantatam in vinea sua, & venit quærens fructum in illa, & non inuenit. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio. Succide illam, vt quid etiam terram occupat? At ille respondens dixit illi: Domine, dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora. Et siquidem fecerit fructum: sin autem in futurum succides eam.*

Quoniam Christus non pœnitentibus comminatus est pœnam, inquiens: Nisi pœnitentiam egeritis omnes simul peribitis: possent Iudæi dicere: Si igitur nos nõ minus peccatores sumus, atque illi Galilæi & Hierosolymitani, qui fit quod Deus nobis sic indulget, & non potius meritas de nobis sumit pœnas? Hijs ergo respondet hanc indulgentiam prouenire, non ex ipsorum meritis, sed ex Dei benignitate, & longanimitate, adeoque etiam ex piorum intercessionibus. Est igitur, sicut & Theophylactus exponit, Iudæorum generatio, folia tantùm amara faciens, & nullum fructum bonum proferens. Pater familias Christus est qui venit & quæsiuit fructũ fidei bonorumque operum in ea, ac non inuenit. Tribus autem annis venit, per Moysen, per Prophetas, & per seipsum: & quia nec post triennium fructificauerunt, ablatum est ab eis regnum, ablata est vinea, & alienis colonis commissa. Et hæc quidem ita se habent, sed non minus piè hæc Domini parabola ad vniuersum genus hominũ adaptari potest: Humanum siquidem genus non raro arboribus assimilatur. Ioannes baptista inquiebat: Omnis arbor quæ non facit fructum bonum exciditur, & in ignẽ mittetur. Et Christus ait: Aut facite arborem bonam & fructum eius bonum. Et alibi, maledictione arefacit arborem non habẽtem fructum. Ficus igitur illa hominem designat quem Dominus patienter expectat per triennium, hoc est in pueritia, in adolescentia, & in senecta, vt ferat fructum pietatis. Quod si detrectauerit fructificare, Paterfamilias pater cælestis iracundia mouetur, ægre fert sterilitatem nostram: & nisi subinde cultor vineæ intercederet, statim hæc ficulnea excideretur. Cultoris nomine hic intelligimus, quotquot pro nostra salute intercedũt, siue illi fuerint apud superos, siue apud nos in hac lachrymarum valle. In Genesi intercedit Abraham pro Sodomis. In Exodo & sequentibus non raro nec frigidè intercedit Moyses pro populo illo difficillimo,

Exo.17.
Exo.32.

cillimo, obiiciens Deo promissiones suas, & perfidarum Gentium scandala. Orat Hieremias pro populo, & audit: Noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, neque obsistas mihi, quia non exaudiam te. Et apud eundem prophetam reliquiæ Iuda orationem Hieremiæ ad Dominum postulant. Sic in nouo testamento Paulus pro fratribus suis Iudæis intercedit, adiiciens stercora, & fodiens circa illos, hoc est, ad humilitatem, ad pœnitentiam, ad suiipsorum cognitionem eos adducere satagens. Sic itē non est dubium, quin multi pii pastores ex animo, pro populi salute ad Dominū intercedant. Totidem denique etiā nobis pollicemur de fratribus nostris, qui iam in cœlis cū capite nostro Iesu Christo regnant: nam & illos pro commembris suis sollicitos esse nihil dubitamus. Hæc igitur cùm ita se habeant, necessum est, vt qui hactenus fuimus steriles ficulneæ, iam tandem nos humiliemus, in nosmetipsos descendamus, fructumque pietatis tandem feramus, ne sic steriles permanētes excidamur, & in ignem mittamur. Fructificemus, inquam, & hoc in vinea Domini, hoc est, in Ecclesia catholica, vt possimus cū propheta dicere: Ego tāquam oliua fructifera in domo Domini, &c. Nam quid contemptores lōganimitatis Dei maneat, ex Paulo obscurum non est. Summa enim huius similitudinis est, Deum patientem & lōganimem esse erga peccatores, nec statim eos punire, sed propter preces Christi & sanctorum differre iudiciū, & concedere pœnitendi tempus. Sic Genesis sexto sub Noe concessit Deus filiis hominum peccatoribus cxx. annos. Sic Ionæ iij. Niniuitis xl. dies. Sic Iudæis Christi interfectoribus xl. annos. Docet nos etiam præsens similitudo, ne de quoquā facile desperemus, sed vtamur ea longanimitate erga confratres, qua Deus erga nos vtitur.

*Erat autem docens in synagoga eorū sabbatis. Et ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis octodecim, & erat inclinata, nec omninò poterat sursum respicere. Quam cùm videret Iesus, vocauit eam ad se, & ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. Et imposuit illi manus, & confestim erecta est, & glorificabat Deum.*

Quoniam Iudæorum populus erat quasi sterilis & infœcunda ficulnea, Christus quasi vigilans & indefessus colonus nunquam cessat ab illius cultura, sed ingreditur synagogas illorum, vbi multi solebant conuenire, & docet in eis, admonet illos vt tandem resipiscant, vt bonos fructus proferāt. Porrò ne solo verbo videatur docere Christus, mira Dei dispositione offert se occasio, qua declaret Christus, quos fructus, qualia poma, quæ opera præcipuè postulet, nimirum opera misericordiæ, opera dilectionis, &c. opera, inquam, qualia ipse in synagoga iam operatur, dum scilicet miserrimæ mulieri opitulatur. Verè enim misera fuit, quæ decem & octo annis laborauerat, sic vt nec sursum respicere potuerit, & morbo non naturali, sed à Satana inflicto, sicut post audiemus. Egregiè autē describit nobis Lucas Christi misericordiam & philantropiam, quòd simul atque viderit mulierem, statim eam ad se vocauerit, manu attrectauerit, allocutus fuerit, ex integro sanauerit, quæ omnia nobis exemplo sint, ne nos difficiles exhibeamus in promouendis proximorum nostrorum commodis. Notatu etiam dignum est, quòd mulier illa sanata confestim glorificare cœperit Deum, hoc est, ei pro acceptis beneficiis gratias agere. Veteres per hanc mulierē intelligunt effigiari hominem terrenis deditum, & ad cœlestia nunquam respicientem, quem solus Christus erigere potest, ipsum vocans voce gratiæ & misericordiæ suæ. Existimant

item

item in hac muliere designatam Ecclesiam gentiũ, quæ à Dæmonibus subiugata, postea audiuit Christum, & relicto impurissimo dæmonum cultu, cœpit meditari cælestia, & cognitum glorificare Deum, &c.

*Respondens autem Archisynagogus, indignans quia Sabbato curasset Iesus, dicebat turbæ: Sex dies sunt in quibus oportet operari: in his ergo venite & curamini, & non in die Sabbati.*

Hic se prodit ficulnea putris & infœcunda, quæ folia quidem ostentat, sed nec vllos habet fructus: Hoc est homo in speciem quidem bonus, sed re vera subdolus & impius hypocrita. Et ex hoc Archisynagogo conijcimus quales fuerint alij Iudæorum magistri. Hic enim videt quàm benignè Christus miseræ mulierculæ subuenerit, & cum illius sanitati gratulari deberet, etiam indignatur contra Saluatorem & contra satanam. Porrò ne videatur hæc præter causam facere, Sabbatum allegat, quasi Christus hunc violauerit, quum in ipso operari nemo debeat. Sed quid operis interdictum est Sabbatis? aut quid operatus est Christus, vnde meritò indignationem Archisynagogi incurrit? Videt mulierem: nunquid in hoc peccatum est? Quur igitur & illi non ambulant clausis oculis in Synagogis in Sabbato. Sed allocutus est mulierem. Quin hoc liceat Christo, eum Archisynagogo non est religio vniuersum alloqui populum? Sed si non licet in Sabbatis os mouere, labiis vti, quid igitur non abstinent Iudæi à poculis & à pateris? Quod si in hoc peccauit Iesus, quod manum imposuit mulieri: nec in hac causa superiores sunt Iudæi, quos non est dubium in totum à tactu non abstinere. Sed præstat audire responsum Christi.

*Respondens autem ad illum Dominus dicit: Hypocritæ, vnusquisque vestrum sabbato non soluit bouem suum aut asinum à præsepio, & ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahæ quam alligauit Satanas, ecce xviij. annis, non oportuit solui à vinculo isto die Sabbati? Et cum hæc diceret, erubescebant omnes aduersarij eius, & omnis populus gaudebat in vniuersis quæ gloriosè fiebant ab eo.*

Certè plus laboris insumendum est in soluendis iumentis, quàm Christus insumpserat in curando hanc mulierem: Et facilè testatum faciunt hypocritæ illi, quo zelo indignẽtur Christo, aperiunt item quòd maioris faciant salutem iumentorum, quàm hominum. Simili responso non semel repercussit Christus illorum superstitiosam impietatem, & impiam superstitionem. Neque peccatum est soluere asinum vel bouem, aut hijs subuenire in Sabbatis, quum Dominus in institutione sabbati etiam illorum profectum quæsiuit, hoc quod verba legis abundè testantur. Si ergo licet bestiis subuenire in Sabbatis, quid prohibebit minori negotio subuenire homini. Cæterùm quod hic Dominus ait, filiam hanc Abrahæ à Satana fuisse ligatam, aperitur quid voluerit supra intelligi de spiritu infirmitatis, nimirum mulierem à Satana, Deo permittente, hoc morbi genere correptã, occulto quidem Dei iudicio, sed non iniusto, qua de re D. August. con. Aduersa. legis & Prophetarum lib. ij. cap. xij. Quòd verò filiam Abrahæ nominat, ostendit Iudæam fuisse non gentilem, vnde meritò de illius salute gratulari debuerant Iudæi. Reliqua huius historiæ aperta sunt.

*Dicebat ergo, cui est simile regnũ Dei, et cui simile æstimabo illud? Simile est grano*

*synapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, & creuit, & factum est in arborem magnam, & volucres cæli requieuerunt in ramis eius.*

Non est dubiũ quin Archisynagogus ille sola inuidia ductus, hunc tumultũ quẽ iã iã audiuimus excitarit, volẽs populo suadere Christũ nõ esse à Deo, vt qui sabbatum solueret: at Iesus sua responsione sic retudit impias calumnias illius, vt omnes ipsius aduersarij pudefierent, alii autem gauderent & Christo victoriam gratularentur. Ergo quanto maiori studio illi conabãtur Christi gloriã obscurare, tãto maiori splendore illa emergebat, & indies accrescebat numerus discipulorũ Christi: Ne autem quis putaret hoc sic inopinatum & præter Christi opinionem fieri, hac parabola voluit indicare, non ideo Euangelium esse contemnendum, quòd paucos iam haberet discipulos, sed omnia fieri suo loco & ordine. Cui est simile regnum Dei, & cui simile æstimabo illud? Dubitatiuè loquitur, vt auditores excitet ad diligentem auditionem. Cui simile est regnum Dei, Euangelii prædicatio, immo Christianismus ipse? Multis quidem rebus assimilari potest, vult dicere, & cui iam simile dicam? Quam similitudinem præsenti loco & tempori accommodam in medium protulerim? Simile est grano synapis, quod licet paruum & minutum sit, tamen si bonum habuerit cultorem indies succrescit, & grandescit in arborem, ita vt volucres in illius ramis nidulari possint. Sic & Euangelij prædicatio, prima facie quidem videtur contemptibilis, & nullius momenti, sic sese hominibus exhibet, quasi à nemine vnq̃ acceptanda, sectanda atque defendenda sit: at si bonos habuerit dispensatores, nõ ita multo post ad mira culũ vsq; sese extendet, ita vt à solis ortu, vsque ad occasum laudabile sit futurum nomen Domini. Hæc meo quidem iudicio simplicissima est huius parabolæ explicatio.

*Et iterum dixit: Cui simile æstimabo regnum Dei? Simile est fermento quod acceptum mulier abscõdit in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum.*

Hæc similitudo cũ proxima videtur eandem habere intelligentiã: Fermentum enim quantumuis modicum sit, tamen totam conspersionem corrumpit. Hinc nõ statim cõtẽnendũ est, quod specie paruum est: nec vidẽdũ quam speciem quælibet res habeat, sed quam vim habeat, quidue operetur. Margarita licet modica sit, tamen præciosior est multis grandibus saxis. Sic Euangelij prædicatio Iudæis quidem scandalum videtur & gentibus stultitia, nihilominus virtus est Dei ad salutem omni credenti. Sic Christus ipse in infirmitate hominis visus est, sed quæ & quanta operatus fuerit totus mundus clamat. Apostoli itẽ idiotæ, miseri piscatores, quid intentatum reliquerunt, immo quid non perfecerunt? Rectè ergo ille, inquit: Non esse contemnenda quasi parua, sine quibus magna constare non possunt. Apostoli prohibiti sunt in Hierusalem prædicare Christum, at in omnem terram exiuit sonus eorũ, & in fines terræ verba eorum. Et hæc quidem ita se habent. Porrò nihil refert, immo ni planè fallor, aliquid prodest, si nonnihil præmissis adiecerimus. Verbum Dei fermento modico cõparatur, illud enim licet modicũ sit, tamẽ si cõmodè ab homine abscõderetur, non posset non vim suam exerere. Hoc ita se habere nouerat, qui in Psalmis canit: In corde meo abscondi eloquia tua Domine, vt non peccem tibi. Hoc ita sese habere nouerat Maria castissima virgo, Christi saluatoris nostri dignissima mater, de qua Lucas noster scribit: Maria conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.

Hoc

Hoc fermentum prudens mulier Magdalena cupiens, sedebat ad pedes Domini, & audiebat verbum ipsius. Tu igitur hoc fermentum ne contemnas quasi modicum; si enim ritè absconderis, maximum inde emolumentum consequeris. Absconde autem in tria sata, in intelligentiam tuam, in memoriam tuam, in voluntatem tuam, vt scilicet rectè intelligas quàm suauis sit Dominus, vt eius nunquam obliuiscaris, vtque voluntatem illius volens & lubens perficias. Nec malè abscondit verbum Dei, qui hoc ipsum commiscet in tria illa sata, in tres illos modios, de quibus Apostolus inquit: Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc, &c. Sed hæc suffecerint.

*Et ibat per ciuitates & castella docens, & iter faciens in Hierusalem.*

Absolutis illis parabolis Christus re ipsa probat se imitari mulierem illam, & fermentum illud modicum se velle egregiè abscondere, hoc est, se velle verbum Dei deprædicare populo, vt sic verbum Euangelii propagetur, cum tempore, per vniuersam terram. Ibat ergo per ciuitates & castella, non animi gratia, non turpis lucri gratia, sed docens, sed corripiens, sed consolans populum, vt qui sciret quæ se manerent Hierosolymis, quo & proficiscebatur vt granum illud synapis, siue granum tritici, in terra mortificatum, tandem multiplicaretur. Sed videamus quæ sequuntur.

*Ait autem illi quidam: Domine, an pauci sunt qui saluantur. Ipse autē dixit ad illos: Contendite intrare per angustam portam, quia multi (dico vobis) quærent intrare & non poterunt.*

Quoniam in superioribus sublimia quædam docuerat Dominus, de vendendis facultatibus, de viuendo ex tempore, coruorum & liliorum ritu, de non contendendo cum aduersario, quidam adiens eum dixit: Domine, an pauci sunt qui saluantur. Videbatur enim Christus homini illi paradoxa loqui, quum proponeret præcepta, quæ videbantur satis grauia, & nihilominus loqueretur de multiplicādis ramis granuli illius synapis. Porrò quoniam nihil refert nostra, siue multi, siue pauci salutem sint consequuturi, nihil respondit Dominus homini illi. Displicet enim Domino stulta illa hominum curiositas, qua volunt multis rogare de rebus quæ ad se non pertinent. Sic alibi cum Dominus Petro diceret: Petre, sequere me; & hic: Domine, hic autem quid? Rogabat enim quod mortis genus maneret Ioannem. Respondet Christus: Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me sequere: hoc est, Tu quod ad te pertinet cura, nec est vt superuacaneam habeas curam de Ioanne. Sic & hoc loci, non respondet expressè ad interrogata hominis illius, sed potius admonet totam turbam vt ipsi curent esse de saluandorum numero, siue numerus ille paruus futurus sit, siue magnus. Contēdite, inquit, hoc est, certate & laborate, & acriter adnitimini, per angustam portam intrare. Causam reddit Dominus apud Matthæū: Quia lata porta & spaciosa via est quæ ducit ad perditionē, & multi sunt qui intrāt per eā. Quā angusta porta & arcta via est quæ ducit ad vitā; & pauci sunt qui inueniunt eam. Et hæc quidē apud Matthæū: hic autem addit, Quia multi (dico vobis) quærent intrare & nō poterūt, videlicet occluso tā aditu. Obseruandū autem hoc loci quod non ait: Intrate, sed contendite, quod ideo dixit, vt sciamus quia oscitantes, negligentes, & somnolenti illi ventres, non possunt intrare. Sed aditus hic eos solum admittit, qui sunt ab omnibus huius mundi cupiditatibus, & à vana seculari um rerum cura liberi, hijs enim fit

spaciosa est porta, vtcunq; angusta sit, qui pauperes pauperem & nudum sequuntur Christum. Vis eius contentionis & improbi conatus vllū habere exemplum? Vide quanto studio curat Zachæus, quàm gestiat, quantúq; festinet, & ne aliquo impediatur impedimento, dimidium bonorum suorū dat pauperibus, & eis quibus fraudem fecerat, reddit quadruplum. Sic Petrus, sic Andræas, sic Ioannes, sic etiā Iacobus tam festini sunt, vt relictis nauigio & rete & parente sequantur Christū. Huc etiā pertinet quod supra de præcinctis lumbis & accēsis faculis audiuimus. Sed ad contextū historiæ.

*Cum autem intrauerit paterfamilias & clauserit ostium, & incipietis foris stare, & pulsare ostium, dicentes: Domine aperi nobis: Et respondens, dicet vobis: Nescio vos vnde sitis. Tunc incipietis dicere: Manducauimus coram te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti. Et dicet vobis: Nescio vos vnde sitis discedite à me omnes operarij iniquitatis.*

Eius generis multas parabolas in aliis Euangeliorū locis inuenire licebit; vt illa de decem virginibus, de fure nocturno, de nuptiis & nuptiali veste, de separatione ouium ab hœdis, &c. quæ omnes ferè eandem habent interpretationē, quam Dominus sic effert: Vigilate quia qua hora non putatis filius hominis venit. Et dū dies est, operamini, ne tenebræ vos comprehendant, venit enim nox quādo nemo operari poterit. Hic laborandū in vinea Domini; si quis sub noctem velit mercedem recipere: In hac vita seminandū est, quod in illa metere volueris: Hic oleū emendū est, si à spōso sub mediā noctē nolumus excludi, &c. Cæterùm hæc parabola propriè Iudæos percellit, qui oblatū Euangeliū recipere noluerunt, quod ipsos serius quàm velint olim pœnitebit. Clamabūt quidem olim, hoc est, desiderabunt cū piis ingredi regnum Dei, sed audient horrendam vocē ab eo, cuius oculis omnia nūda & aperta sunt: Nescio vos vnde sitis. Nam qui in præsenti nolunt audire vocem mandantis, olim etiam nō exaudientur à remunerante. Nec quicq̄ proderit Iudæis, quod legem acceperūt, quòd ad ipsos promissiones factæ sunt, quòd ex Abrahæ semine prognati sunt, quòd Christum viderunt miracula operantē; quòd eundē audierunt prædicantem: sed potius ad cumulum perditionis illorum adiicietur, quòd tā preciosis Dei donis, tam pessimè abusi sunt. Sic & nobis Christianis non sufficerit ad salutem, quòd corā Christo manducauimus & bibimus, quodq; in plateis nostris docuerit: hoc est, non nos liberabit à gehenna, quòd Christiani vocamur in hac vita, quòd à Christo & spiritualiter & corporaliter cibamur, quòd Euangelium Dei audimus: sed si nomini nostro respondebimus, si bonis Dei donis non malè abutimur, si Euangelium Dei factis exprimimus, tum agnoscet nos Dominus, nec audiemus illud horrendū: Discedite à me omnes operarij iniquitatis. Sed illud: Venite benedicti patris mei, &c. nam quo operarii iniquitatis discessuri sint, statim exponit Christus, inquiens.

*Ibi erit fletus & stridor dentium, cū videritis Abraham, & Isaac, & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. Et venient ab oriente & occidente, & aquilone, & austro, & accumbēt in regno Dei: Et ecce sunt nouissimi qui erunt primi, & sunt primi, qui erunt nouissimi.*

Profectò plurimū facit ad cumulum infelicitatis, & auget dolorem, si quis viderit alios frui illa fœlicitate à qua ipse eiectus est, hoc quod vel Satanas ipse testabatur in Paradiso, & hactenus testatur se nobis inuidere eam gloriam, à qua ipse suo merito expulsus est.

sus est. Et Diues ille epulo tanto magis torquebatur quanto maiori felicitate videbat Lazarum frui. Et impij illi in libro Sapientiae, videntes electos Dei in magna gloria, turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatae salutis, intra se poenitentiam agentes, & prae angustia spiritus gementes, dicentes intra se: Hij sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: Ecce quomodo cōputati sunt inter filios Dei, &c. Haec autem omnia augent Iudaeis dolorem, quòd ipsi sese iactauerint filios Abrahae, peculium Dei, gentem sanctam, Sacerdotium regale: & tamen longè proijciuntur & repelluntur à regno, in quo patres ipsi recumbent. Gentium autem populus, qui sine lege, sine testamento, & sine Deo fuit, visitur in regno Dei cum Abraham, Isaac & Iacob: Sed haec, quoniam omnium Apostolorum literis decantatissima sunt, iam finiemus. Potest & hic locus terrori esse illis, qui in hoc mundo videntur sibimetipsis primi & sanctiores esse. Hij enim proculdubio in aliam classem à Domino reijcientur.

Sap. 5.

*In ipsa die accesserunt quidam Pharisaeorum dicētes illi: Exi hinc, quia Herodes vult te occidere.*

Non potest dici quàm aegrè tulerint Iudaei, si quando praeferrentur ipsis gentes, & diceretur illis quòd frustra gloriarentur de Abrahae semine, &c. Statim ab initio Euangelij hanc ipsam impiam persuasionem, qua putabant se ob genus Abrahae omnibus gentibus praeferendos, Ioannes illis exprobrat dicens: Ne velitis intra vos dicere, Patrem habemus Abraham, &c. Et in Euangelio Ioannis magna est de praerogatiua huius generis, inter Christum & Iudaeos digladiatio: Semen Abrahae sumus, inquiunt. At Christus: Scio, inquit, quia filij Abrahae estis, sed quaeritis me interficere, &c. Si filii Abrahae estis, opera Abrahae facite. Et Diuus Apostolus Paulus in Romanis & alijs epistolis hāc quaestionem tractat copiose. In actis item Apostolicis magna est disceptatio de priuilegio Iudaismi: & erant qui Gentes iudicarent totius salutis expertes. Cùm igitur hoc loci apertis verbis, Iudaeorum repulsam, & gentium adsumptionem notasset, non poterant Pharisaei hanc discertationem aequo animo ferre, nec audebant tamen aperto marte illum inuadere: simulantes igitur se bene velle Iesu, accedunt, alloquuntur, vt sic iniecto ipsi metu obturarent os Euangelicū. Exi, & vade hinc, quia Herodes vult te occidere, quasi dicāt: Bone Iesu cōsule vitae tuae, & relinque Galilaeam, nam Herodes huius prouinciae Rex tibi malè vult, & venatur occasionem qua te perdat, quod ni caueris, nihilo mitius tractabit te, quàm tractauit Ioannem. Dij boni, vnde tanta inter Iesum & Pharisaeos amicitia? Hic habes egregium dolosorum hominum exemplum, cautus in hoc meminisse debes, non vt simili dolo fratri tuo fraudem facias, sed vt tibi à talibus cauere possis, sciasque quod hominum genus referant, qui loquuntur pacem cū proximo suo, mala autem in cordibus ipsorum.

Ioan. 8.

*Et ait illis: Ite & dicite vulpi illi. Ecce eijcio daemonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertio die consumor. Veruntamen oportet me hodie, & cras, & sequenti die ambulare, quia non capit Prophetam perire extra Hierusalem.*

Non potest timere Herodē qui etiā Daemonibus praeualet.

Sicut D. Paulus Neronem ob crudelitatem & tyrānidem leonem vocat, ita & Christus hoc in loco Herodem ob calliditatem vocat vulpem. Caeterùm hanc responsionem ideo dedit Dominus, vt declararet sibi nihil esse periculi ab aliquo homine, nisi vellet ipse:

ipse: nec se moriturum, nisi eo tẽpore quo decretum esset, nec alio genere mortis, nec alio loco, quàm constitutum esset à patre. Ait ergo: Ite & dicite vulpi illi, qui versutia humana credit se aliquid posse aduersus consilium Dei. Ecce non est humanum quod gero: nec licet desinere ante tempus à Deo præscriptum. Nihil iuris habet Herodes in hoc negotio: quẽadmodũ enim illius authoritas nemini potest præstare, vt hæc agat, ita neminẽ potest impedire, ne quod agit peragat. Cur autẽ vult impedire quod ago, si bona sunt quæ ago? Ego illius rẽpub. non interturbo, nullã seditionẽ excito, neminem ad illius cõtemptum vel neglectum adhortor, breuiter mihi nihil iuris quod ad illũ spectat arrogo. Sed eiicio dæmonia, & propello morbos, quæ duo illius subditis nõ possunt nõ vtilitatem maximã adferre. Et quis nõ mallet habere subditos & concities bene habentes, robustos, votique & rationis cõpotes, quàm debiles & lunaticos, &c? Sed nihil est quur Herodes mihi insidietur, quur me perdere quærat: Nolenti mihi nihil nocere poterit, ego autem non ita multo post me traditoribus meis volens offeram. Est ist vm ein tag zuen oder drie zuthun, &c. Porrò ne Pharisæi putarent se suis blãdis sermonibus Christo imposuisse, noluit Christus hic finire sermonem, sed addit: Oportet me hodie & cras & sequenti die ambulare, quia non capit Prophetam perire extra Hierusalem. Ac si diceret: O Pharisæi dolosi simulatores, non est amicitiæ quod nunciatis, sed aliud mens sentit, & aliud loquuntur labia. Qui potestis ex animo me admonere quo tutus sim ab Herode, quum ipsi sitis qui diu noctuque meam mortem meditamini? Sed neque Herodem timeo, neque vos fraudulentos & sanguinolentos Pharisæos. Nec fugiam Hierusalem, sicut nec Hærodem fugio: sed recta proficiscar Hierusalem, non vt Herodem effugiam, sed vt locum mortis meæ quæram. Neque enim conuenit, vt Propheta quisquam pereat extra Hierusalem. Huic Domini sermoni, D. Stephanus cõcinit dicens: dura ceruice & incircumcisi cordibus & auribus, vos semper spiritui sancto restitistis, sicut patres vestri, ita & vos. Quẽ Propheta rũ nõ sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos qui prænunciabãt de aduentu iusti, cuius nũc vos proditores & homicidæ fuistis. Docet præter cætera hic locus, Domini nostri Iesu voluntariam passionẽ & mortẽ, qui sciẽs locũ passionis vltro se illuc cõtulit, &c. Docet etiã vnicuique cõstitutũ quando & vbi pereat, quare securè oportebat Domini negotium à nobis diligenter expediri, quum sciamus etiam capillos capitis nostri numeratos esse, &c.

Act. 7.

*Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui mittuntur ad te. Quotiens volui congregare filios tuos, quemadmodum auis nidum suum sub pennis, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta: Dico autem vobis, quia non videbitis me, donec veniat cum dicetis: Benedictus qui venit in nomine Domini.*

Ergo venus est Deus trinus & unus, &c.

Vide obsecro Domini Iesu Christi benignitatẽ & misericordiã, qua nõ potuit cõprimere dolorẽ & magnũ affectum, quẽ gerebat ad Iudæorum populũ: Misericors enim Dominus qui pro sua pietate cupiebat oẽs homines saluos fieri, præuidẽs imminere insanabili ciuitati supremũ excidiũ, deplorat illam, nõ citra exprobrationẽ acceptorum beneficiorũ, arguendo illius ingratitudinem. Hierusalem Hierusalem, inquit, quæ superbè gloriaris de religione & probitate tua, quæ Prophetarum alios occidis, alios lapidas, & interim non vis accusari de impia crudelitate, & crudeli impietate tua. Quoties quæsiui salutem tuam, quoties

quoties te admonui, quoties te corripui, quoties iram patris mei à te prohibui, &c. neque secus te defendi, quàm aues plumis suis defendũt nidos suos, sed noluisti, renuisti, contradixisti. Ad te misi prophetas, ego ipse ad te veni, vt fieres egregia & bene ornata dom⁹, vt fieres vinea electa: sed quoniam omnis culturæ es impatiẽs, ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Non amplius eris princeps populorum, nõ amplius eris gens sancta, vel regale sacerdotium. Cæterùm vtcunq; iã mihi infensi sitis, vtcunque vitæ meæ insidiamini, non me abscondam à vobis, non effugiam. Sed non videbitis me, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini. Hæc videtur Christus dixisse, quòd noluerit hac vice Hierosolymam petere, sed non ita multò post, sciretq; se, quòd nolenti & repugnanti nihil possint nocere, imò siue velint, siue nolint, eos diuinitus cogi, vt priusquàm illum morti traderent, liberè confiterentur illum esse benedictum Domini, quod certè in palmarũ die factum est. Obseruandum hoc loci ne lætemur in interitu proximorum nostrorum, sed potius condoleamus miseriæ illorum, hoc quod non semel Christus nos suo exemplo admonuit, qua de re infra ad finem cap. xix. Obseruandum secundò, quàm ardenter sitiat Dominus salutẽ nostram, vt hoc persuaso, ipsi non desimus nobis metipsis. Et tantùm de hoc capite satis tumultuariè.

## CAPVT XIIII.

*FActum est, dum introisset Iesus in domum cuiusdam principis Pharisæorum Sabbato manducare panem, & ipsi obseruabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.*

Statim ab initio huius capitis videmus, quod in proximo diximus, Pharisæos videlicet non minus fuisse callidos & dolosos, atque Herodes ille quem Dominus vulpem vocarat. Licet enim Pharisæi ex animo odirent Iesum, tamen nonnunquam odiũ dissimulant, & officiosè Dominum inuitant, non quidem vt quid humanitatis illi exhiberent, sed vt nõnihil occasionis in eo deprehenderent, vnde illũ accusare possent. Sic etiam videmus verũ gallinæ affectum, in Christum, qui se in omnia vertit, multa dissimulat, tantùm ob hoc, vt Iudæos illos quantũuis odiosos lucrifaceret. Sed videamus & examinemus historiam. Factum est, inquit Lucas noster, cùm intrasset Iesus in domum cuiusdã principis Pharisæorum sabbato, &c. Nemo hic putet Christum se vltrò ingessisse in domum illius, hoc enim inciuilitatis esset, sed haud dubiè inuitatus ab illo intrauit, neq; enim rarò inuitatum esse Dominum à Pharisæis Euangelica testatur historia. Et dubium nõ est, quin omnia sic à Pharisæo illo disposita fuerint, vt possent illũ in nassam illicere. Huic respondent omnes circunstãtiæ, Quia scilicet princeps Pharisæorum, quia sabbatum, quia hydropicus præsens, quia obseruant, quia plures hospites, quia denique Christus ipse quæstionem mouet, sicut statim audiemus. Profectò nihil hic sine pondere ab Euãgelista conscriptum est. Princeps Pharisæorum eius est autoritatis, vt multos simpliciores post se relinquat, & siue quid affirmet, siue quid neget, non facilè illi obloquendũ est. Deinde sabbato, non alio die, inuitatur Iesus, nam sabbatum videbatur illis posse calumniandi occasionẽ præbere. Adde quòd hydropicus adest, quem vtique, nisi vt calumniæ seruiret, nõ admisisset Pharisæus: nam omninò videtur subornatus fuisse. Deinde obseruant eum, ne quid fortuitu factum fuisse putes: & plures sunt, vt contra Christũ, si quid piaculi fecerit, testificari posisint.

*Et respondēs Iesus, dixit ad Legisperitos: Si licet sabbato curare. At illi tacuerunt. Ipse verò apprehensum sanauit eū, ac dimisit.*

Quòd Lucas hic dicit Dominum respondisse, quum nulla quæstio præcesserit, ad hoc spectat, quòd dixerat Pharisæos fuisse obseruatores Dñi, ad cognitiones enim cordium illorum responderat. Hydropicus autem ille, qualitercunque huc venerit, non dubium est, quin cōcupierit conualescere, at non audebat sanitatem à Christo postulare, ne offēderet Pharisæos. Audiuimus enim in proximo capite Archisynagogum dicētem: Sex dies sunt, in quibus oportet laborare, &c. Iesus itaque perspectas habens impias Pharisæorum cogitationes, non statim sanat hydropicum, sicut supra mulierem curuam sanauit, sed mouet quæstionē, & rogat Pharisæos, num liceat sabbato curare. Quasi dicat: Scimus, boni Pharisæi, quæ nobis præcepta sunt à Deo per Moysen in decalogo, nimirū, vt proximum nostrum diligamus, eiq; ex animo benefaciamus. Præceptum item est, vt sabbati diem obseruemus. Iam offert se occasio, vt benefaciā misero, iuxta præceptum Domini, & offert se sabbati religio. Vtrum ergo negligendum? Si sanauero hydropicum, arguor violati sabbati. Si abstinebo à sanādo, arguor neglectæ charitatis. Interrogo ergo vos, num liceat sabbato curare, sic scilicet, vt nō violetur sabbatū? Quid ad hæc, ô bone Luca Pharisæi? At illi tacuerunt. Papę à tā doctis & illuminatis viris quis aliā expectasset responsionē? Si tacere respōdere est, profectò egregiè responsum est. Sed qd respōdissēt impii illi hypocritæ. In turba simpliciori magnas excitabant tragœdias (sicut pseudapostolorū perpetuus mos est) sed præsente Christo, vix audebant cōtra mutire. Sic erant cōclusi & cōfusi impii illi, vt nō auderēt respōdere. Si enim respōdissent, vtiq; licere sabbatis bñfacere, audissēt: Quid ergo me obseruatis? Cur mihi insidiamini? Cur me toties violati sabbati accusastis? Si aūt respondissent, Non licere, accepissent responsum, quale audiemus etiam nō respondētibus datū. Cæterū vt doceret Christus, quid liceret sabbatis, & ne illorū impietas præiudicaret hydropico, apprehensū eū sanauit ac dimisit. Neq; enim æquū est, vt ꝓpter impiorum calūnias à bñfaciēdo cessem⁹, & præstat impios offendere, q̄ miseros negligere.

*Et respōdens ad illos, dixit: Cuius vestrū asinus aut bos in puteū cadet, & non cōtinuò extrahet illum die sabbati? Et non poterant ad hæc respondere illi.*

Hanc quæstionem obiecit Christus, quotiescunque à Iudæis accusabatur violati sabbati: & tanta est, vt ne cōtra hiscere quidem ausint Iudæi. Si enim licet sabbatis benefacere asinis & bobus, cur non liceat etiam benefacere homini ad imaginem Dei creato? An non homo multum supra modum præstat pecore? Sed Pharisæi pro sua fraterna charitate pluris faciebant salutem bruti animalis, quàm hominis. Bone Deus, quàm multi nostro seculo sunt, qui proximè accedunt ad hanc pharisæorum humanitatem. Cæterùm hac obiectiuncula videtur Dominus non solùm arguere illorum auaritiam, qui plus curabant bestias & iumenta sua, quàm hominem, sed etiam alludere videtur ad institutionem sabbati, vbi non solùm exprimitur, quòd iumentorum causa institutum sit, sed etiam quòd hominum causa. sic enim legimus in Deuteronomio: Obserua diem sabbati, vt sanctifices eum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimus dies sabbati est, id est, requies Domini Dei tui. Non facies in eo quicquam operis, tu & filius tuus, & filia, seruus & ancilla, bos & asinus, & omne iumentum tuum, & pe-

Cap. 5

regri-

regrinus qui est intra portas tuas, vt requiescat seruus tuus, & ancilla tua, sicut & tu, &c. Hic audimus Dominũ & hominum & iumentorũ rationem habuisse. Si ergo iumentis in sabbato benefacere nulla religio prohibet, cur non liceat & homini benefacere. Rectè ergo credimus, quòd Pharisæi illi nihil ad obiectionem respondere potuerint. Quid enim responderent, qui scientes veritati obluctabantur? Neque enim poterãt negare quod obiiciebatur, nec poterant rationem reddere, cur potius opitulãdum esset bestiæ, quàm homini. Ergo tutius visum est illis tacere, q̃ cũ cõfusione respõdere. Et laudãdi quidẽ fuerant Iudæi, si religionem sabbati strictè obseruari voluissent, scimus enim quàm seriosè Dominus hunc diẽ sanctificandum præceperit. At quod iam Pharisæi faciunt, non religionis est, sed inuidiæ, aut saltem superstitionis. Audiuimus quòd Dominus voluerit sabbatum suum sacrosanctum esse, & in prophetis nusquam non clamat, conqueriturq; contra violatores sabbati. Iam his rebus quæ ad gloriam Dei faciunt, & ad commodum proximi, non potest violari sabbatum. Vult quidem Dominus, vt in sabbato nullum seruile opus fiat, nec patitur huius præcepti transgressionem inultã, sed præcipuum est, vt à malitia feriemur, quæ nos seruos diaboli facit. In Exodo sæpissimè admonentur Iudæi, vt sabbatum sanctificent, hoc enim à Domino benedictum esse, cap. xvi. nihil in eo operandum esse, imò ne coquendũ quidem esse præcipitur. Et xxxi. legitur, Sabbato laborans opere, peribit anima eius de populo. Item cum plueret Dominus manna de cælo, noluit vt quisquam aliquid septimo die colligeret, & qui contra Domini edictum exibant collectum, nihil inueniebant. In Numeris porrò, cùm quidam colligeret ligna in sabbato, & Moyses hæreret qua pœna plecteretur, consultus Dominus decernit illum præuaricatorem lapidandum, &c. Iam in Neemia grauissima concio est de ritè obseruando Sabbato, ratiocinaturq; Neemias violationem sabbati, causam esse omnis mali quod super Hierusalem venit: & amarulentissimè obiurgantur, qui legem sabbati transgressi fuerant. Post transmigrationem autem in Babiloniam, in posterioribus scilicet synagogæ seculis, is rigor auctus est, adeò vt quidam simpliciores Iudæi magis eligerent occidi, quàm in sabbato se suosq; defendere. At hoc non erat religionis, sed superstitionis, & non intelligentium Dei mandatũ: neq; enim violatur sabbatum, si quis iusto bello se suosq; defendit. Hinc pius Matathias decernit etiam sabbatis pugnandum esse Iudæis, pro aris, vt inquiunt, & focis. Huic superstitioni accessit, quòd piaculum credebatur, si spicas in sabbato velleres, si ægroto medereris. Cui stultitiæ obuiat Dominus in multis Euangelii locis. Breuiter Iudæi contra Christum agentes, volebant nihil operis citra discrimẽ in sabbato faciẽdum, cùm tamen ipsi non abstinerẽt ab omnibus operibus. Hinc Dominus apud Ioannem inquit: Vnum opus feci, & omnes miramini, Propterea Moyses dedit vobis circuncisionem, non quia ex Moyse est, sed ex patribus, & in sabbato circunciditis hominem. Si circuncisionem accipit homo in sabbato, vt non soluatur lex Moysi, mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato. Loquitur autem Dominus de paralytico qui xxxviij. annis ad piscinam decubuerat. Vult autem Dominus his verbis duo docere de sabbati religione, vnum quod legem interdum legi præferri liceat, nihil prohibente, quod eiusdem latoris sunt: alterum, quod Dominus non simpliciter omne opus in sabbato fieri prohibuerit. Certè sabbatum cedit circũcisioni, & nemo sine opere circuncidi potest.

Exo. 16. Exod. 31 Exo. 16. Num. 15 Cap. 13 1. Mac. 2 Ioan. 7 Ioan. 5 Obser.

Sic

Matt.12 Sic apud Matthæum etiam discipulos suos excusat exemplo Dauidis, qui panes propositionis comederat: & exemplo sacerdotũ, qui sabbatis oues mactant, quod citra operam fieri non potest. Hæc igitur sufficienter probant, longè aliam esse rationẽ sabbati, quàm Iudæorum primores hominibus persuadere voluerint. Sic sabbatum seruandum fuerat, vt otiaremur à malitia, & vacaremus operibus pietatis & charitatis, hoc qui non facit, frustra sibi de sabbati obseruatione placet. Certè ab opere manuali non ideò abstinemus, quòd per se peccatũ sit, sed quia nos à cultu Dei remoratur: & vult Dominus, vt statutis diebus ipsi soli vacemus. Hinc in festis diebus conuenimus ad verbum Dei audiendum, ad publicas preces, hoc quod etiam ab apostolis obseruatum legimus. Horum Act.13. & 17. siquidem tẽpore lecta lex est vna cum prophetis per synagogas in sabbatis, qui mos Apostolis non displicuit. Enimuerò noster feriandi mos, siue de dominicis, siue de aliis diebus loquare, non potest probari piis, nisi aliter instituamus vitam nostram. Nos ex diebus reconciliationis, facimus dies offensionis. vor soentag, sundtag. Et in diuorum festis, nõ diuos, sed diabolos imitamur. Sed hæc prolixius quàm volebam. Olim, si Deus dederit, in Decalogi explicatione negotium hoc pro merito tractabimus. Nos ex hac Dñi historia discamus sabbati dies non alia ratione magis piè coli, quàm operibus pietatis & charitatis, quæ duo Christus in sanatione huius hydropici fecit. Curando enim gloriam Dei patefecit, & proximo benefecit. Postremò, fugiamus hoc præposterum iudiciũ, quod in Pharisæis videmus, qui à culice abhorrẽtes, camelũ deglutire nõ dubitãt.

*Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos recubitus eligerent, dicens ad illos: Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit inuitatus ab illo, & veniens is qui te & illum vocauit, dicat tibi: Da huic locũ, et tũc incipias cũ rubore nouiss. locũ tenere.*

Hæc satis arguũt, quàm longissimè fuerit Iesus ab omni adulandi vel assentandi specie: quod malum licet omnibus in genere fugiendum sit, tamen præcipuè iis maximo vitio verti debet, quorum interest impio suam impietatem exprobrare. Væ qui cõsuunt Ezec.13. puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis, ad capiendas animas. Et cùm caperent animas populi mei, viuificabãt animas eorum, & violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmem panis, vt interficerent animas quæ non moriuntur, & viuificarent animas quæ non viuunt, mentientes populo meo credenti mendaciis, &c. Illi siquidem puluillos consuunt, qui animum induxerunt, homines ne verbulo quidem offendere, sed semper loqui, iuxta alium prophetam, placentia. Popule meus, ait Dominus per Esaiam, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt. Rectè ergo D. Paulus ad 1.Thess.2. Thessalonicens. Euangelium ita loquimur, inquit, non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neq; enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis: neque in occasione auaritiæ, Deus testis est, nec quærẽtes gloriam ab hominibus, neque à vobis, neq; ab aliis. Hæc ideò adduximus, quia tantam libertatem arguendi pharisæos in Christo videmus, vt tam publicè, quàm priuatim nolit ad illorum improbos mores cõniuere. Liberè eos corripuit non intellecti sabbati: iam rursum illorum fastum egregiè traducit, vnde meritò scilicet Pharisæis videri potest inciuilis hospes. Sed præstat inciuilem, quàm impium esse. Inquit ergo Lucas, Dominum in hoc conuiuio animaduertisse, quomodo Pharisæi primos recubitus eligerent, ideoq;

Ideoque ipsos humilitatis admonuisse, parabola illa, quæ aperta est, quàm partim audiuimus, partimque audiemus. Posset hic quispiam suspicari, hæc frustranea esse, neque ad Ecclesiasten pertinere, quomodo quis se habeat in cõuiuiis: sed quoniã Christum videmus hæc adnotatiõe digna iudicasse, nemo opinor, concionatori vertet vitio, si & ipse ad humilia hæc descenderit. Pertinet porrò huc, quod apud Matthæum Dñs dicit de scribis & pharisæis. Amãt primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, &c. Matt. xxiij. Diximus etiam hac de re in superioribus, cap. xi. Certè Dominus hoc loci non solùm docere voluit quæ ciuilitatis sunt, sed etiam dedocere quæ superbiæ sunt. Et quoniam Pharisæi illi cælestia non tantum curabant, quantum auram popularem, ideò non dixit Dominus, quomodo vana illa gloria apud Deũ audiat, sed solùm quanti apud homines fiat. Ruborẽ, inquit, tibi afferet, si cogare honoratiori cædere, hoc est, apud homines dignitati tuæ præiudicabit, si ab honestiore loco arceare, &c. Sed audiamus quid faciendum, quoniam satis auditum est, quid non faciendum. Neque enim satis est nosse quæ fugias, sed etiam quæ imiteris.

*Sed cùm vocatus fueris, vade, recumbe in nouissimo loco: vt cùm venerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus.*

Quæ hic à Christo dicuntur, iam olim à sapientissimo Salomone dicta sunt his verbis: Ne gloriosus appareas coram rege, & in loco magnorum ne steteris. Melius est enim vt dicatur tibi, ascende huc, quàm vt humilieris coram principe. Hæc ille. Nihil certè nobis maiori ornamento esse potest, quàm aurea illa humilitas. Deus superbis resistit, ait scriptura non vno in loco, humilibus autem dat gratiam. Simus itaque semper memores Christi Iesu, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Sed hæc aliàs. Quod ad sensum textus attinet, Noli putare eos omnes à Christo vituperari, qui in honoratioribus locis sedent: sed diligenter pondera, qua ratione Christus in hanc disputationem descenderit. Audi itaque Lucam nostrũ, & totum negotium exactius intelliges. Dicebat, inquit, ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent. Attende diligenter, quòd non ait: Qui in primis accubitibus sederẽt, sed quia primos recubitus eligerent. Ergo periculum est in eligendo, non in sedendo. Necesse enim est, vt ex multis vel vnus supremum locum occupet, quoniam omnes non recipit. Sed in hoc totius disputationis vis est, quòd multi se honoratiore loco dignos iudicant, quibus tamen non datur. Breuiter, hoc Domini sermone notantur quauis specie ambitiosi oẽs, qui vel aucupio nominis, vel loci, vel dignitatis, semet coram hominibus ostentant. Multi certè supremum locum occupant, qui à fastu sunt alienissimi: & multi infimo loco sedent, qui sibi vix sufficere putant honestissimum locum. Animum respicit Dominus, non externam illam laruam. Ioseph in Aegypto post regem supremum locũ obtinet, sed non ideo superbiæ accusari potest. Hesther regis ornatu ingreditur, sed quàm longè à fastu fuerit, historia sacra abundè testatur. Quod autẽ Dominus consequenter ait, notius est, quàm vt multis demonstrationibus egeat.

*Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.*

Hoc ita se habere, quis non videt, siue præsens, siue futurum spectes seculum. Certè hic genius mundi est, vt nolit contemni, nolit negligi, malitque præesse,

præesse, quàm subesse. Igitur si quis se præferri multis ambit, multorum inuidiam incurrit: & si loco non deturbatur, tamen in omnium animis cõtemnitur. Superbia enim & vana illa iactantia non minus apud homines malè audit, quàm apud Deũ. Quid? Imò ipsi iactabundi & gloriosi Thrasones nouerunt, quàm putida res sit, vana illa gloria, ideoq; eius nolunt accusari: sed subinde pessimo sceleri pulchrum nomen indere solent. Porrò sicut in rebus mundanis turpis est & verè vana, illa vana gloria, ita & in rebus spiritualibus mirum in modum culpanda est. Si feceritis omnia, ait Christus, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Quia serui inutiles sumus. Quid ergo est, de quo nobis multum placere possumus? Crede mihi, frater in Domino charissime, rarus est qui dæmoniũ hoc meridianũ effugere possit. Quid D. Antonio sanctissimo illi hæremitæ acciderit, obscurum vobis esse non potest, nec semel tantum à me historiam illam quam puto, audistis. Sed cur hæc produxerim, cùm eius generis Biblia sacra, multa suppeditẽt exempla, ex quibus vnum atque alterum adduxisse olim iuuabit. An non Helias, quando se solum existimabat diuina seruasse mãdata, nec idololatriæ accessisse, audiuit à Domino in suã ipsius reprehensionem: Reliqui mihi septem milia virorum in Israel, qui non curuauerunt genua ante Baal? Et D. Paulus apertissimis verbis testatur, sibi traditũ carnis stimulum, ne magnitudine reuelationum extolleretur. Nemo ergo sibi arroget maiorem inter homines sanctitatẽ, nemo credat se melius cæteris seruare diuina mandata, nemo purius se custodire, q̃ alios veritatẽ. Ille dignior, inquit Cassianus, qui humilior. Quæ hic desiderantur, Deo annuente, in cap. xviij. huius adiiciemus.

3.reg.19

*Dicebat autem & ei qui se inuitauerat: Cùm facis prandium aut cenam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos diuites, ne forte & ipsi te reinuitent, et fiat tibi retributio. Sed cũ facis conuiuiũ, voca pauperes, debiles, claudos et cæcos: & beatus eris, quia non habẽt retribuere tibi, retribuetur enim tibi in resurrectione iustorũ*

Quæ præmissa est parabola, pertinebat ad superbos Pharisæos, nam tales vocauerat princeps Pharisæos, ne non haberent scilicet similes labra lactucas, & patellæ adesset dignũ operculum. Adiecit itaque Dominus alteram, quæ peculiariter pertinebat ad principem Pharisæorum. Diuites enĩ dum volunt hospitales videri, nõ vocant quos reficiant, sed eos à quibus rursum inuitentur, aut vnde sibi gloriam aucupentur. Atque hæc quidem non est hospitalitas, sed ambitio, vel auaritia, vel vtrũque. Si enim benefacitis iis qui vobis benefaciunt, ait Christus, quæ vobis erit merces? Nonne & Ethnici idipsum faciunt? Corrigit ergo hic Christus mundi iudicium, in exercendis misericordiæ operibus, cùm mundus in eos tantùm beneficia conferre soleat, qui recompensare beneficia possunt, benefaciat benefacere valentibus, reddit retribuere potentibus. Porrò licet apertum sit quod hic Dñs dicit, tamen ponderandum est. Possent enim quidã simpliciores offendi, quod Dominus videtur citra discrimen prohibere amicorum, cognatorũ, & vicinorum conuentus & conuiuia. Quod si verum esset, quod tamen non est, sicut docebimus, quomodo excusari possent piorum conuiuia, quæ scriptura citra omnem reprehensionem enumerat? Certè in Genesi legimus, quòd sanctus patriarcha Abraham grande conuiuium fecerit, in die ablactationis filii sui Isaac. Sic Laban filiam suam Liam traditurus Iacob, conuiuium parat, ad hoc vocatis multis amicorum turbis. Sic legimus cõuiuium Ioseph,

Gen.21

Gen.29

cum

cum fratribus suis in Aegypto: sic conuiuium Iob cũ filiis suis, sic cõuiuium Tobiæ cum amicis, quæ omnia, sicut diximus, citra reprehensionẽ enarrat sacra historia. Quid porrò dicemus ad conuiuia Marthæ, Magdalenæ, & Lazari? His igitur exemplis satis manifestum est, amicos vel cognatos ad cõuiuia vocare, piaculum non esse, nisi accesserit aliunde aliquid peccati, vt est aliorum contemptus, pauperum neglectus, ebrietas, impuri sales, quæ omnia etiam pauperum conuentum vitiare possunt. Breuissimè igitur sic negotium expediemus. Christus hac concione docere voluit, vt in benefaciendo non nosipsos, sed proximorum necessitatem spectemus, nequaquam nos humanos & benignos arbitrantes, si proximis nostris benefecerimus, sicq; in eos duntaxat liberales fuerimus, qui possunt nobis vicem rependere. Nequaquam tamen per hæc damnauit (sicut diximus iam semel atque iterum) etiam amicos, fratres, & cognatos, in tempore, alendæ dilectionis gratia, conuiuiis adhibere: sed tantum, ne id misericordiam & liberalitem esse arbitremur. Pharisæi enim illi, contra quos inuehitur hic Dominus, putabant se satis superq; misericordes, si quando aliquos ex compharisæis inuitarent ad epulas, &c. Suadet ergo Dominus, imò præcipit, vt liberales simus in pauperes & egenos, quod si fecerimus, pollicetur nobis perpetuam mercedem. Huius hospitalitatis nos multis in locis commonefacit scriptura, & exemplis & præceptis. D. Paulus in Hebræis vno fasce vtrunque complectitur, inquiens: Charitas fraternitatis maneat in vobis. Et hospitalitatem nolite obliuisci: per hanc enim placuerunt quidam angelis hospitio susceptis, &c. Hebr. xiij. Enimuerò hoc pietatis genus porrò abolitum est in Ecclesia, quod nisi restituatur, timendum ne nunquam ecclesiæ reliquæ res fœlicem sortiantur exitum. Quod si quis quærat exempla conuiuiorum celebrandorum in genere, & hæc scripturæ sacræ cumulatim exhibere possunt, si modò animo obtemperandi inuestigaueris. Iesus Syrach inquit, capite nono: Viri iusti sint tibi conuiuæ. Conuiuium Assueri regis, cuius in libro Esther fit mentio, hoc memorabile habet, quod vinum regia maiestate quidem dignum proponebatur. & addit: Nemo erat qui nolentes cogeret ad bibendum. Esther. I. Tobias verò paraturus epulas, mandat filio his verbis: Vade & adduc aliquos de tribu nostra timẽtes Deum, Cap. ij. Et in eodem libro, capite nono, legimus: Tobias iunior, sponsa, socer, & cognati, nuptiale conuiuium cum timore Domini celebrauerunt. Et hæc quidem habui quæ super hoc Domini sermone dicerem. Est & adhuc locus qui aliqua enarratione opus habet: nimirum, quòd Dominus ait: Retribuetur tibi in resurrectione iustorum, quasi scilicet impii in die illo non sint resurrecturi, hoc quod in psalmo primo legimus in hæc verba: Non resurgunt impii in iudicio, neq; peccatores in cõcilio iustorũ. His autem videtur contrarium quod Apostolus dicit: Omnes quidem resurgemus: verùm iuxta sententiam nulla est contrarietas. Non enim sentiunt priores scripturæ loci, impios in iudicio omnino nõ resurrecturos à morte corporis (foret enim hoc manifestè etiam Euangelio contrarium, quòd docet impios prodituros de monumentis ad æterna supplicia) loquuntur aũt de resurrectione ad vitam æternã, quæ propriè iustorũ resurrectio dicitur. Hac aũt resurrectione nequaq̃ resurgẽt impii, q nõ ad vitã, sed ad mortem æternã resuscitabũtur. Sic ij. Mach. vij. dicitur regi Antiocho à quarto fratrũ Machabæorũ: Tibi resurrectio ad vitã nõ erit.

Et cùm resurgere sit ad vitam redire, vita autem damnatorum mors potius æterna sit, quàm vita, consequitur nõ malè neq; falsò secundum hunc intellectũ dici posse, quòd non resurgãt impii, &c. Postremò quoniam hic retributionis fit mentio, docemur, operibus misericordiæ non defore suam mercedem, non quidem ex proprio debito, quasi ex se tãto præmio digna essent, nisi Deus sua gratia & promissione nos præuenisset: qua de re nonnihil dicemus in cap. xvij. Iam ad contextum progredimur.

*Hæc cùm audisset quidam de simul discũbentibus, dixit illi: Beatus qui manducabit panem in regno Dei.*

Hoc loci docemur, ne nos pœniteat verbum Dei deprædicasse, etiam in multitudine derisorum. Quis enim nouit, quas virtutes Dominus daturus sit verbo suo? Quid si vel vnum lucrifecerimus Christo: vel quarta pars terræ bonum semen in se suscipiet. Ecce in magno hoc principis Pharisæorum conuiuio, vel vnum hominem lucrifecit Dñs, vt ipsius prædicatio nõ in totum fuerit inanis. Apparet eñ hoĩem illum, siue ille Pharisæus, siue alius q̃spiam fuerit, mẽtem mutasse ad sermonem Domini, & ad superna illa cœlorũ regna suspirasse, quòd quidem sic intelligas velim: Cùm audiret Domini sermonem, quo hominum mores carperet, & ad alias virtutes adhortaretur, ipse considerauit q̃ omnino discrepet vita nostra ab ea quam nobis Christus depingebat, item, q̃ proni sumus omnes ad vitia, &c. Cœpit sibimetipsi displicere, & quasi satur & fastidiosus rerũ mundanarũ, cœlestia suspirat, inquiens: Beatus qui mãducabit panem in regno Dei. Ac si diceret: O miseros nos mortales: quid hic facimus? quid hic stabile? Vt quid diligimus vanitatem? O beatũ & iterũ beatũ, quẽ Dñs ex hac misera vita liberabit. Sic olim Paulus: Infœlix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et Psalmista: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Et iterum Paulus: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Certè qui ex auditu verbi Dei tantum profecit, vt incipiat terrena despicere, & amare cœlestia, crede mihi, bonum gradum ad cœlestia posuit. Et ob hoc solũ conciones fiunt, vt incipiat populus contemptis terrenis, cœlestia sapere.

*At ipse dixit: Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos, & misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis, vt venirent, quia iam parata sunt omnia. Et cœperũt simul omnes excusare*

Quia ille homo, conuiua. s. principis Pharisæorũ, ostenderat nonnullum ardorem cœlestis beatitudinis, voluit Christus præsenti parabola ostendere, Dñm nemini ipsã inuidere, sed potius nos omnes ad ipsam vocare, inuitare, & allicere. Quod verò pauci ad illam veniũt, nõ esse Deum in culpa, sed nos qui præ amore rerũ terrenarum, vltrò oblatam salutẽ, volentes reiicimus. Tu verò iam audi, quàm tragicè omnia depingat Christus. Vocat cœnam magnam, dicit vocatos esse multos, dicit horã cœnæ, misit seruum, vt prius inuitatos rursum vocaret, oĩa esse parata, nihilq; remorari, &c. Quod si quis cœnæ nomine vel Christianismũ, vel huius finem, hoc est, vitam æternã intelligit, non peccat. Et notandum, quòd parabola hæc, licet ad vniuersũ genus hoĩm applicari possit, tamẽ præcipuè ad synagogã pertinet. Quod eñ vniuersum hoĩm genus adtinet, videmus nemine rectè affectũ esse ad euangeliũ, ad Christũ, ad regnũ cœlorũ, sed vniuersi, aut saltẽ maior pars, mauult sectari visibilia, quàm inuisibilia, malũ quàm bona, magis amant tenebras, quàm lucem, mortem præferũt vitæ, & hordei granũ pretiosæ margaritæ. Sed ad parabolæ cõtextũ. Homo ille Iesus Christus, hanc magnã cœnã parauit,

parauit,& vocauit multos,dicens: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis,& ego reficiam vos. Et apud Ioannem: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat,&c.Misit itē seruos suos, vocare inuitatos,inquiens: Euntes in mundum vniuersum prædicate dicentes:Qui crediderit, & baptizatus fuerit,saluus erit.Prædicare,inquit, Euangelium omni creaturæ.Exierunt serui, fecerunt quod præceperat eis Dominus,vocauerunt ad cœnam, significarunt horam. Petrus in Actis quidem sic: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi,in remissionem peccatorū vestrorum, & accipietis donum spiritus sancti. Vobis enim est repromissio, & filiis vestris,&omnibus qui lōgè sunt, quoscunque aduocauerit Dn̄s Deus noster. Act.ij.Ioannes autē sic: Quod audiuimus & vidimus, annunciamus vobis,vt & vos societatē habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum patre, & filio eius Iesu Christo.i.Ioan.i. Paulus verò:Scientes quia hora est iā nos de somno surgere.Et iterum:Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Horum trium seruorum voces audiuisse suffecerit: iam enim audire cogimur friuolas inuitatorum excusationes.

*Primus dixit:Villā emi,& necesse habeo exire & videre illā:rogo te,habe me excusatum.*

Hic egregiè suam ipsius stultitiā & stupiditatē traducit: & plerunq; fit, vt qui contēptis cælestibus, toti terrenis inhiant,neq; hæc, neq; illa acquirant. Cælestia eīn non accipiunt,& terrenis nunq̄ satiantur.Sed perpendamus singula verba.Villā,inquit,emi,& necesse habeo exire,& videre illā,&c.Scilicet, post cœnam nō licebat videre villā.An ne nō visam emerat? Si empta est, siue visendi placeat,siue displiceat, habēda est. Videtur ergo ille homo sic auaritiæ stimulis agitatus fuisse, vt etiā villā nō visam emerit,ne scilicet ab alio auerteretur,&c.Rectè ergo à Dn̄o dictū est:Non potestis Deo seruire & mammonæ.Quid eīn aliud hūc remoratur à cœna illa Dn̄i,nisi quòd mauult circa terrena occupatus esse,q̄ circa cælestia. Tales aūt nō possūt esse conuiuæ Christi.hic eīn vult habere hospites,nō qui thesauros thesauris accumulāt,sed qui paruo cōtēti,nō dubitāt pro Christo aīas perdere.Et hac nostra ætate nihil est quod multos Iudæos tā à Christianismo remoret,q̄ mămonæ studiū.

*Et alter dixit:Iuga boū emi quinq;,& eo probare illa,rogo te,habe me excusatū*

Sicut primus emerat villam,& post emptionem vadit videre illam: ita & hic decē boues emerat,& iā hora cœnæ vadit ad probādum illa.Ergo ille agris, hic autē armentis ditescere cupit, quæ duo etiam si quis habuerit, tamē perpetuum nihil habuerit. Multa sunt in terris,quæ & villam,& armenta oīa in momento temporis perdere possunt: Doceat hoc historia Iobi illius.Accepimus duorum responsum, qui si primum quæsiuissent regnum Dei & iustitiam eius, nequaquam neglexissent hāc opiparā cœnā. Quid verò tertius?

*Et alius dixit:Vxorem duxi, & ideo non possum venire.*

Hic sibimetipsi videtur lōgè optimā rationē habere,cur cœnā illam Domini negligat,ideoq; apertè negat se venire posse.Nec rogat vt vel rātillum à seruis apud Dn̄m excusetur. Vxorem, inquit,duxi,& ideo nō possum venire. Quare hoc?Quia scilicet plus delectatur in vxore,q̄ in Deo. Sunt qui has tres excusationes referunt ad tria illa capitalia vitia,ad superbiam scilicet,auaritiam, & luxuriam: sed qm̄ villam vel boues emere, vel vxorem ducere per se peccatū nō est,possum⁹ breuissimis hoc negotii expedire,dicētes quòd in hoc Euangelio illi reprehenduntur, qui creatori creaturā præponūt, quiq; terrena illa plus amant quàm Dn̄m.

Hinc Christus dicit statim post hãc parabolam: Si quis venit ad me, & non odit patrem & matrem, &c. quibus testatur non solùm villas, boues vel vxores, posse aliquem remorari ab introitu regni cælorum, sed etiam patrem & matrem: qua de re suo loco dicemus.

*Et reuersus seruus nunciauit hæc Domino suo.* Renunciatio illa nihil aliud est q̃ querela, quã pphetæ habent apud Dñm, propter populi duram impietatem, & proteruam malitiam. Sic sæpè cõquesti sunt prophetæ apud Dñm, super impietate, malitia & ingratitudine populi. Possumus hic referre querulationẽ Heliæ dicẽtis: Zelo zelat⁹ sum pro Dño Deo exercituũ, qa dereliquerũt pactũ tuũ filii Israel. Altaria tua destruxerũt, & prophetas tuos occiderũt gladio, & derelict⁹ sũ ego solus, & quærunt animam meam, vt auferãt eã. Sic Psal. lxxviij. Deus venerunt gentes in hæreditatẽ tuã, &c. Sic Apls in Romanis cõqueritur de dura ceruice fratrum suorum Iudæorũ. Rursum in aliis epistolis lætatur in profectu Euangelij.

3. reg. 19.

*Tunc iratus paterfamilias dixit seruo suo: Exi cito in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc. Et ait seruus: Domine, factum est, vt imperasti: & adhuc locus est. Et ait Dominus seruo: Exi in vias & sepes, et compelle intrare, vt impleatur domus mea. Dico aũt vobis, quia nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cænam meam.*

Hæc procul dubio reiectionem Iudæorũ, & acceptationem gẽtilium adumbrant. Scimus aũt ex Euangeliis, apostolos primùm missos ad Iudæos, et prohibitos, ne vel ad Gentes, vel ad Samaritanos prædicatũ proficiscerẽtur: at sublato Christo in cælos, & Iudæis pertinaciter Euãgelio reluctãtib⁹, Apli tãdem cõuersi sunt ad gẽtes, hoc quod Apostoli in Actis apertiss. fatentur, inquientes: Vobis oportebat primũ loqui verbũ Dei, sed qm̃ repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce cõuertimur ad gẽtes, &c. Act. xiij. Quod porrò gentes pauperũ, debiliũ, cæcorũ & claudorũ nomine, introducuntur, bona ratione dictũ esse probabis, si modò valetudinarios illos spiritualiter intellexeris. Pauperes vocãtur, qa oĩm virtutum donis spoliati sunt. Debiles sunt, quia sunt insufficiẽtes aliquid boni vel cogitare ex seipsis. Cæci sunt, quia à veritatis lumine aberrauerũt. Claudi sunt, qa claudicabãt in vtranq; partẽ, dũ Deũ cognoscerẽt, neq; tamen vt Deũ glorificarẽt. Quod aũt sequitur de loco vacãte, & implendo, ad tẽpora extremi iudicii refertur. Parabola hæc quã sic volum⁹ breuiss. explicatã, multã nobis disputãdi occasionẽ præberet, si nõ mallemus cõpendio vti. Obseruandũ tñ est, quod in exclusis & reiectis hospitib⁹ nõ arguũtur rapinæ, vel latrocinia, vel fraudes, vel luxuria: & tamen horum excusationẽ non acceptat Dominus. Proinde facilè intelligere possumus in quo statu sunt, qui non emunt, sed rapiunt, qui non nubunt, sed scortantur, &c.

*Ibãt aũt turbæ multæ cũ eo, & conuersus dixit ad illos: Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorẽ, et filios, et fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.*

Hic scilicet multos tales licebit inuenire Christianos, quales hoc loci depingit Christ⁹, si nudã respexeris literã. Iã em̃ nõ dicã regnant, sed triumphãt odium & inuidia, hoc seculo, in magnã Christianæ charitatis perniciẽ. At Christus non docet tale odiũ quale mũdus sibi vendicat, sed odiũ quale regnum cælorum imperrat. Quomodo em̃ hic iubemur parẽtes & carnaliter cognatos odire, cũ alibi etiã iubeamur diligere inimicos? Certè de parẽtibus scriptura dixit: Honora patrẽ & matrẽ, &c. De vxore verò: Viri diligite vxores vestras, sicut

Vide supra in Psalm.

eut & Christus dilexit ecclesiam. De aliis cognatis. Qui domesticorũ curam negligit, fidem abnegauit, & est infideli deterior. Iam scimus scripturam sibi probè constare, hinc sic interpretanda venit, ne sibi videatur contraria. Ergo quod hic obscurè dicitur, apud Matthæum clarius aperitur. Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, ait Christus, non est me dignus. Et qui amat filium aut filiam super me, nõ est me dignus. Sic alibi in hanc sentẽtiam loquitur: Si oculus, vel manus, vel pes tuus scandalizat te, proiice abs te, &c. Et apud Ioannem: Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternã custodit eam. His hyperbolicis locutionibus nihil aliud voluit Christus docere, nisi charissima & coniunctissima quæque nomine Euangelii esse postponenda, alioquin neminem ad beatitudinem pertingere posse. Breuiter, Diligendus est Deus super omnia, & huic magis oportet obedire, quàm homini, quisquis tandem ille sit. Quid? Christus ipse hoc loco voluit nobis apertioribus verbis ostendere, cur hospites illi ad magnam cœnam non peruenerint. Quia scilicet amauerũt prædia, iumẽta, vxores item, supra Christũ. Iã si Christi discipuli esse non possunt, qui pluris faciunt parentes & vxores q̃ Christũ, quo loco reiicientur illi qui Christum ne teruncio quidẽ æstimãt? Addit præmissis Christus:

*Et qui nõ baiulat crucẽ suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.*

Crucis hic noĩe ne intelligas transuersam trabem, sed infirmitates, aduersitates, vexationes carnis, tentationes diaboli, afflictiones mundi, & oĩa quæ permissu Dei nobis nostræq; carni molesta sunt: hæc omnia si quis pro nomine Iesu patienter tulerit, hic certè dicetur crucem suam post Christum baiulare. Qui verò impietate sua hæc incõmoda pmeruit, aut ad faciendã suam malitiam multa corporis & animi discrimina perpessus fuerit, ille non post Christum, sed post Satanã baiulat crucem suã. Profectò si iugũ Satanæ expenderis, longè difficilius & est & apparebit, quàm sit Domini iugũ, de quo dicit: Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Breuiter, ille rectè crucem suam post Christũ baiulat, qui se, quãtus quantus est, totum Deo dedit, patienter tollerans quæcunque de ipso Deus statuerit, cum Psalmista dicens: Mihi autem adhærere Deo bonũ est, quiq; iuxta Apostoli exẽplum, quæcunque extra Christum sunt, arbitratur stercora, lubensq; eandem cũ Christo ingreditur conditionem. Quòd si cõpatimur, inquit Paulus, & conregnabimus. Et iterum: Si fuerimus socii passionũ, & cõsolationis erimus. Nec absurdũ est, quod D. Gregorius Pontifex ille sanctus scribit: Quòd si delectat te magnitudo præmiorum, ne deterreat certamen laborum.

*Quis enim ex vobis homo volẽs turrim ædificare, nõ prius sedẽs cõputat sumptus qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendũ: ne postea quã posuerit fundamentũ, et nõ potuerit perficere, oẽs qui vidẽt, incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, et nõ potuit cõsummare.*

Theophylactus in hunc modũ præsentẽ locũ exponit. Per parabolã, inqt, turris, docet nos Dñs, vt hi qui semel delegerint se sequi, ne solũ iaciãt fũdamentũ, ne incipiãt tantũ seq, & postea finẽ nõ imponãt: vt ij q nõ habent sufficientem alacritatis præparationem. Tales fuerũt hi de quibus Euangelista Ioannes dicit: Multi igitur ex discipulis eius abierunt retrorsum, &c. Hæc certè summa est toti⁹ parabolæ, nec necesse est, vt singulas partes discutiam⁹, q.d.s. turris, quid sedere, quid cõputare, qui sumptus, quod fundamẽtũ, qui deniq; illusores. Hoc enim voluit Dñs, sequẽtes se gressibus corporis admonere, neminẽ inconsultò sese dedere in seruitium

tium Christi debere, vt quod non leuiculi momēti res sit, sed priusquàm aggrediantur, semet ipsos discutere, nū possint etiam durissima quæque pro Christo pati, & charissima quæque pro eodem relinquere. Sic Zebedæis ambientibus honoratiorem locum in regno Dei, respondit: Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Et sapientis admonitio est: Fili accedens ad seruitutem Dei, præpara animā tuam ad tentationem. Vult ergo Christus dicere: Audistis quid à discipulis meis velim fieri, quales affectus ab ipsis requiram: proinde qui in horum contubernium sese dedere voluerit, negotium bene prius perpendat, ne postea instituti pœnitere contingat. Tolerabilius enim est, non aggressum esse, quàm ab eo quod cœperas, deficere. Saltem in hoc negotio ea prouidentia præstanda est, quam homines præstant in rebus multo leuioribus. Quis ex vobis, inquit Christus, est tam improuidus, vt in animo habens ædificare turrim, statim aggrediatur quod cogitat? Non enim solùm cogitat, habebo turrim, sed antequam iaciat fundamenta, prius cōputat sumptus, ne cùm inceptum ædificium perficere non posset, vulgi fabula fiat. Si ergo in rebus leuiculis prouidi sumus, cur in rebus spiritualibus sic stupidi essemus? Vis videre ex scripturis hominem qui stultè inceperit ædificare? Accessit quidam ad Iesum, dicens: Magister, sequar te quocūque ieris. Dicit illi Iesus: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autē hominis non habet vbi caput reclinet. Hic præsumptuosus non computauerat, quibus sumptibus in cælo ædificare posset, ideoque repulsam passus est. Ait rursum Iesus ad alterum: Sequere me. Ille autem dixit: Domine, permitte mihi primum ire & sepelire patrem meum. Audis nec hunc aptum regno Dei. Ait alius: Sequar te Domine, quocunque ieris: sed permitte mihi primum renunciare his qui domi sunt. Ait autē ad illum Iesus: Nemo mittens manum ad ararrum, & aspiciēs retro, aptus est regno Dei. Quid hoc aliud est dicere, nisi eum non peruenturum ad regnum Dei, qui solùm bene cœpit, sed qui in finem vsque perseuerauerit. Ad hunc locum etiam pertinet Ananias cū sua Saphyra, qui ambientes discipulatum Christi, volebant hanc Euangelicam turrim ædificare, sed non bene computauerant sumptum, ideoque infœliciter cessit illis quod instituerant. Sequitur alia parabola.

Luc. 9.

*Aut quis rex iturus committere bellum aduersus alium regem, nō sedēs prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? Alioqui adhuc illo longè agente, legationē mittens, rogat ea quæ pacis sunt.*

Si ergo in rebus externis & corporalibus prudētes & puidi sumus, quare nō multo magis in spiritualib⁹? Ergo qui sese militiæ Christi addicere vult, prius cōsideret atque perpēdat vires suas: quas si inuenerit ad id qđ subeūdū est, impares, nō temerè se inijciat in periculum, sed potius oīa excogitet, vt inuocato Christi auxilio, pacificè agere possit. Nā si ex se subierit negotiū viribus suis impar, timendū ne & oleum & operā perditurus sit. Iā porrò cū hostes nostri longè fortiores nobis sunt, & siue velis siue nolis, pugnandū est, neque enī à Satana, vel mūdo, vel etiā ꝑpria nostra carne inducias impetrare licebit, quid faciendū? Num desperandū? Nequaquam, sed ille inuocādus, cuius manus abbreuiata nō est, cuius potestas, potestas æterna, cuius nomē omnipotens. Exēplo sit tibi Dauid, qui in hæc verba loquitur: Dn̄e, quid multiplicati sunt q tribulāt me, multi insurgūt aduersum me. Multi dicunt animæ meæ, non est salus ipsi à Deo suo. Tu autem Dn̄e susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meū. Et iterū: Dn̄s mihi adiu-

adiutor, non timebo quid faciat mihi homo: Dominus mihi adiutor, & ego despiciam omnes inimicos meos, &c. Potest hic locus etiam contra eos facere qui multa quidem cum Christianis habent communia, sed rursum in multis referunt gentes & Iudæos potius quàm Christianos. Hinc Dominus, vt longa inuestigatione nos liberaret, vnica sententia vtramque parabolam conclusit, inquiens,

*Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.*

Hoc est, non suffecerit vt aliquem gradum perfeceris in Christianismo, si non perseueraueris & ad perfectionē anhelaueris: nec tales volo habere discipulos, qui partem sibi reseruare, mihi verò aliam partem locare volunt: sed volo vt homo sese totum, quantus quantus est, mihi dedat, nihil mihi præponat, nihil ardentius diligat quàm me: mea præcepta omnia citra exceptionem perficere contendat: quæcunque item aduersa ei immisero æquanimiter ferat, breuiter sese totum non curet, se non amet, sua non quærat, sed ex me totus pendeat, meamque voluntatem semper optimam iudicet. Inuenire certè licebit quàm plurimos, qui vt ita loquar partiales sunt, & quæ sibi in diuinis mandatis tolerabilia videntur, non grauatim faciunt: alia autem aut leuiter curant, aut porrò negligūt. Sic inuenias qui non est epulo, nō fur, non blasphemus, nō scortator: interim tamen odium gerit in pectore, aut vana capitur gloria, vel simili aliquo morbo, & interim nihilominus sibi videtur egregiè Christianus: Sed quoniam non omnibus renunciauit, non potest esse Christi discipulus. Ad hunc locum puto pertinere quod Iacobus dicit. Qui offendit in vno factus est omniū reus. Qui enim prohibuit scortationem vel crapulam, non permisit inuidiam vel rapinā, &c. Porrò vt quis omnibus renūciet, hoc est, vt quis Deo omnia postponat, seque prorsus abneget, non est humanarum virium, nō est liberi arbitrij, non est carnis & sanguinis, sed diuinæ gratiæ opus, quam necessario semper implorare debemus. Quis potest mundum facere, inquit Iob, de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es? Hinc Dauid: Cor mundum crea in me Deus, &c. Enimuero difficillima res est Adæ, sesemetipsum abnegare, sua non quærere, totum ex Deo pendere. Sed quæ apud homines impossibilia sunt, Deo sunt facillima.

*Bonum est sal. Si autem sal quoque euanuerit, in quo condietur? Neque in terrā, neque in sterquilinium vtile est, sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi audiat.*

Quod hic Dominus loquitur, si externam literam spectes, apertissimum est: quoniam autem adiecit: Qui habet aures audiendi, audiat, subindicauit Dominus omnino absconditum quid in verbis istis latere. Nā quod ad corticem literæ adtinet, Sal quando vigorem suum habet, valet seruandis & cōdiendis omnibus cibis: quod si acrimoniam & vigorem suum amiserit, & natiua illa vis euanuerit, nulla ratione reparari vel restitui potest: sic ergo ad nullum vsum valebit, nec enim cōdire potest aliquid, nec ab alio sale condiri aut conseruari, adeò vt nec in sterquilinium sit vtile, quo reiiciuntur etiam ea quæ sunt corruptissima. Sed quid Christus sub illorum verborum inuolucro intelligi voluerit, solertèr indagandum est. Apud Matthæū dixerat Dominus discipulis: Vos estis sal terræ. & apud Marcū: Omnis igne sallietur: & omnis victima sale sallietur. Bonū est sal, quòd si sal insulsum fuerit, in quo condietis illud? Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos.

Apparet ergo Dominus salis similitudinem non ad eandem rem in his tribus locis adduxisse. In Matthæo nihil difficultatis est. In Marc.ix. discretionē intelligimus. At in Luca nostro cui rei adaptādum sit, adhuc quærimus. Si ad præmissa cōferre volumus, hic potest esse sensus: Sunt quidem inter vos qui sibi videntur egregii esse mei discipuli, & ad meum sermonem adiecistis animū. Quòd si sic perseueraueritis, vtriq; multis poteritis prodesse. Sicut sal adhuc existens in suo vigore. At si in posterum ad conspectum scilicet passionis meæ defeceritis, iam neque vobis, neq; aliis vsui esse poteritis. Quomodo enim vos consolari & confirmare poteritis infirmos, cùm vos ipsi in totum despōdebitis animos? Aut quis infidelium vos consolari poterit? Hæc putò nequaquam absurda in hoc loco videri. Adstipulantur expositioni nostræ Theophylactus & Beda, non reiiciendi autores: & tantum de hoc capite.

## CAPVT XV.

*Erant autem appropinquātes ei Publicani & peccatores, vt audirent illum, & murmurabant scribæ & Pharisæi, dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.*

Quoniam Dominus noster Iesus Christus in præcedenti capite ostenderat omninò angustam esse viam ad vitam, neminemque, nisi qui abnegatis omnibus, ferret crucem suam post eū, posse eò peruenire: nec item sufficere ad salutem, si quis bene facere inceperit, nisi etiam in finem vsque sic perseuerauerit. Ne igitur quis, perpensa huius seculi lubricitate, porrò desperaret, voluit Christus nos consolari vna atq; altera parabola, quibus docemur, etiam peccatoribus patere aditum ad Christum, modò ex peccatoribus fiant pœnitentes, & qui per aliquod tempus auditores fuerunt Satanæ, vel mundi, vel malè sanæ carnis, fiant tandem auditores Christi, hoc quod præsens caput abundè docebit. Sic enim ait Lucas: Erant appropinquantes Iesu publicani & peccatores, vt audirent illum. Quia enim Christus & verbis & miraculis se ostendit potentissimum simul & piissimum animarum medicum, & tam comminationibus damnationis æternæ, quàm promissionibus salutis perpetuæ, ad pœnitētiam hortabatur peccatores, vniuersa ad eum populi multitudo confluebat. Et quia nec ille quenquam submouebat aut fastidiebat, ausi sunt etiam propius ad illum accedere publicani quidam & peccatores: quod genus hominum abominari solent Pharisæi, ad ostentationem sanctimoniæ scilicet, cùm certissimum sanctimoniæ signum sit, non fastidire peccatorem, sed adniti modis omnib9 vt resipiscat, & resipiscenti cōgratulari. Sed valeant Pharisæi, nobis publicanorum, imò pœnitentium exemplar placet, quoniam tanquam ægrori ad medicum appropinquant: neq; enim valentes medico indigent, sed ægroti. Appropinquant autem, vt audiant, audituri nimirum, vt obtemperent. Faciunt publicani & peccatores, quod nos omnes facere sacra scriptura admonet. Accedite ad eum, inquit Psalmista, & illuminamini, & facies vestræ nō confundentur. Psal.xxxiii. Et Iacobus: Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Et rursum Psalmista: Longè à peccatoribus salus, &c. Hieremias verò cap.xvii. Domine, inquit, omnes qui te derelinquunt confundentur. Rectè ergo faciunt publicani & peccatores, quod ad vitandam perpetuam confusionem, appropinquant Christo certissimo animarum medico, & appropinquant vt audiant eum. Verbo enim sanat Dominus, nō externo aliquo pharmaco. Spiritalis enim infirmitas, spiritali opus habet medicina, de qua in sa-

plentiæ libro legimus. Neque herba, neque malagma sanauit eos, Domine, sed sermo tuus qui sanat omnia. Appropinquemus igitur & nos, quoniam omnes peccatores sumus, & appropinquemus toto corde, nō labiis tantùm, sicut de hypocritis scriptura loquitur. Appropinquare autem est agnoscere, quàm longè per peccata à Deo recesseris, quàm grauiter Deum offenderis: item remissionem à Deo per Christum certò sperare, pœnitentiæ operibus ex animo incumbere, omnesq; peccatorum occasiones angue peius & fugere & odire. Quid porrò ad hoc Pharisæi? Quid eiusdem farinæ scribæ? Murmurabant, inquit Lucas, dicentes: Hic peccatores recipit, & mãducat cum illis, quasi diceret: Hic qui nouam quandam sanctimoniam profitetur, quem omnis turba nobis præfert, non vitat malorum consortia, sed notos etiam peccatores admittit ad colloquium, & adeo non fugit congressum, vt etiam cibum cum illis nebulonibus capiat, &c. Quasi scilicet cū in domo principis Pharisæorum mãducabat, non manducabat cum peccatoribus, quasi scilicet Pharisæi & Scribæ non sint peccatores, sed angeli. Si Pharisæi volunt esse quod audiũt, nimirum viri iusti, amici Dei, peccatorum osores, non debebant murmurare contra Christum, quòd reciperet peccatores, sed potius gaudere, quòd peccatores ad meliorem vitam prouocaret. Neque enim erat periculum, vt à Christo confirmarentur in impietate, cum ipsius tota prædicatio inuitabat & vrgebat ad pœnitentiam. Sed scilicet verentur ne ex hac familiaritate fama Christi lædatur, quam scilicet saluam semper cupiebant. Nihil minus. In hoc toti sunt, vt persuadeãt populo, Christum non eum esse quem ipsi putant, &c. Sed quid ad hæc Christus?

*Et ait ad illos parabolam istam dicens: Quis ex vobis homo qui habet cētū oues, & si perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit xcix. in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam? Et cum inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens, & veniens domum, conuocat amicos & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat. Dico vobis quod ita gaudium erit in cælo, super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super xcix. iustis, qui non indigent pœnitentia.*

Vide quàm mãsuetè Dominus impiis illis murmuratoribus respondeat, quàm amicè suorum factorum rationem reddat. Supra quum argueretur à Pharisæis violati Sabbati, adferebat excusationem talem: Si sabbato licet curam agere iumentorum, quur non liceret & homini benefacere. Ita & hoc loci sententia est: Si eius sumus animi, vt ouem vnicam nolimus perire, vtcunq; nobis adhuc supersint multæ, quis iniquo animo ferat, si pro vno homine aliquis eriã solicitus sit? Vult ergo Dominus dicere: Quàm Deus non auersetur peccatorem resipiscentem, ex suo quisque animo coniectare potest. Mirum sua cuique res chara est, nec cupit aliquid inde perire. Homines quæ chara habent, si quando contingat aliquid perire, diligenter vadunt quæsitum, donec inuentum cum gaudio reportare possint. At Deo nihil charius est homine, vnde non est mirum quòd ne vnum quidem perire velit. Deus dei filius pastor ille est, qui in Euangelio dicit: Ego sum pastor bonus. Humanũ genus, ouis illa est erratica: Vnde Psaltes canit: Nos autem populus eius, & oues pascuæ eius. Clamat item Esaias cap. liij. Omnes nos quasi oues errauimus; vnusquisq; in viam suam declinauit. Canit Psalmista: Erraui sicut ouis quæ periit, quære seruum tuum, &c. Ouile nostrum catholica Ecclesia, de quo ipse pastor Chri-

Christus. Habeo etiam alias oues, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet adducere, vt fiat vnum ouile & vnus pastor. Errat ouis statim vt pascua Euangelica contempta, quisquiliis huius mũdi delectatur, statim vt se elongat à voce pastoris. Hanc autem ouiculam erraticam non potest relinquere Christus Pastor, sed vadit post eam, quærit, inuentam in humeros gratiæ & misericordiæ suæ suscipit, in gregem pristinum cooptat. Venit enim filius hominis quærere & saluum facere quod perierat. Sequitur continenter.

*Aut quæ mulier habẽs drachmas x. si perdiderit drachmam vnam, nonne accendit lucernam, & euerrit domum, & quærit diligenter donec inueniat eam? Et cum inuenerit conuocat amicas & vicinas dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam quam perdideram. Ita dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei, super vno peccatore pœnitentiam agente.*

Eiusdem sententiæ & interpretationis est hæc parabola cum iam præmissa. Nam qui supra per pastorem, hic per mulierem significatur. Et perdita drachma eadem est cum perdita oue. Si igitur mulier sic affecta est erga nummos suos, vt doleat quicquã perire, & vt vehementer gaudeat, receptum esse quicquid perijt, quantũuis pusillum: quanto magis Deus nihil volet perire ex hominibus, pro quibus seruandis seipsum impendit, quos ad imaginem suam condidit. Noluimus itaque hic auxij esse in disquirendis singulis appropriationibus; sed positis certis quibusdam doctrinis, parabolis 1. his duabus finem imponere. Videmus certè hic quanti faciat Dominus pœnitentiam peccatorum, quum ipse in hoc aduenerit, pœnitentiam prædicauerit, pœnitentes susceperit, hijsque peccata condonarit: adde, quod testatur etiam Angelos cœlestes pœnitentibus gratulari. Hinc rectè Ambrosius, inquit: Multum debet nos accendere hoc ad probitatem, vt agamus quod illis gratum sit, quorum affectare patrocinium, & offensam timere debemus. Et Orige. ait Deo & angelis 2. occasionem lætitiæ præstamus, cum in terris ambulantes, conuersationem in cœlis habemus. Videant ergo quem genium nobis referant, qui non solum ipsi peccata peccatis accumulant, sed etiam alios ad peccandum solicitant, de peccantiumque multitudine gratulantur. Certè si pœnitentia nostra cœlestes lætantur, non est dubiũ quin impœnitentia nostra aduersariæ potestates non tristentur, &c. Nolimus itaque, quod ad nosmetipsos attinet, patientia & longanimitate Dei abuti: neque ad aliorum impietates colludere, scientes, iuxta Petri parænesim, quòd Dominus patienter agit propter nos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti, &c. Dein 3. æquum est, vt qui Christi vices gerũt in Ecclesia, Christi item induant affectum: nec pluris faciant deperditam ouem, vel drachmam, quàm errabundum Domini gregem. Enimuerò apud Prophetas, magna est contra malos pastores, querela, grauisque comminatio. Fuerunt olim Pontifices, inquit alibi Bernardus, qui se totos ouibus pascendis exponerent, pastoris opere & nomine gloriantes, nil sibi putantes indignũ, nisi quod saluti ouiũ obuiare putarent, nõ quærentes quæ sua sunt, sed sua impendentes. Impendere curã, impendere substantiam, impendere & seipsos, &c. Sed quid ego hæc ad parietes? Postremò omnium fidelium est, 4. vt quisque pro sua vocatione studeat proximũ Christo lucrifacere: Concionator auditores, pater filios, Magistratus subditos, pædagogus denique discipulos corripiat, emendet, atque ad resipiscentiam adhortetur, &c.

Ait

*Ait autem : Homo quidam habuit duos filios, & dixit adolescentior ex illis patri: Pater da mihi portionem substantiæ quæ me contingit. Et diuisit illis substantiam.*

Vtrisq; diuisit substantiã, vt ostẽdat se neq; auarũ neq; inuidũ, sed se dispẽsatione hanc obiisse, ex prouidẽtia & charitate.

Bone Deus quàm preciosum nobis fuit murmur Pharisæorum, qui Christum (qui solet malitiam aliorũ, in suorum fidelium bonum conuertere) ad hanc longe optimam, & consolatione plenissimam concionẽ permouit. Duas præmisimus parabolas, quibus quid Christus significare voluerit, aperimus iuxta mediocritatem nostram. Iam alia & prolixissima sequitur, quæ licet eiusdem cum superioribus argumenti sit, possetq; ob id breuibus absolui, tamen longiori tractatu, in bonum nostrum ipsam tractabimus. Multa certè in se complectitur, quorum admonuisse, scio nõ pœnitebit, &c. Homo quidã habuit duos filios, & dixit adolescentior ex illis patri. Pater da mihi portionem quæ me contingit: Quare adolescentior & non senior? Quia plus stultitiæ & temeritatis in adolescente quàm in seniore. Non adhibuit rationem in consilium, sed stultitiam: & sic indulgenter enutritus fuerat, vt sciret se quæ vellet loqui posse. Sed vide temeritatem adolescentis. Pater, inquit, da mihi portionem substantiæ meæ, &c. Quam portionem? Hic scilicet filius noster satis delicatè enutritus, hæres vult esse patris, patre adhuc superstite: Quid ad hæc pater? Diuisit illis substantiam. Hoc non erat boni patris, temerariæ adolescentis libidini obtemperare, sed duris verbis, & longe durioribus verberibus, oportuit illius libidinem propellere. Audi Salomonẽ: Stultitia, inquit, colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ cohibebit eam. Prou. xxij. Et Iesus Syrach: Filij tibi sunt, erudi illos, & incurua illos à pueritia illorum. Ecclesiast. vij. Quod si fecisset Heli, fœliciorem cum suis filiis habuisset successum. Sed iam audiemus quàm egregiè adolescens ille bona sua auxerit.

*Et post non multos dies, congregatis omnibus, adolescẽtior filius peregre profectus est, in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam, viuendo luxuriosè.*

Festinauit ille temerarius adolescẽs, vt diuenderet omnia quæ sibi ferenda non erant, vt præsente scilicet pecunia liberius posset luxuriari: & pecunia cõtracta proficiscitur in regionem longinquam, vt longè esset à parentibus, longè ab amicis: vt sic ignotus magis perditè posset viuere. Quid enim aliud faceret temerarius adolescens, sui iuris, tenerè educatus, à patre plus æquo dilectus? Qui in paterna domo leuiter vixerat, qui potuit in aliis longinquis regionibus melius viuere? Dissipauit ergo omnem substantiam suam, viuẽdo luxuriosè: non depredatus est, non fecit naufragium, non fuit valetudinarius, vt aliquid erogaretur medicis, sed incolumi corpore & fortuna, dilapidauit omnem substantiam suã viuendo luxuriosè, hoc est per luxum, alea, scortis, cõuiuiis. Luxus enim est quicquid extra necessitatem carnis cupiditatibus impenditur. Sic ergo res se habuit cum diuite illo adolescente. Tu qui pater es, cura ac caue ne filio tuo eiusdem infœlicitatis causa sis. Immo quotquot sumus Christiani cauere debemus, ne bona illa quæ à Patre cœlesti non ex debito, sed ex gratia accepimus, luxuriosè dilapidemus: de bonis loquor, siue illa fuerint corporalia siue spiritualia. Hæc enim ideo accepimus, non vt pro libitu nostro, sed pro nostra necessitate hijs vtamur, reliqua autem vertamus in vsum proximi nostri, qua de re in cap. xvi. loquuturi sumus quæ Deus dederit.

*Et postquam omnia consummasset,*

facta

*facta eſt fames valida in regione illa, & ipſe cœpit egere: Et abijt, & adhæſit vni ciuium regionis illius. Et miſit illum in villam ſuam, vt paſceret porcos. Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis quas porci manducabant, & nemo illi dabat.*

Scilicet ſic plerunque ſolet fieri vt Deus aliquo modo puniat, eos quibus in hoc ſeculo licet quiduis facere. Ecce enim pater, ceu diximus, pluſquā delicatè filium enutrierat, ſed res filij ſic à Deo diſponuntur, vt ſentiat quàm verè à ſapientibus huius mundi prouerbialiter dictum ſit. Sera in fundo parſimonia. Tu porrò vide quàm egregiè omnia hoc in loco deliniata ſint. Cùm adhuc abundaret bonus ille adoleſcēs, omnia ſunt paruæ indicaturæ, nulla famis mentio: at quum omnia conſumpta ſunt, tum tandem inualeſcit fames, ſic vt etiam ille qui non paruam ſubſtantiam patris dilapidaſſet, famem ſentiret. Quid porrò faceret adoleſcens in tanta famis carnificina? Abijt & adhæſit vni ciuium regionis illius. Vide rurſum. Non legimus quòd conductus fuerit, ſed quòd adhæſerit, quod mihi idem videtur ſignificare, ac ſi improbitate ſua ciuem illum quaſi compulerit. Tempore ſiquidem famis, non ſolemus plures conducere famulos, ſed ad parcendum ſumptibus, nos ipſi in famulorum deſcēdimus claſſem. Adde quod res ipſa clamat quanti fecerit ciuis ille Adoleſcentem, quum ipſum non alio officio honeſtarit, quàm vt præficeret porcis. De mercede quid? Nihil. Quid enim mercedis acciperet à Domino ille, qui non auſus fuerit nec cum porcis māducare ſiliquas? Eſt autem egregiā rerum commutatio. Qui prius in diuitiis conſtitutus, porcorum duxerat vitam potius quàm hominū; ille rurſus cogitur porcorum agere curam, nec dignus habetur qui porcorum ferculis veſcatur.

*In ſe autem reuerſus, dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo. Surgam & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cælum & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut vnum de mercenarijs tuis.*

Pſalmiſta quidam habet: Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt. Et de populo Iſraelis: Impinguatus & incraſſatus dilectus meus recalcitrauit. Fit enim plerunq; vt in ſumma rerum fœlicitate Dei non ſimus memores, nec grati: at veniente turbulento flatu, ſtatim reſpicimus, cōſcientia malefactorum eò impulſi, & aureos montes etiam Deo pollicentes. Sic prodigus noſter filius in omnium rerum abundantia exiſtens, non cogitat conditiones mercenariorum, immo dedignatur eſſe loco filij, vult eſſe ſuarum rerum proprius diſpenſator, patris boni optimam contemnit menſam: at fame penè enecatus, in memoriam omnia illa redeunt, tunc tandem tempus inſtat, quod facit agnoſcere quàm infœliciter negotium ſuum inſtituerit. Secum igitur init rationem, & qua ratione famis tyrannidem effugere poſsit, meditatur. Vnde, inquit, quo veni? Ex patria in exiliū, ex opulenta domo in regionem famis, à libertate in ſeruitutem, ab amantiſsimo patre ad difficillimum Dominum, à conſortio fratris ad fœdiſsimum porcorū gregem. Mercenarij in ædibus patris mei panibus abundant, & mihi hoc in ſeruitio vel ſiliquæ denegantur. Inſtituit ergo adoriri patrem rurſum, & conceptis verbis petere veniam.

Eſa. 1.

*Et ſurgens vadit ad patrem ſuum. Cùm autem adhuc longe eſſet, vidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum. Dixitq; ei filius: Pater peccaui in cælum & coram te,*

iam

*iam enim non sum dignus vocari filius tuus.*

Optandum foret vt tantus charitatis affectus esset in filiis ad parentes, quantus est horum ad illos. Quis enim hic non animaduertit cor paternum, quod se sic aperit ad aduentum pessimi illius dilapidatoris? Quid illi non exhibet humanitatis? Non expectat pater filii aduentum, sed vidit à longè venientem, non execratur eum, sed misericordia mouetur, accurrit, amplexatur, figit oscula, omniaque ipsi humanitatis exhibet officia, sicut statim audiemus. Hæc autem non in hoc dicta sunt, vt discant parentes malefeiatos pueros indulgentius recipere, Hoc enim quàm Deo displiceat, Heli sacerdotis illius Mosaici interitus abundè demonstrat. Corripiendi sunt pueri, qui toties parentibus oppedeunt, ne sic in malitia indurati, & in peius proficiant, & aliis malo sint exemplo. Neque hæc mihi in hoc dicuntur, vt parentes nunquam inducere debeant animos, delinquentibus ignoscere liberis, sed ne indulgentius quàm par est tractentur. Inuenies enim parentes qui pueris delicta, vt Psalmographus ait, iuuentutis ignoscere noluerunt, sicque fuerunt filiis suis occasio & causa longè grauioris infamiæ & turpitudinis. Audi, obsecro, diuum Paulum: Vos patres, inquit, nolite ad iracundiam prouocate filios vestros, sed educate eos in disciplina & correptione Domini. Non dicit, diligite ipsos. Ad hoc enim eos etiā inuitos, vt inquit Chrysostomus, ipsa natura impellit. Vnde superfluum fuisset de talibus legē ponere. Sed quid dicit? Ne prouocetis ad irā liberos vestros. Hoc multi faciūt, inquit idem, liberos suos exhæredātes & abdicantes, atque intolerabiliter prementes, nō tanquam liberos sed veluti mancipia. Audiuimus itaque patris affectum, iam quomodo se habuerit filius in petendo veniam, operepretium est audire. Pater peccaui, inquit, in cælum & coram te, iam enim non sum dignus vocari filius tuus. In cælum & in patrem peccauit, qui & in Deū & in patrem deliquit, Dei nimirum & patris mandata vilipendens. Verè item indignus est vocari filius patris, qui ipsi obedire hactenus renuit. Si ego pater vester, inquit alibi Dominus, vbi est honor meus? Obseruandum est hoc quod ait se peccasse in cælū: quo possumus intelligere etiam cœlestes nostra impietate offendi, nō solum Deum. Si enim gaudium est Angelis super vno peccatore pœnitentiā agente, certè nō potest nō esse tristitia in Angelis super vno peccatore peccatis nō abrenūciāte. Hic ergo discamus qua ratione debeamus apud Deum patrem cōfiteri nostra peccata, non vt excusemus accurata quadam oratione, non vt in alios deriuemus, non vt nos peccasse denegemus: sed potius vt simpliciter fateamur, nosque totos deliciamus, nihil diffidentes de Dei misericordia & benignitate. Quod si cui hæc parabola non sufficit pro exemplo, vel Dauidem consideret, & non erit quod diutius ipsum remoretur.

Ephe. 6.

*Dixit autem pater ad seruos suos: Cito proferte stolam primam, & induite illū, & date annulum in manu eius, & calciamenta in pedes eius: & adducite saginatum vitulum, & occidite, & manducemus & epulemur, quia hic filius meus mortuus erat & reuixit, perierat & inuentus est. Et cœperunt epulari.*

Hæc rursus declarant q̄ tenerrimè pater immorigerū suum filiū amarit. Nondum omnia dixerat filius quæ fuerat meditatus, singultu, vt opinor, interrumpente sermonem: & pater accurrit, osculatur, &c. Non intonat sæuis verbis, non minitatur verbera, non exprobrat ingratitudinem, non fugam, non ingluuiem, aliaque vitæ dedecora. Sed ardenti animo, magnóque studio procurat, vt quicquid est hu-

manitatis, exhibeatur filio: Omnibus enim seruis mandat, quasi vnus non sufficiat inseruire filio: iubet omnia cito fieri, ne videatur hæc non ex animo præcipere. Iubet adferri pristinam vestem, annulum, calciamenta, vitulum, item non macrum sed saginatum: vult vt instruatur conuiuium & lautum & lætum: Et ne quis putet patrem hæc facere, vt filio quasi hac pompa insultet, causam eius apparatus exponit, inquiens: Hæc omnia fieri volo: Quia filius hic meus mortuus erat & reuixit: perierat, & inuentus est. Hic igitur mihi in homine qui ex instinctu naturæ sic afficitur in filium, Dei bonitatem intellige, qui multo clementior est erga peccantem hominem, si modo verè & ex animo resipiscat, sibique displiceat, quàm quisque pater esse posit erga filium quem tenerrimè diligit. Hinc in Euangelio inquit Christus: Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, &c.

*Erat autem filius eius senior in agro, & cum veniret & appropinquaret domui, audiuit symphoniam & chorũ, & vocauit vnum de seruis, & interrogauit quæ hæc essent: Isque dixit illi: Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulũ saginatum, quia saluũ illum recepit. Indignatus est autem, & nolebat introire.*

In præmissis intelleximus geniũ adolescẽtioris filij, quomodo scilicet substantiã suã luxuriosè viuẽdo dilapidauerit: & hactenus quidẽ senior filius nobis visus est honestior & probior, vt qui non postularit à patre hæreditatẽ diuidi, nec partẽ suã inhonestè cõsumpserit, sed potius suarũ manuũ labore auxerit, propter quæ omnia immeritò à nobis accusaretur. At iam se prodit qualis sit, quũ indignatur quòd Pater tam benignè receperit filiũ suũ, de cuius aduentu vtique gaudere debebat. Boni certè filii est, voluntatẽ suam omnino iuxta boni patris voluntatẽ disponere. Gerit aũt hic senior filius imaginẽ eorũ, qui aliena scelera vbique prædicãdo dilatant & traducũt, ne semel quidẽ in suum ipsorũ sinũ respiciẽtes. Quod verò allegoriã adtinet, depingũtur nobis Iudæi, qui vbique & semper solent gẽtibus suã salutẽ inuidere, sua ostẽtantes opera, & aliorũ traducẽtes ignauiã, hoc quod & in parabola de operariis in vinea deliniatur. Sed audiamus quid pater ad indignabundũ filiũ seniorẽ.

*Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum.*

Rursum hic videmus benignitatem patris, qui nihil improperat respõsanti filio, sed ipse vadit post illũ, rogat, nihilque aliud studet, immo se in omnia vertit, vt fratrẽ fratri cõcilict: Magisque dolet tantam esse inter fratres inuidẽtiam, quàm quòd adolescentior tam ingentem substantiæ vim dilapidarit.

*At ille respõdens patri suo, dixit: Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mãdatum tuum præteriui, & nunquam dedisti hœdum, vt cum amicis meis epularer: sed postquam filius hic tuus venit, qui deuorauit omnem substantiã suã cum meretricibus, occidisti ei vitulũ saginatũ.*

Omnino hic senior filius nobis exhibet speciẽ immorigeri & capitosi, vt ita loquar, filij: vide obsecro quomodo patris lenitate abutatur. Pater potuisset dicere seruis & cõuiuis. Si recusat respõsator ille nobis esse cõuiua, maneat foris: Si nolit epulari & gaudere, famẽ patiatur & mœrore pereat. Quid phibebit me mea vt lubet expendere? Filio meo, qui partẽ substãtiæ suæ habet, illi nec seritur nec metitur. Sed horũ nihil pater: immo egreditur ipse, rogat filiũ secum velit gratulari ob fratris aduentum. Quid ille? Hoc quod audiuimus. Expostulat cũ patre benignissimo, arguit primo ingratitudinis, ostentat sua obsequia, iactitat se patris mandatũ nõ præteriisse: Post traducit fratris scelera, & hæc oĩa impudentiss. Sed audiamus respon-

responsatoris & improbi filij expostulationem: sic enim huius impudentia notior erit.

*Ecce, inquit, tot annis seruio tibi.*

Scilicet magna seruitus est, quũ filius famulatur & inseruit parẽtibus. Et si filius parenti fideliter seruit, an non quicquid hinc est emolumẽti ad filios redit? Ecce, inquit, tot annis seruio tibi. Cur nõ ait: Ecce tot annis educasti me, tot dolores, tot curas meo nomine insumpsisti, vnde nunquam tibi possum reddere æquiualens.

*Nunquam mandatum tuũ præteriui.*

Forte plerunque & sciens & imprudens præteriuit patris mandatum, at tanta huius erga filiũ fuit charitas, vt quicquid fieret à filio, æquo animo acciperet boniq; faceret.

*Nunquam dedisti hœdum.*

At tibi dedit vitã, tenerè educauit, partẽ substantiæ etiã adhuc viuus tibi dedit: an ne hæc præponderãt hœdo?

*Vt cum amicis meis epularer.*

Quasi scilicet cũ amicis non fuerit epulis exhilaratus, qui hactenus, hoc quod & ipse vltro fatetur, semper fuerit cum patre: Et quos habere potest amicos, qui fratrẽ apud patrem traducit, ac patrẽ ipsum obiurgat? Iam audi obsecro quantum exaggeret fratris sui peccatum, quod quidem satis graue erat, sed non decebat fratrem sic fratris sui manifestare peccatum.

*Sed postquam hic filius tuus venit.*

Animaduertis inuidiam? Non dicit: postquam hic frater meus venit, sed postquam hic filius tuus venit. Omnia verba amaritudine & contemptu plena sunt. Hic, quem tanti facis, qui tam improbe egit: Filius, qui totam scilicet familiam & stirpem nostram confudit, qui mancipium vocari dignus. Filius tuus, non frater meus. Tuus, inquam, filius, in cuius gratiam substantiam hæreditariam diuisisti. Filius, inquam tuus.

*Qui deuorauit totam substantiam suam cum meretricibus.*

Quis hoc nunciauit fratri seniori? An hæc est vnica via qua quis ad egestatem venit? Qui fit quod non alia incommoda occurrunt inuido fratris animo? Fortè naufragium fecit, in latrones incidit, qui & spoliauerunt eũ, aut infirmitate aliqua detentus, omnes diuitias suas medicis erogauit. Hæc & similia, quæ certè subinde contingere solent, non succurrunt, sed odiosissima quæque. Et profecto non est grauius odium, quàm si quãdo odium inter fratres accensum fuerit. Hoc quã verum sit, multis exemplis demonstrare possem. Qualis fuerit inimicitia inter Abel & Cain, inter Isaac & Ismaelem, inter Iacob & Esau, inter Ioseph & ipsius fratres, ex scripturis notius est, quàm vt sit necessum hic referre. Sed quid ad filii expostulationem pater?

*At ipse dixit illi: Fili tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt: epulari autem & gaudere oportebat, quia frater hic tuus mortuus erat & reuixit: perierat & inuentus est.*

Pulchram hic videmus contentionem inter patris mansuetudinem, & filii inuidentiam. Pater nihil duri loquitur, sed omnia blandiusculè: Filius è conuerso venenum aspidum, iuxta Psalmistam, habet in labiis. Fili, inquit pater, nihil tibi decedit quòd in fratrem tuum vtor clementia: tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt. Hoc est, Cur indignaris, mi fili, quòd vel semel fratris tui nomine conuiuium adornaui. Nosti quòd vobis vtrisque hæreditatem dedi, singulis quod sibi competebat: Hic iunior cum sua substantia profectus est in regionem longinquam, nihil mihi fuerit oneri, nullos sumptus huius nomine feci: at tu, licet partem tuam non minus atq; ille

acceperis, tamen mecum es semper, & meis sumptibus viuis, & meis vteris atq; tuis. Hinc ille maiorẽ haberet expostulandi causam, quod tu non partita substantia hactenus fruitus fueris, qua ipse caruit, &c. Igitur non bene facis qui mihi meam exprobras clementiam, & fratris inuides fœlicitati, quam apud me nactus est. Oportebat autẽ epulari & gaudere, quia frater tuus hic mortuus erat, &c. Et hactenus quidem hæc iuxta historiam explicauimus, nõ ignari, sicut & ab initio admonuimus, quòd parabola hæc paucissimis potuerit comprehendi. Iam si quis allegoriam quærat, inueniet per hos duos filios, duos populos, nimirum circuncisum & præputiatũ effigiari, hoc quod & in aliis Euangeliorum parabolis videre licet, adolescentior ille gentes, alter verò Iudæos illos inuidentes & inuidiosos designat. Solent enim Iudæi nusq̃ nõ iactare & ostentare sua benefacta, ac si ex merito sibi ipsis debeatur Dei beneuolẽtia: At gẽtiles ex multis Dei flagellis peccata sua agnoscentes nõ iactãt bene merita, sed potius ambiũt Dei magnã misericordiã, cum Dauide dicentes: Miserere mei Deus, &c. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, &c. Accepit adolescentior substantiam suam à patre, quæ antequam acciperet non erat sua, sed patris. Sic & gentium populus habuit dotes suas à Patre cœlesti acceptas, vim ingenii, cognitionem rerum cõditarum, & quædam legis naturæ mandata, aliaq; permulta. Paulus in epistola Romanorũ statim ab initio docet, quid Iudæi à Deo acceperint, legem nimirũ & circuncisionẽ. Docet itẽ in eadẽ luxũ gẽtium, & fastũ Iudæorũ, ita vt vel hæc sola epistola possit esse vice cõmentarij in hanc Euãgelii parabolam. Quòd adolescẽtiori inuidet frater senior, hoc est Iudæus gẽtili, actus Apostolorũ indicãt. Sed quoniam hæc clara sunt, parũq; ad institutũ nostrũ faciunt, in nomine Domini finiemus hoc caput decimũquintũ, ad caput sequẽs properãtes.

## CAPVT XVI.

*Dicebat autem & ad discipulos suos: Homo quidam erat diues qui habebat villicũ, & hic diffamatus est apud illũ, quasi dißipasset bona illius.*

Si connexionem huius historiæ cũ præmissa quæras, nõ erit inuentu difficilis. Duo enim in prædicta parabola præcipuè aduertimus, nimirum luxum & dilapidationem bonorũ adolescentioris filij, & inuidentiam senioris fratris. In hac ergo parabola docebit nos Dominus, quod non sumus domini bonorum illorum, quæ nostra vocamus, sed solum œconomi & dispensatores, quodque tenemur pro omnibus rationẽ reddere Deo iustissimo iudici. Docebit item quod nõ debemus ad exemplum senioris filii alter alteri inuidere, sed potius alter alteri auxilio esse & opitulari. Quòd si etiam tertium in hac parabola quæras, inuenies Dominum tam benignum ac misericordem, vt etiam dona sua, ad ipsum à nobis relata, liberalissimè sit premiaturus: ita vt non sit admiratione dignum quòd luxuriosissimum illum filiũ, de quo paulo ante diximus, in gratiam susceperit. Cæterùm anteq̃ ad textus explicationem accedimus, ex sententia Theophylacti primo omniũ præfandum est, quod in sacræ scripturæ parabolis, non oportet omnes parabolarum partes curiosius inquirere, sed quatenus apparent proposito vtiles: reliquæ enim partes finiẽdæ sunt, quasi parabolam contexentes, & alias nihil ad propositum conducentes. Sed hæc suffecerint. Quis porrò est diues ille, nisi Deus & dominus noster, Pater noster & creator noster, in cuius manu & potestate sunt omnia bona, tã spiritualia, quàm corporalia, sic vt possit ea tribuere quando & cui vult. Diues est misericordia. Ephe.ij. diues est sapiẽtia,

tia, Rom.xi. Gloria & diuitiæ in domo eius, ait Psal. Et alibi: Dñi est terra, & plenitudo eius, orbis terrarũ, & vniuersi qui habitãt in eo. Et impudẽtiss. mẽtitus est Satanas dicẽs ad Christũ: Tibi dabo potestatẽ hãc vniuersam & gloriã illorũ, qa mihi tradita sunt, & cui volo do illa. At Christo credim⁹ dicẽti: Data est mihi oĩs potestas in cœlo & in terra. Habes ergo quis diues ille sit: de œconomo non est vlla dubitatio, quin vniuersum hoĩm genus sit, cui Dominus sua bona impartitus est multiphariã, vt illis ipsis vtatur ad Dei gloriã, & ꝓximi vtilitatẽ. Donorũ porrò Dei in præsenti, etiã Ethnicis testibus, triplex est ratio: aut enim sunt bona corporis, aut bona fortunæ, aut bona animi, quæ postrema potiora sunt, magisq́ sectanda. Bona corporis & fortunæ pñ cũ impiis plerunq; cõmunia habẽt: at bona animi, quæ virtutes interpretãtur, nõ itẽ, sed piis peculiaria sunt. Triplicia aũt illa bona, ceu diximus, sic in vsum nostrũ vertẽda sunt, vt inde etiã laudetur Deus & adiuuetur proximus. Qui viribus corporis valet, debilioribus inseruiat. Qui diuitiis abũdat, egẽtibus impartiri debet. Qui sapiẽtia & prudẽtia pollet, simpliciores & imperitos cõsilio adiuuet: & sic de aliis Dei donis, quæ in nobis collata videmus, par ratio est. Porrò quod ad diffamationẽ adtinet, Deus cui⁹ oculi, iuxta Scripturã, cõtemplantur vniuersam terrã, nullis delatoribus opus habet: sed Christus in parabola hoc adiecit, vt intelligamus Deũ facta nostra nequaq̃ ignorare, ipsumq; super illa nos ad rationẽ dandã vocaturum esse. Hinc sequitur.

*Et vocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare.*

Multi loci in scripturis sunt, ex quib⁹ has parabolæ partes nõ ineptè explicare possumus, quomodo scilicet Dominus audiat de nobis q̃ infideles & imprudentes simus dispensatores. In Genesi legimus sanguinẽ Abel clamare de terra ad cælos. Et in eodem libro, clamor Sodomorũ ad aures Dei peruenit. In Exodo autẽ: Viduæ & pupillo nõ nocebitis: si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego exaudiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, & erunt vxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli, Exodi xxij. Sic in Iona propheta legimus Niniuitarum maliciam coram Domino ascendisse. In nouo testamento Angeli piorum orationes & eleemosynas Deo offerunt, super peccatorum pœnitentia lætantur, & semper vident faciem patris. Ex hijs ergo intelligimus, quomodo villicatio nostra Deo innotescat. Quomodo porrò nos alloquatur Deus, rationemque factorum nostrorum à nobis postulet, multiphariam demonstrare possumus. Toties enim nos vocat ad reddendam rationẽ, quoties nos mortalitatis nostræ admonet, siue in nobis ipsis, siue in aliis. Si morbus quispiã te corripuerit, nõne trepidas, nõne times instare horã mortis, nonne in mentem tibi venit tribunal iudicis, nõne optares te fidelius rem tuam administrasse? Conscientia enim tua tibi testificatur qualis sis, quid meritò talem maneat, qualis tu es. Hæc enim Domini vocatio est, qua tibi in corde loquitur, vt rem tuam sic administres, sic disponas, vt nihil trepides de futura ratione. Vide ergo rem tuam administres dum tempus habes, dũ potes: Veniet enim tempus, quando amplius villicare nõ poteris. Sed audiamus quid consilij ceperit intra se villicus.

*Ait autem villicus intra se: Quid faciam quia Dominus meus aufert à me villicationem? Fodere non valeo, mendicare erubesco. Scio quid faciam, vt cum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas.*

Parabola hæc egregiè hominũ despe rantiũ affectus depingit. Neq; enim po test fieri vt quieta cõscientia esse pos sit, qui pollicitã fidẽ domino suo non præstiterit. Villicus hic infideliter sub stantiam Domini sui dilapidauit, ad calculum vocatur, & quoniam suæ in fidelitatis sibimetipsi cõscius est, scitq; se non esse soluendo, persuasum item habet se hoc œconomi officio absol uendum, secum consultat, deliberat, cum semetipso init rationem, qua re in posterum viuere possit. Se suaq; om nia considerat, examinat, ponderat. Quid faciam, inquit, quia dominus meus aufert à me villicationem? Au dis quàm omnino de domino despe ret, sciens nimirum quòd tam impro bè egerit, vt non possit post hac bene uolum habere dominum: Nec exco gitare potest, quo prætextu infidelita tem suam excuset, nec aliquos spon sores producere potest, &c. Quid fa ciam? œconomia à me auferetur, qua me hactenus alui. Fodere non valeo, corpore nimirum meo tenerius & de licatius educato, quàm vt tam graues labores subire possit. Mendicitas su perest, sed hæc si non multum labo ris, certè pudoris plurimũ habet. Bo num est quod villicus hic non furti meminit, hoc quod multi nostro se culo faciunt, quos & fodere & men dicare pudet, interim tamen furto & raptu viuunt. Sed audi consilium vil lici: Scio quid faciam, inquit, vt cum amotus fuero à villicatione, nõ desint qui me recipiant in domos suas: vt scilicet nec fodere nec mendicare co gar. Quærat aliquis qua ratione hæc œconomi consultatio producta fue rit à Domino? Respondeo, in hoc ni mirum, vt doceret nos prudẽter age re, semperq; futura prospicere, & præ cipuè hoc quòd scilicet non habemus hic manentem ciuitatem, sed alio no bis peregrinandum est. Dum igitur hic incolumes viuimus cogitandum est de futura habitatione: quæ perpe tua sit necesse est, siue gloriosa siue ca lamitosa fuerit.

*Conuocatis igitur singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quãtum de bes domino meo? At ille dixit, centum cados olei. Dixitq; illi, accipe cautionem tuam & sede cito scribe .l. Deinde alio dixit: Tu verò quantum debes? Qui ait, Centum coros tritici. Ait illi, Accipe li teras tuas, & scribe octoginta.*

Necesse est pessimus fuerit ille œ conomus, qui non contentus semel dilapidasse substantiam domini sui, nisi improbitati improbitatẽ addat: & ex bonis domini sibiipsi amicos con cilict. Quicquid enim hic remittit de bitoribus substantiæ domini sui de cedit. Remittit autem debitoribus œ conomus, hac conditione, vt post hac illo sumptu à debitoribus illis susten tari possit, &c. Vide autem inquietam conscientiam nebulonis, quàm trepi dat? quàm angitur? Singulos debitores conuocat, ne si vni remittat, alteri nõ, hic infidelitatem domino aperiat. Et iubet cito scribere, ne dominus con silium hoc anteuertat.

*Et laudauit dominus villicum ini quitatis, quia prudenter fecisset: Quia fi lij huius seculi prudentiores sunt filijs lu cis in generatione sua.*

Probè considerãdum quòd pater familias laudat œconomum, non de iniquitate sed de prudentia. Neq; enim laude sed laqueo dignus est, qui do mino suo fraudem facit. Prudẽtia itaq; œconomi, qua sibi in futurum pro spexit, laudatur, infidelitas autem non laudatur, sicut etiam non laudamus eum quòd prudentia abusus fuerit: de buisset enim illa vti citra domini sui damnũ. Si ergo in principio cũ œco nomiam susciperet, cogitasset, se rur sum olim posse absolui ab hoc officio, reddendamque fore rationem accepti

& ex

& expensi, prudentia sua benè fuisset vsus. Breuiter Christus hac parabola nihil aliud docere voluit, quàm nos nobis debere in futurum prospicere, eleemosynæq; elargitionem plurimũ nos promouere ad regnum gloriæ. Quod porrò hic additur, siue in persona Christi, siue patrisfamilias: Filios huius seculi pudentiores esse in generatione sua filiis lucis, eo referendum est, vt intelligamus, hoc quod res ipsa clamat, filios huius seculi prudentius administrare temporalia, quàm nos, qui filij lucis esse cupimus, administramus spiritualia. Hoc qui non videt verũ esse, vel talpa cecior est. Quis enim nostrum est qui tantum operis vel impensæ impendat animæ, quantũ corpori? Quis tantum periculi subibit pro regno cælorum, quantum auarus mercator pro vili lucello? Quis tanta subit pro honesta vxore pericula, quãta impurus amator pro scorto? Quis nõ diligentius curat agros quàm pueros? In rebus igitur temporalibus sumus Solones, in rebus spiritualibus moriones, &c.

*Et ego dico vobis: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*

Morum corrigẽdorũ nullus alius quàm in hac vita locus: nã post hãc quisq; id habebit, quod in hac sibimet conquisierit Aug. ad Maced. Epis. 54.

Mammon, si dictis credimus, diuitias significat, neque simpliciter diuitias, sed exuberantes opes & supra modum ingentes. Iniquum autẽ Mãmona, siue iniustas diuitias ideo appellat, quia ipsius studium plerunque iniquos & iniustos facit homines: Vndè & nos germani subinde solemus dicere: Oh du boeß gelt, quando scilicet videmus pecuniæ nomine tam nephanda subinde fieri. Sensus igitur est, vt diuitias nostras non nobis integras seruemus, sed multo magis eas impartiamur egenis, vt hij scilicet nostra humanitate prouocati, nobis apud Deũ suis ipsorum precibus patrocinentur. Hoc enim pollicentur nobis mendici, si quando subleuamus ipsorum inopiam. Adnotarunt hic boni doctores, quòd diuitiæ illæ iniquæ & iniustæ dicantur, quæ etiã iusto titulo videmur possidere, quas scilicet vel industria vel laboribus nostris acquisiuimus, vel quæ hæreditario iure nobis concessæ sunt: Iniustæ & iniquæ, inquiũt, appellantur, quando hiis aliorum inopiam non subleuamus. Si igitur tales diuitiæ iniustæ & dicũtur & sunt, quid de illis dicẽdum quæ ex rapina, vsura, vel furto cõquirimus? Audiamus itaq; ò boni, Dominum nos admonentem, vt diuitiis nostris qualescunque tandẽ sint, nobis faciamus amicos, qui de nostra humanitate apud Deum testificari possunt, quiq; nos suis precibus Deo cõmendare possunt. Sed de eleemosynis dandis in parabola de diuite & Lazaro copiosius, si Dominus dederit, tractabimus. Hoc nunquam nobis memoria excidere debet, quòd non sumus domini bonorum nostrorum, sed solum oeconomi & dispensatores, quod de nostra dispensatione olim cogemur rationem dare. Tabernaculum enim hoc nostri corporis, non est perpetuum sed caducum, ita vt non possimus perpetuò hic permanere: ad æterna itaque tabernacula aspirandum est, at ad ea peruenire facilè poterunt, qui eo suos thesauros præmittunt, hoc quod etiam alibi satis docuit Christus, &c. Nolite, inquit, vobis thesaurizare in terris, vbi fures effodiunt, erugo cõsumit, tineæ corrumpunt: sed thesaurizate vobis thesauros in cælo, vbi fur non appropiat, vbi sacculi non veterascunt, vbi erugo non consumit, vbi tinea non demolitur, &c. Paulus porrò Apostolus ait: Nihil intulimus in hũc mundum, haud dubium quia nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, hiis cõtenti simus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in la-

queum diaboli, &c. Sed videamus quæ sequuntur.

*Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est: & qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verũ est, quis credet vobis? Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis?*

Solet subinde Christus vulgò iactatis sententiis vti, quæ cum notæ sint, vulgique sententia non porrò reiiciendæ, tenacius hærent in simpliciorum cordibus. Sic certè nos iudicare solemus, sicut Christus hic loquitur: Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est: & qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est. Certè in rebus vel priuatis vel publicis administrãdis, nemo è vestigio ad altiora ascẽdit, sed prius exploratus quã dextrè se habeat in minoribus officiis obeundis, post gradatim ad altiora prouehitur. Et in familia non creditur dispensatio rerum preciosarũ, nisi quis prius fidelẽ se declararit in rebus vilioribus. Et Paulus hac regula vtitur in epistola ad Timothæũ priori inquiens: Si quis domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiã habebit? Sed ad propositum. Admonuit Dominus vt faciamus nobis amicos de Mãmona iniquo, hoc est, vt res nostras cõmunicemus pauperib⁹ & egenis. Iã qui nulla misericordia mouẽtur in pauperes, qui auaritiæ dediti sunt, laudãt quidẽ humanitatẽ & misericordiã (quis enim hæc vituperare ausit?) porrò adhortati ad eandem humanitatem præstandam, causificantur inopiam suam, dicentes se non illibenter velle pauperum subleuare inopiã, sed se destitutos copia, &c. Horum impio prætextui occurrit Dominus inquiẽs: Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est, &c. Quasi diceret: Si modica substantia sic obsedit cor vestrum, vt ne teruntio quidem pauperi subueniatis, quid fieret, si magnam auri vim haberetis? Certè re ipsa comprobatis vos, simulatque ditiores effecti fueritis, longè tenaciores fieri. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verum est, quis credet vobis. Si in re iniusta fideles non estis, cui persuadebitur vos in re iusta fideles futuros? Diuitiæ nullius momenti sunt, fallaces sunt, non sunt quod audiunt, quod promittunt, præstare non possunt: Vos autem sic erga illas affecti estis, vt nihil de illis velitis perire. Quòd si veræ essent, possessoremque suum sicut pollicentur bearent, bone Deus, quanto studio, cura ac sollicitudine illas prosequeremini? Etsi in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis? Hoc est, si neque ex alienis bonis benefacere vultis pauperibus: Quid faceretis cum substantia quæ vobis esset propria? Clarius dicam: Inuenies œconomos & dispensatores, quorum officium est iussu Domini vel familiæ, vel pauperibus dispensare: at illi sic auaritia obcæcati sunt, vt etiam iussi non dent, quod dare debebant. Iam si substantia ipsorum dispensatorum propria esset, quid putas facerent? Certè nemini quicquam darent: Sic & diuites huius seculi re ipsa experiuntur, quòd non sint domini & verè possessores bonorum, neque enim possunt hæc secum hinc auferre: sed nihilominus parcissimis illis vtuntur, nemini quidquam communicant: Iam si certo scirent se hic perpetuo futuros, seque nunquã posse bonis suis spoliari, certè ne mica quidem panis mendicum dignarentur. Certè videmus multos diuites sic auaritiæ deditos, vt dispensationem suorum bonorum vsque ad vltimum spiritum differre nõ dubitẽt. Sed pulchrè, nec minus piè Lucia illa castissima matri suæ dicebat: Non satis

1. Tim. 3

satis Deo charus est, qui illi hoc dat quo ipse perfrui non potest: sed si tibi vis gratum esse Deum, hoc illi da, quo tu poteris vti. Nam quod das moriēs, hoc ideo das, quia tecum ferre non præuales: Viuens ergo & salutē corporis tui tenens, da Christo quod possides, &c. Quæ hic fortè desiderantur ad disputationem de negotiatione talentorum reseruemus.

*Nemo seruus potest duobus dominis seruire, aut enim vnum odiet, & alterū diliget: aut vni adhærebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire & mammonæ.*

Non desunt fortè, qui nihil minus sibi videntur esse Christiani, etiāsi pecuniæ student, suamque fiduciam in illā ponunt. At his dicit Christus, quod iam audiuimus: Quia nemo potest duobus dominis seruire. Vix enim inter vllos homines sic conuenit, vt vnus seruus duobus dominis satisfacere possit suo obsequio, sed alterutro cōtempto, cogitur vni adhærere. Porrò Christus hoc loci non loquitur de duobus dominis hominibus, sed quos dominos velit manifestat, inquiēs: Nō potestis Deo seruire & Māmonæ. Hij enim duo domini nullam secum habent conuentionem, minus quàm lux cum tenebris: diuersa itē habent præcepta, vterque zelotes est, vterque sibi soli inseruiri vult, nullumque patitur consortem. Deus vult vt sibi seruias, se diligas ex toto corde, ex tota anima, &c. Hoc idem ius in te vendicabit Mammon, si modo huic tete addixeris, ideoque impossibile est vt vtrisque ex voto inseruias. Proinde qui putat se posse & in Deum & in diuitias fluxas piè sperare, semetipsum seducit, Deumque mendacii arguit. Sed pauca de vtriusque domini præceptis disseremus. Nullus quantumlibet dominus adeo crudelia & indigna præcipit atque Mammon. Incassum, inquit, & sine causa confunde animam tuā, Deū offende, ignora naturam ipsam, siue pater, siue mater, omni verecundia deposita, te aduersus illos instrue: tu coaceruа, tu rape, tu frauda: Cura vt tu habeas, nihil moueare, etiam si alii funditus pereant, &c. Aurum collige, non vt eo fruaris, sed vt serues vt maiore cruciatu torquearis. Esto, inquit, vigil, omnes habe suspectos, & seruos & amicos. Si pauperem videris fame deficere, ne miserearе. Huiusmodi nec his minora Mammonæ sunt præcepta. Deus verò omnino contraria præcipit: Amicus esto omnibus, inquit, sis bonus, sis modestus, neminem offendas: opem egētibus feras, noli rapere, noli alicui molestus esse, omnibus benefacere stude, & si qua sunt similia. Ex his ergo facilè apparet, quòd nemo possit talibus dominis ex æquo seruire. Sed de hoc nonnihil diximus in Matthæo nostro.

*Audiebant autem omnia Pharisæi, qui erant auari, & deridebant eum.*

Vide impudentiam Pharisæorum qui non verentur sapientiam ipsam Dei irridere. Sed hic est genius impiorum, vt verbum Dei, quod impugnare non possunt, in fabulam vertant. Et tales illusores etiam nostro seculo inuenire licebit, quibus verbum Dei lusus est. Auari Pharisæi irrident Dominū, quia contra auaritiam prædicabat: Sic etiam apud nos cōtingit, si admonuero aliquem ne plus æquo curet diuitias, sed iactet omnem suam curam in Dominum, statim respondebit, scilicet ego sic supinus expectabo Heliæ coruum, &c. Et si quis contra ebrietatem, ab ebriosis contemnitur: si quis cōtra superbos, hij rursum concionatorem irrident, & sorditiem obiiciunt. Totidem de aliis peruersis hominibus dictum esse volumus.

*Et ait illis: Vos estis qui iustificatis vos coram hominibus, Deus autē nouit*

*corda vestra. Quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum.*

Ex his apparere videtur, quo noïe Pharisæi Iesum irriserint, nimirum, quòd Pharisæi sibi metipsis tam iusti videbantur ac probi, vt nihil opus haberent hac Christi doctrina. Ac si dicerent: Hic egregiè scilicet concionatur, ac videtur sibi nescio quam nouam ac cælestem doctrinam adferre. at nobis hæc doctrina neque noua, neq; incognita est: sed quod ille docet, nos iam olim & docuimus verbis, & exemplo nostro exhibuimus. Ad has ergo Pharisæorum superbas cogitationes, respondet Christus inquiens: Vos estis, ô Pharisæi, qui iustificatis vos, hoc est, pro iustis & probis viris vos venditis coram hominibus, qui scilicet solùm opera vestra, non corda vestra vident: Deus autem nouit corda vestra, nouit cogitationes vestras, nouit hypocrisin vestram. Videtur autem eclyptica hic esse oratio: quæ sic complenda fuerat: Deus autem nouit corda vestra, & vos non iuxta externam laruam, sed iuxta corda vestra iudicaturus est. Iam sequitur: Quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum. Sensus est: Homines quidem quos vident externam habere sanctimoniam, verbisq; & factis neminem offendere, eos sanctos ac iustos iudicant, quicquid tandem in corde celent: at Deus externam illam sanctimoniam, nisi in corde radices egerit, porrò abominatur, nec quicquã abominabile magis est apud Deum, quàm hypocrisis, & impia illa simulatio. Hinc Iob ait: Simulatores & callidi prouocant iram Dei. Et verè dicit. Deus enim ex ipsis animi bonis æstimat hominem, solumq; intuetur corda nostra. Atque is demum diues est, qui apud Deum diues est: is iustus est, qui apud Deum iustus est. Obseruandum itaque, quænam sit potior iustitia, nimirum interna, hoc est, cordis, quam impii simulare possunt, habere

Cap. 36

non possunt. Externam autem iustitiam impii, infideles, Iudæi, imò simiæ imitari possunt. Sed audiamus reliquum sermonem Domini.

*Lex & prophetæ vsque ad Ioannem. Ex eo regnum Dei euangelizatur, & omnis in illud vim facit.*

Vide quàm copiosè descripserit nobis D. Lucas Christi responsionem, irrisionem autem Pharisaicam vix significauerit. Amant enim Euangelistæ conscribere potius quæ digna sint imitatione, quàm quæ sunt viruperio digna. Vnde & nos discere oportet, vt magis amem⁹ referre pia piorũ dicta, quàm impiorum blasphemias. Hæc cõtra delatores dicta sunto. Iam quam consequentiam hæc Domini verba de lege & prophetis habeant cum superioribus, demonstrandum est. Pharisæi non operatores, sed simulatores iustitiæ erant, ceu paulò antè dictum est, & sibi miris modis placebant de legis impletione, Christum autem, vt legis transgressorem calumniabantur. Adde, Christus hoc loci contra diuitias, imò contra auaritiã instituebat disputationẽ: quã cùm nõ libenter audirent Pharisæi, obiiciebant haud dubiè Christo diuites veteris testamenti, & promissiones temporalium bonorum in lege factas. Ad hæc itaque pertinet, quod Christus hic dicit: Lex & prophetæ vsque ad Ioannem, scilicet habuerunt locum suum. Quasi dicat: In lege quidem & prophetis temporalia & corporalia bona promissa sunt, & lex & prophetæ implendæ fuerunt, vsque ad Ioannem Baptistam. At tempus hoc iam alia postulat. Ioannes Baptista nullam facit temporalium bonorum mentionem, non pollicetur terrenam substantiam, sed regnum cœlorum. Nihil præcipit de sacrificiis taurorum, ouium, vel hircorum, nihil de possessione terræ Chanaan, &c. sed ait: Pœnitentiam agite, appropinquar ẽm regnum cælorum. Quæ videntur tempora-

poralia sunt, ait Paulus, quæ autē non videntur, æterna sunt. Inuisibilia ergo pollicetur Ioannes, non uisibilia. Iam vbi maior merces promittitur, ibi etiam non immeritò maior exigitur labor. Lex & prophetæ suum locū suo tempore occuparunt, haud iniuria, nimirum vsque ad prædicationem Ioannis Baptistæ. Ex eo tempore euangelizatur & annunciatur regnum Dei, & omnis in illud vim facit. Quid sibi hoc vult: Omnis in regnum Dei vim facit. Ad tacitas Pharisæorum cogitationes videtur esse responsio. Cogitarunt nimirum: Prædicet Ioannes, quàm diu velit de pœnitentia, & de regno cœlorū, certè habebit paucos discipulos. Neque enim sic stupidus est populus, vt spem pretio emat, vt inuisibilia visibilibus præponat, &c. Ad hoc ergo Christus: Ne puteris, ô Pharisæi, Ioannis prædicationem frustra fieri, nec esse qui regnum Dei quærant. Quilibet enim audita Ioannis concione, vim facit in regnum Dei. Et sicut nos Germanicè dicimus: Man stelt mit gvvalt dar nach. Etiamsi desint Pharisæi, tamen satis bonus numerus est eorum, qui vi quadam irrumpunt, nihil non faciētes, vt possint digni esse qui ad regnū Dei admittantur. Certè magna violentia est semetipsum abnegare, animā suam propter Christum odio habere, parentes, filios, vxorem, præ Christo cōtemnere, inimicos diligere, pro inimicis intercedere, &c. Hoc autem multi faciūt, vt quod Ioannes euangelizat, accipere possint. His opinor Christi sentētiam satis explicitam.

*Facilius est autem cælum & terram præterire, quàm de lege vnum apicem cadere.*

Et hac sententia calumniam Pharisaicam refutat. Cùm enim dixisset Christus, legem & prophetas vsq; ad Ioannem durasse: ne illi dicerent: Ergo tu præuaricaris legem, & alios, eadem vt faciant, doces? Respondet: Nō sum præuaricator legis, nec possibile est, vt non impleatur quod in lege scriptum est: Facilius est autem cælum & terram præterire, quàm de lege vnum apicem cadere. Sic apud Matthæum dicit: Nō veni soluere legem, sed adimplere. Amen dico vobis, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Ergo quicquid in lege & prophetis prædictum est, hoc vtique implebitur. At non solùm in lege prædictum est, & in prophetis, quod Pharisæi externè faciebant, de cæremoniis, victimis, & festis diebus loquor, sed etiam prædictū fuerat, hæc non perpetuò permansura: hoc quod Paulus copiosè in Hebræis suis docet. Quicquid ergo vel Christus vel Ioannes docet aut facit, hoc ipsum futurum esse, iam olim prædixerant prophetarum oracula. Ergo qui hoc ipsum facit, quod lex faciendum præscripsit, is non potest legis transgressor dici.

*Omnis qui dimittit vxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissā à viro ducit, mœchatur.*

Vel hac vnica sententia testatum facit Christus, se non soluere, hoc est, transgredi legem, sed potius hanc reuocare ad suam puritatem. Puritas enim legis, imò ipse legislator voluit, vt quod Deus semel coniunxerat, homo nunquam separaret: Et homo relinqueret patrem & matrem, & adhæreret vxori suæ: nec voluit vt vir dimitteret vxorem suam, & alterā duceret: nec voluit, vt dimissa alio nuberet: at Iudæi eò crudelitatis venerunt, vt si quid maculæ inueniretur in vxoribus suis, vatiniano odio ipsas prosequerētur, aut porrò interficerent: qua de re in Matthæo nostro disseruimus. Cùm igitur Christus hanc legem de coniugio adferr, ostendit quāti faciat legem, quam non vult negligi vel contemni, sed potius ad viuum impleri. Hac autem

tem lege explicata, Pharisæi facilè intelligere potuerũt, quàm longè essent ipsi à vera legis impletione, cùm tamẽ nusquam non inusissent Christum neglectæ legis. Sicut enim lex de matrimonio suam puritatem habet, quæ tamen à Pharisæis multis impuris glossis obducta fuit: ita & aliæ leges suam puritatem habuerunt, quemadmodum hoc ipsum Christus in Matthæo explicat, prolixa illa concione in monte habita, &c. Porrò quoniam Dominus hoc loci de matrimonio verba facit, conueniebat quidem verba facere de illo: at quoniam in Matthæo & Corinthiis nostris multa super hoc adnotauimus, hic nõ lubet quicquam repetere.

*Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè.*

Admonuerat in superioribus nos Dñs, vt faceremus nobis amicos de mãmona iniquitatis, hoc est, vt humani & benefici essemus erga egentes: sed Dñi sermonẽ Pharisæi qui erãt auari, interruperunt. Postquàm ergo horum malitiam retudit, cœptum sermonem prosequitur, apertissimo exẽplo ostendens, qualis & quãta pœna maneat eos qui nulla in proximos mouentur misericordia. Cæterùm quod hic Dominus refert, siue historia sit, siue parabola, nam de hoc doctorum variant sententiæ, nihil nos remorabitur: sed suffecerit nos scire, qua de causa Dñs hanc siue historiã, siue parabolam produxerit. Homo quidã erat diues, inquit, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splẽdidè. Habes testã, vt ita loquar, huius historiæ, iam accipe nucleũ. Homo quidã erat diues. Vide primo oĩm, quòd diuitis huius nomẽ nõ exprimitur à Christo, quod tamen mundo non potuit esse absconditũ. Solet enim mundus curiosius expiscari diuitũ nomen, q̃ pauperũ. At Christus ignorat diuites, q in ipso non ponunt

Vide Irenæũ, lib. 4. cap. 4. Vide August. de tẽm. Ser. 227

suã fiduciam. An nõ mundus solet suspicere purpuratos illos magis, q̃ mendicos? Si quẽ videmus magna vestium põpa incedẽtem, qui nobis incognitus est, statim diligenter inuestigamus, sedulò sciscitamur, quisnam & vnde sit. At si decẽ videris mendicos, horũ nomen, patriã, genus nihil moraris. Ergo quod Christus hoc loci nomen diuitis exprimere noluit, ideo factũ putamus, vt doceret nos non curare q̃ diues aliquis sit, sed quàm iustus. Hac de re etiã D. Iacobus seuerissimã habet obiurgationẽ. Si introierit, inquit, in conuentum vestrũ vir annulũ aureũ habens, in veste candida: introierit autẽ & pauper in sordido habitu, & intendatis in eũ qui indutus est veste præclara, & dixeritis ei: Tu sede hic bone, Pauperi autem dicatis: Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum: nonne iudicatis apud vos metipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarũ? Habes iã quare tacuerit nomẽ diuitis. Homo quidam erat diues. Diues erat, inquit Christus, non raptor, non fœnerator, non fur, &c. vt intelligas illum iusto titulo possedisse diuitias. Induebatur purpura & bysso. Audis in quem vsum verterit diuitias suas, nimirum in luxum vestitus. Sicut enim alibi cõmendatur Baptista de simplici vestitu, ita & hoc loci vituperatur diues de nimis molli & pretioso vestitu. Vnde discimus, non omninò nihil referre, quibus induaris: natura necessitate contenta est, non ambit vel pretiosa vel superflua. Et ex præsenti lectione occasionem haberemus totis, quod dicitur, velis ac remis inuehendi in pessimum hunc vestium luxum, qui totus nostram Germaniam sic occupauit, vt vix alio scelere magis simus exteris lusui. Sequitur. Et epulabatur quotidie splendidè. Alius diuitiarum abusus hic describitur, nimirum quòd diues nõ subinde, sed quotidie splẽdidè epulatus fuerit, & sicut

in vestiendo legem necessitatis transsiliuit, ita & in cõuiuando. Obseruent hic qui se putant nulla culpa dignos, quod splendidè vel vestiuntur, vel epulantur. Ego iam nolim hanc mouere camerinam.

*Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, et nemo illi dabat: sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius.*

Hic habebat diues ille epulo in quẽ esset beneficus, & cui suas communicaret diuitias. Bifariam enim malè administrãtur diuitiæ, videlicet, cùm das vbi dare non conueniebat: & cùm retrahis manum, vbi porrigenda fuerat. Diues nõ debebat bona sua in luxum vertere, sed potius his ipsis egenorum subleuare inopiam: atqui omnia vertit in luxum, & interim miseros negligit. Sed tu vide, quàm egregiè nobis depingar Lazarum Christus, sic vt diues ille nullam possit prætexere excusationem. Singula itaque examinanda sunt. Lazarus mendicus est, non opulẽtus, vt alienis sumptibus non egeat. Iacet ad ianuã diuitis, vt hic nõ possit dicere se nõ vidisse Lazarũ. Adde, nõ stat, sed iacet ad ianuã diuitis, non ex pigritia, sed quia plenus erat vlceribus. Non vnicũ tantũ vlcus habebat, sed quã plurima, ne putes diuitem erga validum mendicantem tam immisericordem fuisse. Tertiò, Lazarus non magnum thesaurum petit, quo non carere possit diues: non petit vina, qui mos mendicorum huius seculi est, vt putes fuisse bibulum: sed petit micas panis, & tales micas, quas aliàs patimur de mensis cadere. Quartò, nemo illi dabat: vt intelligas familiam & liberos per omnia diuitem referre dominum. Si enim consuesset dominus iubere famulos, vt curam haberent egenorum: nequaquam tam miserabilem neglexissent hominem. Quintò, canes veniunt, & lingunt Lazari vlcera: vt intelligas Lazarum benigniores habuisse canes, quàm homines. Ex his, opinor, intelligis miseriam Lazari, hulcerosi illius mendici, qui in tanta egestate positus, cogebatur luxum illius diuitis videre, quod procul dubio dolorem dolori adiiciebat. Interim bonus Lazarus patienter expectat eleemosynam: neque in tantis malis blasphemat, nec conuitiatur, nec incessit luxum diuitis, nec huius condemnat inhumanitatem, neque tandem Dei prouidentiam reprehendit, sed patienter suam sortem fert, expectatq; Dñi misericordiã, quam nec frustra expectauit. Sic enim continenter sequitur.

*Factum est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ.*

Videmus hic Dei magnam bonitatem, qua pronior est liberare afflictos, quàm ad tartara mittere impios. Sic apud Matthæum prius dicit piis: Venite benedicti patris mei. & postea impiis: Discedite à me maledicti in ignem æternum. Sic hoc loci primum hinc reuocat miserum Lazarum, huiusque miseriæ finem imponit: post tandem diuitem inhumanũ ad tartara mittit. Factum est, inquit, vt moreretur mendicus. Statutũ est enim hominibus semel mori. Semel moriendũ nobis, siue mẽdici siue diuites simus: sed fœlices sunt qui post mortem in Abrahæ sinu bene collocantur. Sed vide miram rerũ commutationem. Qui in præsenti vita non habebat qui sibi daret micas: quem diues non fuisset dignatus vel nutu oculorũ, hic tanti fit à Deo, vt nõ ab vno tantum angelo illũ efferri faciat, sed à multis angelis. Neq; enim dictũ est Lazarũ ab angelo deportatũ, sed: factũ est vt moreretur Lazar9, & portaretur ab angelis in sinũ Abrahæ, hoc est, in verã quietẽ, in eã gloriæ spẽ in qua Abra

ham sustentabatur, & cum Abrahæ filiis, sicut Cyrillus ait, collocatus est. Quid Abrahæ sin⁹, ait D. Gregorius, nisi secretam requiem significat patrũ? de qua veritas dicit: Multi venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno Dei: filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores. Non igitur est opus vt multis disputemus de sinu Abrahæ, de lymbo patrum, & id genus aliis, quæ curiosos quidem faciũt, nõ pios. Setẽtia Christi est, vt testetur Lazarũ mendicũ à sũma miseria deuenisse ad magnã fœlicitatem illam qua Abrahã cum reliquis piis fruitur. De habitatione diuitis iam sequitur.

*Mortuus est autem diues, & sepultus est in inferno.*

Mortuus est Lazarus, mortuus est & diues. Ille in sinũ Abrahæ portatur, hic verò in infernum, in locum nimirum tormentorum. Scriptũ enim est: Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Mors autẽ peccatorũ pessima, sicut idẽ Psalmista testatur. Neque hic exponit Dominus, quanta funeris pompa ad sepulchrum delatus sit diues, neque quo contemptu reiectũ fuerit cadauer Lazari: per hæc eñ neq; laudamur, neq; vituperamur apud Dominum. Satis est hic audire diuites etiã debitores esse mortis, vtcunq; hic splendidè viuãt, vtcunq; glorientur, vtcunq; sperent in diuitiis suis. Sed audi quæ sequuntur.

*Eleuans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham à longè, et Lazarum in sinu eius.*

Hæc nimirum diuiti ad cumulum tormentorum cedunt. Ante Lazarus iacebat ad ianuã diuitis, vt huius contẽplaretur luxũ, indeq; maiorẽ haberet tentationẽ: iã diues in inferno, & in tormentis est, & permittitur videre Lazarum in sinu Abrahæ, vt videat qua gloria semetipsum suo luxu, suaque inhumanitate spoliauerit. Et quod Lazaro sua tribulatio probè sit compensata.

*Et ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarũ, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.*

Et ipse diues clamans dixit. Quare clamans? Quia magnæ pœnæ magnã vocem reddebant. Sed quid clamat? quid petit? Pater Abraham. Vocat Abraham patrem, cuius vestigia si, dũ erat in viuis, imitari voluisset, nulla necessitate iam vrgeretur Abraham inuocare. Abraham enim nullum contempsit pauperem, sed magna obseruatione curauit, ne quis ipsũ præteriret non refocillatus. Diues itaque frustra Abraham vocat patrem, cuius noluit per imitationem esse filius. Miserere, inquit, mei. Non habet quod obiiciat debitum, ideò misericordiam quærit. Atqui dictum est: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiã consequentur. Et Iacobus, Iudicium, inquit, sine misericordia erit ei, qui non fecit misericordiam cum proximo suo. Et rursum scriptura dicit: Qui obturat aures suas, ne audiat pauperem, & ipse clamabit, & nõ exaudietur. Diues autem ille nulla motus est misericordia erga Lazarum, ideoque & ipse iam frustra implorat misericordiam, sicut audiemus. Sequitur, quam misericordiam velit. Et mitte, inquit, Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquã, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Quàm rectè, ô boni, psalmographus cecinit: Ne timueris cum diues factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius. Quoniam cùm interierit, non sumet omnia secum, neque descendet cũ eo gloria eius. An ne vera hæc esse, diues de quo iam loquimur, satis arguit? Qui prius indutus fuerat purpura & bysso, iã circũdatur flãma, & qui epulabatur quotidie splendidè, iã ne guttã aquæ habet. Et vide rursum conscientiæ morsum. Qui in vita sua denegarat

Psal.48.

rat Lazaro micas panis, ille iam non audet petere calicem aquæ frigidæ. Vtinam hæc ex animo considerarent diuites huius seculi, vtinam saperent, & intelligerent, atque nouissima prouiderēt. Ecce, inquit alius psalmus, homo qui nō posuit Deū adiutorem suū: sed sperauit in multitudine diuitiarū suarum.

Psal. 52.

*Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.*

Matt. 5. Luc. 6.

Beati qui lugent, ait apud Matthæū Christus, quoniam ipsi consolabuntur. Et in superioribus Lucæ nostri audiuimus Christum dicentem: Beati qui nunc fletis, quia ridebitis: & væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Audis hic diuitem primum ridentem, sed postea plorantem. Recepisti, inquit, bona: nunc verò cruciaris. Audi Lazarum in præsenti plorantem, postea verò ridentem. Lazarus in vita sua recepit mala: nunc autem consolatur. Enimuerò hæc Abrahæ sententia nunquam obliuioni tradenda est à nobis, siue fœlices hic fuerim⁹, siue infœlices. Fœlicibus, hoc est, quorū res in præsenti prosperæ sunt, terrori sunt hæc verba: his autem quibus fortuna semper aduersa est, cōsolationi sunt, si modò in tribulationibus & aduersitatib⁹ patiētes fuerint. Nō abhorret à præsenti textu quod apud Esaiā Dñs loquitur: Ecce serui mei comedēt, & vos esurietis. Ecce serui mei bibent, & vos sitietis. Ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini, &c.

Esa. 5

*Et in his oībus, inter nos et vos chaos magnū firmatū est, vt hi qui volūt hinc transire ad vos non possint, neque inde huc transmeare.*

Non est necesse vt hac in parabola plus q̄ necesse est, curiosi simus, ideoq; simplicissimè oīa expediem⁹, curiosas & superstitiosas quæstiones aliis quib⁹ magis vacat curiosa tractare, q̄ nobis, relinquētes. Nihil itaq; hic à nobis expectetis de loco inferorum, de voluntate vel beatorū, vel reproborū; sed hoc dicimus ex tota hac narratiōe, siue hæc parabola fuerit, siue historia, hoc liquere certò, Diuites auaros & immisericordes post hanc vitam frustra ambire vel Dei, vel diuorū misericordiam & bñficentiam. Sic enī certò firmatū est Dei iudiciū, vt electi nunq̄ pereāt, reprobi nūquam ad beatorū fœlicitatē perueniant. Tu porrò hic rursum vide, quàm immutatus fuerit animus diuitis, sed prorsus infœliciter. Seqtur enī.

*Et ait: Rogo ergo te pater, vt mittas eū in domū patris mei: habeo enim quinq; fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.*

Scilicet eū iā vis in domū patris tui mitti, quē olim vix patiebare ad ianuā domus tuæ iacere. Sed quare timet fratrum suorū aduentū? Haud dubiè verebatur se habiturū socios pœnarum, quos nouerat se habere imitatores epularum, auaritiæ, immisericordiæ, &c. An verò hoc anteuertere voluerit diues ex fraterna dilectione, vel ex timore grauioris pœnæ, quam ex cōspectu fraterni cruciatus habere potuit, quid opus est multis quærere? Cur non in viuis existens diues, viuos & conuiuātes fratres melioris vitæ admonuit? Sed serò sapiunt Phryges. Voluit aūt Dñs hac diuitis misera petitione ostendere, quòd ipse diues in propria conscientia agnouerit se meritò condemnatum, & fratres suos certò dānādos, si à cōsueto luxu non abstinerēt. Quòd si hoc de fratrib⁹ diuitis sentiendū, quid de aliis qui eodem inhæserint luto?

*Et ait illi Abraham: Habent Moysen & prophetas, audiant illos.*

Nihil, inqt Abrahā, necesse est hac gratia Lazarū auocari à quiete sua: fratres tui si volūt esse frugi, habēt q in suis libris illis loquatur. Hoc respōsū nō existimem⁹ soli diuiti datū, sed etiā nobis, q nunq̄ non sanis admonitionib⁹ opus

 habemus

habemus. Habemus & nos Moysen, habemus prophetas, habemus in quo excellimus Iudæos, vniuersum noui testamenti volumen: tales monitores oportet vt audiamus. In hoc enim nobis relicti sunt, non vt tantùm videamus, legamus, audiamus, sed etiam vt obediamus. Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinã scripta sunt, ait Apostolus noster Paulus.

*At ille dixit: Non, pater Abraham: sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.*

Hic diues ex se metitur etiam fratres suos: & quia ipse verba Dei ex prophetarum scriptis audire recusauerat, de fratribus suis meliora sperare non audet: existimatq; plus valituram admonitionem alicuius rediuiui, quàm si innumeros audierint concionatores.

Obseruandum tamẽ ex hac narratione, quàm obtinuerit apud Iudæos opinio de spiritibus mortuorum, apud viuentes deambulantium: & certè manifestior est res hæc, quàm vt negari possit. Vt autem certi quid de illo dicamus, quare sic obãbulent, quid illis tribuendum, ingenii nostri vires porrò superat. Ecclesiæ iudicio, in eiusmodi arcanis me libentissimè & securissimè submitto. Sed iam iuuat audire Abrahæ responsum.

*Ait autem illi: Si Moysen & prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.*

Hoc certè in reliquis Iudæis cernere licuit, qui rediuiuum Lazarum occidere, magis quàm illi credere maluerunt. Et Christo à mortuis reuocato quot & quantum Iudæi crediderint, notius est, q̃ vt referri debeat. Ad Christum in cruce pendentẽ clamabant: Si filius Dei est, descendat de cruce, vt videamus & credamus. Atqui maius est miraculum, maiorisq; virtutis argumentum, de sepulchro ex mortuis resurgere, quàm de cruce descendere. Sic etiam certiora sunt diuinæ scripturæ testimonia, quàm quæ ex mortuorum spiritibus ad nos deferuntur. Hinc alibi scriptura, non ignorans quàm incerta & dubia sint mortuorum responsa, nos præmonuit, inquiens, ne quæramus à mortuis veritatem. Rectè ergo respondet Abrahã: Si Moysen & prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. Hoc & nos de vniuersis huius seculi filiis dicimus, qui cùm nõ credãt infallibili scripturæ diuinæ, haud dubiè nunquam credituri sunt minoribus argumentis. Et tantùm de hac narratione. Qui allegoriis delectatur, quærat Ambrosiũ, & hoc copiosiorem Theophylactum. Dominus noster Iesus det, vt æquis animis perpetuò suscipiamus quæ saluti nostræ conferunt, quæ gloriam ipsius prouehunt, Cui laus & gloria in secula seculorum. Amen.

Deu. 18

## CAPVT XVII.

*ET ait ad discipulos suos: Impossibile est vt non veniant scandala.*

Licet non putemus Christi verba & facta, eo quo facta sunt ordine, ab Euangelistis conscripta esse: tamẽ multis in locis non difficulter verborũ & factorum ordinatissimam consequentiam inuenire licebit. Igitur si quæras quomodo hæc Domini verba cũ præmissa historia cõueniant: & quomodo alterũ alteri cohæreat, tẽ sic, inuocato Christi auxilio, expediem⁹. Cũ in superioribus disputaret Christus seruator noster cõtra auaritiã, audiẽtes hoc Pharisæi & sacerdotes, q & ipsi auari erãt, deridebãt eũ: quo noie, nõ dubiũ est qn multi fuerint scãdalizati, hoc est, ab suscipiẽdo euãgelio remorati. Hoc velim sic intelligeres: Si principes Iudæorũ, summi sacerdotes, & quotquot apud illos alicuius noĩs erãt, Christo credidissẽt, & ad hũc populũ adduxissẽt, certè maiore cũ fructu cecidisset semẽ verbi Dei. Iã verò cũ nusq̃ nõ Christo se exhibent obstreperos, nunq̃ non illũ calumniantur, quis non credet multos

propter

propter eos à Chriſto receſsiſſe. Poterat enim turba cogitare; primores illos nunquam Chriſto reluctaturos, ſi recta via incederet. Quantum enim illorum principum autoritas apud plebeios valuerit, ex eo apparet, quòd poſtea populo perſuaſerunt, vt Barrabâ erepto, Ieſum perderent. Et adhuc noſtro ſeculo multis errandi occaſionem præbet magnorũ, & iuxta huius mundi æſtimationem, ſapientiſsimorum virorum, ab Eccleſia catholica defectio. Nec obſcurum eſt, quantum valeât ad ſimpliciores mouendos, maiorum exempla, ſiue de rebus ſacris, ſiue prophanis loquamur. Exempla notiora ſunt, quàm vt opus ſit in mediũ multa referre. Quum igitur principes illi ſacerdotum, phariſæi, & alii eius generis impii, ſua malitia impedirẽt curſum euangelii, voluit Chriſtus ipſos admonere, quòd impunè non fecerint: ideoq́ hanc de ſcandalis diſputationem inſtituit dicens: Impoſsibile eſt, vt non veniant ſcãdala. Scholaſtici interpretãtur Scandalum, factum aut dictum minus rectum, quod præbet alteri occaſionem ruinæ culpabilis, ſeu peccati. Sic ergo ille ſcandalum ponit, qui alii occaſio eſt alicuius mali. Scandalum verò accipit, qui dicto vel facto alterius cõmotus, dicit vel facit quod nec dici, nec fieri debuit. Ex iam præmiſsis negotium explicabimus. Phariſæi cum Chriſto reluctantur, ſcandalum obiiciunt miſeris plebeis, quoniã illi in cauſa ſunt, quo plebei Chriſto minus credant: imitantur enim exemplum ſuperiorum, ſicq́ accipiunt ſcandalum, hoc eſt, offendunt, nec progrediuntur in via veritatis, &c. Porrò ſcandalizãtur, & ſcandalizant, hoc eſt, offendiculum & ponitur & accipitur multipliciter, ideoq́ de toto negotio prudenter & diſtinctè agendũ eſt. Quod iam diximus, oĩm apertius eſt: cùm ſcilicet quis aliorũ malitiã imitatur, vel ſciens, vel ignorans, & inde peccatum incidit. Iam verò obſeruandum & hoc. Sunt qui aliquid dicunt vel faciunt malè, quo tamen nolunt quenquam offendi: hi leuius peccant. Sunt autem qui ex deſtinata malitia, ſuo peſsimo exemplo, alios ſeducere laborant: hi grauiſsimè peccant. Loquendum eſt & de illis, ex quorum benedictis & benefactis alii ſcãdalizantur. Sic Iudæorum primores ſcandalizabantur, in liberrima illa Chriſti concione, apud Matt. xv. Sed Chriſtus malitioſorum offendiculum ſuſque deq́ ferebat. Neque enim in hoc concionabatur Chriſtus, vt quẽquam offenderet, ſed vt omnibus veram pietatem oſtenderet, & in quibus ſumma pietas ſita eſſet, efficaciſsimis argumentis doceret. Quod autẽ Phariſæi offendebãt, propriæ malitiæ erat, non alienæ importunitatis. Neq́ ignorabant Phariſæi, Chriſtum verè dicere, ſed malebãt ſuam auaritiam, quàm Dei gloriã obtinere. Poſſumus, imò & debemus etiam hoc adducere, quòd prudenter agẽdum eſt, ne etiã benefactis vel benedictis noſtris abutamur ad fratrũ offendiculũ. Accuſat D. Paulus Romanos ſuos, quòd libertate euãgelica, quã tamen ab ipſo didicerãt, in fratrũ offendiculũ abuterentur. Et alibi dicit: Oĩa mihi licent, ſed nõ oĩa expediunt. Et Chriſt⁹ ſuos admonuit, ne ſanctũ darẽt canibus, vel margaritas ſpargerẽt ante porcos. Verum in huiuſmodi ſinuoſis negotiis, nullus poteſt cert⁹ modus pſcribi, niſi vt quãtũ in nobis eſt, oĩm ſalutẽ oĩbus modis pmoueamus, oẽs iuuemus, nemini obſimus, oĩbus aũt cõmodo ſim⁹. Iã ad cõtextũ nos vertim⁹. Impoſſibile eſt, inqt Chriſt⁹, vt nõ veniãt ſcãdala. quomodo eſt impoſsibile? Nunqd abbreuiata eſt manus Dñi? Et volũtati eius qs reſiſtet? Bona verba, quæſo. Nõ diſputat Dñs, qd apud Deũ vel poſsibile, vel impoſsibile ſit: ſed loquitur quid ex præſenti rerũ ſtatu neceſſariò conſequatur. Breuiter, ſi conſideremus hominũ malitiã, & quod ex

corruptione naturæ nostræ proni sumus ad quæuis mala, certè cogimur dicere, necessario futura scandala. Nemo enim est, qui nō sua quærat, q non sibi melius velit, q̄ alteri: q non sua cōmoda quærat etiã cũ ꝓximi incōmodo: & ideò necesse est venire scandala: sicut necesse est scilicet ex putrefactiōe aeris gn̄rari pestē. Si in sua bonitate permāsisset humana natura, nulla nobis formidanda forent scandala. Si enim absolutè & simpliciter necessarium esset venire scandala, non comminaretur Dominus tam grauiter ei qui scandalorum autor est. Sequitur enim:

*Væ autem illi per quem veniunt. Vtilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum eius, & proiiciatur in mare, quàm vt scãdalizet vnũ de pusillis istis.*

Quod hic Dominus ait: Væ autem illi, &c. & condolentis est, & comminantis. Condolet enim homini, qui sibimetipsi causa perditionis existit. Et vt ipsum à malo cohibeat, comminatur, prædicitque, quàm graue subiturus sit pœnam, nisi vitauerit scandalum. Quod enim de mola asinaria dicit, in hoc dicit, vt ostendat, longè grauius Deum vindicaturũ scelera, quàm in præsenti mundo fieri soleat. Nulla enim comparatio est, inter pœnã præsentem, temporalem scilicet, & inter pœnam futuram, hoc est, æternam. Et hoc mihi videtur Dominus præcipuè voluisse præsenti collatione significare. Quidam locum hunc sic enodare solent, vt sit sensus: Tolerabilius esse hic puniri pro dato scandalo, quàm futuram subire pœnam. Quasi Deus in futuro eos non puniat, q ob mala facinora à mũdi magistratu puniũtur in hoc seculo. Ego super hoc negotio nihil temerè affirmauerim: & malim aliquantulum hic hærere, q̄ temerè quid pronunciare. Hoc nobis suffecerit, si intelligamus eũ apud Deũ grauissimã manere pœnã, qui alteri peccati vel interitus aliquã præbet occasionē. Quod verò addit, illũ tã graue manere supplicium, qui scãdalizauerit vnum ex pusillis istis, videtur mihi pusillorum nomine intelligere cōtēptissimos ex suis. Sicut alibi dicit: Quicquid enim vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Vt sit sensus: Inultũ non sinã, si vel minimũ ac contēptissimũ ex meis offenderitis: tãtũ abest, vt vobis parcã, si electũ aliquod spiritus mei organũ offenderitis. Addã & hoc, Si impune nō feret, q vel vnicũ tantũ hoīem offendit, quid illi expectandũ, q magnã turbam secũ in exitium trahit. Sequitur:

*Attēdite vobis. Si peccauerit in te frater tuus, increpa illũ. Et si pœnitentiã egerit, dimitte illi. Et si septies in die peccauerit in te, & septies in die cōuersus fuerit ad te dicens: Pœnitet me, dimitte illi.*

Quod dicit: Attendite vobis, & ad superiora, & inferiora referri potest. Omninò eñ prouidenter dispiciēdum & cauendũ, ne alicui offendiculo sim⁹, Quod tñ vix in totũ nos effugere dabitur. In multis eñ offēdimus oēs. Diligēter itē ꝓuidendũ, ne patiamur odiũ vel inuidiã in cordibus nostris radices agere: tã latenter eñ & callidè se nobis insinuãt, vt etiã ignorãtibus nobis, aut nō probè considerãtibus, totos nos interdũ occupauerint. Sed examinemus verba Christi: Si peccauerit in te frater tuus, inqt, increpa illũ. Hoc est, si frater tu⁹, vel dicto vel facto te offēderit, noli reddere talionē, noli cogitare de vindicta, sed increpa eũ, hoc est, doce q̄ malè egerit, q̄ longè à Christiana dilectione recesserit, q̄ præter meritũ te læserit. Et si pœnitentiã egerit, hoc est, si peccatũ agnouerit, & ipsum tale qd designasse puduerit, dimitte illi. Nec semel vel bis tantũ hoc inter fratres fieri debet, sed perpetuò. Quòd si te vel septies in vno die offenderit, & admonitus ipsum pœnituerit facti, etiã septies illi culpã cōdonare debes. Apud Matth. hæc copiosi⁹ descripta sunt. Sed scop⁹ totius rei in hoc est, ne læsi cursũ lædamus, magisq nobis

nobis doleat damnum quod frater noster animæ suæ fecit, quàm plaga quã corpori nostro infixit: Sicque arguamus, in nos peccantem fratrem, vt appareamus non proditores, sed curatores fratris nostri. Hoc si à nobis fieret, neque iræ, neque inuidiæ, neque odii vllus apud nos locus esset. Diuus Apostolus noster Paulus in ea quæ est ad Romanos epistola, inter cætera, quorũ illos admonet, ait: Non vosmetipsos vlciscentes charissimi, sed date locũ iræ: sicut scriptũ est, mihi vindictã & ego retribuam. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones igneos cõgeres super caput eius. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. Dare locum iræ, est permittere Domino iudicandi facultatem, quam ei præripiunt qui vindictam aggrediuntur. Quare si Dei vices vsurpare nephas est, neque vindicare licet: quia sic Dei iudicio anteuertimus, qui has partes sibi seruatas esse voluit. Similiter etiam innuit Deum habituros vindicem, qui patienter eius auxilium expectãt. Vindex est enim Deus iniuriam patientium. Sed nos hæc non cogitamus, sed odium & inuidia sic nos excæcant, vt nihil attendamus siue quæ nos siue quæ alios deceant. Immo tam delicati quidam sunt, vt ne duriusculum ferre à fratre velint verbulũ: sed cõtinuo intempestiuè tumultuantur, cœlum terramque commiscentes, quum tamen ipsi interim nunquam cessent fratribus negotium facessere. Sed hoc ideo fit, quia non animaduertimus ad Dei mãdata, nec cogitamus quantum debeamus fratribus nostris, sed perpetuo in hoc laboramus, vt quicquid nos vel instituimus vel facimus, illud omnibus placere debeat. Enimuero Christus nõ frustra dixit: Si peccauerit in te frater tuus. Admonere certè voluit eius, quod ipse Christus multa nobis donarit, donec nos in fraternitatem hanc perduceret: Et quis grauaretur ignoscere fratri? Sequitur in contextu.

Rom.12

*Et dixerunt Apostoli Domino. Adauge nobis fidem.*

Non raro legimus in Domini Euãgelio Apostolis modicam fidem vitio versam. In Matthæi Euangelio cum nauicula, tempestate maris agitaretur satis periculosè, & Apostoli Dominũ vellicarent quatenus sedaret tempestatem, obiurgantur à Domino dicente illis: Quid timidi estis modicæ fidei? Et cum Petrus super aquas ambulans timebat mergi, increpatur à Domino, Modicæ fidei quare dubitasti? Rursum cap. xvi. Quid cogitatis inter vos modicæ fidei quia panes non habetis? Et in Luca nostro cap. viij. audiuimus Christũ discipulis suis loquentẽ: Vbi est fides vestra? Sunt & alia loca in Euangelio, quæ satis arguunt discipulos non satis fuisse confirmatos in fide, hoc est, nonnunquam vacillasse & dubitasse, nec perpetuò considerasse quem vel qualem secum haberẽt Dominum. Rectè ergo postulant sibi augeri fidem: Sed quomodo hæc cũ superioribus cohæreant, videre operæpretium est. Certè non potest satis exprimi quantum valeat vera & efficax fides, & quàm necessaria sit piis in hoc sæculo peregrinantibus. Quis enim, non habens fidem firmam, negligẽt huius mundi voluptates, quis effundet suas opes in pauperes, quis condonabit iniuriam fratri, quis de malè meritis bene merebitur, quis carceres, virgas, & mortem denique patienter suscipiet, nisi persuasissimum habeat se Deo curæ esse, omniaque bona ac fœlicia sibi apud Deũ reposita esse. Huic tot encomia fidei in Hebræorum epistola, vbi Apostolus enumerat quæ & quanta & fecerint & passi fuerint sancti patriarchæ sola fide nisi. Iam ergo ad consequentiam textus venimus. Præscripsit Dominus seruator noster quã

Mat.8.

Mat.14

Matt.16

faciles esse debeamus in condonandis mutuis offensis:& huius praecepta nemo impunè negliget. Iam quotquot secundum Adam nati sunt,& Adae affectus induerunt (induũt autem ipsos quotquot ab illo nascuntur) non sunt animati ad condonandum tam facilè, sed ad vindicandum facillimi, & supra modum propensi. Nulla autem re tales carnis affectus conteri & extingui possunt, quàm vera fide, qua nobis persuadetur regnum nostrum non esse de hoc mundo, tribulationesque nostras,quas in praesenti iniustè patimur, causam nobis fore summae foelicitatis. Cum igitur Apostoli toties audiissent tam magna fidei encomia à Christo,& iam audirent quos affectus ab ipsis postularet, sibimetipsis diffidentes,Christum inuocant pro augmento fidei,dicentes: Domine adauge nobis fidem,nimirum vt quod à nobis exigis,fidelius praestare possimus. Iubes vt faciles simus in condonandis mutuis offensis:atqui non sufficimus nobisipsis vt haec praestemus,carnis affectus totis viribus repugnat, tu ergo Domine omnis boni author,qui solus potes mundũ facere de immundo cõceptum semine, da nobis auctiorem fidem,vt à te solo pendentes nihili faciamus quomodo vel quid molestiae nobis praesens hic mundus inferat. Dicamus & nos cum D. Augustino ad omnia Christi mandata: O Domine, da quod iubes,& iube quod vis. Quid porrò Christus ad suorum Apostolorum vota?

*Dixit autem Dominus: Si habueritis fidem sicut granum synapis: diceretis huic arbori moro: Eradicare & transplantare in mare: & obediet vobis.*

Apud Matthaeum ait: Diceretis mõti huic, transi hinc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis. Sed fortè non vides quomodo haec Domini responsio, ad petitionem discipulorum conueniat. Satis probè, si modo negotium probè examinaueris. Apostoli ideo postulant sibi augeri fidem, quia persuasum habent magnam & penè ineffabilem vim fidei esse. Vt ergo hanc opinionem in discipulis suis confirmaret Christus, haec respondit, ostendens quanta sit vis fidei, etiam si non sit perfectissima. Quae enim collatio grani synapis, ad montem vel ad arborem morum? Haec mihi plana videtur eius loci expositio, nec puto necessarium ad allegoricos diuertere sensus, scilicet quanta sit vis effectus spiritualis synapios, quae arbor transplãtanda, quis mons transferendus? Certum est, per translationem montium & arborum, Christum significare voluisse, rem quamlibet difficilem, imo naturae impossibilẽ: Non quod oporteat fideles transferre montes vel arbores, licet & hoc possint, si gloria Dei vel charitas proximi hoc ipsum postularet. In cuius rei fidem legimus in ecclesiastica historia, rupem quandam translatam precibus Gregorii Neocesariensis Episcopi, quae rupes obstabat aedificandae Ecclesiae, &c. Locus est libro septimo Ecclesiasticae historiae, cap. xxv. Sed haec pro praesenti loco. Sequitur.

*Quis autem vestrum habens seruum arantem aut pascentem boues, qui regresso de agro, dicat illi statim, Transi & recumbe: & non dicat, para quod caenem, & praecinge te & ministra mihi donec manducem & bibam, & post haec tu manducabis & bibes? Nunquid gratiam habet seruo illi, quia fecit quae imperauerat? Non puto.*

Verba haec iuxta historiam plana quidem sunt, sed quid ipsis verbis occultetur, quid Christus hac parabolica locutione intelligi velit, non omnibus obuiam putauerim. Certè qui seruum habet, non plurimum illi adulatur, non est ei admodum blandulus,

nec

nec simulatque officium suum in agro perfecerit continuo eum patitur deliciari: Sed tam domi quàm ruri cogitur seruus inseruire domino suo. Et si etiā omnem diligentiam ostenderit, nō tamen est vnde multum glorietur: quicquid enim fecit ex debito fecit. Hæc certè secundum historiam ita habent. Ad institutum Christi autem sic accōmodamus, ni fallimur, nō ineptè. Magna quædam præcepta hactenus præscripsit Christus, & talia quæ carni nostræ admodum refragentur, vt sunt de abiicienda cura rerum temporaliū, de sufferenda vxore quamuis difficili, de remittendis mutuis offensis, &c. At qui genius ille noster quem Adamo acceptum referimus, multum abhorret ab eiusmodi præceptis, omnisque iugi impatiens, semper veretur ne plus à se postuletur, item si quando vel modicum quid operatus fuerit, egregiè sibi placet, putatque spartam suā pulcherrimè exornatā. Ad hanc itaque arrogantiam retundendam Christus hoc paradigma adduxit, quo voluit significare, nos nihil magni fecisse, si etiam fecissemus quæcunque nobis à Deo mandata sunt, quod tamen minimè facimus. Sed audiamus Christum semetipsum explicantem.

*Sic & vos cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis dicite: Serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.*

Ergo in hoc est totum negotiū sitū, ne de benefactis nostris gloriemur, nobisque plus æquo placeamus. Quis enim est, qui tantum præstat, quantū debet? Quis non necessarium sibi putat dicere, quòd à Christo edocti sumus: Remitte nobis, ô pater cœlestis, debita nostra? In multis enim offendimus omnes. Et si dixerimus quod peccatum non habeamus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Sed si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis

Luc.11.
Iaco.3.
1.Ioan.1

peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate, &c. 1. Ioan. 1. Agnouerunt ethnici non esse hominē qui Diis, parentibus & pedagogis, pro merito satisfacere possit. Valeant igitur pessimi hypocritæ, qui sibi videntur omnium sanctissimi, & neminem sibi ex æquo conferre patiuntur. Cæterùm prudenter hic locus tractandus est ne aliis scripturæ locis aduersari videatur. Spiritus enim sanctus dictator Euangelii nostri, vbique sibi constat, & in nullo à seipso dissentit: Quæris cur hoc admoneam? Sunt qui præsenti loco abutūtur cōtra piorum operum merita: quod certè non facerent, si cogitarent vicina virtutibus esse vitia. Sed scripturæ verbis, quod volumus aperiemus. Hoc in loco audimus Dominum dicere: Si feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus. Alibi cum Petrus inquit: Ecce nos reliquimus omnia & quæ sequūtur. Respondet Christus: Amen dico vobis, quia vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. Et alibi: Si persecuti vos fuerint, &c. propter nomen meū: gaudete & exultate quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Sic Apostolus Paulus qui ad Philippenses dicit, Fratres ego me nō arbitror apprehendisse. Vnum autem: quæ quidem retro sunt obliuiscens, ad ea verò quæ sunt priora extendēs meipsum, ad destinatū persequor ad brauium supernæ vocationis, &c. Ad Timothæum scribit: Bonum certamen certaui, &c. Ideo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Nunquid secum pugnat Apostolus? Nequaquā. Sed omnia loquitur suo tempore. Sed quomodo me explicabo? Inter arrogantiam, ô boni, & rectam fiduciā magna est differentia. Arrogantes suam bonitatem volunt cōstituere: Credētes

De meritis hominis.
Mat.19.
Mat.5.
Philip.3
2. Ti.4.

verò Dei misericordis bonitati nitun-tur,&c. Quod autem merita bonorũ operum quæ à piis fiunt adtinet, breuiter nos explicemus, exordium ab ipsius meriti definitione sumentes. Sciendum itaq; merita, secundum generalem nominis rationẽ, esse opera mercede digna, siue bona sint siue mala. Sic merito quis patitur suppliciũ, quando pœnas malefactis suis dignas luit. Secundũ merita premiatur quis & coronatur, quando præmium operibus laudabiliter factis dignum recipit. Iam autẽ obseruandum est, non talia esse merita bona inter creaturam &. creatorem, qualia sunt inter creaturas, inter quas meritis rependitur merces secundum valorem vtilitatũ, quam vna creatura consequitur, ex alterius operibus & laboribus: istic enim valor operum attenditur secundũ commodum, quod ex operibus ipsis consequitur is, apud quẽ meremur: veluti qui vel plantat vineã, vel fodit, vel pro ciuitate militat. Non autem nos operibus nostris, siue bona sint siue mala, sic possumus Deo præstare quicquam commodi aut vtilitatis vel nocumenti: & ideo secundũ talem modum merẽdi, nihil possumus mereri apud illũ. Rectè ergo Dauid ad dominum dicit: Bonorũ meorum non eges. Et ille in libro Iobi: Si peccaueris, quid Deo nocebis? Et si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? Porrò si iustè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? Obseruandum & hoc, quod meritum facit eum apud quem meretur esse debitorem. Atqui inter Deum & hominem nõ ita est. Nisi enim Deus suapte misericordia, benignitate & gratia nos præuenisset, dignosque qui benè operarentur, operibusque aliquid mererentur, fecisset, nostris operibus nihil æterni præmii atrogare possemus. Ego, inquit, elegi vos vt eatis & fructum afferatis: Et iterum elegit nos ante constitutionem mundi, vt essemus sancti & immaculati: Non ait: Quia eramus sancti & immaculati: sed vt essemus. Iustorum itaq; opera, omnem vim & efficaciam merendi quam habent, sortiuntur ex gratia & merito Christi. Hinc est quod D. Augustinus dicit. Multa sanctorũ merita sunt: sed vt sancti vel iusti fierẽt nulla sunt merita. Summa est totius negotii. Merita Christi Domini nostri, causa sunt meritorum nostrorum. Quod autẽ Christi meritorum participes facti sumus, & nostra opera tanti sint apud Deum, nullis operibus meruimus. Hinc consequitur dupliciter errare quosdam in hoc negotio. Primum quod negant operibus nostris quicquam mereri posse, secundò quod nullam aliam causam meritorum nostrorum ponunt, quàm pactum & promissionem Dei: neque enim attendunt in quam dignitatem prouexerit Dominus eos, pro quibus filium suum vnigenitum in mortem tradidit. Errant & illi qui tacita Dei gratia, piorum hominum pia merita plus æquo extollunt, nec in tempore. Media itaque ac regia via incedendum est, vt sic prædicemus piorum operum merita, vt neque Deo neque filiis Dei in aliquo præiudicemus. Deo autem nullum fit præiuditium, si fateamur Christum omniũ meritorum nostrorũ esse primariã causam, ipsumq; in nobis pro beneplacito suo operari & velle & perficere, vt sine quo nihil possumus boni vel cogitare etiam. Deinde, bona opera filiorũ Dei, causas esse beneficiorum Dei, cum Deus id passim in scripturis testetur, ambigi non potest. Si quis tantùm calicem aquæ frigidæ dederit alicui in nomine Christi, Dominus affirmat eum bonam mercedem recepturum. Non potest itaque meritò culpari, qui iuxta scripturæ sensum bonis operibus bonam mercedem pollicetur. His negotium hoc absolutum voluimus.

Meritũ. 1. Psal. 15. Iob. 35. 2. Ephe. 1.

Et

*Et factum est dum iret in Hierusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam. Et cum ingrederetur quoddã castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longe, & leuauerunt vocem suam, dicentes: Iesu preceptor, miserere nostri.*

Historia quam nobis hoc loco D. Lucas proponit enarrandam, & breuis est, & clara, neque tamen ob id ab aliquo contemnenda. Inuenire licebit minutissimas gemmulas, sed tamen pretiosas magnæque indicaturæ. Vos itaq; æquis animis adeste, ego talentulum mihi à Domino concreditum, & fideliter & hilariter ad mensam bonorum nummulariorum exponam. Profectio hæc quam Euangelista perscribit, vltima fuit quam Christus ante mortem suam confecit, ideoque non proxima via, sed quasi per remotiorē porróq; alienam viam Hierosolymorum ciuitatem adiit. Nouerat enim iã tandem horam instare, in qua patri obedire debebat, atque ex animo volebat, vsque ad turpissimam mortem crucis: occasionem itaque vndiq; venabatur benefaciẽdi misellis hominibus, quorum vltimũ gratia in hunc mundum venerat. Factum est itaque dum iret, hoc est, dum in itinere esset Hierosolymam versus, transibat per mediam Samariam & Galilæam. Quàm malè Galilæis, hoc est Iudæis cum Samaritanis conuenerit, obscurum non est ei, qui vel quartum Euangelii Ioannis caput legerit. Atqui Iesus seruator noster per vtrosque transit, quia apud neutram partem manere potuit, & vt vtramque Deo reconciliaret, in hunc mundum peruenerat. Cum itaq; ingrederetur quoddã castellũ. Quodnam? Ignoramus planè: quoniã Euangelista noluit nos illius scire nomen: nec aliquid incommodi nobis affert, etiamsi ignoremus. Sed quod sequitur, dignum est vt sciatur à nobis, quibus nunquam non opus est & animorum & corporum medicus. Occurrerunt, inquit, Domino decem viri leprosi. Quare occurrunt? Quæ sequuntur causam manifestam facient. Steterunt, leprosi nimirum, à lõgè: Et quare hoc? Quia propter morbum contagiosum etiam iuxta Dei mandatum, à populo amouebantur, ne scilicet quem inficerent. Sic enim nobis prouisum voluit Dominus, vt quantum fieri potest, & corpore & animo, integra simus valetudine. Vtinam hoc exemplum sequerentur illi, penes quos summa rerum est, vt scilicet omnes à quibus dãnum sanioribus est timendum, relicerent in suos angulos. Damnum autem intelligas volo, tam spirituale quàm corporale. Qui alios vel prauo exemplo, vel malè sano consilio, vel praua doctrina seducunt atque corrumpunt, nullo modo ferẽdi sunt. Sic & qui cõtagiosis morbis infecti sunt, à sanioribus segregandi sunt, ne scilicet iuxta Pauli prouerbium, modicum fermenti totam massam corrumpat: exẽpla notiora sunt quàm velim. Sequitur quòd decem illi leprosi leuauerint vocẽ suã, hoc est, clamauerint fortiter, quantum scilicet leprosis datũ est clamare. Clamant autem, quia proximius non audent vel congredi vel alloqui: & clamant suo morbo sic admoniti. Qui enim ipse suam miseriã agnoscit, nullo impulsore opus habet, vt medicum inuocet: maximè talem ac tantum medicum, qui non minus animæ quàm corpori opitulari nouit. Talem autẽ esse Christum leprosi persuasissimum habebant: vnde nec aurum neque argentum ab illo postulant, sed vnicam & solam misericordiam. Inquiunt enim, Iesu Præceptor miserere nostri. Breuis petitio est, sed multum habens succi, magnæque virtutis: hoc quod res ipsa testatum faciet. Iesum vocant, quod seruatorem significat: atqui illi periebant, & nihil aliud petebant nisi seruatorem

Leprosi stant à longè.

Doct.

Iesu.

Praeceptor. torem. Præceptorem vocant, cui ex animo parere volunt, tantum vt voti compotes fieri, hoc est, mũdari possint: Miserere nostri Miserere, inquiunt, nostri. Non petunt debitum, sed gratiam: non iustitiã, sed misericordiam. Quod enim lepra tacti sunt, iustitiæ erat: quod verò repurgati, misericordiæ factum est patrocinio. Nec negligendum est quod clamant, miserere nostri: hoc enim dicto declaratur alterum pro alterius salute solicitum fuisse. Vide quàm fœcunda sint apertissima illa Lucæ verba: & quorum nos admoneant diligenter considera. 1. De Iesu, hoc est seruatore nostro, quid tibi promittere debeas, ex hac historia, vel me tacente, intelligere poteris. 2. Præceptorem tunc illũ agnosces, & rectè inclamabis, quando te illi præbebis morigerũ. 3. Misericordem te ipsa experiere, si modò & tu fratris tui misertus fueris. Sed audiamus Christi responsum.

*Quos vt vidit, dixit: Ite & ostendite vos sacerdotibus.*

Doct. Hoc tandem est verè misericordem esse, simul atque rogatus fueris statim egenti succurrere: vnde in tritũ cessit prouerbium, Qui cito dat, bis dat. Et Apostolus dicit: Hilarem datorem diligit Deus. Neque misericordiæ laudẽ merentur, qui tã difficiles sunt ad opitulandũ: Sed hæc alias. Iam enim disquirendum est quo nomine Christus leprosos ad sacerdotes miserit. Certè in sacerdotum vel potestate vel virtute non erat leprosos mundare, sed tantũ de illorum munditia vel immunditia iudicare: hoc enim Leuiticus Moysis apertissimè fatetur. Christus ergo suæ virtutis non ignarus, iubet illos adire sacerdotes, nimirum vt sacerdotũ sententia absoluerentur, rursusque in populi reliqui societatem & communionem admitterentur. Tu autem hic videre potes quàm difficulter Christus Obser. aliquid de lege veteri remiserit. Vides item quantum sacerdotio veteri tribuerit Christus, vtcunq; illi impii fuerint. Officio enim, hoc est, sacerdotio suũ honorẽ tribuit, sacerdotũ verò impietatem, luxum & auaritiam, nõ probauit. Sic enim perpetuo agendũ est, vt discriminatim loquamur, & de officio, & de officialibus. Officia enim, vt à Deo ordinata sunt, perpetuo bona sunt, quicunque tandem illis fungatur. Sic de matrimonio, si sermo vel quæstio inciderit, de instituto ipso, nõ de abusu disserendum est. Idem de magistratu sentiẽdum est. Enimuero Paulus cum in Romanis suis institueret disputationem de magistratu, prudenter officium ab officialibus discriminauit: hoc quod etiam Chrysost. vidit. Omnis potestas, inquit, à Deo est, &c. Non ait omnis princeps, &c. Sed hæc aliàs, nunc ad sacerdotium nostrũ reuertimur, quod Christus ipse propter bonam Dei institutionem honorauit, & propter illud etiam ipsos sacerdotes. Quid interim de leprosis?

*Et factum est dum irent, mundati sunt.*

Hoc non itineris vel profectionis gratia, sed virtute verborum Christi factum est. Si enim ipsa ambulatio potuisset mundare leprosos, haud dubie iam olim fuisset factum. Atqui virtus ceu diximus verborum Christi, & fides leprosorum in causa fuit, quod mundati sunt. Sic alibi regulo loquitur: Vade filius tuus viuit: Credidit homo sermoni Iesu, & abiit, & filium incolumem reperit. Nihil hic est quod cursum interpretationis nostræ remoretur. Si quis moralia quærit, in prõptu sunt. Quisquis enim eo vadit, quo à Doct. Christo mittitur, certè immunditiam omnem protinus exuet. Qui sequitur me, inquit Christus, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Mittit autem Christus ad sacerdotes, hoc est, ad suos ministros, quorum est legẽ Domini interpretari, & ex quorũ ore lex Dei, iuxta Malachiam, petenda est.

Det

Dei Dominus ne frustra illos adeamus. Apparet & in hac leprosorum profectione prompta obedientia. Audientes enim à Christo seipsos debere ostendi sacerdotibus, neque reluctantur, neque responsant, dicentes: Quid nobis negotii cum sacerdotibus? Hii non possunt nos mundare. Reiicient nos tanquam iam olim immundos iudicatos & cõdemnatos: Si tu nos non mundaueris, frustra ostendemus nos sacerdotibus. Nihil tale ab illis leprosis auditur, sed maiorem fidem habent Christo, quàm Naaman Syrus olim Helizæo: ideoque, ad imperium Domini abeunt, adeuntque sacerdotes, suæ obedientiæ non pœnitendam mercedem reportantes. Factum est enim dum irent mundati sunt. Quid tum?

*Vnus autem ex illis vt vidit quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum: Et cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens: & hic erat Samaritanus.*

Quid hoc est? Nunquid Christus vnicum illum Samaritanum sic curauit, vt videre potuerit suam munditiem, alios autem non sic plenè curauit? Omnes quidem pariter mundauit Christus, quod externam illam lepram attinet, sed non omnes viderunt, hoc est, non omnes agnouerunt, non omnes æquo ponderarunt. Videre enim hoc loco, non ineptè nec intempestiuè pro agnoscere accipitur. Samaritanus enim ille sic vidit munditiem & incolumitatem suam, tantique ipsam æstimauit, vt ex animo crederet beneficium hoc se vni Christo debere, reuerteretur que magna voce magnificans Deum, Deum inquam, qui orbi talem ac tantum miserit seruatorem. Cùm autem venisset ad Iesum, procidit in faciem ante pedes Iesu, ac gratias agit. Hoc enim tandem est verè beneficium Dei agnoscere, sese Deo gratum exhibere. Quid autem sibi vult quòd Lucas tanta emphasi testatur, gratum illum hominem fuisse Samaritanum? Nimirum in hoc factum est, vt confunderet Iudæos, qui semper contemnebant Samaritanos, tanquam Dei hostes, & alienos ab omni pietate: quum tamen ipsi Iudæi aut nũquam, aut rarissimè suum officium facerent. Multa quidem hic nobis succurrunt obseruatione dignissima, sed quoniam breuitati studemus, illa aliĳ loco reseruemus. Certè hoc demum est laudare Deum, gratumque existere Deo, si hoc ipsum fiat ex animo & apertè, etiamsi vniuersus reclamet mundus. Iam quare alii nouem non rursum adierint Christum, Lucas nobis referre noluit, vt qui vbique propensior fuerit bona piorum facta recensere, quàm mala impiorum facta multis traducere. Huc etiam facit quod grati hominis gentem exprimit: ingratos vt ignotos prætermittit. At qui ex aliis Euangelicis historiis coniecturam sumere possumus, quis nouem illos Iudæos remoratus fuerit, qui prius tanta fide clamauerant, Iesu præceptor miserere nostri. Si enim sacerdotes, ad quos missi sunt omnes decem leprosi, tanto studio ac dolo conati sunt miraculum hoc obscurare, quo olim obscurarunt illuminationem cæci nati in Euangelio Ioannis, facilè patet quis obstiterit, quo minus eius miraculi gloria attributa fuerit Christo. Sed nos ex coniecturis hic nihil definiemus: quæ autem sequuntur expendemus.

*Respondens autem Iesus, dixit: Nonne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt? Non est inuetus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.*

Tam fœcundæ sunt sacræ huius

Euangelii historiæ, vt nō possim tanta breuitate percurrere illas, quanta velim. Vtinam tam iucundum vobis sit audire, quàm iucundum mihi est illa enucleare. Quæ iam adduximus verba, nuda tibi fortaßis videntur, nihilque succi habentia, at mihi non item. An ne quæstione dignum est, quòd Christus tam diligenter de illis nouem interrogat, ac ipsis beneficium quasi exprobrare nō dubitat? An ne notatu & obseruatu dignißimum, quòd beneficium ab ingratis non reuocauerit? An imprudenter dictum putas à Christo, quod nouem illi non dederint gloriam Deo? Poterat enim dicere: Non est inuentus qui daret gloriam mihi qui beneficium præstiti. Sed singula leui quod dicitur manu attingemus. Quòd Christus gratitudinem à nobis requirit, non ob id facit, quasi sibi hinc aliquid accedat vel decedat: sed nostro nomine, requirit illam, nimirum vt dum nos gratos exhibemus, ipse occasionem & causam habeat longè maiora dona in nos conferre. Qui enim donis acceptis bene vsus fuerit, hic meretur copiosiora accipere: qui autem minora negligit, indignus est qui maiora accipiat, immo multis plagis & verberibus se dignum facit: hoc quod in parabola de seruis frugi & seruis nequam, suo loco docebimus. Deinde quòd Christus ingratos Iudæos dato non priuat beneficio, nos mansuetudinis admonere voluit: Ne scilicet nos pœniteat officiosos fuisse in eos qui de nobis post malè merentur. Postremò humilitatis nos admonet, cum conqueritur Deo gloriam non datam, quæ tamen sibi ipsi debebatur meritò. Admonet etiã nos præsens locus ne in prosperitate Deum à cordibus nostris excludamus, quem in malis nostris tam benignum in nos experti sumus.

*Et ait illi: Surge, vade, quia fides tua te saluum fecit.*

Verè magna fides fuit huius Samaritani, qui firmiter credidit Christo tantam inesse potestatem, & virtutem, qua etiam pestilentißimũ quemque morbum curare posset. Verè, inquam, magna fuit Samaritani fides, quæ nec sacerdotum suasu, nec Iudæorum exemplo minui potuit. Neque enim dubium est, quin magnis persuasionibus imperitus fuerit ab aliis, ne Nazareno illi plus æquo fideret. Atqui cuius misericordia accepit sanitatem corporis, eius gratia & misericordia etiam in fide confirmatum esse non dubitamus. Sed tu expende quibus exemplis Samaritanus ille fidem suam manifestauerit. Iacet ante pedes Iesu, non audet surgere, dubitatque quibus vocibus Christi laudes extollat. Iubetur ergo surgere: & cum nollet relinquere Christum, sed in perpetuo illius esse consortio, audit: Vade quia fides tua te saluum fecit. Surgamus & nos, ô boni, ex impuritate peccatorũ nostrorũ, & ambulemus in lege Domini, in sanctitate & iustitia corã Domino omnibus diebus nostris. Sic enim fides nostra, nos verè saluos faciet. Quã hic alii allegoriam adducunt, nos breuitatis gratia prætermittamus.

*Interrogatus autẽ à Pharisæis: Quando venit regnum Dei: respondens eis dixit. Non veniet regnũ Dei cũ obseruatione, neq; dicent: Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est.*

Quicunque voluerit certam horũ verborum significationẽ habere, probe obseruare debet qualis nam fuerit sententia Pharisæorum, imo omnium ferè Iudæorũ de regno Dei, hoc est de aduẽtu Messiæ. Nos breues hic erimus, quoniã satis copiosi fuimus & lõgi in Matthæi nostri enarratione, quod quidẽ adhuc locũ pertinet. Sũma igitur est: Pharisæi & Iudæorũ populus expectabat, & hacten⁹ expectat Messiã qui

qui carnaliter, iuxta quod reges huius mundi consueuerunt dominari, in hoc mundo regnare debeat, omnesque alias gentes Iudæorum populis subiicere: Hæc carnalis opinio, etiam discipulorum animos longo tempore occupatos habuit, imo & in regum aulas peruenit hæc stulta opinio, quòd Messias temporaliter in hoc seculo sit regnaturus. Hinc Herodes tam miserè cruciatur ob natum Regem Iudæorum: Hinc Pilati interrogatio ad Christum: Ergo Rex es tu? Hinc Iudæorum criminationes. Omnis qui se facit regem contradicit Cæsari, &c. Et Cleophas ille de mortuo & sepulto Christo inquiebat: Nos sperabamus quod ipse esset redempturus Israel: qua de re in suo loco. Igitur cum Pharisæi hactenus frequẽtissimam mentionẽ audiuissent à Christo fieri de Regno Dei, quod scilicet per Messiã auspicandũ esset in terris, accedunt ad Christũ, eũque alloquuntur rogantes: Quando tandẽ ueniret regnũ Dei? An verò hoc ex derisione, vel ex curiositate vel seriò rogauerint, Lucas nobis aperuit minimè: nec magni refert qua occasione interrogauerint. Vidětur autẽ hoc velle dicere: Audiuimus iã diu multumque te de regno Dei disserentẽ, & populo quasi persuasum est te esse Messiã, Christum illũ Domini. Si itaque tu is es quẽ hactenus expectamus, quãdo tandẽ incipies regnare? Nihil enim regñ præ te fers. Dic ergo nobis, quando veniet regnũ Dei? Quando tandẽ Deus promissi sui memor, restituet regnum Israeli? Respõdet ergo Christus: Non veniet Regnum Dei cum obseruatione, &c. Hoc est, non veniet more regni mundani, vt obseruari possit vel tẽpus vel locus, vel vt possit verè dici: Ecce hic aut ecce illic, scilicet aulã vel thronũ habet: His populis dominatur, vel hãc subegit ciuitatẽ. Ecce enim intra vos est regnũ Dei: hoc est, animas potiùs regit Messias quàm corpora. Aut, de quo vos quæritis, in medio vestrum est. Hæc, ni fallimur, simplicissima huius loci interpretatio est. Porrò qui hoc loco abutuntur contra Ecclesiæ Sacramenta, Cæremonias & Ecclesiæ potestatem, magis suam stultam produnt impietatem, quàm euertant Ecclesiæ sanctissimam doctrinam. Indigni itaque sunt quorum nomine multa verba funderemus, bonasque horas malè collocaremus.

*Et ait ad discipulos: Venient dies quãdo desideretis videre vnum diem filij hominis, & non videbitis. Et dicent vobis: Ecce hic, & ecce illic. Nolite ire, neque sectemini.*

Quoniam tum temporis neque Pharisæi neque discipuli rectè intelligere poterant, qua nam ratione Filius Dei, verus Messias, tam humilis in carnem venisset, sed potius carnalia & sapiebant & amabant, noluit eis Dominus multa narrare de mysterio primi aduentus, (contentus affirmasse regnum Dei iam in terris esse, hoc est Messiam à Deo missum) sed orationem vertit ad vltimum aduentum, quando venturus est, non vt humanum iterum subeat iudicium, sed vt ipse iudicet vniuersum mundũ. Quod autem hic discipulis dicit, omnibus nobis dictum esse putare debemus. Venient, inquit, dies quando desideretis videre vnum diem Filii hominis, & non videbitis. Sensus est: Quem iam multi contemnunt tanquam contemptissimũ hominẽ, olim sentient terribilem Iudicem. Certè plausibilius esset videre Christum in terris ambulãtem, docentem, consolantem, exhortãtem, vel etiam miracula operantem, quàm videre in tremendo iudicio sententiam contra impios dicentem. Qui in præsenti renuunt audire: Venite ad me qui laboratis & onerati estis, &c. Olim suo maximo malo audire

compellentur: Ite maledicti in ignem æternum. Quod malum omne vtinã à nobis auertat Deus: Cæterũ quod ait quosdam dicturos: Ecce hic, ecce illic, & prohibet sequi vel credere: ad hoc pertinet, vt sciamus nos non debere alium expectare Messyam post Christum. Alibi enim Iudæis dicitur: Ego veni in nomine patris mei, & non accepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Hoc enim factum esse à Iudæis, propriæ ipsorum historiæ testantur. Sed nos ad sequentia properamus.

Ioan. 5.

*Nam sicut fulgur coruscans de sub cælo, in ea quæ sub cælo sunt fulget: ita erit filius hominis in die sua.*

Hæc ad vltimum Domini aduentum spectant, qui non erit tam occultus, vt multis demonstrationibus opus habeat, sed repentinus & omnibus manifestus. Primus quidem aduentus qui erat in carnem, occultabatur aliquamdiu, & solùm paucis primum manifestabatur hominibus. Vnde Magi illi Hierosolymam venientes, inquiunt, vbi est qui natus est Rex Iudæorum? Et audiunt ab Herode: Ite & interrogate diligenter de puero, &c. Non sic occultabitur extremus aduentus Domini: sed quemadmodum fulgur erumpens, subito promicat ab vna parte cæli vsque ad aduersam, prius quam venturum sentiatis: ita inexpectatus & magna cum gloria Filius hominis veniet, & hoc in die sua, nimirum quam illi pater præfixit.

*Primum autem oportet illum multa pati, & reprobari à generatione hac.*

Hiis opinor voluit Christus aperte sibi non esse incognitum, quod moliebantur contra ipsum Pharisæi, & reliqui Iudæorum proceres: hoc quod in sequentibus docebit longè explicatius. Tu autem hic attendas velim quomodo nunc de gloria sua, nunc verò de humilitate sua prædicet. Quod enim dicit filium hominis in gloria venturum, gloriæ & potentiæ est. Quod dicit filium hominis passurum multa, & reprobatum iri à generatione ista, humilitatis & assumptæ infirmitatis est. Ergo idem qui in cruce mortem sustinuit, etiam in nouissimo die ad iudicandum veniet. Rectè autem dicit filium hominis multa passurum. Verè enim multa nostro nomine passus est. Det Dominus vt illa sicut oportet, ex animo expendamus. Et reprobatus quidem est filius hominis à generatione illa pessima Iudæorum: sed ob id dedit illi pater nomen quod est super omne nomen, &c.

*Et sicut factum est in diebus Noe, ita erit & in diebus filij hominis. Edebãt & bibebant, vxores ducebant, & dabantur ad nuptias vsque in diem qua intrauit Noe in arcam, & venit diluuium, & perdidit omnes.*

Gen. 7.

Hiis nihil aliud voluit Dominus indicare, quàm diem extremum aduenturum eo tempore, quando nihil minus ab hominibus expectabitur. Subindicat etiam hac historia homines sic esse stupidos, suæque salutis negligentes, vt etiam multis admoniti, nihilo plus sapiant, neque vel sero tandem de emendatione cogitent. Certè ex Diuo Petro intelligimus, iustum illum Noe non cessasse à prædicatione pœnitentiæ, vt si non posset omnes, vel paucos ad meliorem frugem perduceret. Hinc enim iustitiæ præco pius Noe, ab Apostolo nominatur.

1. Pet. 2.

*Similiter sicut factum est in diebus Loth: Edebant & bibebant, emebant & vendebant, plantabant & ædificabant. Qua die autẽ exijt Loth à Sodomis, pluit ignem & sulphur de cælo, & omnes perdidit. Secundum hæc erit, qua die filius hominis reuelabitur.*

Gen. 19.

Hæc

Hæc sacra historia in idem recidit cum illa quæ iam iam præmissa est, nimirum ostendens diem extremum præter omnium expectationem venturum. Arguitur autem hic tacitis verbis stultitia hominum huius mundi, qui omne studium collocant in rebus temporalibus, spiritualia verò & perpetua nihili faciunt, qua de re non ita multò pòst dicemus non nihil. Vide autem ne multum curiosus sis de tempore vltimi diei, quem etiam angelis ipsis occultum esse, filius Dei testificatur. Et qui possemus diem omnibus creaturis extremum scire, qui ignoramus diem mortis nostræ? Suffecerit nobis ex scripturis credere quod Mundi huius status non perpetuo durabit (hoc quod gentilibus & horum stultitiæ repugnat, qui mundum ab æterno fuisse contendunt) & credere quod in illo extremo die redemptor noster Iesus Christus certo venturus est, iudicaturus viuos ac mortuos, iuxta symbolum fidei nostræ, & contra omnium Iudæorum falsam & impiam persuasionem. Credere item quod ex improuiso venturus sit dies ille, quod contra vanos illos astronomos esse comprobatur. Exempla enim hic à Christo adducta satis arguunt quàm improuiso finis vitæ huius venturus sit. Nemo enim respicere debet ad quadraginta illos dies & quadraginta noctes, in quibus pluuia illa descendit tempore Noe, quasi dies ille extremus etiam per tot dies aduenire cognoscatur. Historia enim Sodomorum longè aliud habet: Immo etiam si per tot dies ac noctes omnia sint ad interitum inclinanda: tamen quando dies illi sint futuri, nemo non ignorat. Omnino igitur verum erit quod Paulus dicit: Quoniam dies Domini sicut fur in nocte veniet. Cum enim dixerint pax & securitas, tunc repentinus illis superueniet interitus, sicut dolorem partus in vtero habenti, & non effugient. Sed hac de re suo loco plura dicemus: Iam iuxta Diui Petri exemplum has duas historias ad tempora nostra accommodabimus, non ignorantes quod quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sint. Si ergo rem penitius contemplari voluerimus, inueniemus statum nostri seculi in nullo dissimilem esse temporibus Noe & Loth, sanctorum virorum. Quid enim obsecro de illis temporibus dicitur, quod non nostro tempore rectius dici possit? Edebant & bibebant, inquit Christus, vxores ducebant, emebant, vendebant, plantabant & ædificabant: Hoc est, sic vitam suam instituebant, sicque rebus caducis intenti erant, ac si perpetuo se hic victuros sperarent. Iam ad nostra tempora vel paululum respicias velim, vt scilicet ex alienis periculis, quid nobis futurum immineat arbitremur. Nonne homines nostra tempestate ita multiplicati sunt, vt ad quascunque vrbes, ciuitates, oppida, villas, pagos, vicos, plateas diuertaris, ibi reperias hominum, non congregationem, sed colluuiem, velut examen apum, & vt scripturæ similitudine vtar, tanquam locustarum multitudinem? Huc accedit quod vulgaris omnium artificum querela est, plures vbique eiusdem artificii magistros esse, quàm vt singuli victum sibi parare queant. Quot denique diuturna bella absumunt? quot pestis? attamen nihilo pauciores sumus. Vt rectè etiam de nostris, sicut de illis temporibus dici possit, homines multiplicatos esse super terrã. Iam in tanta hominũ multitudine, quid agitur? Rogas? Emitur,

Mat. 24
Gen. 7.
1. Thes. 5
Homines multiplicati
Num.

Emêtes & vendentes. venditur, plātatur, ædificatur, editur, bibitur, matrimonium contrahitur. Itē nunq̄ tam numerosus mercatorū & institorū numerus fuit: non est in vrbe angulus, in quo non ferè institor aut propola prostet. Quid dicam de plan- Plantantes. tatione & ædificiis? Non est locus spi- nis aut tribulis tam horridus & incul- tus, qui nō purgetur & colatur: quis vnq̄ tot hortorum plantationes vidit? etiam montiū præcipitia aratro inac- cessa, rastris proscinduntur, vt semen- Conuiuia. rem accipiant. Quantus autem nunc conuiuiorum apparatus? quanta in- gluuies? quanta voracitas? quanta ebrietas? etiam infantes adhuc in cu- Nubētes ius vagientes vino obruuntur. Quid obsecro partem de matrimoniis con- trahendis? Adolescentes vix dum cu- nas egressi vxores spirant: Virgines nondum nubiles, maritos etiamnum somniant. Huc accedit quod plerīq; à quouis hominum genere vxores ducantur, non quas morum probi- tas, sed dos & forma commendant. Quid ergo, inquies? Num pecca- tum est edere, bibere, plantare, ædifi- care, nubere, & cætera quæ diximus? Hæc per se quidem peccata non sunt, sed malum est in conuiuiis, & in con- trahendis matrimoniis, in negotiatio- nibus, ita securam ducere vitam, vt, iu- Esa. 5. xta Esaiam, opus Domini non respi- ciatur, opera manuum eius non con- siderentur, nec iudicia eius timeantur, imo vt Deum ne per somnium qui- dem cogitent. Hæc certè sunt illa mala, propter quæ Dominus origi- nalem mundum diluuio perdidit, & Sodomam igne & sulphure absum- Ezec. 16. psit. Ecce, inquit Dominus apud Eze- chielem, hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ: Superbia, saturitas pa- nis, & abundantia, & otium ipsius & filiarum eius: & manum egeno & pauperi non porrigebant. Et Chri- Mat. 11. stus apud Matthæum de contempto- ribus Euangelii dicit, quod tolera- bilius erit terræ Sodomorum in die iudicii, quàm illis. Et Diuus Petrus 2. Pet. 2. scribit quod Deus originali mundo non pepercerit, & ciuitates Sodomo- rum & Gomorræorum in cinerem redigendo euerterit, exemplum po- nens eorum qui impiè acturi sunt, &c. Ergo duæ illæ grauissimæ histo- riæ, non solum ad tempora extremi diei referendæ sunt, sed ad omnia no- stra tempora, vt ex harum videlicet admonitione nunquam ita securè aga- mus, quin semper cogitemus Domi- num nos expectare ad pœnitentiam, neque multo post nos hinc vocan- dos esse. Crede nunc cum omnia tibi ex animi sententia successerint, tunc in maximo periculo es vitæ tuæ, ideoque nunquam magis sollicitus esse debes, ne Deum ex animo pa- tiaris abire, terrenæque illæ cupidi- tates te totum absorbeant. Sed iam tandem ad intermissum ordinem re- uertimur.

*In illa hora qui fuerit in tecto, & vasa eius in domo, ne descendat tol- lere illa: & qui in agro, similiter non redeat.*

Non est vlla necessitas quæ nos cogat, ad allegoricos ac mysticos sen- sus, hoc in loco confugere, quū Chri- stus hīs dictis nihil aliud indicare vo- luerit, quàm improuisum & repenti- num aduentum suum ad iudicium: qui talis erit, vt non vacabit nobis domestica illa curare, vasa & alia su- pellectilia in domo circumferre: vel te, vt domi aliquid agas ex agro, do- mum conferre: quia scilicet propter angustias illas & propter repentinam illam omnium rerum mutationem, neque licebit, neque lubebit ad fami- liaria illa respicere, quum scilicet in- stabunt grauiora, quæ totos nos sibi vendicabunt. Videmus enim in necessitatibus huius mundi, quàm le- ues curæ, maiores in nullo remoren- tur.

tur. Verbi gratia, in incendiis ædium nostrarum, certè multa negligimus, multa dissimulamus, quæ rebus pacatis æquo animo minimè pateremur. Sed apertiora sunt hæc, quàm vt multis demonstrationibus opus habeant.

*Memores estote vxoris Loth. Quicunque quæsierit animam suam saluã facere, perdet illam: & quicunq; perdiderit illam, viuificabit eam.*

Postremam hanc sententiam, etiam in superioribus habuimus, & interpretati sumus. Sed in aliam sententiã hic mihi videtur interpretanda. In superiori siquidem loco hoc voluit Dominus admonere, illũ qui amore huius vitæ ipsum esset abnegaturus, illũ, inquam, & præsenti, & futura vita priuandum fore: tum enim agebatur de profitendo Christo, & huius Euangelio. Quod quidem & si propter Antichristũ postremis illis temporibus venturum, locũ habere possit, tamen mihi videtur in hoc à Domino dictũ, vt demonstraret etiam eos, qui maximè conabuntur effugere interitum illũ, frustra illud conaturos. At qui de semetipsis desperantes sese totos Dei voluntati dederint, illos veram salutem consecuturos. Theophylactus verba illã ad Antichristi seductionem ac persecutionem accommodat, qui certè minis & blanditiis multos seducturus est. At piorum est, propter amorem huius vitæ, non humiliare se tyranho illi. Sed quid sibi vult exemplũ vxoris Loth? Hoc nimirum, vt illius exemplo, imò perditione admoniti, incipiamus tandem sapere. Illa enim ad nauseam vsq; audiuerat de repentino Sodomorũ interitu, admonitaque fuerat ab Angelo, ne respiceret. At illa verbis angeli diffidens, sui ipsius negligens, & aliena curans, dum contra angeli mandatum respicit, in statuam salis conuertitur, hoc quod vetus testamentum abundè testatur. Sic & illis eueniet, qui sub extremi iudicii tempus, terrena curantes, negligent se præparare ad percipienda æterna: illis enim priuabuntur, & hæc nunquam accipient. Non enim tum erit spatium cogitandi de vita corporis, cum animæ vita vertetur in periculo.

*Dico vobis, in illa nocte erunt duo in lecto vnus assumetur, & alter relinquetur. Duæ erunt molentes in vnum: vna assumetur, & altera relinquetur. Duo in agro, vnus assumetur, & alter relinquetur.*

Et hic allegoricos sensus sinamus, simplicitatẽ sensus satis contenti. Sicut enim supra, cũ de diebus Noe & Loth mentionem fecerat, admonuit tũ tandem aduenturum iudicii diem, quãdo homines sibi videbuntur planè extra omnem teli iactum esse, ita & iã ostendit homines illo tempore terrenis rebus implicatos, continuò hinc rapiendos, nec tamen pari modo: alium enim rapi ad gloriam, alium verò relinqui ad exitium. Facilior enim est Dominus ad coronandum pios, quàm ad cõdemnandum impios. Neque tamen mihi videtur mysterio vacare, quod dixit, ex lecto, ex agrò, ex molendino, alterum relinqui, alterum verò assumi: nõ quasi significauerit Dominus numerum electorum parem futurum cum numero reproborum. Nam alibi legimus, Multos quidem vocatos esse, sed tamẽ paucos electos. Item, pusillum esse gregem cui pater cælestis regnum sit locaturus. Adde, paucos intraturos arctam viam, complures autem latam viam, quæ ad perditionem ducit. Non ergo hic de numero electorum sermo est, sed de hoc quod nec res, nec locus, nec vitæ genus nobis causa est vel vitæ, vel mortis. Ecce enim, ex eis qui in vno decumbunt lecto, alter saluabitur, alter peribit. Sic ex duobus in eodem agro laborantibus, alter ad gloriam sumitur, alter verò excluditur. De molentibus idem fit. Quare hoc, inquis? Quia diuerso affectu vtimur præsenti vita, rebusque ad hanc pertinentibus. Hic sic

virtus rebus temporalibus, vt tamē his cœlestia longè præferat. Alius verò sic totus deditus est terrenis, vt ne per somnium quidem de cœlestibus cogitet. Hanc igitur puro simplicem eius diuersitatis causam.

*Respondentes dicunt illi: Vbi Domine? Qui dixit illis: Vbicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.*

Discipuli Domini audientes præceptorem suum tam multa dicere de regno Dei, quod tamen ipsi non intelligebant, præ carnali illa opinione de regno mundano Mesiæ, interrogant Dominum, vbi nam sit locus, in quo assumendi sint aliqui? & vbi locus in quo relinquēdi aliqui? Christus verò illorū imbecillitatem cognitam habens, similitudine quadā respōdet, qua subindicare voluit, non esse multum de his anxiè cogitandum, non enim de futurum locum, ad quem electi sint recipiendi: nec defuturum locum impiis: de vtrisque enim intelligi potest, vnumquenque ad suū locum peruenturū. Nec putes Christū quasi ex inuidia sic occultasse responsum: sic enim tū ferebat discipulorum imbecillitas. Aliis autē in locis apertius rē significauit. Quomodo verò pii aqlis sint & debeāt esse similes, apud alios quæras licebit: nos enim simplicitate textus gaudemus. D. Paulus breuiss. hoc negotium absoluit. Qui obdormierunt, inquit, per Iesum, adducet Dñs cum illo, reliqui cū his simul rapientur in nubibus, in occursum illi in aera, vt semper sint cū ipso. 1. Thess. iiij. Hæc igitur habui super præsenti capite. Dñs det, vt tanq̄ cœlestes aquilæ, à corpore Christi nūquam auellamur. Amen.

## CAPVT XVIII.

*Dicebat autem & parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare, & non deficere, dicens: Iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum nō timebat, et hominem nō reuerebatur.*

Quoniam Dominus noster Iesus Christus satis prolixam orationē habuerat, de miseria quæ sub diem iudicii ventura est, non incōuenienter nos ad instantiam continuæ orationis adhortatus est, nimirū subindicās, quòd nostro marte non sufficimus tot pericula immunes trāsire, sed necesse esse, vt præsidium nobis à Deo ambiamus, & hoc assiduis precibus, à quibus etiā non debemus cessare, donec ex oratoribus, exoratores fiamus. Et possemus quidem vnico quasi verbulo totā parabolam absoluere, cū Christus summam totius negotii exposuit, sed lubet nonnihil hoc in loco curiosius agere. Et primo quidē sciendū, quòd si primus homo in sua integritate permansisset, nec male suadenti Satanæ obediisset, nihil esset mali cur iā Deo multis supplicaremus. Atqui qm̄ in Adam sic perimus, vt in nullo vitæ nostræ momēto porro securi & integri simus, inde datus est locus supplicationibus & deprecationibus malorū. Certū enim est, quòd natura quidem homines facti sumus: gratia verò Dei, facti sumus iusti. At voluntate nostra mali, & diuina ope indigni facti sumus, nullam ex nobis sufficientiam habentes, sed defectus multum. Vt itaque defectus noster tollatur, & naturæ nostræ, quæ bona facta est à Deo bono, sua integritas restituatur, oratione opus est, quæ nobis multum commodi adferre potest. Oratione siquidem possumus tollere inimicitias, quæ inter nos & Deum subinde fiunt, prohibere malū, & obtinere bonum, si modò perseueranter orauerimus, non desistentes, etiam si non statim quod petimus, dabitur: sed persuasum habentes, Deum nobis suo, hoc est, opportuno & nobis magis commodissimo tempore daturum, aut quod volumus, aut quod malumus. Cùm igitur orationis iustæ

Orandi necessitas vnde

Orationis efficacia.

Augus. Epistola 34 ad Paulinū & Theresiam

Iustæ tanta sit vis, non immerito adhortatur nos Dominus, vt semper oremus, & nunquam deficiamus. Quomodo verò non semper orandū nobis, quibus nunquam non orādi necessitas incumbit? Aut enim patimur quod molestat, aut nō habemus quod expedit. Adde, quoniam indeficienter exterius & interius nos vndiq; mala premunt, indeficientes in orationibus simus, necesse est. Neque tamen hoc sic intelligendum est, vt nulla sit intercapedo temporis ab orando. Quum & sopor nos interdum opprimat, & assumēdus sit cibus ad valetudinem, & spatiū expediat ad quietem, & plures cogantur ad laborem, & aliæ sint aliorum occupationes, quibus à continua precatione non possunt nō impediri & auocari. Quid ergo dicemus? Sic nos decet de nobis desperare, vt nosmetipsos totos consecremus Deo, totiq; ab ipso pendeamus, ac illi nos nostraq; oia cōmittamus. Adde quòd omnes virtuosæ nostræ operationes, orationum instar sunt apud Deum. Et quoties infirmitates nostras ex animo perpendimus, toties Deum quasi medicum aduocamus. Sic etiam locus Pauli intelligendus est, vbi dicit: Sine intermissione orate, &c. Adde quod hyperbolicè, hoc est, per excessum quendam dictum esse potest, quia ad exprimendum animum nostrum plura vel maiora dicimus, quàm intelligi volumus. Semper enim orare dicitur, qui in orādo frequens est, Sic nunquam vel nihil orare dicitur, qui rarius orare conspicitur. Sic in superioribus, cap. videlicet ij. audiuimus, Annam viduam diu noctuq; orationibus vacasse, & nunquam de templo recessisse: quo certè nihil aliud dicere voluit Euangelista, quàm quod in pietatis studio fuerit fidelissima. Nihil hic locus igitur Messalianis, Psallianis vel Eucheris patrocinatur, q verbis illis Christi nescio quā impiam superstitionem inducere conati sunt,

Orandū semper quomodo.

1. Thes. 5.

sicut hoc ipsum Eusebius in Chronicis, & Augustinus de hæresibus testantur. Sed audiamus parabolam.

*Iudex quidam erat in ciuitate quadā, qui Deum non timebat, & hominē non reuerebatur.*

Parabolæ quidem loco iudex ille adductus est à Domino, sed vereor multos eius notæ fuisse tum apud Iudæos, vnde & nusquam non in veteri testamento accusātur, atq; officii sui admonentur. In Deuteronomio legimus: Iudices & magistros constitues in omnibus portis tuis, vt iudicent populū iusto iudicio, nec in alteram partem declinent. In Exodo verò legimus: Prouide de omni plebe viros sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, qui oderint auaritiam, &c. Talis iudex non erat quem hic Dominus introducit, vt qui neq; sapiens fuerit, neq; timens Deum, neque reueritus fuerit hominem. Si enim, iuxta scripturam, timor Domini initium sapientiæ est: quomodo potest iudex ille sapiens dici, qui ab omni timore Dei porrò alienus fuerit? Et si is demum bona facit, iuxta aliam scripturā, qui timet Deū, necesse est illum pessimum iudicē nihil boni vel honesti attentasse vnquā. Det Dominus nobis saniores iudices, atq; hic nequam iudex fuerit. Tu igitur hoc in loco obseruabis, quæ potior virtus sit Iudicis, nimirum vt pius sit, ac timens Deum, nunquam non cogitans, cui omniū suorum factorum rationē redditurus est. Vnde rectè Iosaphat ille pius rex, ad iudices: Videte, inquit, quid faciatis: nōn enim hominis exercetis iudicium, sed Dei. Et in libro sapientiæ locus est, omnibus potestatibus & iudicibus notatu dignissimus. Audite reges, inquit, & intelligite, discite iudices finium terræ. Præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum. Quoniam potestas vobis data est à Domino, & virtus ab altissimo, qui interrogabit

Deut. 16

Exod. 18

2. par. 19

Sap. 6

gabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur, quoniam cùm essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secūdum voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis, quoniā iudicium durissimū in his qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur, &c. Sed quoniam hæc à proposito nostro aliena videri possēt, propius ad ordinem accedamus. Vnicum hic obseruabis, scilicet, illum tandem rectè reuereri homines, qui Deū timet. Neque enim mihi persuaseris, illum hominem habere rectā rationem, qui Deum à mente sua excluserit. Vnde in psalmis legimus dicentem Dominum: Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: Seruite Domino in timore, &c.

*Vidua autem quædam erat in ciuitate illa, & veniebat ad eum, dicens: Vindica me de aduersario meo. Et nolebat per multum tempus.*

Solet Dominus inducere personam quæ meritò debebat mouere etiam iniquissimū iudicē ad misericordiam, imò ad faciendam iustitiam, quod tamen ipsum facere ex officio tenebatur. Iudex enim erat in hoc cōstitutus, vt improborum malitiam cohiberet, probos verò defenderet. Illa autem vidua erat, auxilio nimirum mariti priuata; & ob hoc multorum iniuriis exposita; nec ipsa cuipiam molesta esse cupit, sed tantùm in hoc est, vt ab aduersario nō opprimatur. At iudex ille his ac tantis miseriis nō mouetur. Quare hoc? Causam Dominus in superioribus exposuit, quia Deum non timebat, & homines non reuerebatur. Si enim Deum timuisset, vtique cogitasset; se non impunè contempturum viduam, vt cuius patrocinium ipse Deus in se receperit. Sic enim legimus: Viduæ & pupillo non nocebitis: si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego exaudiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, & erunt vxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli. Et iterum: Viduæ lachrymæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas. Sed hæc frustra canuntur iniquo iudici, vt qui cū Deū contemnere non veretur, certè nullius facit scripturas eius. Et cùm homines porrò contemnit, non curat, bene an male ab illis audiat: interim tamen iniuriam patitur vidua, ab aduersario conculcatur, frustraque per multum temporis sollicitat tyrannum illum, potius quàm iudicem: Vindica, inquit, me de aduersario meo. Tu gladium accepisti à Domino, sicque ordinatum est à Deo, vt potestas bonis cedat honori, malis verò in vindictā. Huic ordinationi qui resistit, Deo resistit, cuius tu minister es. Ego igitur, cum meipsam vindicare de aduersario meo nec possim, nec debeam, tu me vindica de aduersario meo. Quid ad hæc iudex? Nolebat per multum tempus. Aliquantisper si distulisset Iudex causam ad se recipere, videretur vtcunque excusandus: atqui per multū temporis negotium viduæ protogare, nullo modo excusari potest. Sed nunquid tandem resipuit iniquus Iudex? An ne tandem voti compos facta est vidua?

Exo. 22.

Eccl. 35

*Post hæc autem dixit intra se: Et si Deum non timeo, nec hominem reuereor: tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouissimo veniens, sugillet me.*

Tota vis in hoc est, quòd vidua ab interpellando non destiterit, donec voti compos facta fuit. Arguitur & iudex, quòd in iudicando, neque æqui, neque boni vllam rationem habuerit, sed tantùm negotium expedierit, ne aliquam infamiæ notam illa ipsi inureret. Sic enim à propria conscientia iniquitatis conuincebatur, vt non posset negare, quin meritò sugillaretur in vita

fatetur

incusareturque ab ipsa vidua, quàm iniquissimè hactenus cōtempserat. Et vide improbitatem pessimi iudicis, qui veretur malè audire, hoc est, malitiæ incusari, cùm tamen non dubitet maliciosè ac peruersè agere. Hic autem incidit locus de inuocando potestatem superiorum, ad propulsandam illatam iniuriam. Sed nos hanc quæstionem in Corinthiis nostris satis pro tempore tractauimus, & , si Domino visum fuerit, quando peruenerimus ad quæstionem de pendendo tributo, nonnihil adiiciemus.

*Ait autem Dominus: Audite quid iudex iniquitatis dicat: Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte: & patientiā habebit in illis? Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum.*

Videmus hic, & in multis aliis euāgelii locis, quàm fidelis Doctor fuerit Christus Dominus noster, qui tā multa verba nostro nomine fuderit ad instruendū nos, cùm tamen breuissimis rem omnem absoluere potuisset. Hinc tot parabolas in Euāngeliis legimus, quæ sub finē ipse Christus breui plerunque sententia absoluit. Vnde procul dubio docere nos voluit, Ecclesiasten nullis verbis debere parcere, donec quod velit, auditores probè intelligāt. Aequum autem est, vt cōcionatorem, verba tua gratia multiplicantem & variantem, æquo animo & patienter audias. Neque tamen mihi probantur spermologi illi, qui malunt facundi rhetores, quàm pii concionatores videri. Sed ad rē. Christus tota illa parabola nihil aliud indicare ac docere voluit, nisi quòd piorum precationes semper sint habituræ locū apud Deū: apud Deū, inquam, qui aliàs semper paratus est electorum suorum causam agere. Tria autem præcipuè hic obseruanda sunt: Quòd dicit Deum vindictam sumere nomine electorum, non reproborum, quorū condemnatio hic incipit. Secundò, quòd addit, electos die noctuque clamare, quo docet perseuerantiam orationis. Tertiò addit, quòd citò faciet vindictam. Neque enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, &c. Sed ais: Quomodo faciet citò vindictam electorū, quos patitur diu noctuque clamantes? Ad hoc respondemus tritissimo apud doctos prouerbio: Sat cito, si sat bene. Cito opitulatur, quando in tempore sibi cōgruo, nobisque maximè commodo opitulatur, ille qui vocatur adiutor in opportunitatibus. Sed ad contextum.

*Veruntamen filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?*

Quamcunque tandem significationem fides hoc loco habeat, certum est nostro seculo hanc Domini sentētiam supra modum conuenire. Quàm enim rara auis sit in terris nostris vera & Christiana fides, quis non videt? imò quis nō meritò doleat? Quot videmus præsenti seculo schismata, quot hæreses, quot impias opiniones? Certè si iam veniret filius hominis in terram, ad iudicium scilicet, quamnam partem mundi inueniret saniori præditā fide? Non loquor de Turcis, nō de Iudæis, non de hæreticis, sed de his etiam, qui sibi videtur, & ab aliis æstimātur christianissimi. O miseram & infirmam fidem. Quòd si de illa loquitur fide, qua homo homini fidem vel habet, vel seruat, neque illa suo loco habetur, sed tanta est hominum huius seculi vanitas, vt meritò illud Ethnici locum habeat: Nusquam tuta fides. Quocunque enim te verteris, vix inuenies cui tutò fidas: nec qui tibi fidere ausit. Sicut enī Deo neque fidimus, neque fidem seruamus: ita & homines alii nec nobis fidē vel seruant vel habent, vt sic par pari reddatur. Vnde & meritò dicemus: Filius hominis veniens in terram, putas inueniet fidem in terra? Inueniet quidem fidem, quoniam portæ inferorum

torũ nõ præualebunt cõtra fideles: sed apud pusillum gregem inueniet fidem, quandoquidẽ tandem venturus sit ille filius hominis. Non liber hic redargue re multorum hominũ vanitatem, qui nulla vota, nulla pacta, nulla promissa teruntio faciunt. Qui etiam maxima execratione sui ipsorum multa pollicentur, tã Deo, quàm hominibus, quæ vt seruent, nunquam in animo cogitarunt. Sed ad sequentia.

*Dixit aũt & ad quosdã qui in se cõfidebant, tanquã iusti, & aspernabantur cæteros, parabolam istam, dicens: Duo homines ascendebant in templum, vt orarent, vnus Pharisæus, & alter publican9*

Sic plærunque fit, vt sibi maximè videantur iusti, aliosq; præ se contemnant, qui nihil minus sint, quàm iusti. Hinc coniecturam sumimus in cõcione Christi multos fuisse, qui putauerũt ad se nihil pertinere, quod Christus dixit de paucitate eorum, qui verã & viuam habeant fidem, vt qui satis probi sint, & Deo scilicet proximi. Ad hotum ergo fastum deprimendum adiecit Dominus hanc, de impari pari parbolam. Quæ enim magis imparia sunt, atque est superbia & humilitas: pœnitentia & philautia: timor & confidentia, aut potius præsumptio? Pharisæus & publicanus, hoc est, qui habetur inter bonos optimus, & qui habetur inter malos pessimus? Quantæ eñ indicaturæ fuerint Pharisæi apud Iudæos, & quàm contempti fuerint apud eosdem Publicani, nemo nõ nouit. Sed expẽdam9 historiã. Christus dixit parabolam ad quosdã qui in se confidebant tanquam iusti, & aspernabãtur cæteros. Hoc plerunq; imò perpetuò ac necessariò fit, vt qui sibi magnus videatur in oculis suis, alios præ se contemnat. Nulla igitur expositione hæc indigent, sed potius magna cautione, ne scilicet nos cõmittamus imprudenter, cõtra quod Christus prædicauit audacter. Sed quænam illa parabola? Duo hoies, inqt, ascendebant in templũ, vt orarẽt, Vnus pharisæus, & alter publicanus. An ne malũ est, ascẽdere siue ingredi tẽplum, orandi gratia? Nihil minus. Orandum eñ est in omni loco, leuãdo puras man9, vt Paul9 ait, ad Deũ. Et quod Christus dixit de oratione in abscondito, & in cubilibus facienda: nihil repugnat publicis precationibus, sed tumidis & vanis blaterationibus. Nec putandum est, quòd Christus hoc loci vel Pharisæo vel publicano conditionem suam vitio verterit: cùm & ex Pharisæis, & ex publicanis multi post, nomen Christo dederint. Restat tertiũ, quod etiam non est in accusatione à Christo productum, nimirum, quòd alter altero præsente orauerit. Hac enim de re nullum præceptũ habemus à Deo, cùm oĩm qui oraturi sunt præcipuum sit, vt se in peccatorum classem deiiciant. Quid igitur est?

*Pharisæus stans hæc apud se orabat, &c.*

An ne hoc culpa dignũ, quod Pharisæus stans orat? Nihil minus. Nam & hoc in orantium voluntate situm esse videtur. Nã & leprosi illi de qbus proximo capite diximus, etiã stando, non genu flectendo Christũ pro sanitate rogauerũt, & exorauerũt. De aliis aũt, sicut etiã de Christo legim9, quod genua flexerint, in faciẽ prociderint, inq; terrã se prostrauerint. Sed hæc adiaphora sunt, hoc est, nũc bona, nũc mala, iuxta quod à bona vel mala radice producta fuerint. Neq; tamen possum probare impudentiã quorundã & clericorũ, & laicorũ, qui cæremonias, si nõ necessarias, certè honestas & decentes, porrò negligũt, ex quibus & cõtẽptus Dei, rerumq; diuinarũ, & scãdalum fratrum lõgè maximũ oriri solét. Quæ eñ est impudentia ad ostẽsionẽ Eucharistiæ non surgere, nõ flectere genu, non aperire caput? Et ad lectionem sacrosancti Euãgelii, dũ alii aperto capite, erectiq; illam audiunt, tu quasi ad piorũ classem non pertineas, sedes, rides, manib9 &

De præcibus cæremoniis.

In hæreticos cõtemnẽtes veteres ecclesiæ cæremonias.

& pedibus Iudionem, non Christi discipulum nobis refers. Sed hæc suo loco arguemus non negligenter. Ad hãc digressionem nos perduxit Pharisæus, qui stans orabat. Sed quid orabat? Apud se orabat. Bene apud se orare dicitur, qui non Deo, sed sibi ipsi placere cupit. Apud se orat, qui quod facit, nõ Deo, sed sibi acceptum ferre non dubitat. Sed quibus verbis orabat?

Vide Bernardi ser. 13. super cantica.

*Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus.*

Quid in his verbis mali? Quis hoĩm hæc verba Pharisæi culpare ausus fuisset, nisi post Christi præiudicium? An ne Paulus noster ait: In omnibus gratias agite? Et petitiones vestræ cũ gratiarũ actione innotescant apud Deũ. Et multorum sanctorũ precationes, à gratiarum actione exordium sumpsisse, & in psalmis, & in aliis scripruris canonicis videre licebit. Vt nõ videatur hic Pharisæus deliquisse contra illud scripturæ dictũ: Iustus ab initio accusator est sui ipsius. Sed fortè illud in reprehensionẽ vocatur, quòd Deo gratias agit, quòd non sit sicut cæteri hominũ, &c. Atqui piorum hominũ est, agnoscere se Dei beneficio prorectos & defensos à malis quibus seculi huius amici student. Nisi enim nos defenderet, conatusq; nostros malos cohiberet Deus, vereor ne peiores essem⁹ raptorib⁹, adulteris, & publicanis. Videmus item in aliis scripturarũ locis, sine præiudicio pios sua beneficta enumerare, & copiosius quàm hoc in loco à Pharisæo fit. Exemplo nobis sit Iob, Ezechias, Dauid, Paulus, Zachæus & alii.

Obserua.

Sed tu velim cogites & animaduertas, aliud esse, Deo pro acceptis donis gratias agere: & aliud ex philautia proximum contemnere. Pii agnoscũt, quicquid sunt, habent & faciunt, non suis meritis, sed Dei gratiæ deberi. At impii sibi videntur habere quod non habent, vel soli habere, quod etiam aliis concessum est: vel id quod habent, suo merito illis datum esse. Vnde Deo gloriã suam per fraudẽ detrahunt, & proximum, cuius animum ignorant, porrò contemnunt ac reiiciunt. Atqui bonorũ virorũ erat dicere: Serui inutiles sumus, quod debuim⁹ facere, fecimus. Et sicut Paulus dixit: Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: Qui autem iudicat me, Dominus est. Et iterum: Non enim qui se cõmendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. Hæc non considerat Pharisæus, sanctulus scilicet ille, sed multò magis magno supercilio sua benefacta enumerat, & catalogum virtutis suæ recenset. Sic vt neminem sibi æqualem patiatur. Non sum sicut cæteri hoĩm, inquit. Fortè angelus est, qui non est sicut cæteri homines: aut sic agnoscit se peccatorum pondere pressum & grauatum, vt immundiorẽ se neminem existimet. Non hoc agit Pharisæus, sed tantæ probitatis, tantæq; iustitiæ sibi conscius est, vt non opinetur in rerum natura, aliquẽ, quod ad probitatẽ attinet, sibi inueniri similem. Neminẽ ẽm excipit, omnes autem præ se contẽnit. Sed non satis factum est elato spiritui contemptu cæterorum, nisi & aliorum crimina nota faciat. Alios enim vocat raptores, iniustos, adulteros: & ne proximo cædere videatur, & ipsum raptoribus, iniustis & adulteris accenset. Nolumus hic crimina illa excutere: sed vtinã possem⁹ persuadere hoĩbus vt tãdem agnoscerent crimina esse rapinã, adulteriũ, &c. Sunt enim quibus rapina, iniustitia, hoc est, fraus & dol⁹, adulteriũ item, lusus videatur. A nominib⁹ fortè quidam abhorrent, cùm interim rebus ipsis gnauiter studeant.

*Ieiuno bis in sabbato: decimas do omnium quæ possideo.*

Qui iusti haberi volunt, tam apud Deum, quàm apud hoĩes, duo faciant necesse est: vt scilicet declinent à malo, & faciant bona. siue, vt Paulus

scripsit, vt odiant malum, & adhæreāt bono. Hoc non ignorans tumidus ille Pharisæus, primùm recensuit mala quæ fugerit, deinde recenset bona quæ fecit. De Pharisæorum ieiuniis legimus apud Matthæum, Ioannis discipulos Christo dicere: Quare nos & pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant? De decimis autem apud eundem legimus: Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem. Hæc oportet facere, & illa nō intermittere. Nos hic quidem nihil disputabimus tam de ieiuniis vel ex instituto, vel vltro susceptis, quàm de decimis necessariò & ex debito dandis. Sed hoc conquerimur, quòd ieiunii quale Dominus à nobis requirit, ne vestigiū quidem apud nos cernere licet: & quòd in persoluendis & accipiendis decimis neutra pars officii sui memor est: quod quàm verum sit, tum tandem fatebimur, quando nos meritas pœnas dare, negare nō poterimus. Sed vbi interim Publicanus noster?

Phari-sæos bis in sabbato ieiunare, & quomodo dent decimas, Epiphā. h.i.c. p. 16.to.

*Et publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori.*

Quàm efficax hæc fuerit precatio, res ipsa clamabit. Sed iuuat hoc in loco omnia dicta & facta boni Publicani diligenter excutere. De ingressu templi, in præmissis diximus, quoniam apud pios semper receptum fuit, vt oraturi in templum, tanquam ad locum diuino cultui dedicatum, ingrederētur. Iam qm̄ Pharisæus stans orauit, describitur & publicanus stādo orans. Nisi quod coniecturā certā capimus, Publicanum retrò stetisse, illum verò prope sacrarium, hoc est, digniori loco tēpli. Hoc eñi hoim genus vbiq; delectatur primis sellis, &c. Publicanus itaq; stans à longè. Quare à lōgè? Quia agnoscebat se lōgè abiisse à Deo, dū sub vexillo & in castris Satanæ militauerat. Et Dn̄s per Prophetā dicit: Peccata vestra diuiserūt inter me & vos. Sed rogas, quare noluerit oculos ad cœlū leuare? Tu diligēter auscultes velim, ego fideliter rē omnē explicabo. Mos antiquorū fuit (& Christus aliquādo seruauit) vt orātes oculos leuarent in cælū, velut in altū locū, vbi sedere crederet altissimā maiestatē. Fecerunt hoc q̄ plures patres veteris testamenti. Etiam Gentiles ad cælum leuabant oculos, cùm suos deos deasq; in suis necessitatibus deprecarentur. Et summū Deum esse in cælis, imò super omnes cælos, ab omnibus nationibus creditū est. Hinc audimus Dauidem apertè loquentem: Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis. Et Hieremias tremens ait: Leuemus corda nostra cum manibus ad Dn̄m in cælo. Sed vera humilitas arcet, & propriorū facinorū consideratio vetat, vt nec oculos leuemus in cælū, ad illam scilicet regionē, qua nobis, nō iniuria, videmur indigni. An nō audiuimus filiū lurconem, & paternæ hæreditatis dilapidatorē dicere: Pater, peccaui in cælū & corā te? Sed ne videamur præter aliquā necessitatē, lōgius abire ab instituto nostro, breuissimis rem expediemus. De oculorū vel leuatione in cælū, vel submissione in terram: item, de manuū vel expāsione, vel cōplicatione, & de reliquis orantium cæremoniis, res sic se habet. Per externas corporis actiones, plerunque intelligi datur, quid agatur in mente. Atqui quoniā hypocritæ plærunq; imitātur veros sanctos, fit, vt nōnunq̄ ouina pelle Cumanus tegatur asinus, aut iuxta Euāgeliū, lupus rapax. Et cæremoniæ eiusmodi indicaturā suā mutuātur ex qualitate animi, quem solus & videt & iudicat Dominus. Cæremoniæ itaq; omnes eò institutæ sunt, vt pietatis animorū sint indices. Iā inter illas tāta est

Ordo leuandi ad cælū oculi.

Psal. 122 Tren. 3

De orātium cæremoniis.

est differentia, vt nullo modo ab homine certò limitari possint. Sed præsenti exemplo, de quo nobis sermo institutus est, negotiũ aperiemus. Sũt qui, ceu diximus, orãtes suos oculos ad cælum leuare solent. Sunt deinde, qui inter orandum oculos suos in terram demittunt, quorũ in numero Publicanũ nostrum videmus. Iam vtriq; sui facti bonam habent rationem. Qui oculos in cælũ defixos habẽt, ipso facto testãtur se omnibus terrenis posthabitis à solo Deo cælum inhabitante expectare auxilium: sicut ille ait: Auxiliũ meum à Dño, qui fecit cælum & terram. Qui verò verentur oculos ad cælũ leuare, ex mera humilitate faciunt, sicut suprà diximus, dũ agnoscunt se potrò indignos cælestium consortio. His ergo, quid de reliquis cæremoniis etiam sentiendũ sit, intelligi potest. Quod sequitur, Publicanum tundendo flagellasse pectus, in idem cum præmissis coincidit. Est enim actio, quam internus animi dolor extorquet, & quæ non solùm inter precandum, sed etiam inter lamentandum fieri cõsueuit, hoc quod tam sacræ, quàm prophanæ testantur historiæ. Noster porrò publicanus videtur non aliam ob causam tutudisse pect⁹, quàm quod testari voluit, omne peccatum radices suas habere in ipso pectore. Quæ enim de corde exeũt, inquit Christus, coinquinãt hominem. Percutiebat pectus suum Publicanus. Percutiebat pectus suũ, inquit Christ⁹, non alienũ: nõ in aliũ deriuat culpam, non prætexit causam, occasionem, vel suggestionẽ Satanicã: sed semetipsum incusat, suũ ipsius pectus tundit, vt qui si noluisset, nullo modo peccasset. Multos, heu dolor, inuenias, qui nolũt percutere pectus suum, hoc est, nolunt ingenuè fateri culpã suã, sed nunc Deũ, nũc Satanam, nũc astra, nunc alios homines accusant, quasi hi luere debeant, quod illi peccauerunt. Atqui horum excusationes nihil moratur Deus. Apud terrenos quidem Iudices (qui plerumque ab ignorantia detinentur in aliorum causis diiudicandis) sæpe opportuna est excusatio aliena vel propria, ne scilicet innocens pœnali sententia inuoluatur, vel iniustè opprimatur, sed apud Deum (infallibiliter scilicet omnia cognoscentem) nulla excusatio vel locum vel necessitatem habet, nulla tergiuersatio cõgrua, nulla in excusatione verborum vrbanitas opportuna. Igitur si mala commiseris, quid excusas? Si non feceris, quid trepidas? Sin nihil mali commiseris, soletur te & sufficiat tibi testimonium bonum conscientiæ tuæ. Si præuaricator factus es, noli excusare, noli ficulnea consuere perizomata: sed percute pectus tuum, temetipsum accusa, & placabilẽ inuenies iudicem. Sic faciebat, qui adulterio coniunxerat homicidiũ, Miserere, inquit, mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum cõtra me est semper. Quàm autem feliciter illi cesserit tam aperta & libera confessio, alibi declarat, inquiens: Dixi, pronunciabo iniustitiam meam Domino, & tu remisisti iniquitatem peccati mei, &c. Ex his, opinor, intelligis, quid sit, suum ipsius percutere pectus. Reliquum est itaque, vt videamus quibus verbis orauerit, imò & exorauerit Publicanus Dei clementiam.

*Deus, inquit, propitius esto mihi peccatori.*

Audiuimus in superioribus Pharisæi satis ampullosa, & vt ille aiebat, sesquipedalia verba. at iam audimus longè preciosiora. Tu diligenter auscultа: ego diligenter singula expendam. Deũ vocat & inuocat Publicanus pro remissione peccatorũ. Quis enim potest peccata dimittere, nisi qui peccatum non fecit, hoc est, Deus. Hic enim dicit: Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas, &c. Addit deinde:

Deus. Marc. 9. Esa. 43

Propitius esto mihi. Propitius esto mihi. Iam qui veniam postulat, hic certè culpam non negat. Propitius, inquit, esto mihi. Quod si Iudaicarum precationum fuisset gnarus, addidisset fortè: Non intres in iudiciũ cũ seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Et: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Nec silentio etiã prætereundum, quod dixit: Propitius esto mihi peccatori: Quod enim Deus fecit, propitiatione non eget (vidit enim Deus quæcunque fecerat, & erant valde bona) sed quod de suo addidit homo, propitiatione vtique opus habet. Quòd homines sumus, Dei est: quod verò peccatores sumus, nostrum, & de nostro est. Sed ne videamur plus quàm oportet, patrocinari publicano, audiamus Christum ipsum, & de Phariſæo, & de publicano sententiam eloquentem.

psal. 142

psal. 129

Mihi peccatori.

*Amen dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo.*

Satis his verbis declarat Dominus, se nihil per lusum dicere, quando non dubitat cõsuctũ suũ iuramentũ interponere, dicendo: Amen, hoc est, in veritate dico vobis, quod Publicanus descendit ab illo Phariſæo in domũ suã iustificatus, hoc est, Deo recõciliatus & acceptus. Quæras fortè quis illum iustificarit, hoc est, iustũ pnunciarit? Nõ fuit homo hic arbiter, nõ hic iudicium humanũ vel timendũ vel spectãdũ, vbi oĩa in abscondito fiunt. Ille ergo publicanum iustificauit, qui ipsi peccata dimisit, cuiusque propitiationẽ publican⁹ ambiuit, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Sed quis nobis eius rei testis? Christus ipse, filius hoĩs, qui potestatẽ habet in terra remittẽdi peccata. Beatus itaque est, iuxta Psalmistã, cui nõ imputauit Dñs peccatũ, &c. Causã iustificationis audiam⁹ ab ipso Christo:

Psal. 31. Rom. 4.

*Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.*

Ergo quicquid Phariſæus egit, quomodocunque tandẽ illud egerit: superbiæ & fastus est. Quicquid verò alter egit, meræ humilitatis fuit. Hinc ille, humiliatus, hoc est, à Deo reiectus & repbatus. Alter verò, publicanus scilicet, exaltatus est, nimirũ inter amicos, imò & inter filios Dei numeratus. Rectè ergo D. Deipara cecinit: Deposuit potẽtes de sede, & exaltauit humiles. Et in Epistolis canonicis legim⁹: Deus superbis resistit, humilibus aũt dat gratiam. Nos itaque in hoc biuio positi, eligere debemus in hoc seculo humilitatem, vt in illo futuro seculo exaltari mereamur. Sed de superbia & hui⁹ hoste humilitate, in aliũ locũ differemus disputationẽ. Sunt & alia quæ hic merito tractatẽtur copiosius: sed nos oĩa illa in aliud tẽpus tractãda seruabim⁹. Vnicum est, quod nõ negligenter hic obseruandum esse putamus, nimirum quòd Christus hoc in loco humilitatẽ causam iustificationis impii posuit; & non fidẽ illã solitariã. Quod ideò admonemus, vt meminerint aduersarii cautius & explicatius de articulo illo iustificationis disserere: hoc quod faniores illorum nõ ita diu facere meritò aggressi sunt. Deo sint gratiæ. Obseruandũ etiã, quòd postrema illa Dñi sententia de humiliatione & exaltatione, nõ solùm ad futurũ seculũ, sed etiã ad nostra tẽpora, hoc est, ad præsens seculũ referẽda est. Fit enĩ plerunque, vt gloriosi illi Thrasones plerisque sint odiosi. Et Nabuchodonozor ille q affectabat diuinos honores, in classẽ brutorũ animaliũ redact⁹, fœnũ vt bos comedere cõpulsus est. Sed videamus sequentia.

1. Pet. 5.

Da.

*Afferebant aũt ad illũ & infantes, vt eos tangeret. Quod cùm viderent discipuli, increpabant illos.*

Pulchrè hæc in superioribus cohærent, imò illa ab his magis illustrãtur, maioremque lucem accipiunt. Sic enim amat Dominus humilitatem, sic odit fastum, vt etiam erga eos qui natura, & per ætatem à fastu alieni sunt,

sunt, libenter sit beneficus. Sed hæc in sequentibus suum habebunt locũ. Iam videndum est, quo noĩe quidam infantes Christo adduxerint. Et quare Apostolis factũ hoc displicuerit? Illud satis liquet ex aliorũ Euangelistarũ narratione. Matthæus enim inquit: Oblati sunt Iesu paruuli, vt manus eis imponeret, & oraret. Apud Marcum verò sic legimus: Et offerebãt illi paruulos, vt tangeret illos. Et complexans eos, & imponens manus super illos, benedicebat eos. De impositione manuũ, & benedictione, frequens mentio est in scripturis vtriusq; testamenti. Nam & sanctus ille Israel bñdicturus Ephraim, & Manassen filios Ioseph, dextram manum super caput Ephraim, & sinistrã super caput Manassis imponebat. Sed hoc testimoniũ suffecerit pro multis. Certum enim est ex veteri consuetudine, quòd quicquid Deo vel offerre, vel consecrare volebant, siue illud homo erat, siue animal brutum, super illud ministri Dei manus imponebãt, quasi super illo, quod amplius non humanis vsibus, sed Dei ministerio & cultui esset mancipatum. Parentes itaque paruulos ac infantes etiam Christo adducunt, rogantes eos ab illo tangi & benedici, hoc est, pro illis orare Christũ volũt, vt tã corpore, q̃ aĩa posthac sint fœliciores. Viderant enim parentes illi, Dñm attactu suo oẽs sanasse morbos, contactuq; ingẽtia hominibus cõtulisse beneficia. Sperabant itaq; & cõtactum eundem infantulis suis nõ mediocriter profuturum. Iam quia etiam deprecationem coniungi postulãt, manifestũ est, parẽtes à Domino etiã animarum incolumitatẽ sanitatemq; postulasse. Hoc autem ipso præferunt nobis exẽplum, quid nos quoque liberis nostris postulare debeamus, à Dño. Qua de re nõ ita multò post. Sed quid sibi vult, quòd discipuli parentes increpant, & cũ infantulis Christo accedere prohibent? Certè non possumus putare aliquid hic factum vel per contemptum, vel per inuidiam ab Apostolis, sed potius per ignorantiã. Putabãt enĩ Apostoli infantes nulla vtilitate Christo offerri, vt qui sermonem ipsius nec intelligere, nec credere possent, Christũq; hac parentũ importunitate, à melioribus studiis remorari. Hanc meam coniecturã excusabit Christi respõsio, quæ in hæc verba sequitur cõtinẽter.

Matt.19
Mar.10.
Gen.48.

*Iesus autem conuocans illos, dixit: Sinite pueros venire ad me, & nolite vetare eos, talium est enim regnũ cœlorum.*

Vides quòd nihil per lusum hic à Christo Domino nostro fiat. Neque enim contentus fuit Dominus dixisse: Sinite pueros venire ad me, sed addit: & nolite vetare eos. Imò quemadmodum Marcus dicit: Christus indignè tulit, quòd discipuli se opponerent infantibus. Sed quare admittẽdi sunt? Quia talium, inquit, est regnũ cœlorũ. Vos discipuli fortè putatis pueros mihi nõ placere, neque aliquid emolumenti ex me consequi posse, eò quod paruuli sunt, & quasi rationis expertes, ita vt neq; verbis meis credere vel obedire possint. Atqui hæc nihil obstant, quo minus illis benefacere possim. Imò in veritate dico vobis, quòd talium est regnum cœlorum. Suffecerit enim Dei gratia & misericordia ad saluãdum etiam eos, qui per ætatem neque fidem, neq; opera habere possunt. Neq; enĩ tã durus est Dominus, vt ab infantibus petat, quod illis dare noluit, & vt meat, iuxta serui nequam calumniam, quod non seminauit. Hic porrò nonnulla obseruãda sunt. Et primum quidem, locum hunc omnibus modis reluctari Pædobaptistarum insaniæ, qui pueros à baptismo arcent, tantum ob id, quòd neque credere, neq; fidem profiteri valeant. Deinde admonentur hoc loci parentes, vt infantulos suos Christo adducant. Quæris quomodo? Primum, vt per Baptismi

Mar.10.
Contra Anabaptistas.

sacramentum corpori Christi inferantur, quo fit, vt postea omnium meritorum Christi fiant participes. Secundò ad confirmationis sacramentum, vt ampliorem ibi spiritus sancti gratiã accipiant. Tertiò ad conciones sacras, vt ibi intelligãt, quæ Christianum militem vel deceant, vel dedeceant. Nec audiam hic illos male Christianos parentes, qui respondeant, pueros nihil percipere eorum quæ dicuntur ab Ecclesiasta. Si enim ad nihil aliud prodest illos adducere, certè ad hoc maximè valet, vt à teneris assuescant libenter adstare verbi Dei promulgationi. Adiiciam quartum, vt fidelissimo pædagogo liberos tuos committas, à quo non minus pietatem, quàm literas discere possint. Postremò (nam possem multa hic adiicere, quæ in alium locũ differemus) tuo pio exemplo illis sis efficacissimum calcar ad omne pietatis negotium. Verùm quid proderit iam me hæc admonuisse? Vereor, vereor, ne surdis cecinerim hanc non impiam fabulam. Multos enim noui, qui malunt pueros à Christo arcere, quàm illos huic adducere. Multa hic premo, mi frater, quæ vtinam possem cũ fructu eloqui. Videamus reliquum huius negotii.

*Amen dico vobis, quicunque non acceperit regnum Dei, sicut puer, non intrabit in illud.*

Huius sententiæ intelligẽtia ex aliis locis petenda venit: ne scilicet nobis aliquis Nicodemus obstrepat, dicens: Quomodo potest homo iterũ nasci, cùm sit senex? Sed ne quis stulta hæc cogitare animum induceret, apud alios Euangelistas inquit Christus: Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quod si nec hanc Domini interpretationem intelligis, vel Paulũ verũ veritatis interpretem audi. Fratres, inquit, ne sitis pueri sensibus, sed malitia paruuli estote: sensibus verò perfecti sitis. Et D. Petrus inquit: Deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones, sicut modò geniti infantes, rationabile & sine dolo lac cõcupiscite, vt in eo crescatis in salutẽ, &c. Certè paruuli nesciũt fucum, nesciunt falsum, nesciunt referire, nesciunt regerere conuitiũ, nesciũt auaritiã, nesciunt ambitionẽ: mera est innocentia, mera simplicitas. Sic Apl's etiam in Romanis suis ad Christi paradigma alludere videtur, cũ inqt: Volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo. Cæterùm potest & præsẽs historia de paruulis pulcherrimo ordine ad superiorẽ de Pharisæo tumido, referri. Quid cũ tu supercilioſe superbe bona opera tua plus æquo ostẽtas, quasi scilicet illis meritò debeatur vita æterna? aut quare contẽnis publicanũ, quasi ex peccatoribus nemo veniat in cælũ? Nouit Christus ex mera sua & gratuita misericordia etiã illos seruare, qui adhuc nihil boni vel mali fecerũt, nec aliqua habẽt bona merita, nisi quatenus illis mala merita sunt dimissa. Vnde nõ est vt Pharisæus vel efferatur, vel Publicanus desperet. Sed de his aliàs, ne plus æquo recedamus ab Euangelii nostri contextu.

*Et interrogauit eum quidam princeps, dicẽs: Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo?*

Scribit etiã Matthæus, quòd hæc historia facta sit, postquàm Christus imposuerat manus suas oblatis paruulis, & aliò abiisset. Et habet certè hæc historia etiam optimã cõsequentiã cũ proxima quæ præcessit. Quis enim audiuit quantã puritatem, quantam innocentiã Christus requirat ab eis, qui volunt ingredi regnum cælorum? Atqui septies in die cadit iustus: & in multis offendimus omnes. Et si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, &c. Iam audimus etiam eum qui Decalogi

Marginalia: 1. Cor. 14 — 1. [Pet. 2] — Rom. — Matt. 19 — Pro. 24. — Iacob. 3 — 1. Ioan. 1

logi maiorem partem seruauerit, tamen indignum esse regno Dei. Arqui nemo ob id desperet. Qui peccatores odit, pœnitentes benignè recipit. Et Deo imposibile non est vt ex iniustis iustos faciat. Sed audiamus omnem historiam suo ordine. Princeps quidam interrogauit Dominum, dicēs Magister bone, &c. Qualem principatum habuerit ille, ex Euangelio non cognoscimus, nec plurimum referr. Diuitem fuisse ex sequētibus patebit, vnde mirum est quòd de vita æterna quæstionem mouet. Ardua enim, & scitu digna est quæstio illa, quomodo scilicet detur nobis vita perfrui æterna. Si enim in hac vita tantū in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Ideo necesse est vt Christum cum illo principe adeamus, interrogantes quid faciendo vitam æternam consequamur. Tu porrò singula eius historiæ mecū expendas velim. Princeps & magni nominis vir est, adeoque & diues, & tamen de futura vita interrogar. Siue enim summates simus, siue plebei, omnibus nobis moriendum est, ideoque de futura vita vtrisque cogitandum. Addit, magister bone. Certè hoc oscitanter prætereundum non est, maximè autem iuuentibus, quòd honorificè Christum, magistrum & quidem bonum magistrum appellat, & iuxta Marci relationem, etiam Domino genua flectit. Commendatur enim his, iuuentuti ciuilitas morum, vt seniores honore præueniant, non sint agrestes, non arrogantes, neque irreuerentes. Est & hoc probè considerādum quod dicit: Quid faciendo vitam æternam possidebo? Persuasum enim habebat ipsam non deberi ociosis & stertentibus hominibus, sed operantibus. Appellat item vitam æternam, quū præsens vita mors potius dicenda sit quā vita. Hinc Iacobus dicit: Quæ est enim vita vestra? Vapor est, ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. Neque solum sperare vult princeps ille vitam æternam, & vel ad tēpus habere, sed possidere, hoc est perpetuo ab illa non auelli. Nihil igitur hic à principe dicitur quod nō laude, imo & imitatione dignissimū sit. Sed quid ad hæc Christus?

1.Cor.15

Mar.10.

Iaco.4.

*Dixit autem ei Iesus: Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi solus Deus.*

Multa quidem hic dici possent, eademque nō inepta de inexpectata hac Domini responsione: nos tamen hoc totum negotium, qua possumus breuitate expediemus, in hoc solo intenti, vt doceamus scripturam secum non pugnare, & aperiamus causam quare Christus huiusmodi responsionem duriusculā dederit. Certè alibi dicit Dominus, Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona. Et Paulus Apostolus Timothæum suum vocat bonum ministrum, & bonum militem. Sic in Actis Barnabas appellatur vir bonus, & plenus spiritu sancto & fide. Legimus deinde de angelis bonis & spiritibus bonis. Ergo diligenter expendendū est, qua ratione Christus dixerit: Nemo bonus, nisi solus Deus. Dicimus itaque neminem esse bonū, sicut Deus bonus est. Hic enim sic bonus est, vt etiam sit fons & origo siue scaturigo omnis boni, adeo vt quicquid bonitatis in toto orbe sit, à Deo profectum, & à Deo conseruatū & absolutum credatur. Breuiter quod bonus est Deus à seipso haber, & perpetuo habet, nec ab aliquo sua bonitate priuari vel spoliari potest: nos autem quicquid boni habemus, aliunde, nimirum à Deo accepimus: & erat quando non habebamus, & possibile est, vt acceptis donis rursum exuamur. Itaque quod ad donum acceptum spectat: Bonus homo de bono thesauro bona profert. Quod verò ad naturam nostram adtiner, alibi dicitur:

1.Ti.4.
2.Ti.2.
Act.11.

Aug. ad Maced. & c. Epi. 54.

Vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris. Quod autem hic dicimus nos natura malos esse, non loquimur de natura humana, sicut à bono Deo bona creata est: sed sicut à primo parente nostro (qui propria voluntate malus factus est) viciata est. Hoc docet cũ vniuersa scriptura Paulus: illud verò impius somniat Manichæus. Vidit enim Deus quæcunque fecerat, & erant valde bona. Per vnius verò hominis peccatum, mors intrauit in vniuersum mundum. Hæc interpretatio plurimum lucis adfert multis aliis scripturæ locis, quæ hominibus vel addunt, vel adimunt, quæ Deo propriè addenda vel adimenda sunt. Ecce enim Apostolus vocat Deum solum sapientem, solum immortalem, solum æternum. Nihil tamen oberit si Salomon dicatur Sapiens, vel Paulus ipse vt Sapiens architectus fundamentum ponat. Et anima immortalis dicitur: & ignem æternũ legimus. Non tamen anima immortalis est sicut Deus: nec ignis æternus est, sicut Deus æternus est & dicitur. Iam igitur restat vt inquiramus quomodo Christi responsum principis interrogationi conueniat. Sic autem res se habet: Princeps ille minus de Christo sentiebat, quàm sentire de ipso debebat: habebat enim Christũ pro homine vulgari, sic tamen vt aliis hominibus & sanctitate, & virtute miraculorum, & scientia doctrinæ præstaret: quemadmodum & inter reliquos homines alter alteri in Dei donis præualet. Atqui de semetipso non modicum sentiebat princeps ipse, sed videbatur sibi non vulgariter in pietate profecisse, vt qui decalogi præcepta non fuisset præuaricatus. Sic enim in sequentibus dicet. Atqui Christus, vt retũderet principis confidentiam, doceretque quicquid in nobis boni est, illud omne Deo acceptum ferẽdum, ait: Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi solus Deus. His autem non negat Dominus absolutè se esse bonum, qui alibi dicit æqualem se esse patri: sed respicit ad mentem & intellectum adolescentis, nondum plenè imburi, sicut diximus, vera Christi cognitione. Neque enim sic bonus est Christus, sicut eum bonum esse putabat princeps. Neque enim bonitas Dei Christo per partes communicata est, sicut reliquis hominibus Deus solet impartiri dona sua. In Christo enim habitat diuinitas corporaliter. Et ipse dixit: Omnia dedit mihi pater in manus. Et ad patrem: Omnia, inquit, tua mea sunt: & mea tua sunt. Multum itaque supra modũ distat bonitas Christi, à bonitate hominum. Adde quod ille princeps ad responsum Christi potuit humiliari & cogitare: Si talis ac tantus Propheta videtur non agnoscere boni appellationem, quis ego sum qui mihi nõ tantum bonus, sed & perfectus esse videor? Neque enim aperte negat se Christus bonum, sed quærit cur ab eo vocetur bonus, à quo non perfectè cognoscitur. Neque enim perpetuo eiusmodi quæstiones, negationem inclusam habent. Alibi enim dicit: Quid me vocatis Domine Domine, &c. Neque tamen ob id negat se Dominum esse. Quid si hinc Christi & deitas & bonitas probetur? Si enim nemo bonus nisi solus Deus, Christus autem bonus est, ergo & Deus est. Et si Christus Deus est, vtique bonus est. Sed hæc pro huius loci elucidatione suffecerint.

*Aug. de natura boni & mali, cap. 39*

*Vide Hilarium lib. 9.*

*Mandata nosti: Non occides, nõ mœchaberis, non furtum facies, non falsum testimonium dices: Honora patrem tuũ & matrem.*

Sic certè agnoscit Christus boni magistri appellationem, vt ad interrogata respondeat. Et potuisset quidem princeps ex verbis Christi de bono colligere in hunc modum. Si nemo nisi solus Deus bonus est, certè id dũtaxat

bonum esse necesse est, quod è Deo proficiscitur. Ergo si feceris quod Deus præcepit, facies quod bonũ est. Quoniam verò princeps ille stupidioris ingenii erat, quàm qui talia ex quæstione Domini colligere posset, manifestius respondet Christus ad interrogata. Et quoniam de factis rogatus erat, de factis respondet. Proponit autem Christus illa decalogi præcepta, quæ iuxta externam quidem speciem, raro fiunt, vt quæ nemo facilè occultare potest, & ideo illa perpetrare erubescit. Non occides, inquit, Hoc si de violenta occisione intelligamus, certè nõ magnum est, etiam si neminem occideris. Neque enim caret periculo alii intentare mortem: cauendum enim, quoniam & illi machæra est, ne pro occisore fias occisus. Quod verò Mœchiam siue adulterium adtinet, idem videtur dicendum. Maritum nulla necessitas vrget, cum propriam habeat vxorem: & alterius cõiugem impunè vix dehonestabis. Quid de furto? Diuiti sua suppetunt: Inops, si aliena inuadere voluerit, de vita periclitandum est. Sic qui falsum testimonium dicit, & is periculosissimæ aleæ sese committit. Cauendum est enim ne in breui aperiatur, quod hactenus tectum erat. Superest præceptum de honorandis parentibus, quod & ipsum, si impleueris, nihil magni feceris. Non enim facilè inuenitur, qui ita bestialibus moribus sit, vt in parentes debachetur. Adde quod illis qui parentibus maledicunt, lex capitalem pœnam infligere iubet. Lex enim prospexit, ne parentibus vlla fiat iniuria. Qui maledixerit patri, inquit, vel matri, morte moriatur. Et vt illis benefacias, reuereare, & alas, eadẽ lex iubet. Hæc enim omnia includuntur in hiis verbis: Honora patrem & matrem. Pasce itaque patrem tuum, pasce matrem tuam. Et si enim patieris matrem, ait Ambrosius, adhuc non reddidisti dolores, nõ reddidisti cruciatus quos pro te passa est, non reddidisti obsequia quibus te illa gestauit: non reddidisti alimenta quæ tribuit tenero pietatis affectu, immulgens labris tuis vbera: non reddidisti famem quam pro te illa tolerauit, ne quid quod tibi noxium esset ederet, ne quid quod lacti noceret, hauriret. Tibi illa ieiunauit, tibi manducauit, tibi illa quem voluit cibum non accepit, tibi quem noluit cibum sumpsit; tibi vigilauit, tibi fleuit; & tu egere illam patieris? O fili quantum tibi sumes iudicium, si non pascas parẽtes! Sed quid egò hic talia? Cur surdis cano? Imo cur absentes & nunquam præsentes alloquor? Iniquum vereor sit, quod ego pueros admoneam quid parentibus debeant, quum hii nunquam cogitant quid Deo debeant. Sed reuertamur tandem ad principem nostrum.

*Qui ait, Hæc omnia custodiui à iuuentute mea.*

Arbitramur principem hunc, quod quidem ad legis corticem adtinet, nihil egisse contra præcepta superius enumerata: hoc est, neminem occidisse, adulterium non perpetrasse, non dixisse falsum testimonium, nemini quicquã furtò abstulisse, parentibus tandem fuisse morigerum, ipsisque pro virili inseruiisse: Marcus enim scribit, quod Dominus intuitus est, dilexerit ipsum. Atqui quod princeps ille præcepta illa sic seruauerit, quemadmodum seruari oportebat, verisimile non est. At talis est genius carnalium hominum, vt plerunque ante victoriam triumphare conentur: videanturque sibi egregiam nauasse operam, quando vix è carceribus prodierint. Laudamus tamen nõ immerito bonum illum principẽ, qui ab ætate sua tenera legis obseruationi in tantum studuerit. Bonũ est viro cum portauerit iugum Domini ab adolescẽtia sua, ait Hieremias in flebilibus illis threnis suis. Neque enim

Treno. 3

enim poterit malè senescere, qui in iuuentute virtutibus operam dederit. Atqui eiusmodi non curant parentes, sed iuuentuti plus æquo indulgent, ad illius scelera vel conniuent vel arridēt, vel quæ pessima sunt, in meliorem partem si interpretari nō possunt, certè eleuare & extenuare conantur. Si ad vindicandum proni sunt, virorū imaginem præ se ferunt: Si verbis & moribus impuri sunt, facetias & humanitatem interpretantur. Si furto aliquid ablatū, ad proprias ædes deferunt, blādiusculè excipiūtur, & tāq frugi futuri patresfamilias magnis encomiis celebrātur: Si falsum testimoniū dixerint, à taciturnitate cōmendantur. Quod si parentibus facessunt negotium, simplicitati hoc & pueritiæ ascribendū est. Ex his iam dictis tu cætera conijce.

Vide D. Basiliū Ser. 1. in diuites auaros.

*Quo audito Iesus ait ei: Adhuc vnum tibi deest. Omnia quæcunq; habes vēde, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me.*

Præter cætera quæ Dn̄s hoc verbo significare voluit, certè hoc etiā significat, qua ratione ille princeps nihil peccauerit cōtra supradicta præcepta, quia scilicet occasionem non habuit, qua permotus vel aliquem occidisset, vel aliqd furto abstulisset, &c. Si enim in hoc periculum incidisset, vt aut suas diuitias negligeret, aut inuasorē illarū interficeret: tunc vidissemus vtrum elegisset diuitias perdere, an in legem peccare. Sic qui sufficientem bonorum possessionem habet, non potest scire quantum absit à furto, Sic de reliquis dicendum. Sed qua ratione tam graue præceptum dare videtur Christus huic principi? An ne quod principi dictum est, omnibus dictum esse putamus? Vtrunque expedimus qua possumus & breuitate & fidelitate. Primo ergo dicimus Dominū nostrum Iesum, principi illi hoc verbo voluisse demonstrare, cū tandē rectè & sufficienter legem perficere, qui Deo nihil præponit, paratusq; est omnibus suis bonis longum vale dicere, modò frui possit Deo, & bonis quæ Deus diligentibus ipsum præparauit. Non enim perfecit legem, qui vel Deo præfert vllam creaturam, vel iubēte Deo, fratri egenti quicquam negat. Rectè ergo alibi dicitur, in hiis duobus mādatis, videlicet de dilectione Dei & proximi, vniuersam legem & Prophetas pendere. Horum enim duorū mādatorum mentio fit in præsenti loco. Omnia vendenda sunt vt fratris inopiam subleues. Hoc ad dilectionem proximi pertinet: Christus sequendus est, hoc ad dilectionem Dei pertinere certum est. Tu porrò hic diligenter perpende singula. Adhuc vnū, inquit, tibi deest. Quod nam est illud vnum? Audi Apostolum Christi: Omnis, inquit, lex in vno sermone impletur. Audi & alium: Qui offendit in vno, factus est omnium reus. Vnum ergo illud non est aliud nisi dilectionis Dei & hominis præceptum: Sola enim charitas est, quæ non agit perperam. Et quicquid feceris præter & contra charitatem, bonum esse nequit. Si non occideris, & tamen non amas, malè facis. Si eleemosynam dederis, & ex charitate non facis, nihil boni facis. Si omnes facultates tuas in pauperes distribueris, si corpus tuum igni tradideris (& cætera omnia quæ Diuus Paulus enumerat feceris) si charitatem non habes, frustra & in cassum omnia feceris. Hoc est nimirum illud vnum, de quo supra Christus dixerat Matthæ: Vnum est necessarium. Hæc est illa optima pars quam Maria elegerat. Diligebat enim in Christo & Deum & hominem. Ex hiis opinor intelligis, quare Christus dixerit: Adhuc vnum tibi deest. Omnia quæ habes: Nihil subtrahendum. Omnia quæ tu habes: non quæ alij.

Gala. Iaco. 1. Co. 13. Lu. 10.

Ex

Ex substantia tua, inquit ille, fac eleemosynam. Omnia, inquam, quæ habes vende & da pauperibus, non diuitibus à quibus retributionem aliquam temporalem expectare posses. Nec est vt te putes iniquam inire commutationem: pro temporalibus enim bonis thesaurum accipies in cælis. Interrogasti, vult Christus dicere, ô amice quid tibi faciendum, vt tandem consequi possis vitam æternam? Iam habes responsum. Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurũ in cælo: hoc est in tutissimo loco, vbi fur non appropiat, neque erugo consumit, neque tinea demolitur. Cæterũ quoniam nõ suffecerit relinquere substantiam suam, nisi & in posterũ Christi vestigiis inhæreas, statim adiecit Christus: Et veni sequere me, qua de re non ita multò post. Iam porrò quoniam quidã malè feriari homines, hoc vocant Domini præceptum quo plurimum abusi sunt (loquor de iis qui olim pauperes de Lugduno appellabãtur, & de Anabaptistis huius seculi) obseruandum est, quod dictum hoc de vendenda omni substantia, non sic intelligendum est, quasi nemo vitã æternam consequi possit, nisi qui diuendiris omnibus sequatur Christũ. Qualis enim & quãta inde sequeretur omnium rerum confusio? Quomodo posset constare aliqua res publica? Dicimus igitur Christum hoc verbo docere voluisse, quòd ad vitam æternam peruenire ille nõ possit, qui cælestibus temporalia præponit. Aut potius suasit vt princeps hic, relictis omnibus bonis, & in pauperes distributis, se sequeretur quemadmodũ reliqui discipuli, per quos voluit annunciari regnum Dei. Sic in superioribus, cap. scilicet ix. dicebat cuidam adolescẽti: Sine mortui sepeliant mortuos suos, tu autem vade & annũcia regnum Dei. Sed quid opus est multis? Nullibi reperias in Euangelicis & Apostolicis literis proprietatem rerum, ac opum vsum esse prohibitum, mendicitatem verò præceptam: Immo contrarium apertè reperies apud Apostolum. In Ephesiis enim iubet nos laborare manibus, vt sit quod tribuamus necessitatem patienti. Idipsum facit & in vtraque ad Thessalonicenses epistola. Idem etiam Apostolus diuitibus officia vitæ præscribit, nullibi autem sordidam illam Anabaptistarum mendicitatem præcipit. Breuiter si quis tantùm consideraret quanta absurditas ex illorũ falsa interpretatione sequatur, facilè videbit verborum Christi longè aliã esse sententiam quàm illi somnient. Si enim hoc Domini præceptum simpliciter ad omnes pertinet Christianos, quemadmodum illi contendunt, ad quos obsecro opes Christianorum omnes tandem deuoluentur, quàm ad Ethnicos & infideles? Nam qui volet Christianus esse, vendet omnia quæ habet, & dabit pauperibus. Interim non poterit opes illas suas aliis erogare, quàm Ethnicis pauperibus. Si enim quicquã Christiano dederit, cogetur hic protinus alteri dare, ne quid habeat aut possideat proprii: & hic rursus cogetur quòd accepit dare alteri, donec ad manus perueniat Ethnici. Sed hæc plus satis. Iam videamus quomodo adolescens ille princeps, Christi responsum acceperit.

*In Anabaptistas.*

*Aug. licet oia propter Christũ dimiserit, mihi homini, tamen, hoc vocat cõsiliũ, non præceptum. Epist. 89. ad Hila.*

*Vide Chryso. Hom. in Priscillã & Aqlã. To. 6. Cap. 2.*

*Ephe. 4. 1. Thes. 4. 2. Thes. 3. 1. Tim. 6.*

*Hijs ille auditis, contristatus est, quia diues erat valde.*

Ex hiis videmus quis sit & qualis hominum genius, qui sic volũt sperare cælestia, vt tamen non cogantur relinquere terrestria: Nolũt enim spem, quod dicitur, prætio emere. Sed quare tristatur princeps ille ob Domini responsum? Quoniam scilicet ignorabat non diuitias à Christo damnari, vt quæ dona Dei sunt: sed affectum potius, quo maioris æstimamus thesauros terrestres quàm cælestes: hoc quod nõ

ita

ita multo post audiemus. Testatur autem princeps sua tristitia quantũ spei posuerit in fluxas illas suas diuitias. Nisi enim lætaretur de possessione, nunquam tristaretur de illarum amissione. Certè de patientissimo Iobo nõ legitur, quòd ob amissionẽ diuitiarum suarum tristatus fuerit, sed quòd Domino benedixerit inquiens, Dominus dedit, Domin⁹ abstulit: sicut Domino placuit ita factum est. Sit nomen Domini benedictum, &c. Enimuero si fiduciam suam in fluxas illas & caducas res conlocasset, tam pia nunquam fuisset locutus. Sequitur.

Iob. 1.

*Videns Iesus illum tristem factum, dixit: Quàm difficilè qui pecunias habent in regnum Dei intrabunt. Facilius est enim camelum per foramen acus trãsire, quàm diuitem intrare in regnũ Dei.*

Hactenus Christus. Atqui legimus multos diuites in scripturis præcipuos fuisse Dei amicos. Nonne satis diuites fuerunt tres illi patriarchæ Abraham, Isaac, & Iacob? tamẽ nihilominus placuerunt Deo, in tãtum vt illorũ Deus vocari voluerit. Rectè ergo à Domino dictum est, eos qui pecunias habent difficilè intraturos regnum Dei. Nõ ait impossibile est, sed difficilè. Quamdiu enim pecunias habent, & harũ cura onerati sunt, non possunt ingredi arctam illam portam: sed simularque posuerint ingẽtes illarum curarũ sarcinas, tum poterunt etiam cum paratissimis & expeditissimis cursu contẽdere. Verùm ægrè illis persuadebitur vt fiduciã suã in possessiones suas non collocẽt. Certè qui multas habuerit diuitias, si bonus esse voluerit, benefaciendi multas habet occasiones. Sin malus esse perrexerit, longè plures habebit occasiones malè faciendi. Vnde rectè à Christo dicitur, diuitem difficilè intraturum regnum cælorum. Tu aũt memineris Christum hoc in loco nõ simpliciter loqui de omnib⁹ diuitibus, sed de talibus qui diuitias terrenas cælestibus præferre solẽt, hoc quod in sequentibus cõtinuo patebit. Eos notat diuites Christus, quibus diuitiæ magis sunt oneri quàm vsui: vt quas aliis baiulant non sibi: quo nomine etiam similitudo cameli, animalis videlicet tortuosi, adducta est. Et reuera studiũ cõgerendarum opũ earũq; possessio vndique sceleribus circumseptũ est. Nam in parandis opibus, interueniunt furta, rapinæ, cædes, mendacia, deierationes: & quòd terrenis tandẽ toti immergimur, ac cælestium planè obliuiscimur. Possidendo & vsurpando hæc interueniunt, auaritia, sordities, luxus, libido, superbia. In amissione verò & iactura opũ non mediocriter peccamus, impatientia & fœdo dolore. Sed audiamus sequentia.

*Et dixerunt qui audiebant: Et quis potest saluus fieri?*

Vide August. in Psal. versu. Sed si raude multi. dias.

Matthæus, hæc discipulos dixisse scribit, qui videntur de salute hominũ soliciti, & ex verbis Domini colligere paruã esse turbã, qui ingredi poterunt regnũ Dei. Sed ait quispiam: Qui fieri potest vt pauci ingressuri sint regnum Dei, quum diuitum, ad pauperes collati, pusillus sit numerus? Ad hoc respõdemus, discipulos Domini sui verba intellexisse, nõ de illis solum qui iã actu, vt aiunt, multas diuitias possident, sed etiam de omnibus illis qui diuitiis inhiant, siue eas assequãtur, siue minus. Paulus enim dicit: Qui diuites fieri volunt, incidunt in laqueos diaboli, &c. Iam quis est in toto hominũ grege qui non malit abundare, quàm egere? Igitur quod ad hunc affectũ attinet, meritò soliciti sunt discipuli de pusillo saluandorum numero.

*Ait illis: Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.*

Egregia est hæc sententia & consolatione plenissima: digna etiã quæ perpetuò mẽtibus nostris inhæreat. Quod

verò

verò ad præsentē locum adtinet sensus est: Imposſibile sane est homini ne in diuitias suas spem suam ponat, aut vt alacri animo abiiciat calcetq;, si ita postulet res Domini, Deo tamē posſibile est diuitiis animū mutare, sic vt is iā rectè vtatur opibus, &c. Hinc ille in Psalmis clamat. Inclina cor meū Deus in testimonia tua & nō in auaritiā. Certè simulatq; aliquis collū suū iugo tantæ submiserit Mãmonæ, vix poterit deinceps ad pristinā libertatē peruenire: Diuitiæ enim illæ fallaces sunt & dolo plenæ, pollicentur plura, & nihil præstāt: & qui illarū plures habuerit, tāto miserior erit. Donec enim accumulātur blandulæ sunt, & colligēti arridēt: porro statim vt accumulatæ fuerint, vix patientur se tangi, nedum disperdi vel in alios vsus cōuerti. Vnde nō immerito à Sapiēte dictū est: Beatus diues qui inuentus est sine macula, & qui post aurū nō abiit, nec sperauit in pecunia & thesauris. Quis est hic & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua. Rectè ergo diximus humana rum virium non esse, vt quis habitis diuitiis, vel porrò renunciet, vel saltem cor non apponat: Deo autem posſibile vt in nobis creet cor nouum & spiritum nouū, creatorq; apud nos creaturæ in multis præponderet. Sed quoniam eius rei aliquot exempla, & certa testimonia infra ab ipso Euangelista nostro subiicientur, his omisſis ad sequētia procedemus. Tu porrò in omnibus rebus tuis, tam prosperis quàm aduersis, semper ob oculos tibi ponas hāc Domini sententiam: Quod apud Deū omnia sunt posſibilia. Si enim tibi fortuna iā arridet, potest Deus dulce hoc in amarum vertere. Si autem fortuna tibi se nouercam exhibuerit, potens est Deus profligatis nebulis reuocare phœbū. Dominus enim, iuxta canticū Annæ, mortificat & viuificat, ad inferos ducit & reducit, &c.

Eccle. 31.

*Ait autem Petrus: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.*

In Matthæo adiicitur: Quid ergo erit nobis? Quoniam enim Dominus Adolescēti dixerat: Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me, & habebis thesaurum in cælo, nōnihil spei ac fiduciæ conceperat Petrus ex Domini verbis, vt qui illud iā olim præstiterat, quod Christus ab adolescente petebat. Inquit ergo, Ecce Domine nos Apostoli tui discipuli, reliquimus oīa & secuti sumus te: Quid ergo erit nobis? Magnifica pollicitus es principi illi, nimirū thesaurū in cælo, si diuenditis omnibus bonis suis te sequeretur: Quid igitur nobis sperandū? An nō & nos manebit cælestis ille thesaurus? Nolumus hic disputare benè an ne malè fecerit, tam confidēter suas virtutes enumerando. Certè in superioribus auditum est à Domino: Si feceritis omnia quæcūq; præcepta sunt vobis dicite, Serui inutiles sumꝰ: quod debuimus facere, fecimus. Neq; omnia Apostolorū facta nobis imitāda sunt, vt qui sæpisſimè ob malè facta sua, & minus bene dicta sua, culpati & emendati sunt. Atqui, quoniā Christus Petrum non obiurgat, nec nos illius facta & dicta hoc in loco in accusationem trahamus, non ignorantes pios homines & piè posse extolli, & piè humiliari: hoc quod in Philippensibus nostris ostēdimus. Et paulo supra habuimus Pharisæū suos celebrantē triumphos, sed iniquè: at in sequentibus audiemus Zachæum suas enarrare virtutes, & iustè, magnaque cum laude, qua de re suo loco non nihil dicemus. Iam quid Christus responderit vide.

*Qui dixit eis: Amē dico vobis, nemo est qui reliquit domū, aut parentes, aut fratres, aut vxorē, aut filios propter regnū Dei, & nō recipiat multo plura in hoc tēpore, & in seculo futuro vitā æternam.*

Absoluemus & hāc Domini sententiā breuisſimis verbis. Confidenter enim

1.Ti.4. Paulus dicit pietatem promissionē habere præsentis & futuræ vitæ. Quod aūt Dñs hic dicit, nos in futuro recepturos longè plura quàm hic dimiserimus, nullā difficultatē habet. In Marco autē legimus: Recipiet cētupla nūc Mar.10. in tēpore hoc. Quomodo explicemus hunc nodū? Facillimè, si modo memineris eū tandē abūdare siue diuitē esse, qui bonis suis, suaq; sorte cōtentus est. Eccle.5. Psal.33. Nā qui auarus est, quod scriptura dicit, perpetuo eget. Christus vero discipulis suis talē ac tantū infundit ac largitur spiritū, vt in nullo deficiant, sed perpetuo cōtenti sint sua ipsorū sorte. Iā qui cōtentus est fortunulis suis, hic longè plura possidet, quàm ille qui habita omniū substantia semper ad plura inhiat. Certè qui multa habet, & tamen plura desiderat, ille dues nec esse nec dici potest. Ergo cui Dominus spiritum talē indit, vt cū Apostolo Paulo nostro in omnibus institutus sit, & omnia possit, longè plura accepit etiā in præsenti, quàm ipse Christi nomine reliquerit. Quod si de Apostolis loqui volumus, qui relictis retibus & nauì secuti sunt Dominū: Certè longè plures patres, fratres, sorores, & domos, & cætera id genus receperunt, quā reliquerunt. Quotquot enim isti ad fidem Christi cōuerterunt, omnes illi habuerunt Apostolos patrū & fratrū loco: & omnes Christianorum possessiones illis cōmunes cum suis possessoribus erant. Tu autē hic probè cōsideres Domini verba, quæ docent nō sufficere ad pietatem, si quis sua reliquerit, nisi reliquerit propter regnum Dei, nimirū vt illud pro modulo suo apud alios prouehere possit, & sequatur etiam Christum. Nam & inter Ethnicos reperti sunt, qui nullas voluerūt habere diuitias, & si quas habuerūt, abiecerūt eas, non propter regnum Dei, sed alij propter vanā gloriā, alii vt liberis vacare possent studiis, alii aliis de causis. Arqui Christus vult vt quis renunciet omnibus bonis suis, & hoc propter regnū cælorū, pro Christi nomine & fide. Rem sic accipe: Si Apostoli voluissent perpetuo suis assidere ædibus, & suos si quos habuerunt agros colere, & piscationi suæ inretī esse, nūq̄ potuissent prouehere regnū Dei, Christi fidem ac religionē. Deinde quando Christianis talis data est optio, aut renunciabis Christo, aut bonis tuis spoliaberis: tunc oportuit vt Christianus mallet periclitari de diuitiis, quàm de Christo. Valeant itaque stultissimi illi Anabaptistæ, qui relinquentes domos & familias suas, sequuntur capitis sui somnia, ne quid durius dicam. Præceptum tibi est vt honestè familiam tuā cures, non vt ociosus aliorum diuitiis inhies. Erga tales bestias, cogitet magistratus, quid fieri oporteat, ne rursum oues illæ simplices scilicet, tādem vngues suos proferant. Longè alia meditantur, quàm videri à nobis velint. Quod ad vniuersorū bonorū cōmunicationē adtinet, idē dicimus quod paulo supra diximꝰ, de illa sentētia, qua Adolescēs iubetur vēdere oīa & dare pauperibus. Da mihi Christianos quibus sit cor vnū & anima vna in Dño, & de cōmunione omniū rerū nulla erit disputatio. Ea iā nobis suffecerit cōmunitas, vbi nulla regnat apud ditiores cupiditas, vbi alter alterius necessitati prōpta volūtate subuenit, vbi copia diuitū, tenuiorū inopiā subleuat, &c. His enim tandē probabitur & clarescet nō esse rē fucatā, quod in Ecclesia prædicatur de fraterna adeoq; christiana charitate. Pessima res est, crede mihi, sic interpretari vnum sacræ scripturæ locum, vt cū aliis innumeris pugnet: sicq; interpretari vt patrocinetur magis vitiis nostris, quā prouehat gloriā Dei. Animaduertere cōueniebat, id quod est potissimū in sacris literis spectandum, nō vnū aut alterū verbū è loco quopiam decerpere (quod proprium est oscitanter legentium) eoq; abuti per repro-

Vide D. Basiliū Ser.1. in diuites auaros. Phili.4.

reprobum sensum, sed prorsus omnia, non solũ verba, sed & sensus, acri prius iudicio perpẽdere. Et si quid vitiis nostris patrocinari videbitur, haud statim arripiendum erit illud, sed comparatione potius aliorum locorum, mens spiritus sancti inuestiganda, ne scilicet Angelus Satanæ sit, quem primo intuitu Angelum lucis putamus. Sed hæc iam sæpe sæpius admonui: nos igitur negotio hoc in hunc modum absoluto, ad reliquum huius capitis accingemur.

Mat. 20 *Assumpsit autem Iesus duodecim, & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymã, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis.*

Matthæus scribit Christũ hæc duodecim Apostolis suis secretò dixisse. Et in superioribus semel atque iterum futuræ suæ passionis Dominus meminit. Capite nono dicebat: Ponite vos in cordibus vestris sermones hos: Filius enim hominis, futurum est vt tradatur in manus hominum. Et cap. xiij. aiebat: Ite & dicite vulpi (sic enim Herodem appellabat) illi: Ecce eiicio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consumor. Et non ita multò post addit: Non capit Prophetam perire extra Hierusalem. Sic & hoc in loco Apostolis suis prædicit locum passionis & mortis suæ. Illis autem tantum voluit prædicere quos passionis suæ voluit habere testes, & quos partim voluit eius negotii esse spectatores. Vnde non contentus fuit Euangelista dicere, quod passionẽ suã prædixerit discipulis, sed addit quibus & quot: nimirum duodecim. Et putamus numerum expresse positum ab Euangelista, vt doceret nec traditorẽ exclusum, vt intelligeret Christum nihil latere eorum, quæ ille meditabatur. Cito enim dixerat Dominus

Io. 6. Apostolis. Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est? Vide autem quàm distinctè omnia exponat & prædicat Christus: Locum passionis dicit esse ciuitatem Hierusalem. Et ne quis de futuris dubitare posset, addit ea tantùm consummanda, quæ scriptura prædixit, non quæ Iudæorum odium, vel gentilium impietas voluit: Et addit hæc implenda in filio hominis: nam secundum quod Deus & Dei filius est, neque pati neque mori potuit. Iam & hoc obseruatione dignum est, quod multos Prophetas de se scripsisse ait, vt, vel testium numero, discipulis suis fidem faceret. Sed quæ nam illa sint quæ de Christi passione & morte scripta sunt in Prophetis, suo loco non indiligẽter adnotabimus. Iam audiemus Christũ omnia explicatius dicere quæ super ipsum ventura sunt. Discimus autem ex illa creberrima mortis & resurrectionis Domini mentione, nihil esse vtilius salubriusque Ecclesiæ, quàm subinde mortẽ & resurrectionẽ Domini reuocare ob oculos, illãque fideliter recolere: sic tamen vt non solũ fructum Dominicæ passionis explicemus, sed etiã ad illius vsum homines efficaciter & ex aĩo adhortemur. Illud enim ad fidẽ pertinet, hoc verò ad charitatẽ: ex vtroque aũt bona spes sequitur. Sed hæc alias.

*Tradetur enim gẽtibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur: & postquam flagellauerint, occident eum, & tertia die resurget.*

Non est necesse vt hic multis probemus omnia quæ hic à Christo prædicuntur, postea sic adimpleta fuisse: nã hæc omnia in dominicæ passionis historia aperiemus. Vnicũ est, vt interim bene vtamur hac Domini prophetia, nunq̃ nõ cõsiderãtes quæ & quãta pertulerit Christus nostro nomine, & quã frigidè nos illi respondemus. Certè, si D. Petro credimus, Christus pro nobis passus est, nobis relinquẽs exẽplũ, vt sequamur vestigia illius. Christus 1. Pet. 2

noster traditus est gentibus: & profecto summè timendum est, ne etiam nos, hoc quod peccata nostra metuerunt, tandem tradamur gentibus, qui & nostro tempore, vitæ, & fidei nostræ insidiantur. Faxit Christus vt hic vanus sim propheta. Christus noster nostro nomine ludibria gentium sustinuit, & hoc non tam patienter quàm innocenter. Quid nos adhæc? Et Christo illudimus plusquam impiè: & lusus fratrum nostrorũ amatissimo corde excipimus, semper pro locis dicta pro ratione reddenda quærentes. Christus pro nobis flagellatus est: quod si nos pro peccatis nostris vel parum flagellauerit, Dij boni, q̃ tumultuamur, quàm irascimur? quid non tentamus? Cæterùm ne in hijs plus æquo inhæreamus, postremo hic meminerimus, sicut Christus patienter tulit omnes aduersitates, & sic intrauit in gloriam suam: ita & nos oportet per multas tribulationes intrare in regnũ Dei: qua de re in Philippensibus nostris nonnihil diximus.

*Et ipsi horum nihil intellexerunt: Et erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.*

Sic etiam in superioribus, cap. scilicet ix. cum hac de re Christus loqueretur. Sequitur de Apostolis: At illi ignorabant verbum istud, & erat velatum ante eos vt non sentirent illud: & timebant eum interrogare de hoc verbo. Sed qui factum est quod non intellexerunt tam aperta verba? Attende Obsecro. Intelligebant haud dubiè boni Apostoli verba Domini iuxta quod sonabãt, hoc est, intelligebant, quid esset illudi, flagellari, cõspui, crucifigi, deinde occidi, postremò etiã & à mortuis resuscitari. Sed non putabant omnia hæc fieri in Christo, sed potius hunc Domini sermonem esse metaphoricum siue parabolicum, vt aliud loqueretur Christus, quàm sentiret: sicut solebat etiam in alijs locis sua verba palliare, vt aliud sonarent, & aliud vellent. Adde quòd multa erant, quæ prohibebant & obstabant quo minus putarent Apostoli verba Christi esse historica, & iuxta externam literam intelligenda. Neque enim putabant Christum sic à Deo negligendũ, vt venire posset in potestatem impiorum. Et videbant Christo à Iudæorum proceribus frustra hactenus insidiatũ. Alias causas talis ignorantiæ in Matthæo, si benè memini, adduximus, vt non sit necesse, hoc quidem in negotio, longius immorari. Adiiciamus tamen adhuc vnicã, & dignã quæ probè consideretur, nimirum illam quòd Apostoli ideo non potuerint intelligere Domini verba de passione sua ipsius, quod certo persuasum habebant illam nunquam futurã: huius opinionis fuerunt qui dicebant: Nos audiuimus ex lege quia Christus manet in æternum: & quomodo tu dicis: Oportet exaltari filium hominis? Et quis est ille Filius hominis? Huius inquam opinionis cum fuerint Apostoli, non potuerunt Christi verba penitius intelligere: hoc enim fit plerunq; vt affectus nostri immoderati rectũ nostrũ remoueatur iudiciũ. Nec solũ in rebus externis id accidit, sed etiã in rebus sacris. In rebus externis nunquã sincere iudicabit hostis de hoste, nec amicus de amico: huius enim iudiciũ peruertit amor: illius verò odium. In rebus porrò sacris, si quis semel conceperit opinionem aliquam, quam sibi mordicus defendendam putat, nunquam rectè poterit intelligere scripturas, sed perpetuo putat scripturas illud velle, quod ipse iam apud se verum esse constituit. Pius verò lector & veritatis cupidus dictorum intelligentiam ex dictis ipsis sumit, non suam sententiam dictis sacris imponit: neq; cogit id videri dictis cõtineri, quod ante lectionẽ præsumpserit intelligendũ: Qua de re Hilarius libro primo de Trinitate, & pulchrè & piè

Lu.9.

Io.12.

Vide Ba filiũ in Psal. verfu: Magnificate Dominum mecum. Aduerte.

pię ſcripſit: Et hæc quidem hactenus. Iam ad ſequentem historiã accedimus.

*Factum est autem cum appropinquaret Hierico, cæcus quidam ſedebat ſecus viam, mendicans: Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc eſſet. Dixerunt autem ei quòd Ieſus Nazarenus tranſiret.*

Solet ſubinde Chriſtus amariſsimis dulcia adiicere, & alterum altero permiſcere, vt nunc ad fidẽ, nunc verò ad humilitatẽ nos inſtituat: Ex aliis certè locis intelligimus, quàm ægre audierint Apoſtoli Chriſtum de ſuaipſius morte diſſerentem: vnde non eſt dubiũ quin etiam iam cõtriſtati fuerint, ſubueriti nimirum, ne aliquid inopinati ſub verborum, quæ non intelligebant, inuolucro tegeretur. Fit itaq; Deo ſic prouidente, vt Chriſtus inueniat occaſionem qua declaret potentiam ſuã: vt qui ad mentionem crucis trepidauerunt, viſo tam magno miraculo rurſum recipiant animos: & cogitent ei nihil poſſe per vim fieri, qui tantam habet poteſtatem, vt etiam cæcis viſum præſtare poſsit. Et conueniebat certè ad fidem Apoſtolorum confirmandam, vt Chriſtus quanto propius accederet ad crucem, tanto maiora faceret miracula: ita enim fiebat vt ſemper meliora ſperare poſſent. Hac de cauſa etiam voluit Chriſtus, paſsioni tandem proximus, Lazarum à morte reuocare, vt qui ipſum poſtea viderent in cruce morientem, porrò non deſponderent animos, ſed ſemper cogitarent quomodo declarauit antea, ſe & vitæ & mortis habere poteſtatem. Sed his poſthabitis ad cæci hiſtoriam accedemus: Cæcus ille ſedebat ſecus viam, non longè ab Hierico, & mendicabat. Qui enim cæcus, ſuis operibus & laboribus ſemetipſum alere non potuit, & cui non ſufficiebat aliunde ſubſtantia, certè vel mendicando coactus eſt vitam ſuam ſuſtentare. Cæcitas itaque mendicandi cauſam dedit, non ſocordia, vnde meritò miſericordiam quam implorauerat, impetrare debuit. Cæcus itaque qui non videre potuit prætereuntes, tamen audire potuit: & ideo quoniam ſtrepitus turbæ arguebat hominum immenſam multitudinem, cæcus ille coniectans non ſine cauſa tot homines confluxiſſe, ſicque gregatim circumcurſitare, rogat quid hic ſtrepitus ſibi velit? Quæ hominũ multitudo hic tranſiret? Quo nomine conueniſſent? Sic enim plerunque ſolent cæci ſciſcitari, vt ſciant quid à quoquam poſtulare debeant. Cùm igitur interrogaret cæcus de hominum hoc conuentu: Dixerunt ei quidam ex prætereuntibus, quia Ieſus Nazarenus præteriret. Dicunt quod intelligunt, & quem non rectè cognouerunt, ipſum ſuo vero nomine appellare neſcierunt. Si enim verè agnouiſſent populi Chriſtum, dixiſſent vtique: Meſſias qui nobis iam olim in lege promiſſus fuerat, hic pertranſit. Sed quid ad hæc cæcus?

*Et clamauit, dicens: Ieſu fili Dauid miſerere mei.*

Certè cæcus ille longè acutiores oculos habuit, quàm prætereuntes illi Domini Ieſu comites. Lõgè enim alio nomine appellitat Ieſum, quã à turba audierat. Hæc enim de homine loquitur: ille verò de vero Meſsia Dei filio. Niſi enim crederet ipſum eſſe Meſſiã, non vocaret filium Dauid. perſuaſum enim erat vniuerſo Iudæorũ populo, & hoc ex ſcripturis ſanctis, Meſſiam fore filiũ Dauid, quod etiam Phariſæi ipſi, interrogati à Chriſto, diſſimulare nõ potuerũt. Interrogati enim: Quid vobis videtur de Chriſto cuiꝰ filius ſit? Reſpõdent Dauidis. Et Matthæus ab initio Euangelij ſui totus in hoc eſt, vt Iudæorũ populo probet, teſtatũq; faciat Chriſtũ Ieſum eſſe filiũ Dauid. Niſi enim filius Dauid eſſet, Meſsias eſſe

nequaquam posset. Iam quod clamat: Miserere mei. Certè innuit se credere Christum ipsum esse filiū Dei: nisi eñ credidisset hoc, misericordiam non imploraßet ab eo. Neq; enim potuit nescire, quis pro misericordia implorandus esset. Altius itaq; vidit, & penitius cœcus ille corporis oculis priuatus, q̃ turba quæ apertis oculis perpetuò comitabatur Christū, huiusq; sermones audiebat, & miracula operantē videbat. Certè ad cognitionem Christi, oculi cordis magis necessarii sunt, quàm carnis oculi. Vnde etiā Christus alibi dicit: Beati qui non viderunt, & crediderunt. Oculi autem cordis, fides est, quæ ea videt & amplectitur, quæ omni humano sensui aliquando & reluctātur, & absurda videntur. Sed de hoc alias: nunc ad præsentem historiam.

*Et qui præibant, increpabant eum, vt taceret. Ipse verò multo magis clamabat: Fili Dauid, miserere mei.*

Facilè, cum valemus, ait ille, bona consilia ægrotis damus: Tu si hic sies, aliter sentias. Sic & nos hoc loci dicere possumus. Bonus ille cœcus miseriæ suæ non ignarus, ad præsentiam Christi, putat sibi bonam bene sperandi occasionem oblatam, & ideo clamat, & hoc valde, post Christum, implorat misericordiam. At turba clamantem increpat, prohibet. Quare? Certè non ex inuidia, sed magis ob reuerentiā Christi. Hoc enim honoris deferre volebāt Christo, ne importunius interpellaretur à quoquam. Ad hoc non intelligebant quid peteret cœcus: sed putabant ipsum petere, iuxta quod mendici solent, stipem à prætereuntibus, quam fortè ab alio quouis accipere potuisset: verùm ille nō stipem, sed visum petebat: non à quouis, sed à Christo Iesu Dño nostro, de quo dictum est: Dñs illuminat cæcos. Vnde sequitur:

Psal.145

*Stans autem Iesus, iussit illum adduci ad se.*

Sic consueuit aliquando Dominus beneficia sua differre, vt fides nostra, & miraculorum gloria magis manifestetur. Sic Matthæi decimo quinto, non confestim exaudit Cananæam illam, sed passus est aliquandiu ipsam magno clamore sequi, donec etiā discipuli accederent, & dicerent: Dimitte eā, quia clamat post nos. Tandem verò exaudiuit illam Christus, & quod petebat, dedit ei. Sic & in hac historia aliquandiu dissimulat clamorem cæci: cùm verò etiam increpatus à turbis, tacere nollet, sed potius multiplicaret clamorem suum: stat Iesus, & iubet ad se illum vocari. Duo hic obserua, quid scilicet Christus faciat, & quid te facere oporteat. Christus vocem cæci nō negligit, sed stat, non festinat ad alia. Stat, inquam, & iubet adduci cæcū. Et adhuc ad clamores nostros stat Christus, audit vota nostra, paratus est ad opitulandum omnibus. Tu modò firma fide, & sancta humilitate implora opem illius, & omnia ex voto tibi succedent. Vt autem citius exaudiaris, & quæ voles accipias: vide ne & tu clamores miserorum surda aure pertranseas. Qui enim obturat aures suas, vt non audiat pauperem, & ipse clamabit, & non exaudietur.

Pro.21

*Et cùm appropinquasset, interrogauit illum dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, vt videam.*

Marcus dicit, quod turba dixerit cæco illi Bartimæo, sic enim vocabatur, Animæquior esto, Surge, vocat te. Qui profectò vestimento suo, exiliens venit ad eum. Audiuerat enim procul dubio, quàm misericorditer aliis iam dudum subuenerat, & ideo bonā spem capit, fore vt & ipse sanetur, oculosq; suos tandem recipiat. Sed tu ante oīa vide hic philanthropiam Christi Dñi nostri, & hanc oppone quibusdam rumidis & putidis misanthropis, Christus enim stat, iterq; suū interrumpit,

Mar.10.

& hoc miseri medici nomine. Christus iubet ad se aduocari mendicum, quem alii vix visu dignantur. Ipse Christus mendicum alloquitur, cùm alii vix per decimum quenque vota miserorũ ad se perferri patiantur. Sed quare alloquitur Christus mendicũ? Quare rogat quid à se petat? Non vt quæ ignorat, cognoscat: sed vt huius cæci fidem turbæ se comitanti aperiat. Neque enim petit cæcus à Christo, quod ab aliis hominibus petere hactenus consueuit: sed quod à nullo homine accipere potuit: Domine, inquit, peto vt videam: non stipem peto, sed cæco mihi visum. Ab hominibus stipem hactenus petii: iam à Dei filio visum peto. Quid ad hæc Christus?

*Et Iesus dixit illi: Respice, fides tua te saluum fecit. Et confestim vidit, & sequebatur illum, magnificans Deum.*

Rectè alibi scriptura dicit: Nemo vnquam sperauit in Deo, & confusus est. Eccl.2. Cæcus ille haud dubiè ex animo credidit, ac sperauit se recuperaturum pristinum visum (nõ enim erat cæcus à natiuitate, sicut ille Ioan.ix.) & quod sperauit, quodque credidit accepit. Neque enim erat necesse, vt Christus nescio quid medicæ rei admoueret. Vnico enim verbo non solùm potest cæcorũ aperire oculos, sed etiam ad vitam reuocare mortuos. Sed vide, quàm citissimè hoc factum fuerit. Pauca verba Christi, magnũ habuerunt in cæco effectũ. Christ⁹ enĩ solùm dicit, ἀνάβλεψον, hoc est, recipito visum. Et cõfestim vidit. Quid hic, obsecro, aliud discimus, quàm Christum non tam libenter, quàm potenter omnibus nobis in ipsum sperantibus & velle & posse opitulari, quocunque tandem laboremus morbo, quacunque tandem re opus habeamus. Vnicum necessarium est, videlicet, vt incommoda nostra libenter & patienter feramus, & de Christo Dño semper bonam spem concipiamus. Iam si lubet, videamus quàm diuersimodè Dominus soleat curare, aut si mauis, illuminare cæcos. Neque enim hunc solùm illuminauit, sed & alios. Apud Bethsaidam enim, Marco referente, adducunt Domino cæcum, & rogant eum, vt illum tangat. Marc.8. Et apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum, & expuens in oculos eius, impositis manibus, interrogauit eum, si quid videret. Et aspiciẽs ait: Video homines velut arbores ambulantes. Deinde iterum imposuit manus super oculos eius, & cœpit videre, & restitutus est, vt clarè videret. Ioannis autem nono capite, illuminaturus illum qui cæcus fuerat à natiuitate, expuit in terram, lutum facit ex sputo, linit super oculos cæci, deinde iubet lutum hoc ablui, & sic tandem adeptus est ille visum. Ioan.9. Atqui nihil tale fecit cum cæco nostro, sed vnicum verbum loquens, cæco aperuit oculos. Tam multiplici itaque & vario modo curandi voluit ostendere suæ potentiæ obstare nihil posse, nihilque in se esse, quòd non sit salutiferum. Cæterùm quòd cæcus illuminatus Christũ sequitur, & Deũ magnificat, hoc est, magnificè deprædicat & extollit, grati animi argumentũ est, & nobis in exemplum propositũ, vt scilicet & nos Deo pro acceptis beneficiis grati simus: Nam & hoc etiam sequentia huius historiæ docent. Sequitur enim:

*Et omnis populus vt vidit, dedit laudem Deo.*

Et nos iam vidimus, per fidem scilicet, quæ & quanta fecerit Iesus cum cæco illo, vnde & meritas illi debemus gratias. In hoc enim facto discimus, quid nobis faciendum, si quando cæcitatem inciderimus. Discimus itẽ, quid in tribulatione positi sperare à Christo Domino nostro debeamus. Non autem loquimur de cæcitate illa carnali, sed de spirituali & interna, qua iudicium nostrum verum sic excæcatur, vt falsa pro veris amplectatur: & amplectẽda fugiat, & fugiẽda amplectatur.

Exod. 23 Sunt iuxta Moysen quos excæcãt munera, vt iustitiæ iussa nec audire, nec videre possint, sicq; fit, vt iustus opprimatur, iniustus verò porrò triumphat. Sap. 2 Sunt, iuxta Sapientem, quos malitia excæcat, sic vt pro cœlestib9 terrestria, pro perpetuis caduca amplexentur, malintq; hic in deliciis viuere, quàm cum Christo æternum regnare. Sunt quos inuidia, & odium, & ambitio sic excæcet, vt etiam apertissimã veritatem videre non possint. His & similibus profectò summè necessariũ est, vt ad Christum currant, & hoc festinanter, precenturq; sibi reddi verum lumen interioris hominis. Nisi enim hoc fecerint, non video quomodo sanari vel illuminati possint. Certè adhuc stat Christ9, cæcos nos operitur, patienter nos expectat, vt accurramus, fateamurq; nostram cæcitatẽ. Matth. 11 Venite, inquit, ad me qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Ioan. 8 Et iterum: Ambulate dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant. Et rursum: Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Quin igitur accedimus tam humaniter nos vocantem? Cur negligimus tam probè oblatam occasionem? Quotidie fatentur quidem, se porrò palpare in mediis tenebris, ignorare se quem in his turbis vel sequi, vel fugere debeant. Sed hac querulatione nihil proficient, nisi accesserint Christum, & hunc piis votis sollicitent, quatenus dignetur illis ipsis aperire oculos mentis, vt nunquam perniciosè impingant. Quòd si cum hoc cæco humiliter clamauerint, Iesu fili Dauid, miserere mei: Aperi oculos meos, da mihi intellectum, vt discam iustificationes tuas, &c. certè voti compotes efficientur. Et tantum de hoc capite. Dominus det, vt oculis diuinitus apertis, etiam cætera probè iudicemus.

## CAPVT XIX.

*Ingressus Iesus perambulabat Hiericho. Et ecce vir nomine Zachæus, & hic erat princeps publicanorum, & ipse diues.*

Deuenimus iam tandem ad historiam vulgatissimam, adeoq; quod prouerbium habet, Lippis & tonsoribus notam, & sic notam, vt quasi in prouerbium & fabulam cesserit, Zachæum illum nusquam non nobis occurrere. Sed contempto vulgi risu, historiam ipsam sic tractabimus, vt pii auditores ipsam citra magnum fructum nõ sint audituri: sicq; moderabo cursum, vt neq; nimium breuis, neque etiam plus æquo prolixior sim futurus. Et primo quidẽ hac historia docebit nos Lucas noster, non esse impossibile, camelum transire foramen acus, hoc est, diuitem intrare regnum Dei. Videbimus item, etiam Christo placuisse Zachæum il- Luc. 18 lum, licet non vendiderit omnia, atq; distribuerit in pauperes. Ad Textum itaque. Iesus seruator noster ascensurus Hierosolymam, ad interfectricem Luc. 13 illam prophetarum, ad aram in qua immolandus erat agnus ille Dei, qui Ioan. 1 tollit peccatum mundi, eò, inquam, ascensurus Dominus, Hierichum celebratissimum in sacris scripturis oppidum, ingreditur: hæc enim regia via erat Hierosolymam versus. In hac porrò ciuitate erat vir quidam nomine Zachæus, & hic erat princeps publicanorum, hominum nimirum apud Iudæos porrò infamium, & erat diues. Haud dubiè ad superiorẽ historiam respexit Lucas, quãdo significanter dixit: Et homo ille diues. Ac si vellet dicere: Nõ ita dudũ, ô boni Christiani, audiuimus de diuite quodã principe, & Iudæo, & apud suos magni nominis viro. Iam rursum audite de alio diuite, qui & ipse princeps est, sed Publicanorum, & ethnicus (tales enim vt plurimũ constituebant Romani) & de

apud

apud Iudæos, Dei scilicet populum: porrò infamis & prophanus. Et hæc quidem quoad historiam. Iam lubet (opinor quod mihi etiam liceat) allegoricum tractare sensum, & hoc qua potero breuitate. Hiericho, quoniam iuxta etymologiam suam interpretatur luna, mundum hactenus piè doctis designauit. Hanc igitur Hierichum, hunc, inquam, mundum ingressus Iesus, petâbulauit eam, hoc est, non fixit in ipso pedem, noluit hic habere domicilium, imò non habuit vbi caput reclinaret, cùm tamen interim vulpes foueas suas habeant, & volucres cæli nidos suos. Ad eum modum & nobis perambulanda est Hiericho (de præsenti hoc mundo loquor) non enim habemus hic manêtem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Et nostra conuersatio, iuxta quod Paulus nos admonet, in cælis esse debebat: vnde etiã expectamus saluatorem nostrũ Dñm Iesum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, cõfiguratum corpori claritatis suæ, secundum potentiam, qua sibi etiam potest subiicere oĩa. Quàm diu enim sumus in hoc mundo, peregrinamur à Domino. Atqui peregrini, quò expeditiores sint, minusq; remorentur in itinere, sese, quantũ possunt, exonerant, non necessaria post se relinquunt, sed solùm ea quæ præsens necessitas efflagitat, secum ferunt, non ignari se omnia alia domi suæ reperturos. Sic & nos oportet superflua relinquere, & præsentibus rebus nõ magis intẽtos & studiosos esse, quàm ipsa ineuitabilis necessitas postulat. Habẽtes victum & quibus tegamur, inquit Paulus, his contẽti simus. Sed ad Zachæũ nostrum reuertimur.

Mat. 8. | Hebr. 13 | Heb. 13 | Philip. 3 | 1. cor. 5 | 1. Tim. 6

*Et quærebat videre Iesum, quis esset: et nõ poterat præ turbâ, quia statura pusillus erat.*

Tanta tamq; celebris erat fama de Iesu Nazareno, vt nõ miremur, quod Zachæ⁹ quæsierit, hoc est, cupierit videre Iesum, quis esset. Regina illa Sabæa, cùm audisset famam de sapientia Salomonis, vt hanc audiret, venit à finibus terræ: & ecce plus quàm Salomon hic. Addam: Et ecce, non est necesse vt longam viam instituas. Zachæe, in proximo est quẽ cupis videre, cuius alloquio fortè indignum te putas. Bonum desiderium est, honestum votum est, cupere videre quis Iesus sit. Sed quis potest exponere qualis sit? Lineamenta corporis Christi, & vultũ ipsius multi admirantur, & in delictis habent: hoc ipsum & ego facerem, si effigiem Christi haberẽ: atqui in animo tuo, fidei oculis videre quis & qualis sit Christus, hoc demum plurimum fructus attulerit. In Psalmis nobis depingitur duobus verbis, nimirum quòd sit misericors & iustus. In Euangelio de semetipso dicit: Mitis sum, & humilis corde. Certè omnia hæc satis probauit, vel in vnica hac historia. Misericors fuit in Zachæũ, quem pœnitentẽ suscepit. Iustus fuit erga contemptores Pharisæos, quos inuitos curate noluit. Mitis fuit, quia cùm malediceretur, nõ maledixit. Humilis fuit, qui ad tãtum peccatorem diuertit, & vnius hominis gratia tot blasphemias & conuitia ab impiis murmuratoribus patiẽter tulit. Sed hæc aliàs. Alii cupiunt videre nescio quæ stulta & impia huius mundi: Zachæ⁹ quærit videre Iesum, quis sit. Et nos quæramus Iesum, scimus enim iam quis sit, & scimus vbi sit, & scimus quem fructum habeat, si cõtigerit nos ad illum peruenire. Quærite, inquit scriptura, Dominum, dum inueniri potest: inuocate eum, dum prope est. Et apud Hieremiam dicit Dominus: Cùm quæsieritis me in toto corde vestro, inueniar à vobis: orabitis me, & ego exaudiam vos. Rursum: Quærite, inquit Dominum, & viuet anima vestra. Et iterũ Psalmista: Lætetur cor quærentium Dominum. Et in Hebræorũ epistola legimus: Credere oportet accedens-

1. reg. 10 | Matt. 12 | Psal. 111. | Matth. 11 | 1. Pet. 2 | Esa. 55. | Hier. 29 | Psal. 68. | Psal. 104 | Hebr. 11

cedentem ad Deum, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit. Qui ergo vult Iesum videre, quis sit, imò non solùm videre, sed etiã experimento cognoscere, quàm suauis sit Dominus, primùm omnium necesse est vt credat, illum verùm esse Messiam, verum esse seruatorem, veraq; omnia esse, quæ bona de illo prædicat sacra scriptura. Deinde noua vita instituenda, omniaq; abiicienda, quæ illius oculos aliquo modo offendere solẽt. Quæ autem illa sint, Scriptura ipsa non tacuit. Nisi enim hæc duo, fides & vitæ sanctitas nos comitata fuerint, non inueniemus Dominum. Nã, iuxta quod Paulus dicit, sine fide impossibile est placere Deo. Et alius: Nisi credideritis, inquit, non intelligetis. Quod verò vitæ impuram conuersationem adtinet, loquitur Dominus apud eundẽ prophetam: Peccata inter vos & me diuiserunt. Et iterum: Cùm extẽderitis manus vestras, inquit, auertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Manus enĩ vestræ sanguine plenæ sunt. Iam in Zachæo egregiè se prodit fides. Nisi enim famæ de Christo credidisset, nunquam desiderasset ipsum videre. Sed rogas de vitæ sanctimonia in Zachæo? Respondeo. Magnũ sanctimoniæ gradum adeptus est is, quem vitæ malè actæ ex animo pœnituerit. Quàm verò illum pœnituerit pristinarum sordiũ, progressus historiæ docebit. Adde quod Zachæus non rectè expertus est qualis sit Christus, nisi postquam animũ induxit in omnibus se obtemperaturũ Christo. Principio enĩ quærit videre Iesum: sed quoniam pusillus est, & paruus statura, non potest præ turba videre illũ. Peccatorum pondere sic grauabatur, vt non posset videre Iesum præ turba, sed cogebatur eũ pœnitente propheta dicere: Quoniã iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Hoc ipsum & nobis cõtingit, si quãdo voluerimus Christum accedere, obstant peccata nostra, quæ nos falsa sua dulcedine deprimũt. Obstat & turba, hoc est, peccata aliena, quæ nos suo malo exemplo remorantur. Nolumus enim consuetis amicis renunciare, nolumus aliquẽ offendere, imò malumus offendere Deum, quàm hominẽ. Atqui non oportebat ita fieri: Quoniã dicimus eũ psalmo: Disrumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum eorũ. Hoc si fecerimus, lætantes Deo dicemus: Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Et: Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Certè Zachæus non sic fecit, ex carceribus prosiliit, omni pristinæ societati renũnciauit, maluitq; Deo, quàm coæqualibus suis hominibus placere. Vnde sequitur:

Psal.33 · Heb.11 · Esa.7 · Esa.59 · Esa.1 · Psal.37 · Psal.2 · Psal.115 · Psal.123

*Et præcurrens ascendit in arborẽ sycomorum, vt videret Iesum, quia inde erat transiturus.*

Certè qui voluerit Iesum videre, in eiusq; venire consortium, necesse est vt fugiat turbam, præcurrat turbam. Nam hæc aut porrò cõtemnit Iesum, aut tardissimo gressu post ipsum vadit. Et in Euangelio legimus, pusillũ esse gregem, cui regnum Dei dabitur. Nec in hoc venitur somnolẽtia, aut importuna cessatione, sed citissimo cursu, & ardentissimo studio. Currite, inquit Paulus, vt comprehendatis. Et de seipso: Ego sic curro, non quasi in incertum. Et rursum in Philippens. epistola, Fratres, inquit, ego me nõ arbitror apprehendisse. Vnum autem quæ quidẽ retro sunt, obliuiscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatũ persequor, &c. Huc etiam meritò refertur, quod Christus in Euangelio dicit: Contendite per angustã portam. Et rursum: Regnum cœlorũ vim patitur, & violenti rapiũt illud. Ex his ergo discimus, quomodo debeamus

Philip.3

præcur

præcurrere turbam, nimirũ huius nomine à pietaris studio nequaquam deficere. Si nolunt illi nos comitari, quid ad nos? Suum portabunt iudicium. Vnusquisq; enim onus suum portabit. Debemus quidem hoc fratribus, vt cessantes & negligentes officii sui admoneamus: sed debemus hoc nobis, ne in alicuius gratiam salutem nostrã remoremur, vel negligamus. Rectè ergo Zachæus præteruolat turbã, neq; patitur se à quopiam impediri, quo minus videat Christum, imò ascendit arborem, fitq; populo fabula, tantùm vt videat quem maximè cupit Iesum. Nouerat enim Iesum illac transiturum, cùm regia via esset Hierosolymã versus. An ne putas Zachæum sic currentem, sicq; arborem ascendentem à turbis fuisse irrisum? Non est dubium. & hoc duplici nomine, tum quòd publicanus esset, tum etiam, quòd Galilæi huius nomine tantam operã insumeret. Dicebant eñ haud dubiè: En quid ille? Vnde illi tanta vitæ sanctimonia? Quid Publicano cum Propheta? Scilicet hic renunciabit vsuris suis, & fraudibus? Scilicet ille patienter audiet Nazarenum prædicantem contra diuitias? Hæc forte, & huiusmodi alia, credibile est turbam & cogitasse & dixisse. Solet enim vulgus hominum eos q reiecta iniquitate pietati operam dare voluerint, cachinnis excipere, contemnere & conspuere. Sed nos meminerimus sententiæ Domini, dicentis: Non est seruus maior domino suo. Sed quid sibi vult, quod Lucas nobis tam diligenter descripserit, quale genus arborum Zachæus conscenderit? Ascendens, inquit, in arborem sycomorum. Sycomorus arbor sic dicta est, quòd ficos gignat sui generis, vnde & ficus Aegyptia dicitur, sed foliis morum arborem referens. Ergo alia est, quàm prima specie sese offentet hæc arbor. Vnde non immeritò nobis videtur habere imaginem hypocritæ, qui exterius longè alius apparet, quàm intus sit. Admonet itaq; nos ficus hæc fatua, ne aliquam fictionem admittamus, ne altera manu, quod dicitur, lapidem, altera verò panem celemus. Quisquis voluerit aliquam eandemq; sanctam cum Christo contrahere familiaritatẽ, is, necesse est, apertus & syncerus sit, nihilque per simulationem instituat. Scriptum est enim: Spes hypocritæ peribit. Et Christus non rarò in Euangeliis æternum væ comminatur hypocritis, qui aliud sunt quàm apparent. Atqui Zachæus hanc arborem sycomorum conscendit, ac pedibus conculcauit, hoc est, per hypocrisim nihil operatus est, sed omnia syncerè & ex animo, vnde etiam quod voluit impetrauit. Sequitur enim:

Iob.8

*Et cùm venisset ad locum, suspiciens Iesus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.*

Quoniam D. Paulus scribit, Deum in nobis operari & velle & perficere, iuxta beneplacitum suum, necesse est, vt dicamus Iesum non iam primum vidisse bonum illum publicanorum principem: aliàs enim consequeretur, nos primùm à nobis ipsis, sine Dei gratia, bonum velle, quod scriptura nusquam docet. Dicimus itaque, quòd Christus iam olim Zachæum oculis gratiæ intuitus fuerit, nimirum, quando dispofuit verbum suum ad illius aures peruenire. Fides ex auditu est, auditus aũt per verbum Dei. Igitur Deus per gratiam suam mittit ad nos verbũ suum per ministros, deinde donat nos spiritu fidei, vt verbo audito fidẽ habeamus: pòst auxilio suo adest, vt possimus iuxta verbum illius operari. Ergo Christus, qui hoc bonum desideriũ dederat in cor Zachæi, vt etiam cũ famæ suæ iactura illũ vellet videre. Idẽ, inquam, ille Christus venit ad locum illum vbi Zachæus arbori insidebat, & videt illum,

lum,nimirum illis gratiosis suis oculis,quibus Petrum,quibus Matthæū, quibus Magdalænam,quibus randem alios peccatores misericorditer respexit,& ait illi:Zachæe,festinans descende,quia oportet me in domo tua manere.Vide,obsecro,frater in Domino charissime, quàm omnia ardeant, q̃ plena sint amoris! Non tantum studium in Zachæo vidimus, videndi Christum: quantum in Christo videmus,vt ad Zachæum diuertat. Nihil quidem frigidè facit Zachæus,quærit & ex animo cupit videre Iesum,præcurrit turbam,ascendit in arborem,fit fabula vulgi,solicitis circumspicit oculis,ne Christus non visus ab ipso pertranseat.Sed de his paulò supra. Quid Christus?Recta properat ad arborem, eleuatis oculis lustratur vbinā sit Zachæus.Proprio nomine appellitat.Nouit enim Dominus qui sint sui, agnoscit oues suas,vocatq; nominatim.Zachæe,inquit, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.Expendamus verba,& discutiamus quantum amorem spirēt. Festinās,inquit, descende, Ascendisti vt me videres,descende iam,vt me fruare.Festinasti vt me videres,iam festina,pelle omnes moras,vt apud te possim diuerti. Festina,inquam, ne cesses, quia oportet me in domo tua manere. An nōn & hoc philāthropiam Christi nobis egregiè exprimit.Non,inquit,volo apud te manere:sed oportet me in domo tua manere. Vnde alibi dicit: Deliciæ meæ, esse cum filiis hominum.Et in Esaia: Nunquid potest mulier obliuisci infantem suum:& cætera,quæ sequuntur.Sic in superioribus audiuimus patrem filio prodigo occurrentem,amplexantem,oscula infigentem, quæ oīa in hoc scripta sunt, vt discamus, quàm misericorditer, q̃ benignè, imò & quàm cupidè Dominus noster soleat pœnitentes recipere. Hactenus nondum excussimus singula. Tu verò,mi frater, ne ægrè feras, obsecro,meam curiositatem. Verba spiritus sancti tractamus,quæ quanto diligentius excutiuntur, tāto fructuosiora redduntur.Nam & flores quidam non reddunt odorem suum perfectè, nisi benè manibus conterantur. Hoc autem est quod putamus obseruatione dignum, Quòd Christus non contentus est,vel in transcursu Zachæum alloqui,sed cupit ædes illius ingredi, nec perfunctoriè, sed vult apud eum aliquandiu manere. Huc ergo facit, quod alibi promiserat Christus,dicēs: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit,& pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & māsionem apud eum faciemus. Itaq; sicut Deus, dum peccatis operam damus, à nobis recedit:ita dum nos malè admissorū pœnituerit, ad nos festinanter contendit. imò vt verè & ex animo pœniteat nos vitæ prioris & peioris, ipse spiritu suo & instigat,& opitulatur :nostrum est, vt bene monenti primo quoq; tempore pareamus,hoc quod Zachæus noster fecit.Sequitur enim:

*Et festinans descendit, & excepit illum gaudens.*

Sic factū oportuit. In Ecclesiastico enim legimus:Non tardes cōuerti ad Dominum,nec differas de die in diem. Subitò enim venit ira illius,& in tempore vindictæ disperdet te.Rectè ergo facit Zachæus, dū festinans descendit, & tantum hospitem recipit cū gaudio. Dupliciter aūt eū recipit,nimirum primùm in cor illum recepit, dein etiam in domū suam.Quòd aūt dicitur Zachæus Christum recepisse gaudens, satis innuit quāto desiderio illū desiderauerit:neq; tamē existimauit se dignū ad quē tantus hospes diuerteret.Tumidus aliquis ac superbus Pharisæus vix dignatus fuisset Zachæum publicanū illum alloquio, neque huius domum intrasset,ne scilicet cōtaminaretur: atqui Christus amat tales peccatores, qui

Eccl. 5

qui quod impiè fecerunt, & libenter fatentur, & ex animo & humiliter detestantur. Vnde alibi ait Christus: Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Hic mihi non possum temperare, quin admoneam quàm diuersimodè Christus à piis excipi soleat. Zachæus hic noster eũ magno gaudio excipit Christũ in domũ suam: & meritò commendatur. Petrus post miraculosam illam piscium capturam, dum Christum penitius nouit, procidit ad ipsius genua, inquiens: Exi à me, Domine, quia peccator sum. Rursum Centurio quidam, cui Christus Dominus noster pollicebatur aduentum suum, dicebat: Domine, non sum dignus vt intres sub tectum meũ, &c. Et hic vituperari non potest. Neq; eñ in his plurimũ refert quid agas, quidve dicas, sed quo affectu hoc ipsum vel fiat, vel dicatur, considerandũ est. Zachæ⁹ etsi se non dignũ puret hospite Christo, sed putat se illo indignũ. Nõ enim bene valentibus opus est medico, sed male habentibus. Centurio verò & si videt se opus habere Christo, tamẽ nõ putat se dignũ tanto dñõ. Hunc terret Christi maiestas, illum allicit Christi benignitas. Sed hæc suffecerint. Quid porrò hæc ad nos? Certè multũ supra modum. Necesse est enim, vt & nos Christũ cum gaudio excipiamus. Neq; enim ideo non venit ad nos, quia ad cælos conscendit. Venit certè ad nos, sed sub inuolucro, vt ita loquar, & absconditè. Sed audi scripturam: Ego, inquit, sto ad ostium, & pulso. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Pulsat ad ostium cordis tui, per occultas inspirationes, commonet te veræ pietatis, exprobrat, & tibi ob oculos ponit malefacta tua: ad has inspirationes si lætatus fueris, si tibi illæ placuerint, si in ventum non excusseris, certè bene, & tuo maximo emolumento excepisti Christum. Sunt autem qui ad verbum Dei tam internum, quàm externum porrò nauseant, maluntq; impuros audire sales: illi non suscipiunt Christum, sed huius aduersarium Satanam. Non sic propheta ille, sed dicebat: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Et iterum: In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Est & alius suscipiendi Christum modus, nimirum cùm suscipitur in discipulis & pauperibus suis. De hoc loquitur alibi Christus: Qui vos recipit, me recipit: Qui vos spernit, me spernit. Et alibi rursum: Amẽ dico vobis, inquit misericordibus, quàm diu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Enimuerò sic etiam Christus susceptus est à Zachæo, tam in seipso, sicut paulò supra admonuimus, & in pauperibus, sicut non ità multo post sequetur. Sed ad contextum reuertamur.

Apoc.3

*Et cùm viderent omnes, murmurabant, dicentes: Quòd ad hominem peccatorem diuertisset.*

Qui sunt murmuratores illi? Procul dubio Pharisæi, qui iuxta quod præcedenti capite audiuimus, in semet ipsis confidebant tanquam iusti, & aspernabantur cæteros. Hi enim fastu turgidi Pharisæi etiam alibi indignantur super Christo, & discipulos ipsius obiurgant, dicentes: Quare cum Publicanis & peccatoribus manducat magister vester? Et in superioribus huius nostri Euangelistæ, cùm multi peccatores & publicani ad Christum accederent, vt audirent eum, rursum adsunt calumniatores dicentes: Hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Sed Christus vbiq; se sic excusat, vt illi ne hiscere quidem audeant contra. Tu hic obserua, quantus fuerit Zachæus peccator, vt postea intelligas, quantus

Matth.9

Luc.15

fuerit pœnitens. Certè indignus viſus eſt Phariſæis, quo cum vir pius aliquod commercium haberet. Atqui Chriſtus non ad peccatorem diuertit, ſed ad pœnitentem: non ad eum qui lætaretur in malefactis, ſed qui iam benefacere arderet, & ob mala facta priſtina plurimum doleret. Hic locus admonet nos, vt dicamus, quatenus liceat nobis cũ malis conuerſari. Ego ne plus æquo prolixior ſim in hac hiſtoria, paucis me expediam. Non poteſt fieri, vt non ſimus in malorum hominum medio, quamdiu ſumus in hoc mundo. Semper enim inuicem cõmorabuntur boni & mali: bonum ſemen & zizania: piſces boni, & piſces putres: ſerui frugi, & ſerui nequam: virgines prudentes, & virgines fatuæ. Vnde qui malos omnes effugere velit, ille neceſſe eſt extra mundum habitet: ſic enim alibi loquitur Paulus. Quid igitur faciendum? Sic conuerſemur inter malos, vt noſtro bono exemplo, illos ad meliorem frugem moueamus. Sic cohabitemus illis, vt intelligant, nobis illorum mores ex animo diſplicere. Sic, inquam, illis cohabitemus, non vt nos corrumpamur, ſed vt illi in melius noſtro exemplo ædificentur. Sic enim ambulabant Philippenſes noſtri, in medio nationis prauæ, quemadmodum Paulus illis teſtimonium reddit. Certè ſi ſobrii fuerimus, & nõ deſides, non ſolùm nihil nobis nocet inter medios malos verſari, & miſceri, ſed multo nos facit virtutum ſtudioſiores. Nam ideo miſericors Deus ita diſpenſauit, vt ſimul eſſent boni & mali, quò malorum ſubneruaretur malitia, bonorumque virtus clarius eluceſceret, & deſides à ſtudioſis plurima commoda lucrifacerent, modò velint. Exemplo nobis ſit iuſtus ille Noe, qui ſuo tempore multos habebat, imò omnes qui ad malum, & ad praua opera inhortabantur, & nullus erat qui ad bonum induceret. Atqui tam ſtrenuus erat pietatis aſſectator, vt viam diuerſam à vulgari, quam omnis multitudo inambulabat, iret: & neque timeret, neque ſuſpicaretur aliquid tale, quale veriſimile eſt ignauis accidere, qui ſi quando viderint multos conſpirare, hoc velamen, & hanc occaſionem ſuæ ignauiæ prætexunt, ac dicunt: Quid ego nouum & ſingulare poſt illos omnes facturus eſſem, aduerſarius tantæ multitudinis? Nunquid illis omnibus ego admirabilior eſſem? Quæ vtilitas foret tantarum inimicitiarũ? Nihil talium cogitabat bonus Noe: ſed potius alios ad vitæ ſanctimoniam & morum puritatem hortabatur. Vnde & à Diuo Petro iuſtitiæ præco dict⁹ eſt. Ad huius itaque exemplũ, ſi inter medios malos familiariter egerimus, nihil nobis illorum malitia oberit. Porrò quoniam, iuxta ſcripturæ querelam, ab adoleſcentia procliues ſumus ad malum, & faciliores ſumus ad ſectanda, quàm deteſtanda mala opera: tutius eſt, vt quo ad fieri poteſt, ab impio malorum conſortio longius ſecedamus. Neque enim fruſtra ſcriptum eſt: Qui tangit picem, inquinabitur ab ea. Zachæus noſter etiã habitauit in medio malorum, ſed tamen illorum malis moribus renunciauit. Vnde ſequitur quod iam interpretabimur.

1.Cor.5

*Stans autem Zacheus, dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.*

Ante non ſtabat Zachæus, ſed hærebat, & iactabatur hinc inde variis curarum fluctibus: nunc verò poſtquã innititur firmiſſimæ petræ, hoc eſt, Chriſto, meritò ſtare prædicatur: antea præceps dabatur à diuitiis, ab auaritia, à fraude, à rapinis, coactusque erat ire quo beſtiæ illæ vrgebant: iam verò ipſe ſtat, & dominatur illis, vtitur diuitiis ex animi ſententia, tyrannos item

filios, quos iam diximus, ad inferos relegat. Sed expendamus singula, vt vetè intelligamus, quid sit, stare Zachæum. Tu interim memineris, quo sensu vtatur Paulus standi verbo. Qui se existimat stare, inquit, videat ne cadat. Et: Quis es tu, qui iudicas alienũ seruum? Domino suo stat aut cadit. Stabit aũt: Potens est enim Deus statuere illum. Paulo Apostolo, stare idem est quod in fide consistere, & firmum esse. Zachæus itaq; tum rectè stare dicitur, quando vera fide Christo adhæret, veteris vitæ sordes exuit, & noui hominis mores induit. Hoc autem iam facit, sicut ex libera ipsius confessione patet. Ecce, inquit, dimidiũ bonorum meorum, Dñe, do pauperibus. Hoc primum, noui & in Christo renati hominis argumentum est. Ecce, inquit, ô bone magister, quæ pro nomine tuo facere iã instituo. Multa bona habeo, quæ iusto titulo possideo: horum dimidiatam partem pauperibus do. Singula verba suam emphasim habẽt. Nõ perpetuò is mihi erat animus, vt facilè aliquid bonorum meorum aliis cõmunicarem, sed potius alienis inhiabã diuitiis. Iam porrò tantum profecit apud me aduentus tuus, ô Christe, vt etiam dimidiaras meas diuitias non dubitem in pauperum vsus distribuere. Nec alienis bonis liberalem & munificum me putes, atq; ex iniustè acceptis bonis aliis me velle cõmodare. Dimidium bonorum meorũ do pauperib⁹. Do, inquit, iam, confestim, festinanter, omni repulsa mota, omni postergata tergiuersatione. Sed multos defraudasti, ita vt vel ex alienis bonis viuere posis. Neq; hoc velim, ô Dñe. Si enim aliquem defraudaui, reddo quadruplũ. O bone Zachæe, tu in multorũ ore versaris, & quasi populi factus es fabula: at quotusquisq; est, qui tua velit sequi vestigia? Omnes sumus Euangelici, sumus Christiani, & nescio quid non. Sed qui animum inducat, quæ fraude acceperit, iustè velle restituere, hic rarus auditur. Enimuerò locus hic postulare videtur tractatum de fraude quæsitis bonis, & horum restitutione. Sed quoniã hæc disputatio nos longiùs quàm par est, ab instituto nostro abduceret, differemus illam in locum commodiorem. Profectò D. Augustinus ad Macedonium scribens apertè dicit: Si res aliena, propter quam peccatum est, reddi possit, & non redditur, pœnitentia non agitur, sed simulatur. Si aũt veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Si, vt dixi, restitui potest, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Sed hæc, ceu diximus, aliàs. Nunc procedendum est in contextu nostro.

Vide D. Thom. Secun. Secũdæ. quæst. 62.

Epist. 54

*Ait Iesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est, eò quòd & ipse filius sit Abrahæ.*

Et hactenus quidem euidentissimis argumentis probauit Zachæus, se non amplius esse Publicanũ, sed potius pœnitentẽ, & Christo bene dignũ discipulũ. Superest itaq; vt etiã Christus sese à Iudæorũ cõtumeliis excuset, atq; doceat, quòd meritò ad Zachæũ diuerterit. Hodie, inqt, domui huic sal⁹ à Deo facta est, eo quòd & ipse sit filius Abrahæ. Vos Iudæi iniquum putatis me fecisse, quòd ad hũc diuerterim, quasi ille ad populũ Dei nõ pertineat, quum adhuc sit præputiat⁹, nec vobiscum in religione vestra communicet. Ego aũt ob hoc solũ ad eũ diuerti, quòd ipse sit filius Abrahæ. Et salus quæ illi cõtigit, nõ humana est, sed cælestis, à Deo nimirũ illi veniens. Atqui vos estis, qui audetis Deo temerariè obstrepere, legesq; præscribere, quasi ipsi non sit integrum transilire. Salus familiæ huic vniuersæ contigit à Deo, qui solus nouit quos velit inter filios Abrahæ numerari. Hoc itaque in loco soluitur magna illa & celeberrima quæstio, quæ mota fuit tẽpore Apostolorũ,

nimirum qui nam sint veri filii Abrahæ. & illa: An ne ad Gentes etiam sal⁹ pertineat. Christus autem breuissimis verbis, hoc in loco ostendit, illos tantū inter filios Abrahæ reputari, qui fidem & pia opera Abrahæ sectantur, quemadmodum etiā Paulus & Iacobus veros Abrahæ filios describunt. Paulus siquidem dicit in Romanis suis: Non omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ, neq; qui semen sunt Abrahæ, omnes filii (sed in Isaac tibi vocabitur semen) id est, non qui filii carnis, hi filii Dei: sed qui filii sunt promissionis, æstimātur in semine, hoc est, qui ex promissione facta Abrahæ regenerantur in Christo. Et iterum capite iiij. testatur, Abrahamum patrem esse non solum eorum qui sunt ex circuncisione, sed etiam illorum qui sectantur vestigia fidei Abrahæ, & eius fidei quam hic habuit nondum circuncisus. Ad hunc itaq; modum & Zachæus filius Abrahæ factus est, licet non fuerit circūcisus. Sicut enim Abraham non circuncisus credidit in futurū Christū, ita & Zachæus non circūcisus credidit in præsentem Christum. Et sicut Abrahā promissione accepta, nihil difficile factu sibi existimauit pro Dei nomine: ita & Zachæus in hospitium suscepro Christo, nihil ipsi præponit, paratus est omnium terrenarum rerum iacturam facere, modò Christum propitiū habere possit. Cæterùm quoniam Iudæi hæc non intelligebāt, sed omnem iustitiam externis metiebantur cultibus, Zachæum non agnoscunt pro fratre suo, sed indignum arbitrantur eū, quo cum vir bonus aliquid commercii habear. Nec mirum est, hæc sic fieri à Pharisæis & Iudæorum vulgo, cùm postea videamus etiā Apostolos post acceptum spiritum, grauiter & difficilè Gentiles ad consortium fidelium admittere, qua de ré Lucas noster in libro secundo historiæ suæ. Tu porrò Anabaptista peruerse, hic vide etiā eū

Rom. 9.

Rom. 4

esse Abrahæ, imò Dei filiū, q non vendidit oīa, & dedit pauperibus, sed q solum dimidiū bonorū suorū dedit pauperib⁹, & quæ fraude abstulerat, in quadruplo restituit. Sequitur in contextu.

*Venit enim filius hominis quærere & saluum facere quod perierat.*

Et hæc mihi videntur à Christo adducta in excusationem sui, scilicet vt probaret se meritò ad Zachæum intrasse. Sic q; erit sensus: Vos Iudæi me calumniamini, quod ad Ethnicum & publicanum diuerterim. Atqui Ethnicus non est, qui fidem Abrahæ habet, & qui operibus piis fidē suam integram probat. Verùm Zachæus talis est, ergo immeritò accusor quòd ad ipsum diuerti. Quòd si hoc vobis persuasum non est, sed putatis eum esse improbum, & multis sceleribus adobrutum: neq; sic decebat me illius fugere consortium. Venit enim filius hominis quærere & saluum facere quod perierat. Sic alibi etiam se excusat cōtra Pharisæorū murmurationes, cùm parabolas de oue cētesima perdita, & de dragma perdita illis obiiceret. Et cū Christus offensos sibi haberet Pharisæos ob conuersionem Matthæi, inquiebat: Nō est opus valētibus medico, sed malè habentibus. Et: Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Fidelis ergo sermo (placet enī verbis Pauli hanc finire historiam) & omni acceptione dignus, Quòd Iesus venit in hunc mundū, peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Iam itaq; ad consequētiam textus lætis animis accedimus, perpetuò hoc meditantes, & in hoc intenti, vt recipiamus Christum in hospitium cordis nostri, vt sub finē vitæ huius ille dignetur nos vocare ad hospitium suum.

Luc. 15

Math. 9

1. Tim. 1

*Hæc illis audientibus, adiciens dixit parabolam, eò quòd esset prope Hierusalem, & quia existimarent, quod confestim regnum Dei manifestaretur.*

Quòd si hæc ad superiora quæ iam præcesserunt referre volumus, necesse est, vt intelligamus, & perpetuò cogitemus Iudæos, quicquid vspiã in prophetis extitit de salute nobis per Christum danda, intellexisse de salute aliqua externa; sicut & regnum Christi perpetuò sperant æternum: qua de re etiam in superioribus nonnihil diximus. In Esaia legimus: Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iustitia, amodo & vsque in sempiternum. Et in Hieremia sic: Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iustitiam & iudicium in terra. In diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter. Sed has prophetias nõ interpretantur, neq; intelligunt de regno Mesiæ, hoc est, Christi nostri, quo regnat in cordibus fidelium, faciteq; hos pedibus suis conculcare, quicquid est iniustitiæ & iniquitatis: imò tale & optant, & sperant, & expectant regnum, quale habuit Saul, Dauid, Salomon, & alii reges Iuda. Sperãt autem, suum illũ quem frustra expectant Iudæorum regem, sedem suam, siue solium suũ locaturũ in regia ciuitate Hierosolymorũ. Hæc igitur si rite obseruaueris, facilè intelliges quare Lucas noster tam diligẽter perscripserit, quo loco, & quo tempore Christus sequentẽ parabolã recitauerit. Duo aũt dicit, imò tria, si negotium altius contemplari volumus. Primò dicit Christus, se venisse ad quærendum & saluandum quod perierat: non autem loquitur de oppidis vel castris Iudæorũ recuperandis, sed de animabus quæ propter peccatũ venundatæ fuerant Satanæ, redimendis. Secundò erat Iesus prope Ierusalem, non vt inde effugaret Herodem & Pilatum, non vt ibi solium suum poneret, sed vt ibi, post multa opprobria, flagella, & crudelissimam passionem, turpissimam mortem crucis subiret. Tertiò, Iudæi putant Christum in breui manifestaturũ regnum suum, vt qui per miracula & signa indies magnificentius suam potestatem exerceret, iamq; ascenderet ad ciuitatem regiam: atqui Christus ideò Hierosolymam adit, vt in breui suam infirmitatem expressius nobis manifestet. Aut si Iudæi quærunt manifestationem regni Christi, aperiant oculos cordis sui, & fide videant, quantus rex sit Christus noster, vt qui in cruce moriens, eum qui mortis habuit imperium deuicit, destruxit atque confecit. De tali regni sui manifestatione inquit: Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum. Et ipse Christus iterum: Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. De huiusmodi manifestatione regni Christi etiam loquitur Paulus ad Colossenses scribens, quòd Christus delens quod aduersum nos erat chyrographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci: & expoliãs principatus & potestates traduxit confidenter palam, triumphans illos in semetipso, &c. Et quidem hæc hactenus super verba Lucæ. Iam verba Christi continenter audiemus.

Esa.9 · Hier.23 · Ioan.8 · Ioan.12 · Colos.2

*Dixit ergo: Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam, accipere sibi regnum, & reuerti. Vocatis autem decem seruis suis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos: Negotiamini, dum venio.*

Sæpissimè admonui, Parabolas non in hoc adductas à Christo, vt necesse sit singulas illarum partes discutere, & quæ singulæ sibi velint curiosius inuestigare, sed sufficerit nos scire quæ Christus nos in vniuersum hac parabola admonere voluerit. Quòd si quid habent parabolæ quod aliquo modo vel fidei vel moribus nostris

adaptari potest, nec illud silentio prætereundum esse putamus. Igitur si statum totius huius parabolæ quærimus, talis erit. Dominus non ignorãs quàm præposterè ac stultè quidam sentirent de regno ipsius (ceu diximus) hac parabola indicare voluit, se non venisse in carnem, vt aliquem condemnet (nõ enim misit Deus filium suum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum) vel vt opprimat. Sed olim se venturum, ac rationem se sumpturũ de omnibus bonis in nos collatis. Tũ instare tempus in quo serui frugi ineffabilibus bonis honorandi sint, serui verò nequam extremis suppliciis afficiendi. Interim admonet vt omnes & singuli, donec ipse rediturus est, egregiè suũ officiũ obeãt, & acceptis bonis probè & cum commodo proximorũ vtantur. Parabola itaque ista habet duas partes, quarum prima est de Iudæis pertinaciter incredulis, quale reportaturi sint præmium pro contempto Mesia sibi ipsis promisso, & misso, sed minimè agnito vel suscepto. Altera pars huic inserta, per occasionem scilicet, de seruis bonæ vel malæ fidei, quam mercedem vterque sint reportaturi à Domino. Hic nimirum status est, & rerũ summa totius parabolæ. Quis enim est homo ille nobilis, nisi Iesus Christus Dei & hominis filius? Hic enim non potest non nobilis esse, siue diuinam, siue humanam ipsius naturã inspexeris. Iuxta diuinam, Rex regum, & Dominus dominantium in scripturis appellatur. Iuxta naturam humanam, certum est, quòd ex regali progenie Dauid prognatus est, vnde & filius Dauid dicitur, & super solium Dauid patris sui sedere. Hic nobilis in regionem longinquam abiit. Quando Christus exiuit à patre, & venit in hunc mundum, quando exinaniuit semetipsum, & formam serui induit, quãdo in similitudinem hominum factus est, & habitu inuentus vt homo. Hæc fuit lõginqua regio: quia genus humanum longè abierat per peccatum à Deo, ita vt à peccatoribus iam salus longè abesset. Sed quo nomine in regionẽ hãc venit? Vt acciperet sibi regnũ. Quod, vel quale regnum? Hoc nimirũ, quod Diabolus hactenus à primo peccato Adæ occupauerat, sic vt appellaretur iam princeps mundi, & à maiori hoĩm parte pro Deo coleretur. Diabolus enim regnabat ex voto, tam in animabus, quàm in corporibus hominum, vt qui sibi certissimo chytographo obstricti fuerãt, sicut in superioribus ex D. Paulo deduximus. Hoc regnum accepit Christus, quando exaltatus à terra, omnia traxit ad se ipsum. In cruce enim pendẽs, sicut supra diximus, triũphauit hostes suos, fortem illum vicit & alligauit, & spolia eius rapuit. Hoc cùm fecisset, iamque potiretur regno suo, rediit, iuxta hoc quod in euangelio discipulis dixerat: Exiui à patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad patrem. Vocauit autem seruos suos decem, hoc est, non vnum, sed plures (est enim hic positus certus numerus pro incerto) & dedit eis decem mnas, hoc est, multa dona, & ait illis: Negotiamini, donec veniam. Quos seruos hic dicit? Certè Apostolos præcipuè, & alios horum in prædicando Euangelio successores. His etenim varia contulit spiritus sancti charismata, emisitque illos, vt acceptis donis sic vterentur, vt quos sibi redemerat Christus, illi continerent in officio: & si qui adhuc non submisissent colla sua Christi iugo, auxilio spiritus sancti vincerent, Christoque Domino tributarios facerent. Huc pertinet quod Christus Apostolis dicit: Ego vos elegi, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Et iterum: Eritis mihi, inquit, testes, in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ. Et rursum: Ite, baptizate omnes gentes, docẽtes eos seruare quæcunque præcepi

præcepi vobis. Hiis nihil aliud voluit significare, quàm quod hic dicit. Negotiamini dum venio.

*Cives autem eius oderant eum, & miserunt legationem post illum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos.*

Hiis verbis Iudæorum impietatem arguit, qui licet viderent quàm potens esset Christus verbo & facto, tamen noluerunt eum pro rege acceptare. Videbant quòd dæmonia corã illo subsistere non possent, sed ad nomẽ Christi fugere cogebantur. Videbant sub mortem Christi, solem, lunam, & stellas agnoscere Christum Dominum & creatorem suum. Videbant etiam durissima saxa confringi: at horum corda sic indurata erant, vt se ei opponerent, cui omnes aliæ creaturæ summũ deferebant honorem. Vis audire vbi dixerint: Nolumus hunc regnare super nos? In Euangelio: Non habemus regem nisi Cæsarem. Et iterum: Noli scribere Rex Iudæorum. Quid si & alia adiecerim testimonia, quæ probãt quantum abhorruerint Iudæi à spirituali Christi regno? Certè in Apostolorum actibus legitur, quod Principes sacerdotum & seniores populi, denunciarunt ipsis Apostolis, ne omnino loquerentur, neq; docerent in nomine Iesu. Ad hoc etiam pertinet quod Paulus accepta à principibus potestate, tam crudeliter conatus est eradicare vniuersam Christi Ecclesiam. Maluerunt enim stulti Iudæi Moysis graue onus ferre, quàm leuissimo iugo Christi colla sua submittere. Sed hæc hactenus. Sequitur in contextu.

Act. 4.
Act. 9.
1.Co.15
Act. 15
Mat. 11.

*Et factum est vt rediret accepto regno, & iussit vocari seruos quibus dedit pecuniam, vt sciret quantum quisq; negotiatus esset.*

Hanc sententiam Paulus satis interpretatus est quando scripsit: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis pro vt gessit, siue bonum, siue malum. Immo iuxta quod Christus in Euangelio dicit, de omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, reddent rationem Deo. Cæterùm reditus ille, extremus Domini aduentus est, de quo scriptura multis in locis testatur: Viri Galilæi, inquiebat Apostolis angelus, quid statis aspicientes in cælũ? Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum eũtem in cælũ. Et Christus ipse in Ioannis Euangelio inquit: Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio. Iam quod seruos attinet, non est vt plus æquo in his inquirendis curiosi simus. D. Apostolis, sicut diximus, hæc prouincia delegata fuit, vt potestate & donis à Deo acceptis vterentur ad ædificationem Ecclesiæ, & ad structurã corporis Christi. Ex horum numero erat qui in Corinthiis dicit, vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suũ laborem. Dei enim sumus adiutores, Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis, secundum gratiam Dei quæ data est mihi, vt sapiens architectus fundamentum posui, &c. Et rursum in altera ad Corinthios: Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Quod hic additur in parabola: Nobilem ideo vocasse seruos, vt sciret quantum quisque negotiatus esset, humano more dictum est, nõ vt quis putet Christũ nostra latere opera, cum ipse sciat, iuxta Euangelistam, quid sit in homine, & omnia, sicut Apostolus dicit, nuda & aperta sint oculis illius. Obseruandum & hoc quod non exprimit quanto tempore nobilis ille aduentum suum distulerit. Filius enim hominis hora, quam nescimus, & die, quam non putamus adueniet: hoc quod in aliis Euãgeliis verbis docuimus. Sequitur.

2.Co.5.
1.Cor.3
2.Co.5

*Venit autem primus dicens: Domine, mna*

*mna tua decem mnas acquisiuit. Et ait illi: Euge bone serue quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens supra decem ciuitates.*

Si per vnum siue primũ hunc seruum, intellexeris partẽ aliquam piorum pastorum, facilis erit interpretatio. Mna illa nobis significat donum in pastores collatum. Præfectura decem ciuitatum significat abundantem & copiosam illam mercedem quæ pñs ministris debetur: vt nõ sit necesse hoc in loco plurimum disquirere quænam sint illæ decem ciuitates, quarum præfecturam, Nobilis ille frugi seruo suo commisit. Vis audire seruum fidelem, qui domino suo rationem reddere paratus est, quique vnica mna plures lucratus est? Audi Apostolum rursum dicentem. Ego plus omnibus laboraui. Et iterum, Certamen bonum certaui, fidem seruaui, cursum consummaui, & ideo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex. Tu autem hic duo in bono seruo obserues velim. Quòd nõ ait, seruus inutilis sum, quod debui facere, feci. Sed audacter exponit quàm fidelem se in ministerio suo præstiterit. Dein quod ait: Domine Mna tua acquisiuit decem mnas, nimirum omne benefactum ad Dominum referens, vnde gratiam benefaciendi acceperat. Sic enim debemus nostra ostentare bona opera, vt interim non obliuiscamur vnde illa bonitatem suam acceperint. Postremò & hoc non est transmittendum silentio, quòd Dominus ipse dona sua extenuare videtur, cum ait, seruum in modico fuisse fidelem. Atqui vile vel modicum esse non potest, quod Dei beneficio nobis confertur. Longè enim maius est quicquid ille nobis dat, quàm vt nos tale quid mereamur. Discamus itaq; & nos, ne in immensum extollamus beneficia nostra, quæ subinde in proximos conferimus. Quæ sequuntur eandem habẽt interpretationem: sic enim progreditur Christus in parabola sua.

*Et alter venit dicens: Mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque ciuitates.*

Et hic bonus & frugi seruus est: licet enim minus donorum acceperit, quàm prior de quo iam diximus, tamẽ & nummis illis bonis vsus est in Dei gloriam, & proximorum salutẽ. Multipharìam enim Dominus impartitus est nobis dona sua, huic illud donum, illi aliud, omnia autem in hoc cõtulit, vt alter alterum ædificet, instruat, &c. Sic enim Apostolus in Romanis suis inquit: Sicut in vno corpore multa mẽbra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membrum: habentes donationes secundum gratiã quæ nobis data est, differẽtes, &c. Deinde docet idem Apostolus quis & quàm varius sit donorum vsus, sicut qui volet in Romanis legere potest. Nos enim breuitati studemus. In huius serui classem licebit tibi ponere successores Apostolorum, Timothæum, Titum, Epaphroditum, Lucam, clementem, Ignatium, Polycarpũ & eius monetæ alios, qui licet in donorum possessione Apostolis primoribus fuerint inferiores, tamen officium suum gnauiter executi sunt, dignamque tantis laboribus mercedem acceperunt.

Roma.

*Et alter venit, dicens: Domine, ecce mna tua quam habui repositam in sudario, timui enim te, quia homo austerus es, tollis quod non posuisti, & metis quod non seminasti.*

Hic eorum typum gerit qui nusquã non Deo obstreperos se præbent, perpetuoque conqueruntur se Dei donis destitutos, & ideo se non posse bene agere, quum tamen impij cessatores sint, neq; faciant quod facillimè facere pos-

possent. Sic ergo duplici nomine semetipsos reos agunt, tum quod nihil boni operantur, tum etiam quod impietatis suæ authorem volunt facere Deum. Nemo certè est qui non plura facere possit, quàm faciat: nemo itaque est qui meritò cõqueratur se Dei gratia porrò destitutum. Non ergo Deus, sed nosmetipsi perditionis nostræ causa sumus. Hinc est quod Paulus & Corinthios & Timothæũ suum hortatur, ne gratiam acceptam negligere velint: Ad hunc enim dicit. Noli negligere gratiam quæ tibi data est. Ad illos verò: Adiuuantes, inquit, exhortamur vos ne gratiam Dei in vanum recipiatis. Hoc ergo in loco arguuntur qui acceptis à Deo donis, tam spiritualibus quàm corporalibus, nolunt his vti ad ædificationem Ecclesiæ. Arguuntur etiam illi qui bona quæ certò sciunt bona esse, agere negligunt, & cætera quæ nesciunt curiosius, quàm par est inuestigare contendunt. Sic nostra tempestate solent multi has & similes iactare voces: Animus quidem meus gestit ea facere quæ pietatis sunt: at in tot tantisque Doctorum dissentionibus quid faciam? Alius prædicat sic, alius verò sic? Sed audi obsecro qualis scorpius sub hoc lapide latitet. Fatemur, heu dolor, multas easque periculosas esse dissentiones inter doctos huius seculi, vel potius inter verè doctos, & eos qui sibi doctrinam arrogãt, de aliquibus articulis ad religionẽ nostram spectantibus: Sed tu harum causa, si officio tuo defueris, nihilominus pœnam dabis. Qui sic? Audi. Primum, quia in hiis de quibus non controuertitur, cessatorem agis. Secundò, quia nõ cupis eam partem obtinere quæ verior sit, sed quæ tibi vt facias facilior. Exemplis te docebo quæ velim. In cõtrouersia de ciborum delectu, magis cupis eam partem obtinere quæ gulæ faueat, quàm quæ ventri repugnat. In confessionis sacramentariæ tractatu, mauis eam partem obtinere quæ illã abolitam, quàm quæ confirmatã contendit. Addam. Iam inter partes de aliquibus articulis conuenit: quòd si solam & vnicam veritatem quæritis, cur nõ quæ à vobis relecta sunt hactenus, iam iussu doctorum vestrorum recipitis? Ex his tu cætera disce. Certissimè constat maiorem partem partium non quærere Christum, sed seipsos, malléque ad voluptatem vẽtris, quàm ad voluntatem Dei viuere.

*Dicit ei Dominus, De ore tuo te iudico serue nequam: sciebas quia ego homo austerus sum, tollens quod non posui, & metens quod non seminaui: & quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum vsuris vtique exegissem illud?*

Tam certa ac iusta sunt Dei iudicia, vt etiam iuxta conscientiarum nostrarum testimonia, Deus nobis iniuriam non faciat. De ore, inquit nobilis ille seruo suo, tuo te iudico serue nequam. Certè si nequam hic seruus certò persuasum habuisset Dominum sic austerum esse, non abscondisset talentum, neque otium egisset, sed omnem impendisset operam vt vel tantillum lucraretur. Atqui non timor cohibuit illum à negotiando, sed torpor & ignauia. Sic & nos solemus prætexere aliquando nescio quas causas, cum mens etiam nostra certo sciat rem se aliter habere. Et fieri quidem potest vt homines aliquamdiu fallas: sed vt Deum lateas vel fallas impossibile est. Ad superiora exempla me recipiam, quæ licet odiosa sint, tamen aperta sunt. Hic iam & talis quorundam malè Christianorum prætextus est, rebus in Ecclesia sic perturbatis. Ego, inquit aliquis, simplicior sum & rerum sacrarũ rudior, quàm vt possim certo iudicare vtri partium adhærere debeam. Huic ego respondeam verbis Christi: De ore tuo te iudico serue nequam. Si rudior

rudiores quàm vt certò iudicare possis: qui fit vt alteris neglectis ad alteros concedas? Qui fit quòd contemptis veteribus sectaris noua? Hic appello conscientiam, quæ spiritum Domini non latet. An non malitia potius in causa est, quàm inscitia? Nō sectaris quæ tibi vera videntur, sed quæ genio tuo grata esse noscuntur. Vide ergo, immo caue, ne dum conaris excusare peccatum tuum, potius accumules. Sed quid de illis dicemus qui cum multas mnas à Domino acceperunt, hoc est, multa Dei dona quibus hoc tēpore Ecclesiæ prodesse possent, ipsi nolunt, vel semel manum suam admouere ad aratrum? Inuenias enim hodie non indoctos & imperitos viros, qui dum vel ad munus concionandi, vel gerendi magistratus officium vocantur, obiiciunt: grauis & molesta est functio, ad quam vocor: & quanquam dona quædam mihi cōtulerit Dominus, agnosco tamen illa nōdum esse tanta quanta requirūtur: ne quid ergo peccem, priuatus viuam. Hæc quidem prætexunt, cum alia sint quæ illos à recto officio cohibere soleant. Verentur nimirum ne delicatum & consuetum ocium prodāt, verētur ne prædicādo vel scribēdo quod verum est, multorū offensam incurrāt. Malunt enim in ocio, & cū fauore mūdi hic benè viuere, quàm Christi nomine aliquem laborē subire. Sed tātæ supinitatis scio illos olim pœnitebit. Ponamus ante oculos nostros (placet enim hoc in loco verba D. Gregorij adiicere) illum tantæ districtionis diē quo iudex veniet, & rationem cum seruis suis quibus talenta credidit, ponet. Ecce in maiestate terribili, inter angelorum & archangelorum choros videbitur. In illo tanto examine, electorum omnium & reproborum multitudo deducetur, & vnusquisque quid sit operatus ostendetur. Ibi Petrus cū Iudæa conuersa, quàm post se traxit apparebit. Ibi Paulus conuersum, vt ita dixerim, mundū ducens. Ibi Andreas post se Achaiam, ibi Ioānes Asiā, Tomas Indiam, in conspectum sui iudicis cōuersam ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes, cum animarū lucris apparebunt, qui sanctis suis prædicationibus Deo post se subditum gregem trahunt. Cùm igitur tot pastores cum gregibus suis ante æterni pastoris oculos venerint, nos miseri quid dicturi sumus, qui ad Dn̄m nostrū post negotium vacui redimus, qui pastorum nomen habuimus, & oues quas ex nutrimēto nostro debeamus ostēdere, nō habemus? Hic pastores vocati sumus, & ibi gregē nō ducimus. Et hæc quidem hactenus ille, qui certe in re seria ludere noluit, nec debuit: sed ostendere voluit quā strictā rationē reddituri sint, quibus populus Domini cōmissus est. Cæterū quoniam iam diximus de illis qui nolūt populū Domini pascere, etiā si maximè possint: non absurdū nec superuacaneū opinor fuerit, & de eis dicere qui neque vocati, neque satis docti vltrò se ingerūt, & aliorum officia temerè inuadunt. Sed de his bestiis alibi disseremus.

Hom. 17. in Euāg. Histo.

*Et astantibus dixit: Auferte ab illo mnam: & date illi qui decē mnas habet. Et dixerūt ei, Domine, habet decē mnas.*

His verbis significatur rursum, frugi seruum quanto diligentior fuerit in operando, tanto etiam maiorē reportaturum mercedem: Seruum verò nequam duplici pœna puniendū. Primò, quod habet auferetur ab eo: Secundò nihil omnino illi dabitur. Nec est opus vt hic multum operæ vel verborum insumamus in disquirendis illis qui Domino respondent, & quasi ignoranti indicant, quòd frugi seruus decem mnas habuerit. Sed quæ sequuntur totum negotium manifestius explicabunt: Sic enim Lucas Domini verba subiungit.

*Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur & abundabit: ab eo autem qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo.*

Quòd si hæc Domini verba ad præsentis mundi statum referre voluerimus, non erit difficilis locus. Certò siquidem cōstat eum qui donis Dei fideliter vsus fuerit, sua fidelitate tantum mereri, vt longè plura accipiat. Qui autem nec paruo dono benè vtitur, is indignus cui maiora committantur, hoc quod in aliis Euangelij locis Christus ipse testatus est. Et in rebus publicis videmus eos tantùm ad altiores gradus prouehi, qui in minoribus constituti, bonam spem de se præbuerunt. Sic Paulus ex fidelissimis Diaconis iubet ordinare Episcopos. Breuiter hæc Domini verba significant, diuinam opem non cessantibus, sed industriis, & pro sua virili conantibus, auxilio esse solere. Auget enim Dominus dona sua gratis, piis & piarum rerum studiosis: ingratis verò & ignauis non solum non auget dona sua, sed etiam quæ videntur habere, ab eis aufert, vt etiam pòst si maxime illis vti velint, minimè habeant. Aperto exemplo quod velim explicabo. Finge aliquem multas habere diuitias, & ab inopi pro auxilio inuocatum: atqui ille auxilium denegat, etiā si facillimè huic opitulari possit: Verū pòst vnum atque alterum diem, diuiti illi omnia sua bona vel incendio pereunt, vel furto sustolluntur. Eat igitur talis & post ferat auxilium inopi. Sed hæc hactenus. Quæ hic desiderari possunt in Matthæo nostro explicasse nos confidimus.

*Veruntamen inimicos meos, illos qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me.*

Hæc propriè ad Iudæos pertinent, qui impietatis suæ meritas pœnas dederunt, & partim adhuc dant. Et oh fœlices & multum fœlices nos, si illorum exemplum nos prudentiores reddiderit. Certè quisquis Domini iugū temerarius excusserit, pœnas illas grauissimas nunquam effugiet. Oramus quidem quotidie sicut à Christo admoniti sumus: Pater noster qui es in cœlis, adueniat regnum tuum: Sed interim regnat peccatum in nostro mortali corpore, regnat Satanas, regnat mūdus, regnat in nobis innumera scelerum turba. Atqui non ignoramus quod Christus dixit: Nemo potest duobus dominis seruire. Et Paulus inquit: Non potestis mēsæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. Summatim dicam: Rex tuus est in cuius castris militas, cuius officia obis, cuius voluntati obtemperas. Iam qui alio domino præter & extra Christū inseruit, quæ & quanta pœna illū maneat, ex Domini sententia iam accepimus. Certè magna pœna est & horrore plenissima coram Christo interfici, sic interfici, non vt non viuas deinceps, sed vt in æternum pessimè viuas: sic, inquam, viuas, vt mortem sis desideraturus, sed perpetuo non inuenturus. Necesse est itaque vt ex animo optemus Christi regnum in nobis obtinere, quòd haud dubiè futurū est, si quando ex corde & ardentissimis precibus ad Deum patrem nostrum clamauerimus: Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum. Adueniat, inquam, regnū tuum, vt tu in nobis, & nos in te regnemus. Adueniat regnum tuum gratiæ & misericordiæ, quibus pater benignissimus in pectoribus sanctorum regnas, deiectis mundo, Satana & carne, hostibus humani generis. Sed hæc alias: iam Christi in vrbem Hierosolymorum contemplabimur ingressum. Det Dominus vt nos simus veri & pacifici Hierosolymitani, vt & ad nos dignetur Dominus per suam gratiam ingredi.

*Et his dictis, præcedebat ascendens Hierosolymam: Et factum est, cum appropinquasset ad Betphage & Bethaniam, ad montem qui vocatur oliueti, misit duos discipulos suos, dicens: Ite in castellum quod contra vos est: in quod introeuntes inuenietis pullum asinæ alligatum, cui nemo vnquam hominum insedit, soluite illum, & adducite. Et si quis vos interrogauerit, quare soluitis? sic dicetis ei: Quia Dominus operam eius desiderat.*

Plurimum certè pōdus addit Christi in nos charitati, & rursum nostram in ipsum charitatem auget, si perpendetimus illum non coactum, nec inuitum pro nobis esse passum, sed voluntarium, vltroq; illum accessisse locum mactationi suæ à patre destinatū. Quod enim Christus non ignorarit quæ & quanta se manerent tormenta Hierosolymis, in superioribus copiosè demonstratum est. Sed nos omissis omnibus ambagibus, ad ipsam historiā accedemus, visuri quomodo Christus rex noster regnum suum velit instituere, quòd Pharisæi etiam in proximo esse putabant, tum cum Christus vrbem regiā proficisceretur, hoc quod antea audiuimus: Christus itaq; Dominus noster, quia iam proximus erat vrbi in qua pati volebat, ac ideo pati vt nos assereret in libertatē filiorum Dei, ideo ingrediens iam vrbem regiam, Regē ac liberatorē se esse populi sui, spectaculo quodā insigni declarat, qui videlicet venerit asserturus credentes in se. Rex autem à regendo appellationem habet. Oportet autem ante omnia regem sapere siue sapientem esse, deinde & potentem, qui sibi concreditos, & sciat & possit liberare tuerique. Quòd autē Rex noster Dominus Iesus & sapiens sit & potens, ante omnia in hoc loco demonstratur. Reges quidem huius seculi non nouerūt quid vel in vicinis fiat ædibus, nisi sit qui prius exploret, deinde ipsis referat: Rex autem noster Christus Dominus omniscius est, cuius oculis omnia patent. Huc enim pertinet quòd locū certū ostendit, in quo pullū asinæ alligatū inueniant discipuli. Nam hoc ad diuinā prouidentiā pertinet. Poterit ergo Dominus noster Rex esse totius orbis, vt qui & audit & videt omnium in terris vota & necessitates. Quòd autem potentiam adtinet, Rex noster omnipotens est, omnium corda & animos in sua potestate tenēs. Ideo enim, Et si quis, ait, vos interrogauerit, quare soluitis? dicite: Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos. Et hæc quidem aperta sunt, nihilq; dignū curiosiori inuestigatione habent, nisi quis allegoriam tractare vellet, quæ sicut pulchra hac in historia occultatur, ita & facilis est, & à me in Matthæo nostro pro tēpore sufficienter exposita. Quare autem Christus Iesus præter suum morem sic voluerit ingredi Hierosolymam, series contextus docebit. Tria præcipuè hic consideranda sunt, quæ admonuimus etiā antea: Christū vltro accessisse ad locum vbi pro nobis, post ditas passiones sustineret turpissimam mortem crucis. Hinc & nos discamus voluntariè crucem Christi, hoc est, quā Christus nobis imponit, in humeros nostros suscipere, & patienter omnia aduersa pro Christi nomine tolerare. Secundò audimus Christū nihil latere omniū quæ fiunt: Sic itaq; instituamus vitā & mores nostros, ne vnq̄ oculos ipsius offendamus. Certè qui perpetuò cogitaret se habere omniū suorū cogitatuum, dictorum & factorū, inspectorem Deū, difficulter aliquid vel in Deum vel in proximū malè cōmitteret. In Esaia legimus: Quare dicis Iacob & loqueris Israel: Abscondita est via mea à Domino? Omnia inqt Apostolus, nuda & aperta sunt oculis eius. Hoc nouerat qui in Psalmis dixit: A facie tua quo fugiam? Si ascendero in cælum,

Esa. 40.
Heb. 4.
Psal. 138

cœlum tu illic es: si descendero ad infernū, ades: Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Enenim man⁹ tua illuc deducet me, &c. Q.d. Qui posses ignorare vias meas, cum nisi te auxiliante, ne pedē quidē mouere possem. Tertio quoniā videmus verbo Dei nihil posse resistere, sic animos nostros inducamus, ve non coactè, sed spontaneè Domino nostro seruiamus. Dominus enim noster, etsi bonorum nostrorū nō egeat, tamē ministeriū & officiū nostrū desiderat. Poteſt quidē pedeſter adire ciues Hierosolymorum: Verùm vult & iubet sibi adduci iumenta. Sed hæc plus satis. Sequitur in contextu.

Psal. 15.

*Abierunt autē qui missi erant, & inuenerūt, sicut dixit illis, stantē pullū. Soluentibus autē pullum, dixerunt Domini eius ad illos. Quid soluitis pullum? At illi dixerunt: Quia Dominus eum necessariū habet: Et duxerūt illum ad Iesum. Et iactantes vestimenta sua super pullum, imposuerunt Iesum.*

Alii Euangelistæ huius insoliti ingressus causam adiiciunt eā, quòd scilicet sic scriptū sit in prophetis. Oportuit autē vt omnia quæ de Christo in scripturis sacris sunt implerētur, si mō ille verus Messias est, de quo nos Christiani nihil penitus dubitam⁹. Cū itaq; in Zacharia scriptū fuit, Messiā Iudæorū regē olim ingressurū asina vectum Hierosolymā: certè necesse fuit vt hoc ipsum Christus, anteq̄ crucē sustineret, perficeret. Si enim vel vnicū iota, quod de Messia scriptum est, Christus præuaricatus fuisset, vel neglexisset, certè haberent Iudæi incredulitatis suæ nō leuē excusationē. Iā verò cum Christus omnia quæ de se scripta erant, vel ad minimū apicē vsq; impleuerit: Iudæorum infidelitati nulla excusatio relinqtur. Huc iā pertinet quod alibi Christus dicit: Scrutamini scripturas, illæ enim testimonium perhibēt de me. Sed hæc plus satis. Cæterū discipuli audito Dñi iussu abeūt, de verbis illi⁹ in nullo dubitātes. Nō enim poteſt fieri, vt verū nō sit, quod veritas ipsa dixit. Hinc nihil respōdent, nihil tergiuersantur, sed cōfestim obediūt iussa perficiūt, quod in mādatis habēt exequuntur. Sit ergo factum hoc Apostolorū, nobis prōpter obediētiæ exēplū. Quòd si enim Christo obtēperauerimus, nō poteſt nō feliciter nobis cedere quod instituimus, hoc quod etiā præsens testatur historia: Nā & discipuli à Domino ablegati, oīa inueniūt iuxta quod à Domino ipso prædictum fuerat. Quod verò sequitur discipulos vestimēta sua super asinam imposuisse, quò scilicet Christus cōmodius insideret, certè diligenter expendendū venit. Discipuli enim sic exequuntur Domini iussum, vt interim tamē aliud, quod à Dño iussi nō fuerāt, perfecerint siue adiecerint. Tam alacres enim Dñi iussa capessere debemus, vt quantū in nobis eſt, etiā lōgè maiora adiicere nō dubitemus. Sic faciebat D. Apostolus Paulus quando gratis prædicabat Euāgeliū, licet Dñs ordinauerat bob⁹ triturātib⁹ os nō esse obligādū. Sed fortè obiicier qs quod in Moyse eſt. Nō addetis ad verbū quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Custodite mandata Dñi Dei vestri quæ ego præcipio vobis. Et rursum: Custodite & facite ea quæ præcepit Domin⁹ Deus vobis. Non declinabitis neq; ad dexterā neq; ad sinistrā. Et rursum: Nō facietis singuli quod sibi rectū videt. Et in eodē capite: Quod præcepi tibi, hoc tātū facito Dño, nec addas quicq̄ nec minuas. Ergo apostoli peccauerūt, dū præter Dñi iussum, iumēto vestes imponūt? Ergo & Paulus nolēs Dñi ordinatione vti, peccauit? Absit procul vt tale quid dicam⁹. Verus scripturæ sensus & piorū exēpla nunq̄ pugnabunt. Quid igit̄ hic dicemus? Quomodo hūc nodū feremus, vt verbis Dñi nihil vel addat̄, vel demat̄, & interī tamē liceat piis etiā alia bona facere opa quæ iussi nō sunt? Hic maiores nostri distinxerūt inter pcepta Dñi, & cōsilia Dñi. Disputarūt itē, nec implè nec temerè de operibus su-

Laudāt qui faciūt plus quā sibi sit imperatum.

Deut. 4.

Deut. 5.

Deu. 12.

Vide D. Basiliū in regulis Monachorū capu.

bus ſupererogationis quæ vocãt. Ego
ſimpliciter & breuiter hic me expediã.
Nemini licebit impune verbis Dñi vel
adiicere, vel auferre, ſic ſcilicet vt præce
ptis & prohibitis Domini contradice-
re velit, dicendo bonũ malũ e & malũ
bonũ. Vt quod Dñs dixit, non haben-
dos Deos alienos, ita ſeruandũ eſt: neq;
dicẽdũ etiã licere alienos habere deos.
Si enim ſimpliciter verbo Dei nihil ad-
iiciendũ eſt, quæ temeritas fuerit adii-
cere Moyſi libris, oẽs prophetas & vni
uerſum nouũ inſtrumentũ? Sed hæc
ſuffecerint: Eſt aũt hic & alia diſputa-
tio ex Apoſtolorũ libero facto necten-
da, nimirũ illa: An perpetuo bonũ ſit,
quod nos bona, quod dicitur, intẽtione
facimus? Ad hoc cõtinuo dicimus: Ne-
quaq̃ nos perpetuo iuſtè & impunè fa-
cere, quæcunq; bona intentione faci-
mus. Exempla in ſuperioribus audita
ſunt, dum Apoſtoli prohibebant, &
hoc bona intentione, paruulos adduci
Chriſto: & dũ turba cæco interminat
ne clamet poſt Chriſtũ. Et D. Paul⁹ nõ
mala intentione perſequebatur Eccle-
ſiam Chriſti, neq; tamẽ ob id bene egit,
nihilq; peccauit. Quod Apoſtolus per-
ſequẽdo Eccleſiã peccauerit, certũ eſt:
ſed quod tantũ peccauerit quantũ alius
qui ex odio vel inuidia, vel aliqua alia
cauſa Chriſtianos perſecut⁹ eſt, hoc nõ
dicimus, ſed cõſtanter negamus. Pecca-
tũ ſiquidẽ ſemper peccatũ eſt, & nunq̃
bonũ eſt in ſe, tamẽ aliud alio grauius
eſt. Quod itaq; ad bonã intẽtionẽ atti
net, dicimus in factis quæ re ipſa pec-
cata ſunt: nulla bona intẽtio ſic poteſt
excuſare factũ, vt peccatũ nõ ſit, ſed vt
minus graue. In factis autẽ quæ per ſe
bona ſunt, poteſt intentio mala, hoc
quod bonũ in ſe eſt, vertere in peccatũ:
Verbi gratia: Eleemoſynas dare, ieiuna
re, vel orare, in ſe bonæ actiones ſunt: at
qui per vanã gloriã vel orat vel ieiu-
nat, vel eleemoſynas elargitur, nihil bo
ni facit, ſed bono malè vtitur, ſiue vt
alibi Auguſtinus dicit, bonũ nõ benè
facit. Sic in rebus indifferentibus intẽ-
tio bona vel mala, ſiue, vt alii loquun-
tur, finis intentus operi pretium facit.
Qui copioſiora velit, ſcholaſticos cõ-
ſulat, nos alio properamus.

2. Sent. dist. 40.

*Eũte aũt illo, ſubſternebãt veſtimẽta ſua in uia. Et cũ appropinquaret iam ad deſcenſum montis Oliueti, cœperunt oẽs turba deſcendẽtiũ gaudẽtes laudare Deũ voce magna, ſuper omnibus quas viderãt virtutibus, dicentes: Benedictus qui venit Rex in nomine Domini: Pax in cœlo & gloria in excelſis.*

Primũ oĩm hic velim obſerues, quale
ſit ſtudiũ vulgi, qualis ſit fauor vulgi.
Vide obſecro q̃ triũphẽt, quã gratulẽ-
tur Chriſto: Sed nõ diu durabit repẽri-
nũ hoc gaudiũ. Hic laudãt Deũ ſuper
aduẽtu Chriſti, alibi vocãt blaſphemũ,
Samaritanũ, dæmoniacũ, & reliquis ei⁹
notæ titulis ornãt Chriſtũ. Alibi cla-
mãt: Nõ habemus Regẽ niſi Cæſarẽ.
Tolle hũc, & crucifigẽ. Hic porrò occi-
nunt: Benedictus qui venit Rex in no-
mine Dñi. Sed paucisſimis interpreta
mur verba Lucæ, deinde quorũ nos ad
moneant ſubiiciemus. Eunte aũt illo,
inquit Lucas, ſubſternebant veſtimẽta
ſua in via. Quis hoc fecit? Matthæus rẽ
expresſi⁹ poſuit. Plurima aũt turba, in-
quit, ſtrauerũt veſtimẽta ſua in via: alij
aũt cædebãt ramos de arborib⁹, & ſter
nebãt in via. Eadẽ habet Marc⁹ abbre-
uiator nimirũ Matthæi. Occurrũt enĩ
Chriſto obuiã læti, cõfitentur Chriſtũ
eſſe Regẽ illũ olim promiſſum, nunc
cœlitus præſtitũ: Palmas ergo virentes
& veſtes eunti ſternunt in viã, victoriæ
& fidei teſtes. His enim ceu arrha da-
ta ſeſe principi obſtringunt, quẽ ſperãt
victoriis inſignem futurũ, fidẽ ipſi dã-
tes, & omnia ſua offerẽtes. Veſte enim
nihil charius, nihil eſt neceſſariũ magis,
vnde hãc nõ diuẽdimus, niſi nihil aliud
ſuperſit ampli⁹ quod neceſsitati noſtræ
ſubueniat. Veſtẽ ergo alicui ſi impẽdas,
certiſſimũ de te argumẽtũ exhibes, nihil
te vſq; adeo charũ ac neceſſariũ poſsi-
dere, quod nõ ſis illi⁹ gratia expenſur⁹.

Mat. 21

Mar. 11

Lau-

Laudatur hoc nomine Traianus imperator, quod cũ multi milites vulnerati essent in clade Dacorũ, fasciaeq; ad obligandas plagas desiderarentur, pro sauciorũ copia, vestẽ sibi Traianus cõscidit, in eũ vsum, eãq; saucijs benignè partitus est. Et tantũ de prostratis vestibus. Deinde addit, quare laudauerint Deũ, nimirũ quòd tã magnas virtutes, hoc est, tot & tanta miracula viderant Christũ operantẽ: Quorũ vtinã post in tẽpore meminissent, neq; Christũ in crucẽ egissent. Iã quod benedictũ regẽ vocãt, huncq; venire in nomine Domini acclamãt, videtur hũc habere sensum: Hactenus suspensi expectauimus Messiã nostrũ, Regẽ nostrũ, qui rẽpu. Israelis restitueret, omniaq; in feliciorẽ statũ verteret. Et iã adest iã diu expectatus noster Rex, cui vtinã omnia ex voto succedãt, vtinã Dñs Deus huius cœptis benignè annuere velit. Quod verò adijciũt: Pax in cælo, & gloria in excelsis, altiorẽ habet sensum quã forsan Iudæorũ populus tum cogitabat. Per Christi siquidẽ mortẽ, pax in cælo facta est, & gloria in excelsis aucta est. Sic enim loqtur Paulus de pace illa quæ in cœlis facta est. In Christo enim cõplacuit Deo scilicet, omnẽ plenitudinẽ inhabitare, & per eũ recõciliare oia in ipsum, pacificãs per sanguinẽ crucis ei⁹ siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt. De gloria porrò quid dicemus? Deus opt. max. nõ magis glorificari se putat, nisi cũ videt humanũ genus ad superna respirare. Opinor Apostolũ nostrũ eò respexisse quãdo dixit: Oẽs peccauerũt & egẽt gloria Dei. Videretẽ enim Deo ignominiosum, absit inuidia dicto, si quos creauit porrò pderet, nec ad pristinã fœlicitatẽ reuocaret.

Colo. 1.

*Et quidã Pharisæorũ de turbis dixerũt ad illũ: Magister increpa discipulos tuos. Quibus ipse ait: Dico vobis, quia si hij tacuerint, lapides clamabunt.*

Quod hic dicitur Pharisæos de turbis Christum allocutos, videtur mihi dupliciter posse intelligi, tùm quòd fuerint in turba promiscua, tum etiã quòd nõ fuerint ex præcipuis pharisæis. Nã ex Ioannis Euangelio discimus Sacerdotes & Leuitas illos ad Baptistã missos, ex Pharisæorũ collegio fuisse. Ergo putamus hic cum Iesu fuisse Pharisæos, non quidem præcipuos & ex leuitico ordine, sed plebeos nec magni nominis. Sãctissimi enim illi Pharisæi & inter bonos optimi non facilè prodiissent Iesu obuiam. Pharisæi itaq; illi plebei, vt putamus, audientes populi acclamationẽ satis magnificam, accedunt Christum, & præfatione honorifica præmissa, admonent velit turbis imperare silentium, vt qui maiora dè ipso sentirent & euulgarent, quàm homini conuenitet. Putabant enim regis nomen ad seditionem, Domini verò nomen ad blasphemiam facere. Magister, inquiũt, increpa discipulos tuos, ni mirum ne tam magnifica de te prædicent. Neq; enim impunè feres, si Herodes audierit te vocari regẽ: Et blasphemiã est, si tu cũ homo sis, patiare te appellari Dñm, hoc est Deum. Sed quare hoc Pharisæi? Incertũ est ex inuidia ne fecerint, an ex timore, ne aliquando voces illæ excitarent seditionẽ in populo. Sed qd ad haec Christus? Dico vobis, inqt, Quia si hij tacuerint, lapides clamabunt. Hoc est, tã impossibile est vt nõ deprędicetur merita Dei gloria, vt, si nõ homines, certè vel lapides sint illam celebraturi. Et certè sic factum est. Crucifixo enim Dño, stabant oẽs noti eius à lõgè, Deũ profiteri timentes quẽ videbãt cruci affixũ, sed hijs tacẽtibus, lapides & saxa magnificabãt Dominũ. Emisso enim Christi spiritu, ecce terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumẽta aperta sunt; quęq; hoies vel præ timore vel præ perfidia cõfiteri trepidãt, hunc durissima etiã elementa Deũ mundi ac Dominũ aperto ore prædicant. Sic enim V. Beda loqtur: Sũt qui lapidũ nomine intelligũt gentiles, qui

Christum ab Iudæis electũ magno honore, psalmisq; votis exceperũt. Tu velim hic obserues Christi multipharia dispẽsationẽ. Qui alibi sua miracula nõ vult depredicari ab his quibus benefecerat, iam laudatores suos seriosè defendit. Illud modestiæ & humilitatis erat: hoc autẽ & loci & temporis oportebat vt Christus non negaret se esse quod erat. Admonet autem nos hic locus vt à Dei laudibus nunquã cessemus. Semper laus eius in ore meo, inquit Psaltes ille sanctus.

*Et vt appropinquauit, videns ciuitatem, fleuit super illam dicens: Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.*

Videmus hic magnam Christi erga humanũ gen⁹ misericordiã, vt qui nec in tanta sua gloria cohibere potuit lachrymas, propter exitiũ Iudæorũ, eorũ, inq̃, Iudæorũ qui diu noctuq; nihil aliud moliebãtur nisi ipsum Dominũ perdere. Cùm enim appropinquat Hierosolymis, vidẽs ciuitatẽ, flet super eã. Quare flet? quare lachrymatur? Nisi Lucas noster nobis lachrymarũ causas exposuisset, putaret forsitã aliqs Christum ex timore futuræ mortis profudisse tot lachrymas, vt qui sciebat quæ se manerent tormenta apud Hierosolymitanos. Atqui nõ hoc, sed aliud erat. Non suã passionẽ, sed illorũ deflet interitũ, nã Christus nõ minus hunc, quã illã præsciebat, hoc quod sequẽtia huius historiæ declarabũt. Vtinã cognouisses & tu, quæ scilicet ego cognosco. Quæ nã illa? Quæ ad pacẽ tibi scilicet esse possent. Sed forsan serius nos horũ admones, nec potest hoc periculum vel differri vel vitari? Non, ô boni, nõ frustra hæc occinimus. Adhuc hæc ipsa dies quã iam viuimus, potest tibi ad pacẽ omnia vertere si modo vel iã resipueris, & Dei benignitatẽ nõ contempseris. Sed nunquid nõ bene se habent res nostræ, omnia florẽt, omnia virẽt, oĩa excelsa perũt: extra omnẽ reli tactum sumus: Nec hoc verũ est, inquit Christus, sed abscõdita sunt ab oculis tuis quæ tibi imminẽt mala. Hæc breuia Domini nostri facta & verba nos multarũ rerũ admonẽt, & scitu dignissimarũ. Primò quidẽ videmus magnã Christi in Iudæos charitatẽ, sicut paulò ante diximus, quæ ipsum mouit sic vt etiam profusissimis suis lachrymis testaretur, quanti illos faceret, qualẽ in illos affectum haberet. Certè Christus hic suo exẽplo verificat quod de ipso Propheta testatur: Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortẽ peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. Discamus & nos, ô boni, cõpati aliorũ miseriæ, nec sinamus fœlicẽ nostrũ successum, fraternũ erga cõfratres excutere affectũ. Flebã quondã, inquit Iob, super eo qui afflictus erat, & cõpatiebatur anima mea pauperi. Si enim volueris in fœlicitate tua aliorũ negligere infœlicitatẽ, periculũ est, ne quod hodie illis, cras tibi idẽ fit. Vnde rectè Sapiẽs quidã admonet, vt in die bonorum, nõ simus immemores malorũ. Plerũq; enim fit vt iuxta quendã sapientẽ, extrema gaudii occupet luctus & voluptas mœrorem habeat comitẽ. Et Iudæi illi nõ putabãt sibi tantũ imminere periculũ, sed videbãtur sibi belle viuere, sed euẽtus & res ipsa clamat quàm malè secure egerint. Sed hæc suffecerint super hac re. Meminerimus aũt nos Christiani omnẽ diem præsentis vitæ nobis ad pacem facere, si modò meliorem vitæ conditionem instituerimus. Qui matutinam horam neglexit, vel ad vesperam se virum exhibeat.

Iob.30. | Eccle.11. | Pro.14.

*Quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabũt te, & coangustabunt te vndiq;, & ad terram prosternẽt te, & filios tuos qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod nõ cognoueris tem-*

pus

*pus visitationis tuæ.*

Multum hic exaggerat Christus obsidionẽ & expugnationem vrbis Hierusalẽ,nec tamẽ tantũ exaggerat quãtũ rei euentus postea cõprobauit, hoc quod tã ex Iosepho quã ex Egesippo vetustissimis scriptoribus discere licebit. Nos hic de Romanorũ tyrannide,vel de Iudæorum captiuitate nihil disseremus.Tantũ hoc volo. meminerimus, Dei irã in reprobos non sic extinctã esse,quin reaccẽdi possit,nisi nos pœnitentiæ operibus faciem,imo misericordiam eius præoccupauerimus. Meminerimus etiã potenti manui Dei neminẽ posse resistere,vtcũq; oẽs vires intenderimus. Iudæis multa videbantur obstare,quo minus expugnari possent.Iactabant enim templum suum, hoc est,cultum illum externũ,&c.Existimantes Deum propter magnificentiam tanti templi nunquam passurum ciuitatem sanctam demoliri, vtcunq; ipsi Iudæi vel impietati vel immundiciei & iniquitati studerẽt. Hinc apud Hieremiam legimus: Hæc dicit Dominus Deus exercituum Deus Israel, Bonas facite vias vestras & studia vestra,& habitabo vobiscũ in loco isto. Nolite confidere in verbis mẽdacii,dicentes templũ Domini, templũ Domini, templum Domini est, &c. Hoc est:ne iactetis templum,sacerdotiũ,sacrificia,quasi hisce rebus Dominus impensẽ delectetur, vt propter ista impijs alioqui vobis parsurus sit semper: & nõ tam populum præsentẽ velit quàm locũ,nõ magis sanctos,q̃ sancta iactatis magnopere templũ, sed quod maximè Deus exigit, non præstetis. Hæc nõ minus nobis,q̃ Iudæis scripta & dicta sint,qui nunquam nõ iactamus,& magnificè deprędicamus nostram religionem & cultum diuinũ,quum à vera pietate certò plurimum declinauerimus. Semper oportebat meminisse verborũ Domini dicẽtis:Misericordiã volo & non sacrificiũ. Alterum in quo confidebant Iudæi,erat benè & firmiter munita ciuitas, & maxima robustaq; populi multitudo: sed hæc diuinæ iræ frustra opponuntur: minus enim consistere possunt ante Deum,q̃ cera à facie ignis durare possit. Si recordati fuissent Iudæi veterum bellorum in quibus ipsi expugnauerunt oẽs aduersarios suos infideles:non tam vane fuissent cõfisi in terrea hæc propugnacula. Oculi Domini cõtemplantur vniuersam terram, & præbet fortitudinẽ his qui recto sunt corde.Sed hæc apertiora sunt,quàm vt vllis probationibus opus habeãt. Causam porrò Iudaici excidii Christus breui sententia complexus est dicens: Hæc omnia venient super te,eo quod nõ cognoueris tẽpus visitationis tuæ,hoc est eo quod patientia Dei abusus es, quòd seruatorẽ tuum recipere noluisti, quòd Messiæ tuo inobediens fuisti, &c. Benedictus Dominus Deus Israel, ait Zacharias, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ. Et iterum: Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto. Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Visitat etiam nos Dominus multiphariam, & ad pœnitentiam nos misericorditer inuitat: nostrum erit itaque ne patientiam & longanimitatem Dei contemnamus,neue nobis thesaurizemus irã in diem iræ & iusti iudicii Dei. Visitat nos Dñs,hoc est, benigne nos admonet nostri officii,dũ nobis oĩa facit prosperè succedere, dum nobis quæ ad hanc vitam alendam pertinent benigne largitur,dũ facit nos in bona pace securos agere. Porrò si paternã hãc virgã neglexerimus, temereque Domino recalcitrare perrexerimus, periculũ est, ne tandẽ in virga ferrea nos visitet. Nõ desunt Deo adhuc Nabuchodonozores, Holofernes, Titi,& eius generis tyrãni,qui Dño populũ suũ mãsuefacere,

Egesip. li.5.cap. 20.&c.

Hier.7.

aut certè rebelles illi domare possunt. Habet adhuc Dominus vltores suos & vindices, quibus Iudæorum impietatem debellauit, habet pestem, gladium, famem, bestias, cælũ æreum & terram ferream. Caueamus itaq; ne in nos Dominus hæc mala tandem retorquere pergat. Sed hæc hactenus.

*Et ingressus in templum, cœpit eijcere vendentes & ementes, dicens illis: Scriptum est, quia domus mea domus orationis est. Vos autem fecistis illam speluncam latronum.*

Diuus Gregorius Pontifex ille Romanus hoc loco admonuit, Christum, ideo templum intrasse, & tanta seueritate illud purgasse, vt ostenderet sacerdotes causam fuisse ruinæ populorũ. Sed quid sibi volunt ementes & vendentes in templo? In Matthæo nostro causam eius mercimonii & nũdinationis dedimus: sed tamen nihil prohibebit etiã hoc in loco aliquid repetere, & hoc ex Diuo Hieronymo. Sciendũ est, inquit, quod iuxta mandata legis, augustissimo in toto orbe tẽplo Domini, & de cunctis penè regionibus Iudæorum illuc populo cõfluente, innumerabiles immolabantur hostiæ, maximè in diebus festiuis, taurorũ, arietũ, hircorum: pauperibus, ne absq; sacrificio essent, pullos columbarum & turtures offerentibus: accedebat plerunq; vt qui de longè venerãt non haberent victimas. Excogitauerũt igitur sacerdotes, quomodo prædã de populo facerent, & omnia animalia quibus opus erat ad sacrificia vendebant: vt & venderẽt nõ habẽtibus, & ipsi rursum empta susciperent. Et hactenus quidem ille satis, quod ad Lucæ contextum adtinet. Et hæc quidẽ haud dubie, ab initio non malis artibus instituta fuerunt, sed vt sacrificare iuxta legẽ volentibus, non deessent hostiæ. Post verò pietas versa est in quæstũ, & pia deuotio, in impiã auaritiã cõmutata est, vnde & Domin⁹ ampli⁹ nolebat ferre domus suæ prophanationẽ, sed flagello ex funiculis facto, sicut alius Euãgelista habet, vendentes & ementes eiecit. Subindicauit autem ipse Christus hoc facto sacerdotiũ Iudæorũ ad finem appropinquare, meliore nimirũ succedente sacerdotio, in quo nõ sanguis taurorũ aut vitulorũ, sed sanguis immaculati Agni Iesu Christi Domini nostri offerẽdus esset. Vtinã vicarij Iesu Christi Domini nostri in hoc sequerẽtur domini sui principis pastorũ exemplũ, primoq; omniũ repurgarent tẽplum, abiectis omnibus quæ plus quæstus quã pietatis habẽt. Tẽplum enim Dñi nõ in hoc cõstructũ est, vt Mãmonæ in illo seruiatur, sed vt sit domus verbi diuini prædicationibus, & reliquo diuino cultui sacer: hoc quod Christus ex verbo & exẽplo sequẽtibus docuit. Cũ enim eiecisset vendẽtes & ementes de tẽplo, ne temeritatis, audaciæ, impietatis'ue accusari posset, mox facti sui causam reddẽs, ait: Scriptũ est, Domus mea dom⁹ orationis vocabitur. At vos fecistis illã speluncã latronũ. Ac si diceret: Nõ potest vos latere, ô semper Deo rebelles Iudæi, ad quid Dñs voluerit hoc augustissimũ cõstrui tẽplum: nimirũ vt sit domus orationis, hoc est, dom⁹ diuino cultui & mancipata & commoda. Vos aũt contẽpto vero tẽpli vsu, ex templo fecistis speluncã latronũ, hoc est, speluncã & locũ in quo ex insidiis populum spoliare & deprædari consueuistis: hoc quod iã olim Dominus de vobis per prophetas cõquestus est. Verba autem quæ Christus hic ex scripturis citat, ex duobus sunt cõcinnata locis, alterũ ex Esaiæ ca. xxxvi. alterũ ex Hieremiæ ca. vij. Hic obseruandũ est ad quã regulã Ecclesia nostra repurganda sit, nimirũ ad amussim verbi Dei: quod fiet, si ita templa purgentur, vt nihil in illis fiat, quod non ad ædificationem viuentis Ecclesiæ aliquo modo, imo & præcipuè facere possit. Sunt nostro tẽpore

Dan. 14.

pore qui Ecclesiã sic repugnare aggressi sunt, vt nihilo melius habeat. Sunt qui sic sacerdotum auaritiæ frenum iniiciunt, vt ipsi interim declarent, se auaritiæ esse deditissimos. Certè quæ Christus in templo reperit, in suos vsus non vertit. Sed missa faciamus hæc odiosa, & lippis & tonsoribus nota.

*Et erat docens quotidie in templo.*

Duo hic obseruanda sunt: primum, quòd docendum sit in templo, non seducendum: Alterum, quòd Christus docet eos, quibus tam grãdia & quasi intolerabilia prædixit mala. Docendum certè est in templo, & hoc quotidie, & docendum est, quis sit verus & germanus Dei cultus. Templum certè Hierosolymitanum, & ante hoc tabernaculum, diuinitus inuenta atque instituta fuere, illud sub Dauide & Salomone, hoc sub Moyse & Iosue, vt ad vnius veri Dei cultum visibiliter præstandum exequendumque populus vnanimiter colligeretur, & quasi in vnius corporis sancti societate firmissimaque compage, & vinculo quodam retineretur, abstraheretur autem ab omni idololatria, superstitione, & peregrino cultu. Versabatur verò cultus Dei externus populo traditus circa doctrinã legis & prophetarum, sacramentorum siue sacrificiorum exercitium, & preces publicas. Potissimas partes sibi vendicabat doctrina, vtpote qua explicabatur ratio sacrificiorum & sacramentorum, & quis precandus, quid & quomodo precandum. Proinde sacerdotes & prophetæ veteres, in illa maximè laborarunt. Nam intellexerunt, doctrina corrupta, non posse Deo vel preces vel sacra hominum placere. Placent hæc quidem Deo, sed si ex fide, legitimè & iustè fiant. At fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Rectè ergo Christus templum ingreditur, & quotidie docet, nimirum quis sit verus Dei cultus, quæ ratio sacrificiorum, & id genus reliqua. Sed quare docet illos, quibus tam dira cõminatus fuerat? Docet nimirum Dominus Iesus, vt ipsos ad resipiscentiam adducat, sicque possint iram Dei à se auertere. Sic enim Dominus apud Prophetam loquitur: Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos domus Israel in manu mea. Repente loquar aduersum gentem, & aduersus regnum, vt eradicem, & destruam, & dispėrdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo quod locutus sum aduersus eam: agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitaui vt facerem ei, & subitò de gente & regno loquar, vt ædificem & plantem illud. Et rursum ait Hieremias: Dominus misit me vt prophetarem ad domum istam, & ad ciuitatem hanc omnia verba quæ audistis. Nũc ergo bonas facite vias vestras, & studia vestra, & audite vocem Domini Dei vestri, & pœnitebit Dominum mali quod locutus est aduersum vos. Pari modo Christus prædixit, quæ pœna contemptores Dei maneat, interim tamen nihilominus docet, prædicat, & adhortatur ad pœnitentiam, vt si qui volent, iram Dei placare possint. Sic Hieremias tria faciebat: Primum, cõminabatur Iudæorum populo innumera mala, quæ cogitauerat Domin⁹ illis immittere, ni maturè resipiscerent. Secundò, affirmat iram Dei, emendatione vitæ posse extingui. Tertiò, seipsum interponit mediatorem inter Deum & populum. Recordare, inquit Hieremias, ô Domine, quòd steterim in conspectu tuo, vt loquerer pro eis bonum, & auerterem indignationem tuam ab eis. Sed hæc omnia frustra facta sunt à propheta, quoniam Iudæi nolebant prophetam audire, sed maluerunt ipsum in carcerem conicere, hoc quod non abhorret à præsenti historia. Nam continenter sequitur:

Hier.18. Hier.26 Hier.18.

*Principes autem sacerdotum & scribæ, & principes plebis querebant illum perdere, & non inueniebant quid facerent*

*illi. Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum.*

Vide quàm non degenerent Iudæi à progenitoribus suis homicidis. Hi prophetas maluerunt occidere, q̃ audire. Et illi prophetarum Dominum perdere quærunt, nec quicquam ipsos ab homicidio prohibet, nisi idem capitis sui periculum. Timebant enim plebem, quæ Christo addicta erat, maximè eo tempore, quando ipse seuerè inuehebatur in sacerdotum nundinationes. Nihil hic est, quod adiiciamus, nisi quod ad mores nostros formandos aliquo modo facere potest. Christus, sicut accepimus, quotidiè docet in templo: illius itaq; exemplo fideliter incumbant prædicãdi officio, quibus hoc concreditum est. Populus hic suspensus audit Christum, contemptis principibus impiis: hinc docemur quo studio audiendum sit Euangeliũ Christi. Certè non potest Christus frequẽs esse in concionando, nisi & tu frequẽs & diligẽs sis in audiendo. Caue aũt ne cum primoribus populi quæras occidere Christũ, si quãdo vlcus tuum aliquanto durius tetigerit. Sed hæc pro præsenti capite habuimus. Dominus futuris benignus aspiret.

## CAPVT XX.

*ET factũ est in vna dierũ, docẽte illo populũ in tẽplo, & euangelizante, cõuenerũt principes sacerdotum, & scribæ cũ senioribus, & aiunt, dicẽtes ad illũ: Dic nobis in qua potestate hæc facis, aut quis est qui dedit tibi hanc potestatẽ?*

Non poterat Christus sacerdotũ & scribarũ primoribus maiorẽ iniuriam (sic eñ isti interpretabãtur) facere, nec illos grauius offendere, q̃ cũ nundinationes illas tẽplo ejecerit, docens hæc Deo nõ solùm nõ esse grata, sed porrò abominabilia. Quærũt itaq; qua occasione, quove prætextu illũ extinguere possint. Et maluisset quidẽ è viuis sublatũ Dñm, verũ præ vulgi metu, sicut diximus, nõ audebãt illi violẽtas iniicere manus. Quæritur itaq; ab eis occasio, vt tametsi cupiditas occidẽdi esset impia, tñ apud hoies studio iustitiæ facere viderẽtur. Accidit itaq; vt die quadã cũ Iesus doceret populũ in tẽplo, et inculcaret illis lætũ & optatũ nunciũ æternæ salutis, cõuenirẽt illi coniurati sacerdotes vnà cũ scribis & pharisæis, ac populi primatib9, & conãtur illũ vel artificiosa & captiosa quæstione illaqueare. Nõ eñ poterãt Christi admirãda facta dãnare, quæ tã multa teste populo gesserat: neq; poterãt refellere doctrinã quæ cũ lege, cumq; diuina volũtate cõsentiebat. Sed priusq̃ quæstionẽ illã Iudæorũ audiamus, iuuat nõnihil hic adnotare, quod in rẽ nostrã facturũ arbitramur. Primò igitur hic obseruamus, quod Christ9 in tẽplo docet, neq; à docẽdo cessat, vtcunq; ipsi insidiẽtur qui primas tenebãt in populo. Quisq; eñ verus Dei legatus esse voluerit, is necesse est ad mortẽ vsq; functionem suã obeat, persuasum habẽs etiã crines capitis sui Deo numeratos esse. Nolite, timere eos qui occidunt corpus, animã aũt non possunt occidere, &c. Secundò obseruandum, quod Lucas scribit, Christum euãgelizasse in tẽplo, hoc est, bona, læta ac fausta nunciasse. Nunciabat eñ haud dubiè tempus iam esse acceptabile, & sicut Paul9 loqtur, dies salutis: dies, inquã, in qbus Deus statuerat cum hominibus redire in gratiã. Nunciabat Christus etiã tẽpus esse noui fœderis quod iam olim Deus fuerat pollicitus per prophetã Hieremiam, se pacturum cum populo, sic vt peccatorum nostrorũ amplius nollet recordari, sed potius legẽ suã scripturũ in cordib9 nostris, &c. Verũ erat euãgelium, lætũ erat nunciũ audire: Venite ad me oẽs qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiã vos, &c. Sed iã audiamus quæstionem. Dic nobis, inquiunt ad Christũ, in qua potestate hæc facis? aut qs est qui dedit tibi hanc potestatem? Volunt enim dicere: Baptizas, prædicas,

sanas in sabbatis, doces in tēplo, colligis discipulos, auocas & detines tecum populum. Sacrificiis nostris contradicis. Nobis autem ignotus es, nulla potestate publica præditus es. Si vis vt nos quoque tibi credamus, dic nobis, qua nam authoritate facias ista quæ facis? Hæc quæstio illa est: & arbitrantur quidem responsurum Dominum, ista se facere vel diuina, vel humana potestate. Atque hic in vtranq; partē suas construxerant tendiculas. Si enim respondisset Dominus, Diuina se autoritate facere quod faciebat, obiecissent illi blasphemiam. Si humanam allegasset potestatem, collecturi fuerant eam vel alienam esse, vel priuatā. Alienam autem esse non posse, cùm constaret Dominum nullam à sacerdotibus vel summo pōtifice potestatem accepisse. Quòd si priuata, & à nemine accepta potestate hæc faceret, quid agere aliud videretur, nisi turbas mouere ad seditionem? Sic ergo laqueum parauerūt, & innocenti foderunt foueam. Sed non est sapientia, non est prudentia, nō est consilium contra Dominum. Sic enim respondit Dominus, vt re ipsa experirentur se aranearum telas tetendisse. Cæterùm simulatq; aliquid hic adnotauerimus, Christi respōsum subiiciemus. Sciendum itaq;, quòd Leuitica tribus diuina institutione, ministeriis templi sola erat quondam consecrata, nimirum durante, ac vim suam adhuc habente lege. Et nemo audebat se impunè in Leuiticum vel ordinem vel ministerium ingerere. Hinc Apostolus noster in Hebræis inquit: Nec quisquā sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Intererat itaq; summorum pontificum, vt curarent, ne quis non vocatus sese ingereret, ne quis non missus prædicaret, ne quis alienam religionem introduceret. Proinde si pio studio rogassent Dominum, qua potestate prædicaret, & non ex inuidia, nulla ratione increpandi forent.

Heb. 5.

Atqui quoniam inuidia moti, & suæ culinæ timentes Christum interrogāt quæ audiuimus, nullo modo excusari possunt. Certè lex quæ Leuitici ordinis authoritatem, iurisdictionem, & administrationem præscripserat, eadem prædixerat etiam olim venturū Messiam sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, pastorem animarū nostrarum, qui ipse esset visitaturus & pasturus oues suas. Hunc tam ex verbis, quàm ex factis agnoscere possent Iudæi si modò vellet. Sed hæc hactenus. Iam quam responsionem à Christo retulerint summi sacerdotes audiemus.

*Respondens autē Iesus dixit ad illos: Interrogabo vos & ego vnum verbum. Respondete mihi: Baptismus Ioannis de cælo erat, an ex hominibus?*

Nouit Dominus quibus simpliciter respondere debeat, & quibus figuratè. Qui simplici animo ipsum interrogant, nimirum vt aliquid discāt, docentur simpliciter & apertè: qui verò dolos meditantur, talem referunt responsionem, vt intelligant, se rem cum eo habere, quem fallere possit nemo. Sic & hoc in loco non respondet Dominus directè & planè ad subdolam sacerdotum quæstionem, sed figuratè, ita responsionem suam temperans, vt veritatem non neget, interim tamen illis omnem calumniandi causam præripiat. Priusquàm, inquit, ad interrogationem vestram respondeam, sciscitabor & ego à vobis quiddam quod vos poteritis expedire: vbi id expedieritis, respondebo & vestræ percontationi. Baptismus Ioannis de cælo erat, an ex hominibus? Vocat autem Christus hoc in loco Baptismum Ioannis omnem administrationē, omne officium Ioannis, non minus doctrinam, quàm baptismum. Vt sit sensus: Ioannes Baptista, antequam ego proditem ad publicam hanc functionem prædicabat libere turbis in desertis, & circa Iordanem,

nem, baptizabat ingentem hominum turbam, colligebat diſcipulos, liberè damnabat vitia quorumlibet, & inuitabat ad pœnitentiam. Quis igitur illi tradidit autoritatem talia vt faceret? Vnde hanc accepit poteſtatem? Accepit eã cœlitus, an à vobis populi principibus? Hanc interrogationem vel vnico verbo expedite, & de mea reſponſione nihil erit pericli. Quid ſibi putas voluiſſe Chriſtum cum hac interrogatione? Accipe rem omnem apertioribus verbis. Miſerant olim ſummi ſacerdotes ab Hieroſolymis legatos ſuos ad Ioannem Baptiſtam, & interrogauerunt ipſum quis eſſet, & quare baptizaret, cùm nec Chriſtus, nec Helias, nec propheta ille iam olim promiſſus eſſet? Atqui Ioannes reſpondit tum ſe nihil aliud agere, niſi quod per prophetas prædictum fuerat: & hoc Ioannis reſponſo ſic ora illorum cõcluſa ſunt, vt ne hiſcere quidem contra auſi fuerant. Adde quod Ioannes tum prædixit Chriſtum in foribus eſſe, qui & ipſe baptizaturus eſſet populũ ſpiritu ſancto & igne. Ad hanc itaque Ioannis liberam confeſsionem reſpexit Chriſtus, & eius admonere voluit ſacerdotes, vt recordentur eorum quæ à Ioanne audierint. Ioannes non à principibus ſacerdotum, ſed à Deo miſſus fuit, ſicut Euangeliſta teſtatur. Et Ioannes hoc futurum dixit, quod iam à Chriſto fit. Sed quid ad hæc ſummi ſacerdotes?

*At illi cogitabant intra ſe, dicentes: Quia ſi dixerimus de cælo, dicet: Quare ergo non credidiſtis illi? Si autem dixerimus ex hominibus, plebs vniuerſa lapidabit nos: certi ſunt enim Ioannem prophetam eſſe. Et reſponderunt ſe neſcire vnde eſſet. Et Ieſus ait illis: Neque ego dico vobis in qua poteſtate hæc facio.*

Vide quid hypocritis accidere ſoleat, qui plerunque Syllam incidunt, dum volunt vitare Charybdim, hoc eſt, dum alios illaqueare volunt, ſibi ipſis inexplicabiles nectunt laqueos. Chriſtus ſua quæſtione illos impios paſtores ſic concuſſerat, vt nullam amplius elabendi viã haberent, hoc quod etiam in ſua ipſorum conſcientia ſentiebant. Atqui illi nõ verentur Deum, non verentur iudicium propriæ conſcientiæ ſuæ, ſed tantum populum timent, & malunt ignorantiæ, quàm impietatis accuſari. Sed oh miſeros & plus quàm infœlices homines, qui dum externa ſpecie fallunt homines, in ſua ipſorum conſcientia ſentiunt Dei maximam offenſam. Si reprehenderit nos cor noſtrum, inquit Ioannes, maior eſt Deus corde noſtro, & nouit omnia. Proinde caue ne quid committas contra cõſcientiam tuam, quæ apud Deũ mille teſtium loco eſt. Sed videamus breuiter impietatem Iudaicam. Dum reſpondere debent vnde Ioannes ſuam poteſtatem acceperit, cogitãt quæ merito reſpondere deberent: ſed quoniam ſic ſeſe Chriſto dedcrent, & conatus ſuos fruſtrarentur, malunt profiteri, aut potius ſimulare ignorãtiam, quàm profiteri veritatem. Si dixerimus, inquiunt, Ioannem ſuam poteſtatem accepiſſe cœlitus, hoc quod verum eſt, continuò dicet nobis Chriſtus: Quare nõ crediderimus Ioanni, ſcilicet de Chriſto teſtificanti, & ad pœnitentiam adhortanti. Quòd ſi dixerimus Ioannem quicquid egit, humana autoritate egiſſe, & ſi hoc Chriſtum non ſubleuauerit, tamen periculum eſt, ne lapidibus à plebe obruamur. Nam vniuerſæ plebi perſuaſum eſt, Ioannem prophetam eſſe, hoc eſt, à Deo miſſum, non à nobis ſummis ſacerdotibus. Igitur ſi primum reſponderimus, confundet nos Chriſtus. Si alterum reſponderimus, lapidabit nos populus. Vide, non erat illis curæ vt verum reſponderent, ſed vt quod ipſis eſſet commodum. Formidabantque homines, qui Dei timorẽ abiecerant. Reſpondent itaque ſe neſcire. Hæc vna rima ſupererat, qua elaberentur

1.Ioan.3.

tur, sed elapsi, simul à quæstione liberant Dominum. Ait enim Iesus: Neque ego dico vobis in qua potestate hæc facio. Si enim Ioanni de Christo testificanti credere noluerunt, quomodo crederent Christo de semetipso testificanti? Huc pertinet quod in Ioannis Euangelio legimus, Christum Iudæorum primatibus dicentem: Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum. Alius est qui testimonium perhibet de me, & scio quia verum est testimonium eius quod perhibet de me. Vos misistis ad Ioannem, & testimonium perhibuit veritati, &c. Sequitur in contextu.

Ioan. 5

*Cœpit autem dicere ad plebem parabolam hanc: Homo quidam plantauit vineam, & locauit eam colonis, & ipse peregrè fuit multis temporibus. Et in tempore misit ad cultores seruum, vt de fructu vineæ darent illi. Qui cæsum dimiserunt eum inanem. Et addidit alterum seruum mittere. Illi autem hunc quoque cædentes, & afficientes contumelia, dimiserunt inanem. Et addidit tertium mittere, qui & illum vulnerantes, eiecerunt.*

Vide Isaiæ lib. 4. cap. 7.

Et hæc parabola Domini facillimã habet interpretationem: est enim è monumentis veterum prophetarum petita, & tum, cùm à Christo dicebatur à Pharisæis & sacerdotibus satis intellecta, hoc quod textus series demonstrabit. Est enim parabola hæc à Christo in hoc adducta, vt ostenderet Dei benignissimam liberalitatem in Iudæos, & horum in illum ingratitudinem & impietatem. Certè in rebus externis & mundanis benignus ac liberalis iudicatur, qui bonam & bene instructam vineam locat colono alicui, & hoc sub conditione modicæ refusionis. Iam Deus pater cælestis populum suum quem sibi peculiariter ex multis gentibus collegit, sacerdotibus, scribis, & pharisæis concredidit, vt illum sic curarent, pascerent, regerent, vt fructificarent Domino. Atqui pastores illi obliti Domini sui, obliti & officii sui, neglexerunt porrò vineam, vt nullos bonos fructus faceret, sed penitus siluesceret: hoc est, tantum abest vt populum in officio continuerint, vt etiam illum suo pessimo exẽplo & prauis dogmatis corrumperent. Hæc autem vinea de qua loquimur, iuxta Matthæi descriptionem satis munita, satisque instructa fuerat, sepe, torculari, & turri, hoc est, omnibus quæ ad bonam vineã pertinere poterant, vt non foret difficile illam curare. Populus enim Domini, hoc est, Israelitæ illi carnales, habebant suas leges, sua iura, suas ceremonias, sua sacrificia, & hæc omnia à Deo ipso præscriptã; ad quæ si coegissent summi sacerdotes populum reliquum, bene culta fuisset vinea, bonosque protulisset fructus. Cùm itaque illi penes quos summa rerum erat, cessarẽt, imò & ipsi vineam conculcarent, misit Dñs seruos suos, nimirum prophetas, qui illos admonerent sui officii: atqui tantum abest, vt sacerdotes & reliquus principum ordo prophetas audirent, vel auditis obtemperarent, vt etiam illos sanctos viros, Deique preciosos ministros, post multas contumelias inflictas, occiderent, hoc quod Iudæi ipsi negare non possunt. Verum pater ille familias, Deus nimirum Opt. Max. nõ contentus semel misisse seruos, rursus mittit alios post alios, vt vel patientia sua illorum vinceret pertinaciam: sed nec sic profecit quicquã apud induratum illum & semper rebellem Iudæorũ populum. Nam nemo nescit, quid passi sint Helias, Hieremias, Esaias, Daniel, & reliqui. In vltimo cap. ij. lib. paralip. sic legis: Et misit Dominus Deus patrum eorum legatos suos, mane quidẽ surgens, & maturè satis illos mittens, cupiens parcere populo suo, atque habitaculo suo. At isti subsannabant nuncios Dei, & contemnebant verba Dei,

cædentes

cædentes prophetas eius, &c. Et fortissimus Christi martyr Stephanus, eius impietatis & crudelitatis incusat Iudæos, dicẽs: Dura ceruice, & incircuncisi cordibus & auribus, vos semper spiritui sancto restitistis: sicut patres vestri, ita & vos. Quem prophetarũ non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos qui prænunciabant de aduentu iusti, cuius nunc vos proditores & homicidæ fuistis: qui accepistis legem in dispositione angelorum, & non custodistis. Audis quàm grauiter illos reprehendere ausus fuerit. Et digni certè erant Iudæi tam acri reprehensione, qui & Deum, & huius legem, & illius legatos tam malè tractare solebãt. Sed quid de illis loquimur? Cur non potius in sinum nostrum respicimus, & manticæ quid in tergo sit obseruam9? Si enim conferamus beneficia quæ nobis quoque contulit Dominus, ad beneficia Iudæis præstita, si animaduerterimus quid postulet à nobis Deus, & quomodo missis ad nos legatis suis fructus perat bonorum operum: item, quomodo hodie nos legatos Dei excipiamus, & quàm grati simus benefico & liberali Deo, reperiemus nos nihilo gratiores esse, quin duplo propemodum maligniores consceleratioresq;. Sed hæc hactenus.

*Dixit autem Dominus vineæ: Quid faciam? Mittam filium meum dilectum: forsan cùm hunc viderint, verebuntur.*

Vide hic, obsecro, ineffabilem Dei bonitatẽ, qui toties hoĩm improbitate lacessitus cũ sit, nõ cogitat de vindicta, sed summa patiẽtia conatur nostrã vincere peruicaciã. Cupit enim post tot illustriũ & optimorũ hominũ cædem, parricidis & latronũ filiis adhuc benefacere, quos iam olim, si districto iure agere voluisset, nouo exemplo extinguere potuisset. Mittam, inquit, filium meum dilectum. Sed in quem finẽ? Hactenus, vult dicere, non sunt commoti autoritate prophetarum, nunc reuerebuntur haud dubiè filium meum: vbi videlicet viderint in eo diuinam potentiã ac maiestatem, miraculoꝝ splendorem & amplitudinem: vbi item audierint cælestem eius purã, ac omni parte inculpatã doctrinã. His nimirũ cõmouebuntur dura alioqui pectora, vt cõuersi, Deo expetitum benignè reddant fructum. Sed quid ad hæc coloni?

*Quem cùm vidissent coloni, cogitauerunt intra se dicẽtes: Hic est hæres, venite occidamus illũ, vt nostra fiat hæreditas. Et eiectũ illũ extra vineã occiderũt.*

Nos scimus hoc sic impletum esse in Domino nostro Iesu Dei vnigenito filio, vt non sit necesse hic multa verba fundere. An non in Euangelio legimus horum colonorũ cõsilium? Quid facimus? Hic homo multa signa facit. Si dimittimus, inquiunt, eum sic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent nostrum locum & gentẽ. Expedit ergo, vt vnus homo moriatur, & non tota gens pereat. Captum itaq; Dñm Iesum, & pro blasphemo seditiosoq; damnatũ, Pilato præsidi Romano tradunt crucifigendum. Quod autem dicitur filius extra vineam eiectus, significat quod extra portam Hierosolymoꝝ Christ9 fuerit passus. Nihil itaque difficultatis est hoc in loco, sed hoc tantum nobis obseruãdum, ne patientia & lõganimitate Dei abutamur, neve ꝑpter tẽporalia bona Dei filium auersemur. Quàm enim infœliciter Iudæis cesserit sua impbitas, obscurum non est. Sed ad sequentia progredimur.

*Quid ergo faciet Dominus vineæ? Veniet & perdet colonos istos, et dabit vineã aliis. Quo audito, dixerũt illi: Absit.*

Et hæc clara sunt. Venit enim dñs vineæ, quãdo Titum & Vespasianum duxit aduersus Iudæoꝝ populum, & aduersus vrbẽ Hierosolymoꝝ illos excitauit, tum enĩ coloni illi, Iudæi scilicet, perditi sunt, & vinea data est aliis, hoc est, Iudæi repudium tulerunt, Gen

tes verò in consortiũ Dei, & societatẽ Christi vocati sunt, licet manibus & pedibus Iudæi reluctarẽtur, hoc quod Lucas noster in actis suis fidelissimè perscripsit. Sed quid hæc ad nos? Plurimũ supra modum. Semel selegerat Dñs populũ Iudæorũ sibi in peculiũ: at qm̃ rebellis factus est Dño, priuauit eos oĩbus beneficiis. Electi sunt postea Gentiũ populi, ex quibus nos. cauendum igitur, ne & nos propter ingratitudinẽ nostram excidamus. Si enim Deus naturalibus ramis nõ pepercit, ait Paulus, time ne forte nec tibi parcat. Certè multi ab initio ad Christi regnũ vocati sunt, q̃ sic exciderunt, vt ne nominari quidẽ apud eos posset Christus nostro seculo. Quid? Maxima pars regionũ ac gẽtium ab ipsis apostolis in fide Christi plãtata, à Christianismo nostro aliena est: quæ res certè deploratione dignissima est. Et ô fœlices, multumq; fœlices qui hoc ipsum ex animo pẽsitare possunt. Vereor, vereor, ne tam olim Germanis nobis Christus dicat: Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur gẽti facienti fructus eius. Quis em̃ nõ videt q̃ infideliter Dño vineã suã colamus, q̃ difficiles ad reddendum expectitos fructus simus, q̃ odiose & Deum, & huius ministros tractemus? Audite quæ olim dixerit Dñs Iudæis, & putate eadem ad vos ab eodẽ Dño dici: Transite ad insulas Cethim, & videte, & in Cedar mittite, & cõsiderate vehemẽter, & videte si factum est huiuscemodi, si mutauit gens deos suos, & certè ipsi non sunt dii. Populus verò meus mutauit gloriã suã in idolũ, &c. Nolo hoc interpretatione adiicere, vos iudicare potestis Iudæos & Gẽtes cõstantiores esse in sua impietate, q̃ nos sumus in nostro christianismo & in vera pietate. Sequtur:

Hier. 2.

*Ille aũt aspiciens eos, ait: Quid est ergo hoc quod scriptum est: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?*

Probat Christus Dñs noster ea quæ sub parabolæ inuolucro dixit, certissimè fore adimplẽda, & probat testimonio scripturæ sanctæ, quæ ad minimũ vsq; tota adimplẽda est, tãtum abest vt aliquid in illa incassum cõprehensum sit. Scriptum est autẽ, licet subobscurẽ, Christum primum ab ipsis primoribus cõtemptũ haberi, postea verò ad summos honores euehendũ, nõ quidẽ ab illis primoribus, sed à Deo patre nostro cælesti. Locus aũt qui à Christo adducitur est in psalm. cxvij. Celebrat aũt eo psalmo Dauid Dñi beneficia, & illud in primis, quòd esset rex creatus. Inter alia, inqt, Perinde mecũ factum est, vt cum lapide aliquo, qui ab archytectis abiicitur, ne vllũ in ædificio locum occupet: mox tamẽ resumitur, & in ædificii summum reponitur locũ. Saul em̃ & cõsiliarii eius expulerunt me regno, nec vllum mihi in Israele locum cõcesserunt, adeò vt è syluis etiam excedere, & ad Ethnicos concedere oportuerit: nunc tñ is qui exul, abiectus, extorris atq; condẽnatus fuerã, rerum gubernaculis admotus, rex & princeps in populo Dei imperito. Id quod nõ tribuo meis viribus, sed diuinæ bonitati, atq; eiusdẽ potẽtiæ. Et reuera mirabile est & inexpectatum quidem, regnare videlicet illum cui hactenus ne infimus quidẽ in toto regno locus concedi potuit. Hic sensus est historicus eius loci. Cæterùm cùm Dauid typum gesserit Christi, proprissimo sensu eadẽ verba etiam Christo filio Dauidis cõgruunt. Nam hunc grauissimè persecuti sunt primores populi Israelitici, negãtes illi honestum in ecclesia sua locum, nolentesq; hunc regnare super se, vnde captũ atq; condẽnatum tradiderunt in mortem crucis turpissimã. Verùm nec sic quidem potuerunt eius opprimere gloriam. Mox enim à mortuis resurgens, cælos ascẽdit, & regnum sibi debitum occupat, dominus & princeps vniuersorum declaratus. Facta sunt ista oĩa per

 diuinam

diuinam potentiam, atque in omnium oculis mirum atque stupendum est, crucifixum, mortuũ atque sepultum, iã sedere ad dexteram patris, & regnare in secula seculorum. Vnde illud quoque apparet, Dominum hoc testimonio adducto simul demonstrare voluisse suis hostibus, frustra & incassum illos spirare flagra, cruces & supplicia. His em̃ non posse vel aboleri vel obscurari Christi gloriam. Sed hæc plus satis. Tantum hoc interim cogitemus, pios veteris testamenti sub typo quodam adumbrasse, quæ & quanta Christus noster pro nobis passurus erat. Christũ porrò sua passione declarasse, quæ & quanta oporteat suos discipulos pro ipsius nomine subire. Vna enim atque eadẽ sors manet vniuersos Dei filios, tam veteris, quàm noui testamenti, ni mirũ, vt per ardua tribulationũ iuga, ad cælorũ cõscendere debeãt regna. Si enim compatimur, ait Apostolus, tum tandem etiam cõregnabimus. Addam & hoc, vt discam⁹ piorũ exẽplo in rebus arduis nunq̃ despõdere animũ. Videmus enim plærunque, vt quos mũdus tãtum nõ execratur & reiicit, illos Deus occulto suo cõsilio ac miro modo ad summa honoris euehat vestigia. Sed quæ cõsequuntur videamus.

*Omnis qui ceciderit super illũ lapidẽ, conquassabitur: supra quem autem ceciderit, comminuet illum.*

Ego salua aliorum interpretatione, hanc Dñi sententiã sic interpretari aggredior, vt intellectu non admodũ sit difficilis. Qui Dei & Dñi nostri Iesu Christi humanitate offenduntur, hoc est, cũ ꝓpter assumptã humanã carnẽ contẽnunt, hi mihi videtur cadere super hũc lapidẽ, & ideo concutiuntur, & confringũtur, hoc est, graues pœnas sustinebũt. Qui verò illius diuinitatem vel contẽnunt, vel negligũt, super hos videtur cadere lapis ille, ac ipsos porrò cõminuere atque cõterere. Suo em̃ maximo malo olim sentiẽt Christũ vtcunque in terris apparuerit humilis, tamen verũ esse Deũ, ac Dei viuentis filiũ. Certè his duobus modis omnes oĩm seculorũ hæretici impegerunt in Christũ, videlicet vt vel eius diuinitati, vel eiusdẽ humanitati contradicerẽt: neutrũ verò quis impunè fecerit. Sic aũt necesse est nos Christianos de lapide illo angulari Christo iudicare, vt tã reprobationẽ illius q̃ exaltationem acceptemus, & in neutro vacillemus. Vtrũque Paul⁹ egregiè perscripsit in Philip. epist. Humiliauit semetipsum Christus. & post sequtur: Exaltauit illũ Deus, & dedit illi nomẽ quod est super omne nomẽ, &c.

*Et quærebant principes sacerdotũ & scribæ mittere in illũ manus illa hora: & timuerunt populum, cognouerunt enim quòd ad ipsos dixerit similitudinẽ hanc.*

Cognoscunt principes sacerdotũ & scribæ hanc Dñi parabolã, quã supra exposuimus, cõtra seipsos dictã, & nolunt eius crudelitatis insimulari, cùm tamen ea ipsa hora in qua obiurgãtur, & sui officii admonẽtur, meditãtur, & quærunt lapidẽ illũ pretiosum & electũ reiicere, filiũ patris familiàs trucidare, hoc est, Christũ in mortem tradere. Nec quicquã illorũ impios conatus impedit, nisi timor populi, hoc est, qa verẽtur ne impune nõ ferãt tantã crudelitatẽ. Adhuc em̃ in recẽti memoria habebant, q̃ honorificè fuerit Christus à turbis in die palmarũ exceptus. Quid igitur hic discimus, nisi verũ esse prouerbiũ illud, etiam apud Ethnicos celebratissimũ: Veritas odiũ parit. Euictĩ sanè Scribæ & sacerdotũ principes scripturis sacris, tamẽ nõ cedunt palmam veritati. Et quanquã diuinũ audissẽt iudicium, tñ nihil sibi metuunt, imò in solita persistentes perfidia & inuidia, consilia captant de vinciendo Domino. Sic & hactenus apud multos fieri videmus, qui cùm apertam veritatem negare non possunt, veritatis tamen & præcones & patronos plusquàm vatiniano persequuntur odio.

Et

20 *Et obseruantes miserunt insidiatores qui se iustos simularent, vt caperent eum in sermone, vt traderent illum principatui & potestati præsidis.*

Aduersarii veritatis, etiam si semel impediantur ab opprimenda veritate, tamen vsque recurrunt, nouis insidiis instructi. Sed reproba & stulta carnis prudentia, stulte & inutiliter aduersus Dei consilium semper annititur. Sed hæc in sequentibus patebunt: iam singula verba discutienda sunt: omnia enim & singula maxima obseruatione merito digna censentur. Et primo quidem diligenter expendas, quod Lucas Sacerdotum primores & Scribas vocat obseruatores, qui quidem in rebus laudatissimis omnium erant negligentissimi ac cessatores putidissimi, in rebus vero malis & inhonestis acutissimi simul & callidissimi. Tales, inquam, erant, quales sapiens describit, dicens: Pedes eorum ad malum currunt, & festinant ad effundendum sanguinem. Et D. Hieremias propheta magis apposite ad hunc locum facit. Sapientes sunt, inquit, vt faciant mala, bene aut facere nescierunt. Et iuxta Christi sententiam, filii huius seculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua. Vide enim quam astute omnia agant. Obseruant nimirum quam occasione sic Christum perdant, vt tamen ipsi interim videantur innocentissimi. Mittunt itaque ad Christum insidiatores, qui se simularent iustos. Dupliciter mali sunt, tum quod aperto marte nolunt cum Christo congredi, tum quod simulant se iustos, cum sint omnium iniustissimi. Sed vtrunque frustra instituunt aduersus eum qui non tam nouit facta nostra, atque cogitatus nostros. Et quare tales bestias ad Christum mittunt? Num vt audito Christi sermone resipiscant? Non, sed vt caperent eum in sermone. Quare in sermone? Quia facilius labi solent homines in verbis, quam in factis. vnde Scriptura dicit: Beatus qui non lapsus est lingua. Et propheta ad Dominum clamat: Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circunstantiæ labiis meis: Vt non declinet os meum in verba malitiæ, &c. Adde quod verba citius & astutius trahi possunt ad calumniam, quam facta. Hæc enim quum manent, facile iudicari possunt: atqui verba semel emissa quoniam reuocari nequeunt, non magno labore à detractore peruertuntur. Addit Lucas: Ideo insidiatores Christum accessisse tentandi gratia, vt illum traderent principatui & potestati præsidis, hoc est, vt possent eum accusare non impietatis, sed seditionis & tumultus. Timebant enim principes sacerdotum, ne si ipsi accusarent Christum violatæ legis, parum proficerent, non solum apud plebem, sed etiam apud principes ethnicos. Hi enim nihili faciebant religionem Iudæorum, nimirum homines ethnici & idololatræ. Populus vero iam diu cupiebat liberari à difficillimo legis Mosaicæ iugo. Addam & hoc, quod Christus non turbam, sed principes Iudæorum violatæ religionis accusare solebat. Vnde necesse erat principibus sacerdotum & scribis consultare de perdendo Christo, sic vt ipsi extra omnem periculi aleam essent.

*Et interrogauerunt eum dicentes: Magister, scimus quia recte dicis, & doces, et non accipis personam, sed viam Dei in veritate doces, Licet nobis tributum dare Cæsari, an non?*

Vt quæstionem hanc facilius & citius intelligatis, rem omnem sic accipite. Cum Iudæa iam cœpisset tributaria esse Romanis, præfectus est ab Augusto, census colligendo Herodes rex Antipatris filius. Atque hac de re non erat eadem omnium sententia. Quibusdam enim indignum videbatur, populum Deo sacrum pendere tributum principibus idololatris. Atque hac in sententia erant qui adhærebant Pharisæis. Rursus erant qui Cæsari fauentes dicerent, oportere Cæsari soluere tributum. Et huius opinionis defensores Herodiani dicti sunt, quod Herodes tributi colligendi, sicut diximus, primus erat præfectus. Extiterant autem paulo ante duo quidam Theu-

Pro. 1 Hier. 4.

das & Iudas, qui dum palam defendeþrent Iudæos, populum Deo dicatum, non debere tributum cuiquã prophano principi, veluti seditiosi supplicio affecti sunt: Sperabãt autem Pharisæi, vt Christus religioni fauens magis, q̃ cæsari prophano & impio, solita libertate pronunciaret aduersus Herodianos, non esse pendendum tributũ Cæsari, moxq; per illos deferretur principi, daturus pœnas quas ante Theudas & Iudas dederant. Quòd si pronunciaret esse reddendum tributum, iam calumniarentur illum adulari principibus impiis, minus fauentem religioni diuinæ, cuius tamen velit videri strenuus assertor. Adde quod nouerant populum non facilius pendere tributum, quàm Cæsar illud remitteret. Ergo in quamcunque partem pnunciaret Christus, ipse inuidiam incurreret, si non etiam mortem: Pharisæi autem, & sacerdotum principes de Christo vindicarentur. Iam itaque videamus, quàm blandiusculis verbis Christum in nassam illicere conẽtur. Magister, inquiũt, scim9 quia rectè dicis & doces: hoc est, tã priuatim q̃ publicè ea dicis & doces quæ vera sunt, quæ sana, quæ proficua sunt. Non enim accipis personam, hoc est, in nullius hominis gratiam sermones tuos variare soles, vt alicui velis blandiri, vel aliquẽ velis irritare: sed viã Dei in veritate doces, hoc est, magna cum libertate doces quod Deo placitũ est, nõ quod hominib9 videtur: sic doces, vt quisquis tibi obtẽperauerit, certò ad Deũ peruenturus sit. Cùm igitur tam syncerus sis doctor, meritò tuæ subscribendũ venit sentẽtiæ. Dic ergo nobis: Licet ne tributum dare Cæsari an nõ? Nõ quærunt an aliquid tribuendum sit Magistratui, an ve Magistratus ius aliquod habeat exigẽdi aliqd à suis: Nã hoc ita fieri oportere, iã & ex lege, & ex magna & lõga cõsuetudine nouerant. Quid enĩ regi debeant subditi, ex Samuelis libro discere potuerunt. Sed hoc rogãt, dãdum ne sit tributum cæsari, an nõ? Hoc est, Num æquũ sit, vt populus pius, sic enĩ audire volebant, Cæsari impio & prophano tributũ pẽdere cogatur, cùm impius nequaq̃ soleat accepta munera in pios vsus conuertere. Ex hac subdola & malitiosa interrogatiõe multa discere possumus. Et primũ qdẽ discimus hic, q̃ impatiẽs sit Iudæorũ populus iugi, cũ tamẽ interim nõ cessẽt sua impietate sibi mai9 & graui9 iugũ imponere. Quod ne nobis Germanis accidat, magnopere cauendũ est. Sũt enĩ quidã ex nostris, qui sic venerantur æquissimũ sanctissimi Cæsaris iugũ, vt re ipsa declarẽt se dignos esse qbus nõ benign9 Carol9, sed sanguinolẽt9 imperitet Solymõ: quod dirũ omen vtinã Deus pro sua pietate longius auertat. Discimus etiã ex impiorũ cõfessione, quodnã sit officiũ boni cõcionatoris, veracẽ videlicet, fidelẽ & cõstantẽ esse, viã Dei, religionẽ, inquã diuinã, in veritate, id est, verè, simpliciter, integrè & rectè docere, nõ curare quenquam, neq; personã respicere cuiusquã. Et ita quidẽ instructũ esse oportet Ecclesiastã: sed dij boni, q̃ rumusctuãtur hui9 seculi hoĩes, si qs talis prodierit. Veracẽ enĩ si quẽ audierint, statim durũ & difficilẽ vocãt. Cõstãs illis pteruus & pertinax est. Si qs nullum personaq; habet respectũ, sed oẽs & singulos sui admonet officii, illũ calũniatorẽ, fastuq; tumentẽ pclamãt. Atq; nõ est seruus maior dño suo. Si patrẽ familias vocauerũt Beelzebub, quãto magis domesticos eius. Sed ad historiam.

*Considerãs aũt dolũ illorũ, dixit ad eos: Quid me tẽtatis? Ostẽdite mihi denariũ, Cuius habet imaginẽ et inscriptionẽ? Respõdentes dixerũt ei: Cæsaris. Et ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Et non potuerunt verbum eius reprehendere corã plebe, & mirati in responso eius tacuerunt.*

Multa quidẽ & præclara dona hypocritæ illi prædicabãt in Christo esse,

sicut

ficut paulò ſupra audiuimus:atqui manifeſtus eſt quod iã audimus, nimirũ quod Chriſtus etiam intelligat, & cognoſcat ea quæ ſolùm cogitamus. Intellexit enim Chriſtus,quo conſilio illi acceſſerint,ideoq; & iuxta alium Euangeliſtã, illos hypocritas vocat,& arguit eoſdẽ, quòd non diſcendi, ſed tentandi gratia acceſſerint. Rogat autem cuius ſit imago & inſcriptio denarii:non quòd neſciret, ſed quòd ex ipſorum ore quæſtionis ſolutionem extorqueret. Vnde cum audit à tẽtatoribus & denarium, & inſcriptionem,& imaginem Cæſaris Romani videlicet eſſe,ſtatim cõcludit in hæc verba: Reddite quæ ſunt cæſaris cæſari,& quæ ſunt Dei, Deo. Quæ verba mihi videntur hunc habere ſenſum:Si res veſtræ eò deuenerunt, vt Cæſar Romanus iam vobis præſcribat leges,præſcribat numiſmatum & formam & valorem, imperetq; vobis ex voto, non æquũ eſt vt huius reiiciatis iugum, ſed vt ipſius edictis obtemperetis,& neceſſarium & æquiſſimum eſt. Habetis duplicem magiſtratum,& cæleſtem & terreſtrem. Vterq; vobis præſcripſit mandata, vtriq; vt inſeruiatis neceſſe eſt. Primùm quidem Deo,cuius iuſſa vbiq; & in omnibus primatum tenere debent. Deinde cæſari, cui ſic obtemperandum eſt, vt interim in Deum nihil mali committatur. Reddite ergo quæ ſunt cæſaris, cæſari,& quæ ſunt Dei, Deo. Hoc Domini reſponſum,quæcunq; tandem ſibi velit,certè ſic ſatisfecit tentatorum quæſtioni, vt ne mutire quidem cõtra auſi fuerint: ſed pudore ſuffuſi portò abierint. Iam itaq; ex præſenti reſponſo diſcimus, quatenus Magiſtratui parendum ſit, ſiue is fuerit pius, ſiue impius, eatenus nimirũ, vt etiam reddatur Deo, quod Dei eſt, hoc eſt, quod Deus à nobis iure ſuo poſtulat. Certè cõtra omnes ſeditioſos, maximè autẽ contra Anabaptiſtas, qui nuſquam non ſe obſtreperos reddunt Magiſtratui. Hæc Domini ſententia opponenda, inculcanda & pedibus & manibus obtrudẽda eſt. Reddite quæ ſunt cæſaris cæſari,& quæ ſunt Dei Deo. Si enĩ parendum eſt prophano magiſtratui, certè multo magis oportet obedire ſancto & Chriſtiano. Non præſcribit hoc loci Chriſtus, quid Magiſtratus debeat, quodque huius officium,& quomodo acceptis tributis vti debeat: ſed tãtum præſcribit quid nos Magiſtratui debeamus. Non licet nobis iudicare de illis:ſed Dei iudicio relinquendi ſunt: & pro ipſis orãdum eſt, vt dum illi pace fruuntur,& nobis liceat in tranquillo Deo noſtro ſuum exhibere cultum. Breuiter, in his quæ paupetes, non autem impios facere poſſunt, Magiſtratui parẽdum eſt, qualiſcunq; tandẽ ille fuerit. Meminerint tamen interim penes quos eſt ſumma rerum in præſenti, quòd & ipſi, licet dii in terris vocentur, tamen mortem effugere non poſſint. Statutum enĩ eſt hominib9 ſemel mori,& poſt hoc iudicium.

*Acceſſerunt autẽ quidam Saducæorũ, qui negant eſſe reſurrectionẽ, & interrogauerunt eum, dicentes: Magiſter, Moyſes ſcripſit nobis: Si frater alicuius mortuus fuerit, habens vxorem, & hic ſine liberis fuerit, vt accipiat eam frater eius vxorẽ, & ſuſcitet ſemen fratri ſuo.*

Saducæorum peculiaris ſecta apud Iudæos fuit, qui præter legem Moyſis nullas alias obſeruationes cuſtodire videri volebant, cùm tamen interim negarent reſurrectionem mortuorum, negarent tam bonos, quàm malos ſpiritus, quæ tamen etiam ex Moyſi ſcriptis ſolidiſsimè probari poſſunt. Hoc itaq; hominum genus tam communi Iudæorum populo, quàm Phariſæis, & reliquis ſectariis contrarium, Chriſtum audiens ſubinde mẽtionem facere vitæ futuræ, homines item ad vitæ innocentiam tam metu pœnæ, q̃ ſpe præmii adhortari, aggrediuntur

Christum, conantes illum omni populo ridendum exponere, vt qui multa de futura vita disputaret, quæ tamen nulla esset. Et vt viderentur hic omnia ex pietate facere, scripturis sua probare conãtur: hoc quod prauorum dogmatum autoribus & propugnatoribus solenne est. Porrò locus quem Saducæi adducunt, in Deuterono. cap. xxv. est scriptus, sicut ab istis refertur. Quòd si quis quærat, quare Dominus talẽ præscripserit legẽ, si piè & humiliter quærat, facilem & rectam dabimus responsionẽ. Promiserat Dominus Abrahæ, in huius semine benedicendas fore oẽs gentes. Necesse igitur erat, non cõmisceri varias familias, vt certò cõprobaretur, Messiã ex præscripta natũ fuisse familia. Est & alia causa, nimirũ vt non cessarẽt familiæ. Quòd si vis, accipe & tertiã, nimirũ, vt cõsuleretur & pñideretur viduis de altoribus. Sed tu iã vide q̃ impia Saducæi super hoc bono fundamẽto superstruere conãtur. Sequũtur enim illorũ verba in hunc sensum.

*Septem ergo fratres erant, & primus accepit vxorem, & mortuus est sine filijs. Et sequens accepit illam, et ipse mortuus est sine filio. Et tertius accepit illã. similiter & omnes septem, & non reliquerunt semen, & mortui sunt. Nouissima omnium mortua est & mulier. In resurrectione ergo cuius eorum erit vxor? Siquidem septem habuerunt eã vxorem.*

Siue narratio hæc vera, siue conficta ab impiis Saducæis fuerit, susq; deq; ferimus, contenti demonstrasse, quàm pulchrè Christus de illis triumphauerit. Tu porrò vide, qua astutia historiam hanc (si modò historia est) narrauerint. Primò, ne quis diceret impiè factum, quòd vnica mulier septem maritos succedẽtes habeat, illi allegarunt legis præceptum. Et vt res absurdior appareret, non duos aut tres, sed septem ponunt viros. Tertiò, nullus illorum est, qui renuerit illam accipere in coniugem. Quartò, nullus ex illa suscitauit filium, vt nulli illorum aliqua concederetur prærogatiua, qua fretus in futura vita illam haberet vxorem. Quintò, non vacat astutia, quòd aiunt, Mulierem superuixisse adhuc etiam illis septem iam defunctis maritis. Si enĩ postremus maritus post vxoris mortẽ superstes fuisset, videretur fortè & ipsi deberi vxor. Cùm itaq; sic res sese habeat, mirari se fingunt Saducæi, quisnam illius vxoris complexibus in alio illo mundo potiturus sit. His autem tacitè, & veluti ex obliquo ceu ab absurdo argumentantes, inferunt, aut certè aliis colligendum relinquunt, nullam esse post hanc aliam vitam, cùm turpe sit fratres septem vel de vnica vxore digladiari, vel omnes vnica potiri vxore. Sed quid ad hæc responderit Christus, operæpretium est audire.

*Et ait illis Iesus: Filii huius seculi nubunt, & traduntur ad nuptias: illi verò, qui digni habebuntur seculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent vxores, neq; vltra mori poterunt: æquales enim angelis sunt. Et filij sunt Dei, cùm sint filii resurrectionis.*

Hæc est prima pars confutationis, qua Christus illorum impietatem pariter & inscitiam redarguit: vnde & apud Matthæum ad illos dicebat: Erratis, nescientes scripturas, neque virtutem Dei. Cæterùm vt responsionem Christi facilius intelligatis, ante omnia sciendum est, quænam & qualis fuerit Saducæorum erronea impietas, & impius error. Rem sic habe, Paucis enim expediã: Saducæi nullam penitus credebant fore resurrectionem, hoc est, nullam vitam futuram post præsentẽ huius seculi statum. Quòd si verè quis esset status post hanc vitam, illum omninò parem ac similem esse oportere statui præsentis vitæ, in qua ad conseruandum genus humanum opus habemus nuptiis, cibo, potu, & reliquis,

quorum

quorum vsus ad hanc vitā solum pertinet. Et hinc est quod quærunt, cuius nam ex fratribus illa sit futura vxor. Ad hanc itaque stultam opinionem respondet Christus, filij huius seculi nubunt & traduntur ad nuptias, &c. Quasi dicat: Homines in hoc seculo viuentes, in quo vicissitudo moriendum & nascentium est, necessario quærunt vxores filiis suis, ac filias maritis elocant: nec etiam alia ratione propagari potest genus humanum. Illi verò qui digni habebuntur seculo illo & resurrectione ex mortuis, neque ducunt vxores, neque nuptum dant: neque enim vltra mori possunt. Proinde non est par ratio & conditio vtriusque seculi. In illo opus est coniugio propter successionem & corruptionem: in hoc nullis opus nuptiis. Quid enim his opus, postea quā nemo iam moritur? Quid ergo, ait aliquis? Qualis quæso conditio resurgentium? Aequales erūt angelis inquit. Et hæc verba diligenter & prudenter exponenda & sobriè intelligēda sunt. Quod enim hic Christus dicit: Aequales erunt angelis Dei, non loquitur de illorum substantia, iuxta quam nec carnem nec ossa habēt. Nos enim à resurrectione corporum non erimus pura duntaxat substantia quales angeli sunt: sed æquales erimus angelis, quod attinet nuptias & carnales affectus terrenasque cupiditates. His enim carent angeli: nuptiis vt immortales non indigent, non esuriunt neque sitiunt, sed ab omni corruptione sunt alienissimi. Hinc D. Hieronymus in Epitaphio Paulæ ad Eustochiū inquit: Non substantiam angelorum, sed conuersationem & beatitudinem nobis Dominus repromittit. Iam tertio addit causam, quare Deus dignabitur homines angelorum fœlicitate. Et filii Dei sunt, cum sint filii resurrectionis. Hæc verba hunc videntur habere sensum. Nemo miretur quod homines in futuro seculo aliter victuri & acturi sint quàm in præsenti: Neque enim sic in futuram vitam nascentur, quemadmodum nati sunt in præsentē. In hanc nascuntur per homines, vnde & filii hominum merito nuncupātur. In illam verò virtute Dei renascuntur, qui neque masculo neque fœmina ad hunc partum opus habet, & ideo filij Dei vocabuntur, nimirum ab eo vnde nouam vitam accipiunt. Cæterū Christus hoc loci solum de illis dicit, qui ad fœliciorem vitam resurgent, non de impiis qui post hanc vitam peius habebunt. Horum enim resurrectio, propter perpetuam miseriam, mors potius dicenda est quàm vita. Sed hac de re alibi non nihil diximus. Porrò quoniā Christus iam satis exposuit quis sit futurus status futuræ vitæ, statū ex scripturis probat esse vitam aliam post hanc, eosque qui vita hac defuncti hinc decesserunt alibi viuere. Ait itaque Christus.

Vide Irenæū li. 2 cap. 61.

*Quod verò resurgāt mortui & Moyses ostendit secus rubum, sicut dicit Dominum Deum Abraham, & Deū Isaac & Deum Iacob. Deus autem non est mortuorum, sed viuorum, omnes enim viuunt ei.*

Satis obscuritatis videtur habere hæc probatio, si non penitius inspiciatur. Theophylactus non contemnendus autor sic nodū hunc secat: Moyses inquit dixisse sibi ex rubo Deum: Ego sum Deus Abrahæ, &c. Quod si omnino euanuissent Patriarchæ, & nō vixissent apud Deum in spe resurrectionis, non vtique dixisset Deus: Ego sum, sed ego eram Deus Abrahā, Isaac & Iacob. De rebus enim perditis & corruptis dicere solemus: Ego eram Dominus huius & huius rei, &c. Et hactenus quidem ille, non inepte. Nos simpliciter hūc sensum elicimus. Deus, illius maximè Deus dicitur, quem in suam tutelam recipit, cuius curā agit, cui benefacit. Atqui non potest alicui

qui nuſpiam in rerum natura ſit, benefacere. Igitur cùm vocat ſe Deum, hoc eſt, curatorem & benefactorē illorum trium patriarcharum, conſequitur eos adhuc viuere, vtcunque mortui fuerint mundo. Sed ait quiſpiam: An non ſunt euidentiora teſtimonia in ſcripturis, quæ reſtantur hanc vitam ſequuturam aliam? Vtique ſunt luculentiſsima eius rei in ſcripturis teſtimonia: verùm quoniam Saducæi ſolùm Moyſis libros in diſputationibus admittebant, tanquam teſtes irrefragabiles, voluit Chriſtus ex Moyſe doctrinā ſuam adſtruere. Sed quid opus eſt de hoc teſtimonio plurimū diſceptare? Tam euidens fuit teſtimonium, vt nemo quicquam potuerit contradicere. Sequitur enim:

*Reſpondentes autem quidam ſcribarum dixerunt ei: Magiſter, bene dixiſti. Et amplius non audebant eum quicquam interrogare.*

Scribæ hic approbant Chriſti aſſertionem, in quibus idem certamen erat cum Saducæis. Phariſæi enim & Scribæ credebant in futuram reſurrectionem, quam Saducæi ex ignorantia ſcripturæ, ſicut diximus, negabant. Hinc illa nobilis concertatio in Apoſtolorum actis, inter Phariſæos & Saducæos, quā D. Paulus exuſcitauerat. Cùm enim Paulus coram Anania ſummo ſacerdote ſtaret, ſciēs, vt inquit Lucas, quia vna pars eſſet Saducæorum, & altera Phariſæorum, exclamauit in conſilio: Viri fratres, Ego Phariſæus, filius ſum Phariſæi, de ſpe & reſurrectione mortuorum ego iudicor. Et cùm hæc dixiſſet, facta eſt diſſenſio inter Phariſæos & Saducæos, &c. Sic ergo & hoc loci, cùm pronunciatum eſt contra Saducæos, applaudunt Scribæ, non quidem in gratiam Chriſti, ſed in odium Saducæorum. Sic enim tum res ſeſe habebat. Phariſæi & Saducæi perpetuò inter ſeſe pugnabant, in nullo conſentientes, præterquàm in odiēdo & perſequendo Chriſtum. Hic enim peculiaris eſt ſectariorum genius, vt inter ſe perpetuò diſcordent, omnes autem ſimul aduerſantur Chriſto, & huius ſpōſam oppugnant Eccleſiam. Et conuincuntur quidem vanitatis & impietatis, ſed rariſsimè conuertuntur: imò quos verbis vincere non valent, vel verberibus expugnare non dubitant. Sic & hoc loci audimus, neminē fuiſſe auſum amplius Chriſtum interrogare: atqui de reſipiſcentia nulla hic eſt mentio.

Act. 23

*Dixit autem ad illos: Quomodo dicūt Chriſtum filium eſſe Dauid: & ipſe Dauid dixit in libro Pſalmorum: Dixit Dominus domino meo, ſede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum. Dauid ergo Dominum illum vocat, & quomodo filius eius eſt.*

Sanctus Matthæus Euangeliſta hāc diſputationem clarius reddidit, ſcribēs in hæc verba: Congregatis autem Phariſæis, interrogauit eos Ieſus dicens: Quid vobis videtur de Chriſto, cuius filius eſt? Dicunt ei: Dauid. Ait illis: Quomodo ergo Dauid in ſpiritu vocat eum Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo, &c. Si ergo Dauid eum vocat Dominum, quomodo filius eius eſt? His verbis ſic confuſi ſūt Phariſæi, vt nullus eorum quicquam potuerit ei reſpondere. Et antea quidē habuimus exēpla diſputationū quæſtionumque prauo & inſidioſo animo inſtitutarum. Nam quæ Sacerdotes, Scribæ, Phariſæi, Herodiani, & Saducæi egerunt, maligno egerunt animo. Iam porrò nouā audimus quæſtionē à Dn͞o proponi, ex qua diſcamus quales eſſe debeant piorum diſputationes ſiue collationes, ſimplices ſcilicet & puræ, ſine inſidiis, dolo, fraude & calūniis: inſtitutæ item ad ædificationē auditentium, petitæ etiam ex ſcripturis, & huc directæ, vt Deum verè cognoſcamus,

scamus, & huius filium Iesum Christū. Debuerāt sanè hostes Domini, ex illis quæ hactenus proposita fuere, didicisse Iesum & Deum verum & hominē verum, id est, expectatum illum Messiam esse. Hoc cum per crassitiem & malitiā nolunt, ipse Dominus iam vrget eos ad veri confessionem, per propositam quæstionem. Est autē quæstionis huius scopus, Dominum nostrum Iesum Christum, non tantum hominem, sed etiam Deum verum esse. Quod enim Dauid Messiam vocat Dominū suum in psalmis, arguit illum Deum esse. Quod verò Christus Dauidis filius dicitur, arguit illum verum esse hominē. Hoc facilè admittebant Pharisæi, sed illud non item: Vnde hoc maximè vrget Christus, qua ratione Dauid vocauerit Messiam Dominum suum. Porro ne cauillari possent Dauidem verba illa per iocum nec serio locutum esse, asserit Dominus verba eiusmodi scripta in libro psalmorum, in libro, inq̄, cuius magna semper fuit autoritas apud Iudæos. Nos interim ex hac proposita quæstione colligemus nos verè & merito credere in Iesum Christum filium Dei ab æterno, filiū verò hominis in tempore natum ex Maria virgine. Conticescant ergo omnes hæreses diaboli seminaria, hostes Ecclesiæ Antichristi anteambulones, Arriani, Hebionitæ, Paulinianí, Marcronistæ & reliqua fex Sathanæ. Admoneat itē nos præsens quæstionis huius tractatus, vt in omnibus fidei articulis rectè & orthodoxè sentiamus. Neque enim suffecerit in hoc vel in illo articulo cū Ecclesia Christi sentire, in aliis verò articulis ab illa dissentire. Sed hac de re nonnihil in Matthæo nostro diximus. Sequitur.

*Audiente autem omni populo, dixit discipulis suis, Attēdite à scribis qui volunt ambulare in stolis, & amant salutationes in foro, & primas cathedras in Synagogis, & primos discubitus in conuiuijs: Qui deuorant domos viduarum, simulantes longam orationem. Hij accipient damnationem maiorem.*

Postquam omnia tentasset Dominus, nec vlla spes esset, sacerdotes populique primores aliquando conuertendos ad Dominum, docet ipsos Dominus cauendos esse, ne scilicet miseram plebeculam in eandem ruinam & perniciem secum traherent, quum illi ipsi perseuerare in suis erroribus, & perire in propriis peccatis pertinaciter instituerant. Docemur certè hoc Domini exemplo, ne ad hominum scelera conniueamus nos Ecclesiastæ, siue illi fuerint summates siue infimates. Et qui pestilentius nocēt, vehemētius accusandi sunt, docendumque manifestè quales sint, qualis ipsorum doctrina, quales mores, quale institutū, &c. Sed videamus in quibus accuset Christus Scribas. Primò itaq; accusat eos ambitionis & vanæ gloriæ, quam vestitu totoque corporis habitu, ipso accubitu, titulis, totaque totius vitæ conuersatione, apud homines reliquos venantur. Amant enim ambulare in vestibus amplis, amant salutari honorificè, & longa exquisitaque præfatione honoris conueniri. Adde, in templis etiā & in synagogis vbi debebat omnium virtutum esse schola; non pudet eos ambire & occupare primas cathedras. Quòd si ad conuiuia amicorum vocantur, nec ibi obliuiscuntur superbiæ suæ: quum tamen inter amicos & sodales, fastus vel contemptus non debebat habere locū. Ah bone Deus, quàm egregiè quadrant hæc in quosdā huius seculi homines, quibus malim à Domino precari meliorem mētem, quàm illorum perniciosam stultitiam multis traducere. Tu porrò hic notabis aliud esse honorē alicui exhibere, & aliud esse honorem ambire, & in accepto superbire. Scriptura vbiq; iubet vt ho-

vt honore præueniamus inuicem, & ne quem cōtemnamus, aut tractemus indignè, aut liberaliter. Breuiter damnatur hoc in loco à Christo Iesu vana illa gloriæ cupiditas, quæ multarum malorum tam intra quam extra Ecclesiam solet esse causa. Sequitur altera accusatio, quod scilicet deuorant domos viduarum, & hoc sub prætextu prolixæ orationis. Si hic intellexeris nomine precum omnem externum religionis cultū, nomine viduarū inopes, nomine domorum substantias, facilis erit sententia, sed grauissima culpa. Primum siquidem Deus propter semetipsum colendus est, non propter auaritiam. Secundò peccant quum simulant se pios, qui impiissimi sunt. Tertiò quod viduas spoliant, quas ex lege debebant fideliter curare. Quartò quòd à viduis, non vitæ necessaria, sed omnia acceperāt. Nam id hoc in loco, per deuorare intelligimus, significat enim iniuriam insatiabilem illorum cupiditatem. Sed nūquid impunè hæc facient? Audi Christum. Hi accipient, inquit damnationem maiorem. Quòd scilicet non solum expleuerint ventres suos facultatibus viduarum, quarum tenuitati magis debebant succurrere, verùm etiam rem impiam fecerint sub religionis prætextu. Vtinam vtinā hic mundus non etiam cogatur tales alere vultures: aut si qui sunt tandem recipiant oculos ne olim grauissimas luituri sint pœnas. Et tantū de hoc capite.

## CAPVT XXI.

*RESpiciens autem vidit eos qui mittebant munera sua in Gazophylacium diuites. Vidit aūt & quandā viduā pauperculā mittētē æra minuta duo: Et dixit. Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper plus quā oēs misit. Nā omnes hi ex abundāti sibi miserunt in munera Dei: Hæc autem ex eo quod deest illi, omnem victum suum quem habuit misit.*

Hæc ad superiora nō malā cōsequētiā habēt. Sub finē enim proximi capitis accusauit Dn̄s Scribas, quod deuorarint domos viduarū, & hoc sub prætextu religionis. Iā porrò ne quis existimet illa à Dn̄o in odium Scribarum & sacerdotū cōficta, ostēdit præsens historia, q̄ faciles fuerint homines conferre munera sua in Gazophylacium. Erat aūt ibi arca, sicut V. Beda dicit, foramē habens desuper, posita iuxta altare ad dexterā ingredientibus templū Dn̄i, in quā mittebant sacerdotes qui custodiebant ostia, omnē pecuniā quæ deferebatur ad templū Dn̄i, quo pecunia deseruiret, vt Theophylactus admonuit, ad apparationē & necessaria sacrificij, & ad ornatū templi, & ad alimoniā pauperū. Qua de re habes pulchram historiā iiij. Re. xij. de rege Ioas qui compulit Pōtifices & Sacerdotes ex Gazophylacio templū Dn̄i restaurare. Et erat certè plerunque magnus thesaurus in tēpli Gazophylacio repositus, cui expilando non raro inhiabant illi ad quos non spectabat. Sed proximè ad historiā. Sedit Iesus in tēplo & videt Iudæos munera sua cōferre in Gazophylacium, veniebant autē diuites & multa mittebant munera, sicut Marcus dicit. Veniebat autē & vidua paupercula, & quod habuit misit, nimirum duo æta minuta. Atqui diuites, sicut verisimile apparet, sibi egregiè placebant, quod tam multa dona misissent in ærarium templi: & pauperes propter ipsorum tenuitatem cōtemnebant, tanquam eos qui tam vili precio sibi non possent propitium reddere Deum. Nec dubium est quin diuites melius habuerint apud sacerdotes, quàm pauperes. Atqui Christus longè aliter pronunciauit, nimirū viduam hanc pauperculam plus misisse, (si mercedem scilicet respexeris & Dei beneplacitū) quā illi diuites miserint.

4. Re. 12

Et

Et addit eius sententiæ causam huiusmodi: Nam diuites, inquit, miserunt ex abundāti sibi, Hæc autem ex eo quod deest illi, omnem victum suum quem habuit misit, &c. Hoc est diuites quāuis largiter tribuerint in vsum templi, tamen nihilo pauperiores sunt, vt qui sibi meliorem partem seruarint. Vidua verò licet suæ inopiæ non erat inscia, tamen maluit ipsa carere, quàm non aliquid in pios vsus conferre, nihil dubitans, quin fideli procuratori se suaque omnia credidisset. Atqui diuites si putassent se olim his donis cariturus, nequaquā aliquid exposuissent, quicunque tandem vel templum vel huius curarct ministros. Duo itaq; ex hac historia adnotabimus. Primum quòd Christus, qui in superioribus Scribarum & Sacerdotum auaritiam taxauerat, in præsenti capite offerentibus non contradicit. Maledicti quidē sunt quorum Deus venter est, quique cum aliorum damno, sua sectanrur cōmoda: at nihilominus dignus est operarius mercede sua. Secundò obseruādum, quòd Christus non censum offerentis, sed mentem attendit. Vnde non est vt sibi blandiantur diuites, quòd plus videantur conferre in pios vsus, quàm pauperes. Vberior est enim nūmus, vt Ambrosius inquit, è paruo, quàm thesaurus è maximo: quia non quantum detur, sed quantum residēat expenditur. Nemo plus tribuit, quàm qui sibi nihil reliquit. Vnde Christus non iubet relinquere multa, sed omnia. Et Paulus non ait copiosum datorem, sed hilarem datorē diligit Deus: Breuiter Dominus non attēdit quantum das, sed quo animo des. Vnde fit vt qui calicem aquæ frigidæ ex animo porrexerit egeno, plus mereatur apud Deum, quàm qui difficile etiam magnos thesauros exponit. Hæc tandem est vera & Christiana charitas, quæ nō quærit quod suū est, sed quod aliorū: & quæ etiam cum suo incommodo, aliorum promouere curat commoda: Senior igitur ille Tobias rectè docebat filium suum, inquiens: Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: sin exiguū, etiā hoc libenter impartiri stude. Vnde non video qua ratione à quibusdam dicatur, charitatem ordinatā à semetipso incipere. Refertur talis sententia ab Ethnico quodā: Dabo egēti, non vt ipse egeam: succurrā perituro, non vt ipse peream. Sed nos longè alia à Christo & ipsius Apostolis didicimus. Cæterum nos perpetuo meminerimus Deum semper nobis allidere, cogitatus nostros, verba & facta nostra respicere, sic enim in omnibus actibus nostris cautiores erimus. Meminerimus item, quòd Deum nunquā fallere possumus, vtcunq; proximos nostros fallamus. Deinde cò omnes nervos nostros expendamus, vt opera nostra Deo probentur, quicquid tandem de nobis iudicauerint homines. Iam itaque ad sequentia contextus vadimus.

*De viduis.*

*Charitas in tēporalibus, non incipit à seipso.*

*Et quibusdam dicentibus de templo, quod bonis lapidibus, & donis ornatum esset, dixit: Hæc quæ videtis, veniēt dies in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.*

Et hæc superioribus pulchrè cohærent. Prouerbium vulgo iactatur: malè partum malè disperit. In superioribus autem diximus ex sententia Christi, quod Scribarum & Sacerdotum auaritia malum sit habitura finem. Audiuimus item quòd ex donis pauperum, templum Hierosolymitanum & ædificatum & ditatum fuerit. Iam quoniā viua Dei templa negligebantur, & lapideum illud templum magis ad superstitionem, quàm religionem facere videbatur, iustum fuit vt & illud dirueretur. Sed qui nā sunt illi qui mentionem templi apud Christum fecerūt? Ex Matthæo liquet Apostolos fuisse, & his ipsis tale responsum à Christo datum

datum fuisse. Meminerant fortè adhuc eius quod Christus supra cap. xix. de destructione vrbis dixerat, & ex condolentia quadam super ciuitatem & templum, ostendebant Christo vtrûq; dicentes, magister aspice quales lapides & quales structuræ: Non hoc tanq̃ ignoranti dicunt, sed vt interrogent eum super comminatione quam fecerat, si quo modo esset possibile, tale ac tantum templum destrui, cum essent lapides magni & boni, & magna artis peritia compositi, & ornatum & dotatum esset innumerabilibus bonis, tam à Iudæis quàm à gẽtilibus oblatis, &c. Hanccine structuram, volũt dicere, tã amplam, tam sumptuosam, elegãtem, admirabilem, & prope diuinam subuerteret tempestas belli & ira Domini? Dij meliora. Sed quid Christus ad hæc? Hæc quæ videtis, venient dies, in quibus non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur, hoc est, totum ita subuertetur, vt nihil integri sit relinquendum. Et certè sicut prædictũ est à Domino, ita successu temporis factũ est. Quid igitur dicemus ad hæc ô mihi charissimi auditores, quid dicemus? Certè discimus ex paucissimis hijs verbis, non placere Deo, quantumuis splẽdidum externum cultum, si frigeat animi pietas. Et hæc quidem sic se habere, nemo opinor cõtradicere cogitat. Nos tamen interim miramur quòd tam multæ Cathedrales Ecclesiæ, tam multa monasteria, tam pingues Abbatiæ perierint, quum negare non possimus in illarum multis plures Mercurio & Pluto sacrificasse quàm Christo seruatori nostro. Meritas ergo dederunt pœnas: licet Baltasares & Nabuchodonozores illi, quorum studio perierunt illa, nulla ratione excusati possint. Sed hæc hactenus.

*Interrogauerunt autem illum dicẽtes: Præceptor quando hæc erunt: & quod signum cum fieri incipient?*

Quæstio hæc in monte oliuarum facta est, sic enim inquit Matthæus Sedente autem eo in monte oliuarum, accesserunt ad eum discipuli secretò dicentes: Dic nobis quando hæc erũt? Et quod signum aduentus tui, & consummationis seculi? Nihil enim amplius de domini sui verbis diffidunt, certò persuasi quod ipsius verba nullam vanitatem admixtam habeant: ideoque & tantum rogant de tempore miseriarum, quando futura sint eiusmodi pericula, & nũ hæc, aliqua præcessura sint signa? Et rogant fortè de illis rebus, vt mala præuisa facilius vitare possint. Adde quòd discipulis persuasum erat, templum Hierosolymitanum non periturum, donec instaret consummatio mundi, vnde triplicem proponunt quæstionẽ, sicut ex Matthæo audiuimus, scilicet de deuastatione Hierosolymorum, de aduentu secundo Christi, & de consummatione seculi: Et hæc probè obseruanda sunt, sic enim fiet vt Christi responsa facilius percipiantur. Nam quæcunq; sequuntur signa futura, tam ad finem mundi, quàm ad Hierosolymæ subuersionem referri & possunt & debent.

*Qui dixit: Videte ne seducamini. Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Quia ego sum, & tempus appropinquauit: nolite ire post eos.*

Tradunt historiæ post ascensionem Domini in cælos, & ante vrbis excidium, non paucos venisse Iudæis, qui se pro Messia vero ac liberatore venditarint: quibus miser adhæserit populus, atque ideo à Romanis cæsus sit præsidibus. Equidem dignum erat, vt qui verum Messiam recipere noluerint, ij falsos reciperent Messias, necis & omnium miseriarum authores. Hæc qui certius & plenius intelligere ac cognoscere velit, legat Iosephum Antiquit. li.xx.ca. xij. & xiij. De his ergo loquitur Christus, & admonet discipulos

pulos ne patiantur sese seduci. Venturos enim pseudoprophetas qui profitebuntur, sed falso, se esse mesias, & tempus cõsummationis seculi appropinquare. Nolite, inquit, ire post eos, hoc est, fugite ab illis, nihilque eis credatis, sed perpetuò memores estote verborum meorũ, quòd scilicet hæc prædixerim vobis. Et certè in grauissimis tribulationibus præsentissima est cõsolatio, & efficacissimum antidotũ, deuota mente cogitare præter Christũ nõ esse alium saluatorem: præter eum, inquam, Christum qui etiam non dubitauit pro nobis crucis subire mortem, quod certe euidentissimum est argumentum magni in nos amoris. Si ergo magna nobis vltro concessit, nõ est dubium quin rogatus minora nobis non sit denegaturus. Sed hæc alias.

*Cum autem audieritis prælia & seditiones, nolite terreri: oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis.*

Quoniam complures exorientur pseudomessiæ, reges siue liberatores, quibus seditiosi homines facilè adhærere solent, non est dubium quin futura sint & bella & seditiones. Omnis potestas consortis impatiens, ait ille, & nemo facilè patietur se deponi regno. Adde quòd & Romani præsides non semel minati sint Iudæis excidium, ni pacẽ & tranquillitatem publicam interturbare desinerent. Admonet itaq; Dominus discipulos suos, ne terreantur, auditis prælijs & seditionibus. Turbantur quidem viri boni visis tot tantisque calamitatibus: atqui noluit Dominus suos ita conturbari, vt frigidius ac segnius perficiant opus Domini, aut pergant tardius in religionis negotio. Et aliter turbantur fideles, aliter turbantur infideles. Hi turbantur quasi omnia fiant humano solum consilio, & non prouidentia Dei: quasi hominum sit bellis vel initium dare, vel finem facere. Atqui fideles semper cogitant, nihil nisi disponente fieri Deo, qui diligentibus ipsum omnia soler vertere in bonũ. Fideliũ turbatio & terror, cõdolentia est: Infideliũ verò turbatio, desperatio est. Quod autem dicit: Oportet primũ hæc fieri, sed non statim finis: ad vtrumque tempus referri debet. Multa enim prælia & multæ grauissimæ seditiones præcesserunt euersionem Hierosolymorum: & ab eo tempore nondum cessant longe plures & maiores fieri.

*Tunc dicebat illis: Surget gens cõtra gentem: & regnum aduersus regnum: & terræmotus magni erunt per loca, & pestilentiæ & fames: terroresque & signa magna de cælo erunt.*

Hæc omnia facta esse, & adhuc fieri, tam ante quàm post Hierosolymorũ excidium, non solũ sacræ, sed & prophanæ testantur historiæ. Et vide qualis sit cathena miseriarum, & vnde illa connectatur. Primò omnium per falsos prophetas fit discessus à vera religione. Noua religio, aut potius impietas, hæresis & idololatria, exuscitant factiones & seditiones. Cùm autẽ nos inter nosmetipsos pugnamus, exteræ gentes vident sibi oblatam occasionem vincendi nos, itaque fit vt exurgat gens contra gentem, & regnũ aduersus regnum. Iam quæ bona spes ex magnis bellis? Pestilentia nimirum & fames. Illa quidem ex corrupto ab interfectis aere: hæc autẽ ex non cultis agris. Qui enim colere debebant agros ab hostibus occisi sunt. Et dubiũ nõ est quin horribiles terræ motus vexarint Iudæos ante vrbis excidiũ. Imò legat qui cupit spectra & prodigia, quibus Iudæi diuexati & admoniti fuerũt è cælo & è terra, apud Eusebiũ Ecclesiasticæ historiæ li.iij.ca.viij.& præcedẽ. Et hæc quidẽ oĩa venient super Iudæos, propter cõtẽptũ & relectũ Messiã, Deo sic vindicãte Christũ suũ. Neq; adhuc abbreuiata est man⁹ Dñi, vt nõ possit se

vindicare de inimicis suis. Enimuero quæcunque tribulationes hic à Christo enarrantur, nostro seculo & vidimus & adhuc videmus: vtinã sint qui causam illarum sic expendãt, vt Dei iram aliquo modo sistere possint.

*Sed ante hæc omnia, iniicient vobis manus suas: & persequentur tradẽtes in Synagogas & custodias, trahẽtes ad Reges & præsides, propter nomen meum. Continget autem vobis in testimonium.*

Hæc propriè ad Apostolos pertinent, quibus ita cõtigit, sicut hic prædicit Christus. Erant enim Apostoli inuisi cunctis ferè gentibus, non propter latrocinia, seditiones, furta, & fraudes, sed propter nomen Christi Iesu Domini nostri, quod videlicet in nomine Iesu pœnitentiam & remissionẽ prædicarent: Ceremonias item Iudaicas, traditiones Pharisaicas, idololatriam item & impietatem gentium impugnarẽt. Testari possunt de hoc Acta Apostolorum copiosissimè. Sic enim persequebantur tum Iudæi Christi discipulos, ac si hac crudelitate Deo euperent magnum exhibere obsequium. Sed quid est quod ait Christus? Continget autem hoc vobis in testimoniũ? Hoc est, vincula illa & carceres testabuntur, quàm fideliter laboraueritis in negotio Euangelij. Et sic vobis cedent in testimonium, vt neque Iudæi neque Gentiles causam suæ dãnationis in vos transferre possint. Huc non ineptè quadrat quod Apostolus in epistola ad Philippen. dicit. Scire volo vos fratres, quod quæ circa me sunt magis ad profectũ venerunt Euangelij, ita vt vincula mea manifesta fierent in Christo, in omni prætorio & in cæteris omnibus: & plures è fratribus in Domino, confidẽtes in vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui, &c.

Cap. 1.

*Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari queãdmodum respondeatis. Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri.*

Quoniam discipuli Domini idiotæ & priuati & imperiti erãt, ne turbarẽtur reddituri rationẽ apud viros sapiẽtes: Nihil, inquit, de hac re vobis curæ sit. Accipietis enim tunc à me & sapientiã & eloquentiam, ita vt si etiã oẽs aduersarii vestri ad vnum vsque vobis obstiterint, non poterunt vobis resistere, neque per sapientiã neque per eloquentiã. Hunc in modum ferè etiam in superioribus illos consolatus fuerat dicens: Cùm inducent vos in Synagogas, & ad magistratus, & ad potestates, nolite soliciti esse, qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis. Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere. Exempla huius rei euidentia, suppeditãt nobis acta Apostolorum in S. Petro ac reliquis Apostolis, cap. iiij. & in D. Stephano cap. vi. & vii. Atqui his verbis, nõ præcipit Dominus supinã quandam oscitantiam, & indiligentem securitatem, sed anxiam excludit excruciantem diffidentemque curã ac soliçitudinẽ, qua scilicet homo putat in se stare causæ successum tã fœlicẽ quàm infœlicem. Atqui ministrum verbi decet dare diligentem operã sacris literis, dein ardẽti præcatione à Deo, vnde omne bonũ profluit, verbo præcari fœlicẽ cursum: Dum venio incumbe lectioni, scribit Paulus Timothæo. Valeant itaque vẽtres illi putidissimi, qui sacras lectiones & pia studia vel negligũt vel porrò contemnunt: Homines nimirum vix ad stiuam, nedum ad Sacerdotiũ apti. Sed hæc alias.

*Trademini autem à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis: & morte afficient ex vobis: & eritis odio omnibus propter nomen meum. Et capillus de capite vestro non peribit.*

Rur-

Rursum redit ad descriptionem persequutionis & periculorũ imminẽtium. Nihil, ait, mirũ est si cædamini ab hostibus vestris, cũ ne ab amicis quidem, affinibus, consanguineis, intimisq; vestris, vlla sit sperãda requies. Miri enim in orbe motus ob prædicatum Euangelium exorientur, in quibus homines velut beluæ rabidæ, omnis necessitudinis, omnium officiorum, omnisq; pietatis obliti, insanient in Euangelij ac pietatis studiosos, fratres, consanguineos, & affines suos. Certè magnum est carni nostræ ob benefacta persecutionem pati, flagellari, interfici, sed longè grauius & intolerabilius, si persecutionẽ pati cogimur ab ijs, qui nos meritò defendere & vindicare debebant. Vide autem q̃ omnia exaggeret Christus. Trademini inquit, non solum ab alienis, sed etiam à parẽtibus & vestri amantissimis. Nec per lusum vos tradent, sed morte vos afficiẽt, hoc est, nõ cessabunt à persequendo, donec viderint vos exhalasse animã. Addit: Et eritis odio habiti ab omnibus, propter nomen meum: quem scilicet abnegare ad illorum iussa nolueritis. Quicquid alij designabunt scelerum, non sic animaduertent in illos, atq; in vos qui nominis mei gloriam obscurari non patiemini. Addit postremo consolationẽ. Et capillus de capite vestro nõ peribit. Vult dicere: Tã atrox odiũ totus mũdus concipiet in vos, ob mei nominis professionem: proinde quicquid in vos audebunt, hoc in meã contumeliã factum accipiam. Quare non est quod vos de vindicãdo cogitetis. Ego lædar, ego occidar in vobis. Meum erit & vobis consulere, & illorum vlcisci malitiam. Quantumuis autẽ desæuierint in vos persequutionum humanarũ procellæ, nõ est quòd metuatis, videlicet me protectore. Non enim cõmittam, vt vel pilus capitis vestri pereat, tantũ abest vt vobis sim defuturus. Docet aũt Christus hic quàm nihil lateat illũ, eorum quæ circa nos vel sunt vel fiũt: & quũ sciat omnia, nõ potest ignorare mundi erga nos malitiam: & quòd illius nomine omnia sustinemus. At quum hoc sciat, qui cõmitteret eos negligere, qui illum tãti faciũt, vt etiam non dubitent animas suas pro illo ponere. Sequitur in contextu.

*In patientia vestra, possidebitis animas vestras.*

Videtur mihi Christus nõ aliud hic velle, quàm quod apud Matthæũ dicit: Qui aũt perseuerauerit vsq; in finẽ hic saluus erit. In sufferendis enim pro Christi nomine persecutionibus, non aliis armis opus habemus, nisi vnica patientia, qua expectamus horã in qua Dominus noster tristitiã nostrã vertet, in perpetuum gaudiũ. Neq; enim satis est cœpisse rem sanctam, neq; satis est protepsisse aliquo, imo ne permultum quidẽ ac diu fideliterq; laborasse, nisi operi addas colophonem. Nã quã vtilitate pullulatio seminũ habere potest, si cum vsq; ad flores creuerint (hac enim similitudine alibi vtitur Chrysostom⁹ meus) postea exaruerint? Igitur qui animam suã possidere, hoc est saluare, voluerit, patienter in tribulationibus expectet, donec Domin⁹ iubeat tempestatẽ & turbas has silere & tranquillè agere. Nemo enim potest custodire spem futuræ vitæ, sicut D. Augustinus ait, nisi qui patientiã habuerit in laboribus huius vitæ. Patientia autem vera est, vt scitè V. Beda docet, aliena mala æquanimiter perpeti, contra eũ quoque qui mala irrogat nullo dolore moueri. Nã qui sic proximi mala portat, vt tamen tacitus doleat, & tempus dignæ retributionis quærat, patientiam non exhibet, sed ostendit. Sed hæc hactenus.

Ex D. Greg. M.

*Cùm autẽ videritis circundari ab exercitu Hierusalem, tunc scitote quia appropinquauit desolatio eius. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: & qui in*

*medio eius, discedant: & qui in regionibus non intrent in eam: quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia quæ scripta sunt.*

Tandem & post varias admonitiones plenè & apertè respondet ad quæstionē discipulorū quærentiū: Quādo hæc erunt? id est, quando excindetur cum urbe templū: Tunc, inquit, quādo videritis exercitum Romanorum, obsidione graui ac pertinaci urbem Hierosolymorum cingere. Tunc enim capietur & diripietur urbs, & vastabitur ardebitque templum Dei sanctū. Sanctus Marcus verba Christi sic retulit. Cùm videritis abominationē desolationis, de qua dictū est à Daniele propheta, stantē ubi nō oportet, hoc est, sicut Matthæus interpretatur, in loco sancto. Nam nouum & inexpectatum videbatur Iudæis, quod videre cogebantur gentiles sancta cingere mœnia, imminere tēplo Domini: Procul scilicet esse prophani. Stupendum enim & abominabile erat, quod Dominus illā gentem, quam hactenus ardentissime amauerat, nunc traderet in manus ethnicorum. Hinc est quod obsidio & expugnatio huius urbis, apud Matthæum & Marcum abominatio desolationis, hoc est abominabilis, & stupenda desolatio vocatur. Vult itaque Christus dicere: Cùm videritis terram Galilææ & Samariæ vastatā fumare, peruentumq; esse iā ad ipsa sanctæ urbis mœnia, scitote Deū desolasse locū & populū suū, neq; aliud restare quàm abominabilem vastationem. Quid igitur tum faciendum Christianis? Certè & his præscribit, quomodo se gerere debeant excidio iam imminente. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes, hoc est in tutum se recipiant, cum non solum urbs Hierusalem, sed & tota Iudæorum regio periclitabitur. Et qui in medio eius sunt, discedant: id est, non fidant in aliqua potentia, nullum sibi promittant præsidium: Quanto enim quis à Iudæa lōgior & remotior erit, tanto erit & tutior. Breuiter, inquit, hoc consulo, ut qui præsentissimū periculum effugere velit, si est in ciuitatis medio, hoc est tutissimo loco, effugiat, relinquat ciuitatem, ut quæ nec semetipsam tutari possit. Et qui extra ciuitatem est, nō ingrediatur, nō enim pugnando, sed fugiendo temetipsum seruabis. Er quare hoc? Quia dies ultionis hi sunt, inquit, ut impleantur omnia quæ scripta sunt. Hoc est, tumultus hi bellici non fient humanis tantū consiliis, sed Deus per alienas nationes vindicabit se de populo Iudæorū, sibi semper obstrepero: idque fiet quod iā olim prædixerunt Prophetæ, super Hierusalē futurum esse, nimirū ut impietatis suæ tandem meritas luat pœnas. Sed forsan quæris ubi scripturæ prædixerint hanc Iudæorum calamitatē, urbis & tēpli sumptuosissimi exterminium? In Matthæo & Marco nominatim exprimitur, illa implēda quæ prædicta sunt à Daniele. Hic enim inter alia dicit: Et post hebdomades sexaginta duas, occidetur Christus, & non erit eius populus qui eum negaturus est. Et ciuitatē & sanctuariū dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli, statuta desolatio, &c. Dauid item in Psalmo sic canit: Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. Nec ab hoc loco dissentit, quod Hieremias sub persona Domini dicit: Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam. Quod verò fugam discipulorum Domini attinet, certum est quod imminens periculum fugerint, & hoc admonente Domino. Sic enim Ecclesiastica historia testatur inquiens: Ecclesia quæ in urbe Hierosolymorum erat congregata, responso à Deo accepto, emigrare iubetur, & transire ad oppidum quoddam Pellam nomine, trans Iordanem

Quid abominatio desolationis.

Dan. 9.

Psal. 68.

Hier. 12.

danem: quo ablatis ab vrbe sanctis & iustis viris, vindictæ cælesti fieret locus, tam de vrbe sacrilega, quàm de populo impio, per excidium euersionemque patriæ sumendæ. Hæc Eusebius, apud quem plura ad hoc negotium pertinentia inuenire licebit, libro iij. cap. vi. Et apud Iosephum de Bello Iudaico libro vi. Et apud Egesippum libro quinto. Sed hæc suffecerint.

*Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus: Erit enim pressura magna super terram: Et ira populo huic.*

Et hæc ad cumulum tribulationis & miseriæ pertinent. Tanta, inquit, erit ira, tam ineuitabile malum, vt neq; prægnantibus neq; nutrientibus, parsura sit gentium ferocia & crudelitas. Iussit quidem Dominus præsens periculum fugere, atqui non omnibus datum est, vt fugere possint. Quæ enim prægnantes sunt, & quæ lactentes & sugentes habent pueros, quomodo fugient? Nam lactantes parum sunt ad fugam accinctæ, quòd prædilecta sua pignora tenerius ament vita propria. Nunquid enim potest mulier obliuisci, ait Dominus apud Esaiam, infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Prægnantes verò fœtus suos non possunt veluti alia impedimenta abiicere, & relictis omnibus se fugæ concredere. Possunt & hæc referri ad ea quæ historiographi scribunt, de incredibili illa fame, qua quædã coactæ sunt etiam filios proprios, in cibum suum vertere. Addit autem Christus: Erit enim magna pressura super terram, & ira populo huic. In Matthæo sic legimus: Erit enim tunc afflictio magna, qualis non fuit ab initio mundi, ad hoc vsque tempus, neque fiet. Et si enim etiam aliæ gentes non sint

Esa. 49.

futuræ porrò immunes à tribulationibus: tamen vnicus Iudæorum populus præcipuè sentiet & experietur contra se iram Domini, vt qui illorum crudelissimam impietatem, & impiam crudelitatem iam diu sustinuerit in multa patientia. Rectè ergo ille. Lento, inquit, gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, tarditatemque, supplicii grauitate compensat. Ad omnes huiusmodi terrores, nos vobis perpetuò occinimus, hæc scripta esse ad correctionem nostram. Et fœlix, nimiumque fœlix, quem aliena pericula faciunt cautum. Sequitur.

*Et cadent in ore gladij: & captiui ducentur in omnes gentes: Et Hierusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora nationum.*

Quatuor hoc loco prophetiæ prædicit Christus. Primum est quòd Iudæi casuri sint in ore gladij, hoc est, quòd interficientur ab hostibus suis. Secundum est, quod illi qui gladium effugerunt, captiui sint ducendi in omnes gentes. Vtraque facta esse testantur verissimi ac fidelissimi historiographi: factumque est vt Iudæi qui prius abominabantur gentes, his ipsis inseruire coacti sint. Tertiò addit: Et Hierusalem calcabitur à gentibus: hoc est, hæc opulentissima, munitissima, ac pulcherrima vrbs, ad quam vniuersæ gentes hactenus confluxerunt, in eum veniet contemptum, vt vel pedibus Gentilium & Idololatrarum conculcetur. Quartò subiicit, quòd Iudæorum populus non sit perpetuò sic permansurus in tantis miseriis, à facie scilicet Dei proiectus, sed quod restituẽdus sit suo tempore, nimirũ sub finem seculi, quando Christus oues suas omnes ex gentium populo acceperit. Hac de re D. Paulus etiam in Romanis loquitur dicens:

 Nolo

Rom. 11. Nolo vos ignorare fratres mysterium hoc, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret, sicut scriptum est, veniet ex Syon, qui eripiat & auertat impietatem à Iacob.
Esa. 59. Et hoc illis à me testamẽtum, cum abstulero peccata eorum.

*Et erunt signa in sole & luna & stellis, & in terris pressura gentium præ cõfusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore, & expectatione quæ superuenient vniuerso orbi: nam virtutes cælorũ mouebuntur.*

Discipuli Domini, sicut ex Matthæo in superioribus docuimus, tria quærebant ab illo, quando futurũ esset excidium vrbis, quando item aduentus ipsius secundus, ad iudicium nimirum, & quando futura totius huius seculi consummatio. De primo, videlicet de vrbis & templi internicie, iam satis superque disseruit: ad alia itaque duo iam properat, ostensurus quibus indiciis & hæc prænosci possint. Dicit ergo: Erunt, scilicet imminente fine seculi huius, signa in sole, luna & stellis, hoc est, tam in maioribus quàm in minoribus cæli luminibus. Sed quæ vel qualia signa? Ex Matthæi Euangelio hoc discere licebit, vbi Dominus apertius loquitur. Statim autem post afflictionem dierum illorum, Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo: his addit, quod etiã Lucas habet, & virtutes cælorum commouebuntur. Videtur autẽ hic locus sumptus ex Esaiæ prophetia, cap. xiij. vbi ferè omnia verba hæc Christi inuenies. Virtutes cælorum vocat omnes cæli exercitus, spiritus angelicos, qui alibi virtutes vocantur, vel omne cæli firmamentum. Sed nolo vt quisquã hic à me expectet exactam signorum descriptionem, nec necesse est vt illa ad vnguem omnia sciamus. Suffecerit nos certo credere signa aliqua præuentura diẽ Domini, signa, inquam in cælo, in terra, & in mari, hoc est in aquis. Omnia enim elementa testabuntur sub aduentum Dñi sua ministeria, quæ hactenus exhibuerunt hominibus, iam acceptura finem, quãdo Dominus in proximo est, reddere vnicuique iuxta facta sua. Tu itaq; quoties lumen solis, lunæ vel stellarũ videris, recordare certo venturũ tẽpus, in quo sub aduentum iudicis mirabilis in illis luminaribus futura sit mutatio. Et dũ adhuc illa præciosa lumina tibi lucent, sic vtere illorum lumine, vt his deficientibus lætus expectate possis Christum iustũ illum iudicẽ. Hæc certè præstat agere, q̃ de qualitate signorum valde anxium esse. Porrò quod ad literam adtinet: Non est dubium quin oẽs populi, quos dies ille vltimus inueniet, in maxima futuri sint angustia, quum scilicet viderint omnia vergere ad exitium, omnia mirabiliter transformari, vt etiã non sit mirũ illos vel arescere præ timore, dũ subinde noua & terribilia vidẽt ac audiũt, neq; scire possunt quæ ventura sint, vel quando hæc oĩa sint habitura finẽ. Hæc volui hoc loci dicere, quũ certiora non habeã. Propheticũ certè est quod hoc loci Christus dicit, & ideo post factũ melius intelligetur, hoc quod in omnibus prophetiis fieri solet. Omnis enim prophetia, sicut D. Irenæus scribit, priusquam habeat efficaciam, ænigmata & ambiguitas sunt hominibus. Cum autẽ venerit tempus, & euenit quod prophetatum est, tunc prophetiæ habent liquidam expositionẽ. Hactenus ille. Aduersus Hære. li. 4. cap. 43.

*Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate.*

Omnia & singula hæc verba suam emphasim suumq; põdus habent. Tũc inquit, videbũt filium hominis. Tunc, inquam, quando tam stupẽda præcesserunt signa, in sole, luna, stellis, in terra & in aquis. Videbunt autem

Qui

Qui tHomines in terris existētes. Neq; enim veniet occultus, sed manifestus. Neq; opus habemus singulari aliqua stella, quæ nos ducat ad habitationem Christi, sicut olim ducti sunt orientales illi magi. Omnes enim creaturæ testabuntur creatorem adesse. Omnes itaq; populi quos dies Domini inuenerit in terris viuos, videbunt filium hominis venientem. Quare filium hominis dicit, & non filium Dei, cùm vtrunq; sit? Quia in ea forma apparebit, iudicaturus homines, in qua olim venerat, saluaturus homines. Nam Dominus noster Iesus Christus naturam humanam non deposuit eùm in cælos ascendit: clarificauit quidem eam, sed clarificatione non deponitur aut annihilatur. Huc pertinet quod in actis Apostolorum legimus angelos dicentes: Viri, inquiunt, Galilæi, quid statis (admirando) aspicientes in cælū? Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælū. Hunc igitur Iesum videbunt homines venientem, non talem qualis visus est in Bethleē, vel in Ierusalem, sed in nubibus cum potestate magna & maiestate, tanta videlicet vi ac potentia instructus, vt nulla ei possit resistere creatura, &c. Breuiter, non veniet sicut humilis quidam & nihili homo, sed sicut decet eum qui Deus & homo est, Rex regum, & Dominus dominantium, hoc est, virtutem sic ostentabit, vt omnibus præualeat. Maiestatem exhibebit, vt à nemine cōtemni possit. Hanc rem Diuus Paulus 1. Thessal. iiij. pulchrè & copiosè prosequitur, quod vel indicasse tantum sufficerit: nos enim breuitati studemus.

*His autem fieri incipientibus, suspicite, & leuate capita vestra, quoniā appropinquat redemptio vestra.*

Infideles quidem, & qui Christum vel contempserunt penitus vel neglexerunt, hi merito trepidabunt, vt qui ignorant quid futurum sit: atqui fideles qui Christi verba & facta habent perspectissima, hi, inquam, & si ad tantam mundi transformationem nō omninò sint à timore alieni, tamē nequaquam despondebunt animos, scientes quid & quantum debeant fidere Dño, quem nouerūt pro seipsis olim etiam mortē sustinuisse. Ad discipulos itaq; suos & horum similes inquit: Cùm videritis hæc omnia quæ prædiximus, instare, nolite submissis in terram oculis, quasi tristes ac desperati incedere, sed leuate capita vestra, hoc est recipite animum, confidite, omnem metū excutite, quoniam hæc rerum immutatio non cedet vobis in exitium, sed in vestrum commodum. Appropinquat enim redemptio vestra. Hactenus etē & si filii Dei sitis, tamen cōuersari vos oportet in medio nationis prauæ, oportet vos multa pati ab hostib9 Christi, à Satana, à carne vestra, à mūdo, &c. atqui Dominus ad iudicium veniens his calamitatibus omnibus exoptatū imponit finem. Nos itaq; ita vitam nostram instituere oportebat, charissimi: vt & nos læti & fidentibus animis possemus expectare diem illum Domini, magnum & terribilem. Sed quid faciendum nobis? Hoc quod Saluator noster nos docuit? Quidnam illud? Audi Apostolum Domini: Vt abnegantes omnem impietatem & secularia desideria, sobriè, & iustè & piè viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei, & saluatoris nostri Iesu Christi, qui dedit se metipsum pro nobis, &c. Neq; enim tardat Dominus promissum, ait Petr9, sicut quidam existimant: sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti. Sequitur in contextu.

Tit. 2

2. Pet. 3

*Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneā & omnes arbores, cùm producūt iam ex se fructum, scitis quoniā prope est æstas. Ita & vos cùm videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei.*

Iam fidelissimus doctor est Christus, vt quæ per se etiam apertissima videntur, apertiora faciat, & hoc similitudinibus vulgatissimis. Qua in re certè exemplum dedit verbi ministris, quàm fideliter, quàm prudẽter, quàmq; seduló debeant omnem mouere lapidem, donec populus quæ obscura sũt, exactè intelligat. Ex germinatione, inquit, ficus, cùm iam ramo tenerescente protrudit gemmas, ac folia quodãmodo parturit, ceu ex certissimis indiciis, colligitis æstatem haud procul abesse. Sic ergo, cùm videritis signa prædicta in sole, luna, stellis, in terra & mari, scitote iamiam instare regnum Dei. Regnũ, nimirũ illud, quod in precatione dominica petimus aduenire, videlicet, vt neq; Diabolus, neq; mũdus, neq; mala cõcupiscẽtia, in nobis regnet, sed oĩs creatura subdita fiat Deo, & cõfiteatur quia Christus est in gloria Dei patris.

*Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.*

Ne quis de rebus tantis vel tantillũ dubitaret, aut tanquã vanas & inflatas minas cõtemnẽdas existimaret, iureiurãdo cõfirmat illa quæ hactenus dixit de excidio Hierosolymorũ, de cõsummatiõe mũdi, & de extremo ad iudiciũ Dñi aduẽtu. Amẽ dico vobis, inq̃t, q̃a nõ præteribit gñatio hæc, donec oĩa fiant. Generatio hæc præteribit, siue de Iudæis, siue de vniuerso hoĩm genere intelligas, nihil enim stabile, nihil perpetuũ in hoc mũdo, & iuxta Pauli nostri doctrinã, oĩs creatura vanitati subiecta est: atq; nõ veniet finis & cõsummatio huius seculi, nisi hãc ipsã prædicta signa anteuerterit. Neq; mireris q̃d dicimus vniuersum hoĩm genus præteriturũ, hoc est, in aliã cõditionẽ trãsiturũ. Cœlũ eñ & terra trãsibunt, hoc est, in hoc rerũ statu nõ perseuerabũt: sed mutabuntur, sicut Petr⁹ ait; in cœlos nouos & terrã nouã. Nihil itaq; stabile, nihil alienũ ab omni vanitate, nisi verbũ Dei, apud quẽ nõ habet locũ, est & nõ, sed est est, & nõ nõ. Hinc apud p̃phetã dicit Dñs de certitudine & firmitate verbi sui: Si dissoluere potestis pactũ meum cũ die initũ, & fœd⁹ meũ cum nocte, vt non sit dies & nox in tẽpore suo: etiã pactum meum dissoluetur cum Dauide seruo meo. Hæc mihi præsentis loci videtur simplicis. esse sententia, & ab impietate alienissima. Det Dñs vt semper meminerim⁹ nos esse mortales, sic enim cautius agemus tã verbis, q̃ factis. Idẽ Dñs det vt perpetuó verbo ipsius inhæreamus, nunquam non memores illius prophetici: Omnis homo mendax, Deus autem (quod D. Paulus adiecit) verax.

Hiere.

*Attẽdite aũt vobis, ne fortè grauẽtur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ: & superueniat in vos repentina dies illa: tãquam laqueus enim superueniet in omnes qui sedent super faciem omnis terræ.*

Huc referendũ est quod Christus de nouissimi diei tẽpore dixit cap. xvij. de diebus, hoc est, tẽporib⁹ Noe & Loth: Edebant & bibebãt, inquit, vxores ducebant, & dabãtur ad nuptias, emebant & vendebant, plantabãt & ædificabãt isti quidẽ sub Loth, vsq; in diem quo pluit Dñs ignẽ & sulphur de cœlo, & oẽs perdidit: illi verò vsque in diẽ quo intrauit Noe in arcam, & venit diluuium, & perdidit omnes. Præstat certè hanc Dñi admonitionem audire, & iuxta ipsam viuere, quàm plurimum de illo die anxium esse, quomodo vel quando venturus sit. Sed discutiamus singula. Attendite, inquit, ne grauentur forte corpora vestra crapula & ebrietate, & curis huius vitæ. Quid est crapula? Quid ebrietas? Quæ curæ huius vitæ nobis fugiẽdæ? Certè q̃diu in hac vita sum⁹, necesse est vt edam⁹, vt bibam⁹, vt circa præsentis mũdi statũ occupemur. Atqui nõ est necesse

cesse vt ventrem nostrum magna ciborū & potus copia impleamus, atq; grauemus: nec necesse est vt sic curemus hanc vitam, vt interim futuræ vitæ non recordemur. Natura nostra paucis contenta est: & habemus Deū qui solicitus est pro nobis, vt nulla necessitas nos cogat propter curas huius vitæ, futuram negligere. Nouit Dominus quibus miseri egeamus. Notus est locus in Matthæi Euangelio, qui nos admonet impossibile esse, vt quis seruiat duobus dominis: admonet itē ne pro victu vel vestitu anxiè sollicti simus, Deum enim qui volucres cœli pascit, & lilia agri vestit, non passurum vt aliquid illorum nobis desit, modò nos ante omnia quæram⁹ regnū Dei, & iustitiam eius. Qui autem non vult nos pro necessariis solicitos esse, qui ferret æquo animo illos qui diu noctuq; commessationibus & ebrietatibus student? Et certè tam seriò nos admonet, dicens: Attendite ac cauete ne fortè grauētur corpora vestra crapula & ebrietate, &c. Audistis edictū regis æterni, videte ne vestro maximo periculo negligatis. Si quis vobis peritus & sapiēs medicus his ipsis verbis præciperet, & diceret: Attēdite vobis, ne quis (verbi gratia) de illius vel illius herbæ succo auidius sumat: quod si fecerit, subitus veniet ei interitus: non dubito quin vnusquisque propriæ salutis intuitu, præmonentis medici præcepta seruaret. Nunc verò animarum & corporū medicus, simulq; & Dominus, iubet ebrietatis & crapulæ herbam vitādam: atqui nemo est qui propterea abstineat. Certè multa sunt quæ luxum illum nobis debebant odiosum reddere, etiam si non subesset exitium animarum, nullumq; de illo Dei præceptum. Profectò sicut sobrietas bonæ valetudinis conseruatrix est, ira & crapula omnium morborū mater est. Firmiorem enim ac vegetiorem habitum leuis reddit cibus, & expectatū ex morbo incommodum, sicut tempestatem insurgentem fugat: & præsentem iam, tamq; intentantem asperitatem, veluti turbinis cuiusdam impulsum ab se reiicit. Quod si quis verò sese ciborum multitudine & varietate ingurgitauerit, quia cibi ad iustam decoctionē peruenire nō possunt, multa eademq; varia morborum genera sibi acquirit. Tritum nec minus verum prouerbiū est, Longè plures crapula perire, quàm fame, imò quàm gladio. Iam quod de crapula diximus, idem de pessimo ebrietatis dæmone dictum volumus. Meritò dæmonem voco ebrietatem, quæ homines prorsus ab humana natura degenerare facit, imò quæ ex hominibus, vt verè Magnus Basilius ait, simulacra dæmoniorum facit. Aures enim habent & non audiunt, oculos habent & videre non possunt, pedes habent & ambulare nesciunt. Nonne familiarissimos interdum ignorāt? Sæpe alienis vt domesticis cōgrediuntur. Cùm vmbris quoque luctantur, easq; veluti fossas ac valles saltu pertranseunt. Aures terrifico sonitu, more fluctuantis maris refertas habent. Terra interdum insurgere, ac in tectum tendere, montes verò circummoueri videntur. Quandoque abs re & præter modum ridēt, nunc verò sine consolationis remedio plorant: nunc item audaces & temerarii, mox timidissimi & molles. Et quis potest illorum insaniā pro merito traducere? Sed quid ego hæc? Multis persuaderi vix potest peccatum esse, si qs crapulæ vel ebrietati inseruiat. Quorū iudiciū, crede mihi, non tardabit. Sunt enim qui putant fortè, se ad hoc in hanc vitam adductos, vt deliciis vacent, & ventrem disrumpant, & corp⁹ impinguent, atque sic hinc migrēt, vermibus largiorem è sua carne mensam instructuri. Sed hæc plus satis vereor apud eos, qui neq; Christum, neque huius verbum, alicuius momēti æstimāt. Quid aūt illis cōtinget? Siue Christo credant,

Orig. in Leuit.

Basilius Magnus

Chrys.

cedant, siue minus, diem Domini effugere non poterunt, imò ipsa hora quādo nihil minus putāt, veniet Dominus, & rapiet eos ad terribile illud tribunal, vt dignam mercedem scilicet recipiant. Et si enim pericula vltimi diei nō videbunt, tamen suum extremum diē nullo modo possūt effugere. Abijciamus ergo, ô mihi dilecti, opera tenebrarum, & induamur arma lucis, Sicut in die honestè ambulemus. Nō in cōmessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, sed induimini Dn̄m nostrum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis, &c.

*Vigilate itaq; omni tempore, orantes vt digni habeamini fugere ista oia quæ futura sunt, & stare ante filium hominis.*

Vigilare nos iubet, hoc est, semper paratos esse, & in expeditione stare cōtra omnes aiæ nostræ hostes: & quoniam cura nostra, nisi etiā nostri curā agat Deus, nihil est, vigiliæ adiungere iubet orationē, qua scilicet ambimus Dei gratiā & auxiliū, quo tandē tuti & innoxii expectare possimus oia mala imminentia. Hinc ille ait in psalmis: Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos. Dn̄s mihi adiutor, nō timebo quid faciat mihi homo. Igitur si vigilauerimus, hoc est, cautè egerimus, si semper armati sumus contra inuisibiles & visibiles hostes nostros, & per deuotam & piam orationem nos Deo cōmiserimus, fiet vt & temporalia mala nobis nihil noceant, & æterna timere non sit necesse. Quisquis enim quod suum est fideliter agit, & pia precatione defectus suos à Deo resarciri precatur, dignus est qui omnia huius mundi mala effugiat, & in futuro intrepidus ante filium hominis stās, coronā perpetuā expectet. Stabunt enim iusti in magna cōstātia, ait Sapiens, aduersus eos qui se angustiauerunt, &c. Quod verò vigiliam addinet, scribit Petrus in hunc modum: Sobrij estote, & vigilate. Et addit eiusdē monitionis necessariam causam, Quia (inquit) aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide, &c. Sed hæc hactenus: ad finem enī huius capitis properamus.

*Erat autem diebus docens in templo, noctibus verò exiens, morabatur in monte qui vocatur oliueti. Et omnis populus mane ibat ad eum in templo audire eum.*

Quod Christus iam iam verbis nos admonuit, hoc ipsum iam suo ipsius exemplo docere pergit. Die enim docet in templo, in nocte verò in montibus moratur, nimirum orationibus vacans: sic enim alibi scribit Euangelista noster: Exiit Iesus in montem orare, & erat pernoctans in oratione. Multi enī vigilant diu noctuq;, quos certè præstaret dormire: vigilant enim nō Christo, sed Satanæ: non vt animæ prosint, sed vt hanc citius perdant. Certè somnolenti illi homines & ventres pigri vbiq; male audiunt, siue ecclesiasticas, siue prophanas historias consulas. Rectè itaque populus hic Iudaicus agit, qui non plus æquo indulget somno, nec in medium vsq; diem stertit, sed mane surgit, & templum adit, Dei verbum à Dei filio audit. Et ô fœlices homines, qui singulorum dierum quos viuunt operas à Dei cultu incipere solent, quiq; ante omnia animam suam Deo commēdant, dein bono auspicio ad operas suas vadunt. Primùm, inquit Christus, quærite regnum Dei, & iustitiam eius. Et veterum antecessorum nostrorum historiæ testantur, quomodo in primitiua Ecclesia Christiani conuenerint mane diluculo, sacra tractarint, verbum Dei audierint, piisque orationibus vacauerint. Det Dominus noster Iesus Christus, vt Christiani tandem oculos recipiant, recordenturque quid Christo, quid proximis debeant.

debeant, & quàm longè degenerarint à verorum Christianorū instituto: quod vtinam statim fiat. Faxit Dominus noster Iesus Christus, cui sit laus & gloria in æuum. Amen.

## CAPVT XXII.

*APpropinquabat autem dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha. Et quærebant principes sacerdotum & scribæ quomodo Iesum interficerent: timebant verò plebem.*

Iam tandem audiemus ex D. Luca nostro, quàm verè dixerit Dominus in superioribus: Ecce ascendimus Hierosolymam, & cōsummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis, tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & cōspuetur, & postquam flagellauerint, occidēt eum, & tertia die resurget. Iam audiemus quomodo lapis ille pretiosus ab architectis reiiciatur, & postea à Domino recipiatur ad lapidem angularē apparatus. Iam audiemus quomodo filius patrisfamilias, à pessimis colonis, vinea eiiciatur, & extra vineam interficiatur. Tempus enim aderat, vt agnus ille, cuius vniuersi Iudæorum agni paschales typum gesserunt, ad vesperam immolaretur, in cruce nimirū, vt postea læti ac liberi possemus exire de Aegypto, & Pharaonis infernalis effugere tyrannidem. Sed de agno typico in sequentibus, neq; enim frustra tā diligenter adnotauit Lucas tempus azymorū, sed vt nos remitteret ad antiquam historiam, quæ nobis satis adumbrauerat, quid nobis sperandum de agno nostro immaculato, qui tulit peccata totius mundi. Nec nouū ēst quod Lucas hic dicit: Et quærebant principes sacerdotum & scribæ quomodo Iesum interficerēt, timebant verò plebē. Quoties enim hoc attentarunt? Quoties ministris in mandatis dederunt, vt Iesum apprehenderent? Plus certè temeritatis in hoc hominū genere fuit, quàm in ipso Satana: hic enim sæpius confessus est, Iesum esse filium Dei, huiusq; potestatem timuit, & præcipiēti obediuit. Nec vnquam ausus fuit temerarias manus in Iesum mittere, neq; in deserto, neq; in montibus, neq; in templi pinnaculo. Atqui principes illi sacerdotum & scribæ, diu noctuq; illi insidiantur, apertè etiam calumniantur tam dicta, quàm facta eius, parant illi exitium, paratiq; sunt illum de medio tollere, quacunq; occasione tandē possint. Non obstat eis diuina lex, non timent tortorē Diabolū, cuius vices agunt, sed tantum timent, ne populus per seditionem tanta molientes vi opprimat. Sed qui aut quales sunt hostes Christi? Non Gentiles, sed Iudæi, neq; ex vulgo Iudæorum, sed ex sacerdotibus: nec plebei sacerdotes, sed summi ac principes sacerdotū, & scribæ etiā, hoc est, illi ipsi qui quotidie ex sacris scripturis populo Iudæorum venturū Messiam commendare solebāt. Quem porrò volebant interficere? Non seditiosum aliquem, non homicidam, aut eius notæ impium hominem, sed Iesum. i. saluatorem mundi. AEgroti medicum, capti liberatorem, venundati redemptorem, oues pastorem, cæci lumen, breuiter Iesum Deum & hominem, Dei viuentis filium. Quid verò egit? Quibus impiè vel improbè factis commeruit? Audiámus ipsum loquentem: Multa opera ostendi vobis, propter quod eorum vultis me lapidare? Et iterum: Quis ex vobis arguet me de peccato? Innocentem ergo, nocentissimi interficere quærunt. Sed sic factum est piorum, & hic genius est impiorum. Abel occisus est à Cayn vterino fratre. Noe illusus est à ꝓprio filio suo Cham. Iacob persecutionem sustinuit à fratre suo malo Esau. Hismael talem instituit ludum cum sancto puero Isaac, qualem Apostolus non dubitat

Luc. 18

Ioan. 8, 10.

Gen. 4, 9, 27, 21.

Gal. 4.

tat vocare persecutionē, in Galatis suis. An ignotū esse vobis potest, quomodo Absolon arrogantissimus adolescens miserū suum patrē Dauidem persecutus fuerit, afflixerit, fugarit, inque summas angustias cōiecerit? Et Dalila dilectū suum Sampsonem in manus hostiū tradidit, vnde non mirū est, quod synagoga Dñm suū in manus impiorū trucidādū exposuit. Tu igitur, ô bone discipule Iesu Christi, si iniuriam pati cogeris ab eis, qui tibi multas debebant gratias, ne labaris ad impatientiā, sed animo tuo succurrat, q̄ inique Seruator tuus tractatus fuerit ab eis, in quos ingētes thesauros beneficiorum contulerat. Sed audiuimus conatum sanguinolentorum Iudæorū aduersus iustissimū Iesum Messiam nostrū. Cur igitur nō perficiunt quod deliberarūt? Timebant plebē, inquit Lucas. Et cur non potius carnificē suum Dæmonē? Imò cur non timent eum qui potestatem habet animā & corpus simul mittere in gehēnā? Qui timet Deū, ait Sapiens, faciet bona. Atqui quoniā principes Sacerdotū & Scribæ omnē Dei timorem ex corde excusserunt, nō est mirum quòd nihil boni nihilque sani instituunt. Vnde rectè Matthæus scribit, illos cōsultasse quomodo Iesum dolo tenerent & occiderent. Et profectò nō plebs, sed qui passurus erat, impediebat hactenus conatus illorū impios. Ipse enim habebat potestatē ponēdi animā suam, & iterum sumendi eam. Voluit autē pati hora sibi à patre cœlesti præfixa. Sed videamus verū maior Christi sit patientia, an illorum homicidarum malitia.

2. reg. 15

Iudic. 16

mat. 10

Eccl. 15

Ioan. 10

*Intrauit autem Satanas in Iudam qui cognominabatur Iscariotes, vnū de duodecim, & abiit, & locutus est cum principibus Sacerdotum & Magistratibus, quemadmodum illum traderet eis.*

Certè facilè credimus Satanam intrasse in Iudam, cùm hic tale scelus patrare non dubitat. Sed discutiamus singula pro nostro virili, imò iuxta quod nobis Dominus dederit. Intrauit autē Satanas in Iudā, &c. Ergo Satanas insidiatus est Christo, & cōtra semetipsum prouocauit potētissimū principē: qua de re fortè in sequentibus nonnihil dicemus. Quis est autem ille Iudas? Qui cognominabatur Iscariotes, & erat vnus de duodecim, hoc est, ex selectissimo discipulorū Dñi numero. Emphasim enim magnam habet, quod dicit: Vnus de duodecim, vt inde colligam⁹ nihil ab omni parte beatum esse, cùm videlicet in sacrosancto Apostolorum choro videamus furem reperiri & proditorē. Et discamus simulatos amicos pestilentiores esse publicis hostibus. Illi enim perpetuò plus nocuerūt regno Christi, qui sub titulo Christianorum ambulauerunt, q̄ Gentiles vel Iudæi apertissimi Christianæ religionis hostes. Certè Arrius ille impiissimus plus nocuit Christianis lingua & calamo, quàm Diocletianus igne ac ferro. Sed hæc aperta sunt. Discimus item quis sit effectus auaritiæ, si quando cor hominis occupauerit. Auaritia enim ductus Iudas, fecit quod iam audiemus. Victus enim cupiditate fœdissima, satanicumque recipiens consilium, negligit omnem amicitiam, exuit omnem humanitatem, obliuiscitur omnium beneficiorum, deserit saluatorem, confert sese ad turbatores, corruptores, perditoresque, ac sese sciens ac volēs perdit, & viuum viuentis Dei filium vendit. Hoc facinus, hoc, inquàm, facinus, quod Iudas auaritia ductus redemptorem nostrum vendidit, debebat omnibus auaris terrorem incutere, auaritiam odiosam ipsis reddere, sic vt cum Propheta ad Dominum clamarent: Inclina cor meum Deus in testimonia tua, & non in auaritiam. Sed repetamus iterum contextum. Intrauit autem Satanas in Iudam. Vide ne etiam in te ingrediatur, per malas

puto

puto persuasiones. Si enim te ad mala sollicitat, fores tuas pulsat: si annueris, si consenseris, iam ad te intrauit, & nisi maturè illum per pœnitentiam repuleris, de die in diem nequior & importunior erit, sicque obtinebit imperium, vt etiam si maximè repugnaueris, eius tyrannidem effugere non possis. Audiamus itaque scripturam sic nos admonentem: Nolite locum dare Diabolo. Et D. Iacobum: Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis: resistite autē Diabolo, & fugiet à vobis. Et quando audieris Iudam sic prostratum à Satana, vide ne tibi vllam pollicearis de illo securitatem, quasi ille te non ausit aggredi. Certè neminē veretur, à nulloque abstinet. Iudas erat vnus ex sanctissimo Apostolorum collegio, perpetuò Christo adhærens, & tamen sic deceptus est à Satana, vt sua spōte, nō vocatus, nō iussus, abiret ad principes sacerdotū & magistratus, vendíturus Dñm suū inquiēs, sicut alii Euāgelistæ habēt: Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? Hoc non acceperat Iudas in mandatis à Christo: sed vt omni populo diceret: Pœnitentiam agite, resipiscite, appropinquat enim regnū cœlorum. Sed quid pessimi illi mercatores, principes sacerdotum & scribæ?

Eph. 4
Iaco. 4

*Et gauisi sunt, & pacti sunt pecuniā illi dare. Et spopondit. Et quærebat opportunitatem, vt traderet illum sine turbis.*

Nos nolumus à Lucæ nostri historia longius recedere, cùm omnem passionis dominicæ historiam in Mathæo nostro, ex omnibus Euangelistis exposuerimus. Lucas ergo noster sic dicit: Gauisi sunt principes sacerdotū, & magistratus populi, quòd scilicet iā haberēt vnum, cuius opera certò possent perdere Christū. Ergo iuxta quod Salomon de impiis dicit: Lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis. Lætantur, inquām, quòd ipsi non soli sint impii, sed habeant malitiæ suæ complices. Eius generis habet hic mundus multos, qui plurimū gratulantur, si quando viderinť iniquorum augeri numerum. Sed hæc aliàs: nunc ad historiam iterum: Gaudeant illi in malitia sua, nos iuxta Apostoli nostri admonitionem, gaudeamus in Domino: illi gaudent, quòd eū morti tradere possunt: nos gaudeamus quòd mortem hanc voluntariè pro nobis subierit. Illi in morte Christi, ipsius quærebant interitum: nos in ipsius morte nostram spectamus & speramus salutem. Gaudent illi, quia morietur: gaudemus nos, quia resurget. Gauisi sunt illi, inquit Lucas, & pacti sunt pecuniam illi dare. Ex se metiuntur & Iudam. Auari auaro pollicentur pecunias. Et Iudas spopondit. Sed quid spopondit? Se traditurum filium Dei in manus hominum. Sed ô stultam, nec minus impiam sponsionem. Qui posset homo, hoc est, puluis & vmbra, tradere Deum Dei viuentis filium? Dæmones contremiscunt ad vocem filii hominis, & hic traditor instinctu Dæmonis adactus, pollicetur se illum traditurum. Et ne putes illum per iocum tam impium nephas pollicitum, quærit opportunitatem, vt tradat illum sine turbis. Sed hæc omnia frustra & pollicetur, & conatur: quum nihil aliud agere potuit, nisi ad quod vltro se offerret Christus: qui etiā ideo in mundum hunc venerat, vt pro iniustis & peccatoribus sese daret in mortē: hoc quod tā antea sæpissimè testatus est, & progressus historiæ abūdè testabitur.

Pro. 2

*Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha.*

Ab initio huius capitis, recepimus nos nonnihil dicturos de die azymorum, deque agno paschali. Hic enim fuit agnus typicus, & figurabat agnum nostrum immaculatissimum, qui tulit peccata mundi. De quo agno D. Petrus dicit, quòd nō corruptibilibus auro

vel argēto redēpti sumus, sed precioso sanguine agni immaculati Iesu Christi Domini nostri. Sed tractemus totum illud Iudaicum pascha. Sic autem legimus Exod. xii. Dixit Dominus ad Mosen & Aaron in terra Aegypti: Mensis iste vobis principium mensium, prim⁹ erit in mensibus anni. Loquimini ad vniuersum cœtum filiorum Israel, & dicite eis: Decima die mensis huius tollat vnusquisq; agnum per familias & domos suas. Sin aūt minor est numerus, vt sufficere possit ad vescendū agnum, assumet vicinū suum, qui coniunctus est domui eius, iuxta numerū animarū, quæ sufficere possūt ad esum agni. Erit aūt agnus absq; macula, masculus anniculus. Iuxta quē ritū tolletis & hœdū, & seruabitis eū vsq; ad xiiij diē mēsis huius. Immolabitq; eū vniuersa multitudo filiorū Israel ad vesperā, & sumēt de sanguine eius, ac ponēt super vtrūq; postē, & in superliminaribus domorū, in quibus comedent illū: Et edēt carnes illas, nocte illa, assas igni, & azymos panes cū lactucis agrestib⁹: Nō comedetis ex eo crudum quid, nec coctū aqua, sed assū tantū igni. Caput cū pedibus eius & intestinis vorabitis, nec remanebit quicquā ex eo, vsq; mane. Si quid residuū fuerit, igne cōburetis. Sic autem comedetis illum: Renes vestros accingetis, & calciamēta habebitis in pedibus, tenētes baculū in manibus, & comedetis festinātes. Est enim Phase, id est, trāsitus Dñi. Et transibo per Aegyptū nocte illa, percutiāq; omne primogenitum in terra Aegypti, ab homine vsq; ad pecus: & in cunctis diis Aegypti faciā iudicia: ego Dñs. Erit aūt sanguis vobis in signum in ædibus in qbus eritis, & videbo sanguinē, & trāsibo vos, nec erit vobis plaga disperdēs, quādo percussero terrā Aegypti. Habebitis aūt hunc diē in monimentum, & declarabitis eā solennem Dño in generationibus vestris cultu sempiterno. Septem diebus azyma comedetis. In die primo nō erit fermentatum in ædibus vestris: Quicunq; comederit fermentatum, peribit aīa illa de Israel, à primo die vsque ad septimum. Prima dies erit sancta & solennis, & dies septima eadem festiuitate venerabilis. Nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent: & obseruabitis azyma. In eadem enim ipsa die educā exercitum vestrum de terra Aegypti, & custodietis diem istum in generationes vestras ritu perpetuo. Hactenus verba Moysis retulimus, non ignorātes, quòd lex habuerit vmbram futurorum bonorum, & quòd omnia in figura illis cōtigerunt, scripta autem sunt ad doctrinā nostram, in quos fines seculorum deuenerunt. De hac itaque festiuitate loquitur Lucas noster: Venit autē dies azymorum, hoc est, dies ille in qua non licebat Iudæis, & etiam alienigenis, qui cum ipsis erant, vesci panibus fermentatis, sed solis azymis: & in qua die erat necesse occidi pascha. Quare erat necesse? Quia tanto verborum pondere à Dño per Moysen perceptum fuerat, sicut accepimus ex ipsa lege. Et profectò summè necessarium fuerat occidi pascha, hoc est, agnum paschalem, primum quidē Iudaicum, hoc est, typicum & vmbratilem: sed multo magis agnum immaculatum quē ille præfigurabat, hoc est, Christum nostrum. Quanto enim maiori & grauiore opprimebantur iugo, q̄ Iudæi in Aegypto, tanto magis necessarium erat nobis, vt agnus noster Iesus Christus & immolaretur & occideretur pro nostra libertate, &c. Opprimebat illos Pharao, oppressit nos Satan. Liberati sunt illi tum à iugo & seruitute Pharaonis: liberati sumus & nos à seruitute & iugo peccati, mortis & Satanæ. Agnus illorum semel mortuus est, & nunquam reuixit: agnus noster semel mortuus est, reuixit, & mors illi vltra non dominabitur. Sed de hac figura & veritate in progressu huius

Marginal notes: Exo. 12. — Leui. 23. — Heb. 10. — 1. Co. 10.

huius historiæ subinde aliquid loquemur. Sequitur autem in textu.

*Et misit Petrum & Ioannem, dicens: Euntes parate nobis pascha, vt manducemus. At illi dixerũt: Vbi vis paremus?*

Iesus Christus Dñs noster, qui ab infantia legis Mosaicæ fuit studiosissimus, neq; sub vitæ suæ finem illã negligere voluit, & hoc ne in aliquo derogare videretur, Deo patri suo cœlesti, legis illius latori. Cùm itaq; iam instaret dies paschalis festiuitatis, noluit ipsam negligere, sed ablegat suos dilectos discipulos, illum qui diligebatur plurimum, hoc est, Ioannẽ, & illũ qui plurimum diligebat, hoc est, Petrũ apostolorum principẽ. His enim duobus passioni proximus, præcipuè vtitur, vt quos passionis suæ voluit habere & spectatores & prædicatores. Eũtes, inquit, parate nobis pascha, vt mãducemus. Quare Petro & Ioanni instructionem mensæ præcipit, & non potius Iudæ procuratori suo? Respõdemus: Iudas iam alia meditabatur, q̃ parare Dño ad festum diem legalia fercula: exitium parabat Domino suo. Imò ignorans parabat & Christo, & huius sponsæ (ecclesiam puto) sanctissimã illam cænam, quam omnia superiora veterum sacrificia præfigurauerant. Talem item parabat cænam, qualem olim Absolon fratri suo Ammon parauerat, in qua ipsum fecerat occidi. Sed in hoc differunt, quòd Ammõ nõ omninò iniustè (vitiauerat enim ac vi compresserat sororẽ suam) Christus verò ab impio Iuda, innocentissimè impiorum mactationi oblatus est. Ergo absente Iuda procuratore, Christus Petro & Ioanni in mandatis dat, vt vadant paratum ea quæ ad manducandum pascha pertinebãt. Euntes, inquit, parate nobis pascha, vt manducemus. Quid ad hæc discipuli? Vbi vis, inquiunt, paremus? De ciuitate non dubitant discipuli, sed de domicilio. Nam secundum legem, non licebat alibi, quàm in eo loco vbi stabat tabernaculum constitutionis, celebrare pascha. Is locus à temporibus Dauidis & Solomonis fuerat vrbs Hierusalem. Ea verò lege præfigurabatur, verum agnum tollentem peccata mũdi immolandum fore Hierosolymis. Hoc non poterant ignorare discipuli, vtpote nati & in lege enutriti Iudæi. Quod ergo dicunt interrogantes: Vbi vis paremus? hunc sensum habet. Scimus, ô bone Iesu, tempus instare, quo iussi sumus agnum paschalem manducare, scimus quod non alibi nisi Hierosolymis liceat hunc diem festũ celebrare: scimus item, quàm malè tibi conueniat cum Hierosolymitanis. Maior pars te odio prosequitur: & si qui sunt tuarum partium, præ metu non audebunt se tuo nomine dare in periculũ. Vbi igitur vis paremus?

2.reg.13.

*Et dixit ad eos: Ecce, introeuntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo amphoram aquæ portans: sequimini eum in domum in quam intrat, & dicetis patrifamilias domus: Dicit tibi magister, Vbi est diuersorium vbi pascha cum discipulis meis manducem?*

Aperta est hæc historia, & nihilominus tamen multis doctrinis & consolationibus referta. Videmus enim in paucis illis verbis, quòd Christus sit & omniscius & omnipotẽs: omniscius quidem, quoniam nouit quisnam in vrbe Hierosolymorum obambulet: omnipotens autem, quia nemo illius iussis repugnare audet, omniumq; voluntates quando & quo vult impellit. Ex his voluit Dominus colligere suos, se nihilominus esse verum Dei filium, & saluatorem mundi, omniscium & omnipotẽtem, etiamsi tradatur in manus peccatorũ. Iisdẽ etiã docuit oẽs cultores suos verũ timorẽ Dei. Si enim absens videt quid in vrbe fiat, non ignorat, nũc in cœlis ad patris dexterã cõ-

scha: nunquam tamen legimus illũ tãto desiderio desiderasse illud manducare, vnde necessitas nos cogit credere hanc vltimam cœnam, quam iam audiemus, non parum differre ab aliis, quas alio tempore celebrauerat. Verũ non putandũ est, quod Christus tantũ desideriũ habuerit comedendi agnum assum, iuxta veteris legis ritũ: nã hoc stans cũ suis comederat. Sed loquitur de seipso, hoc est, de cibo quem ipse discipulis suis cito daturus erat, ipse, inquã, Christus, tãtæ cœnæ hospes, cib⁹, & conuiua. Sed videamus seriem textus, Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum, & hoc, anteq̃ patiar. Vide quomodo subinde inculcet passionis suæ memoriã. Hæc ẽm fidẽ nostram in negotio cœnæ fulcire potest. Non enim est incredibile, eum nobis dare corpus suum in cibum, & sanguinem suum in potum, qui postea corp⁹ suum dedit ad crucifigendũ, & sanguinem in remissionem peccatorum nostrorum fundendum. Sed hac de re in sequentibus. Quod aũt sequitur: Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei: hunc sensum habet, Quòd Christus tam proximus passioni sit, vt ante hanc peractam, nullum cibum sit mãducaturus: post passionẽ verò cum discipulis suis sit mãducaturus, etiam ex hoc agno quẽ iam daturus sit, & item ex corpore suo panis specie velato, hoc quod factum esse ex Lucæ nostri cap. xxiiij. certissimè cõstat, & adhuc quotidie de pretioso hoc agno vescitur Christus cum Ecclesia sua, tanquam caput cum membris suis. Iam enim regnum Dei venit, & intra nos est; quando contempto Sathanæ imperio, sub vexillo Christi militamus. Hác meam interpretationem, cum vniuersalis Ecclesiæ sit, nemo facilè contempserit. Quinq; igitur dicit. Primò dicit, quantum desideret cum suis discipulis hanc vltimam sumere cœnam, quo certè voluit illos attentiores reddere ad futuram actionem. Discipuli enim ex his verbis facilè conicere poterant aliquid noui, & alicuius ponderis secuturum. Secundò testatur passionem suam, sicut diximus, iam iam instare. Tertiò declarat passionem & mortem suam nõ diu duraturam, sed se rursum reuicturum, sic vt etiam manducare possit. Quartò, testatur se cũ discipulis suis comesturũ de hoc pascha, quod iam illis sit daturus. Quintò ostendit mortem suam facere ad illustrationem regni Dei. Christus enim morte sua diabolum vicit, & regnum patris cælestis ampliari fecit.

*Et accepto calice, gratias egit, & dixit: Accipite & diuidite inter vos. Dico enim vobis, quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.*

Calix hic, siue hoc poculum, non pertinebat ad sacramenta corporis & sanguinis Domini, sed ad vetus illud pascha. Quòd autem Christus hic gratias egit, suo more fecit: solebat enim perpetuò cibum & potum non sumere, nisi præmissa gratiarum actione. In hoc autem nobis exemplũ proposuit; vt ante ciborum sumptionẽ primum consideremus vnde nam victus ille nobis suppetat, non quidem ex industria & laboribus nostris tantùm, sed ex beneficio Dei, qui iuxta Psalmographum, dat escam omni carni: vnde & meritas illi debemus gratias. Porrò sicut antea testatus est, se nolle amplius manducare de agno illo Iudaico, ita & iam testatur, se nolle bibere de generatione vitis, donec regnum Dei veniat, hoc est, donec à mortuis resurgat. Deuicta autem morte, postquam surrexisset, cum discipulis suis manducauit & bibit, hoc quod Lucas noster in sequẽtibus manifestum faciet, & Petrus in Actis liberè & apertè fatetur. Christus itaq; sicut nondum dedit suum corpus discipulis suis manducandum, ita neq; sanguinẽ dedit ad bibẽdũ: sed quicquid

hactenus dedit, ad vetus pascha pertinere certum est. Iam verò continenter sequitur noua noui agni cœna, quam Christus tanto desiderio concupiuit cum discipulis suis facere.

*Et accepto pane, gratias egit & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est corpus meum quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem.*

Quæ hic Lucas nobis refert, certè augustiora & maiora sunt, quàm vt humanis sensibus comprehendi possint: sola fides hoc mysterium comprehendere, & pro modulo suo penetrare potest. Tu velim hic animum attentũ adhibeas, ego negotium hoc non minus arduum quàm sanctum, simpliciter iuxta fidem vniuersalis Ecclesiæ interpretabor, & à sponsa discam, quæ & qualia sponsus dederit nobis omnibus qui illi per fidem & sacramenta adhæremus. Lucas itaque noster sic dicit: Et accepto pane, gratias egit, & fregit, &c. Quis est ille qui talia instituit? Iesus Christus, Deus, & Dei in æternum viuentis filius. Hoc qui rectè perpenderit, quæ sequuntur facilè credet. Nam & apud Ioannis Euangelium, dũ Christus polliceretur, quod iam præstat, quidã putabant illum esse Ioseph fabri filium, & ideò insanire, quòd tam magnifica de se diceret. At Petrus nihil offendebatur Dñi sermone: sed interrogatus num & ipsi apostoli vellent abire, respondet: Domine, ad quẽ ibimus? verba vitæ æternæ habes. & nos credimus & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei. Ergo qui certò persuasum habet, ac ex aio credit Iesum Christum esse filium Dei, is non potest de verbis Dñi vllã admittere dubitationem: sed firmiter credit hoc quod Christus tũ Apostolis, & iã in Ecclesia Christianis nobis dat, verũ esse corpus Dñi, quod tũ in manibus peccatorũ contumeliis affectum, & dein cruci affixum est. Quis enim non crederet veritati dicenti: Hoc est corpus meũ, quod pro vobis tradetur. Et apud aliũ Euangelistã addit: Accipite ergo & manducate. Crede itaque Christo, & non decipieris. Noli interrogare sensus tuos: hi enim debiliores & obtusiores sunt, quàm vt Christi mysteria vel cernere, vel certò iudicare possint. Omnis homo mendax, inquit veracissimus Christi Apostol9, Deus aũt verax. Homo ergo, & quicquid humanum est, te fallere potest: Deus autem sicut nõ falli, ita nec fallere potest quenquam. Dic enim mihi, quem sensum hominis nihil vnquam decepit? Aut quis hominum sensus non aliquãdo deceptus est? D. ille Thomas Apostolus non credebat suis ipsius oculis, verebatur enim ne phantasma aliquod videret, pro Christo: ideoque nõ contentus fuisset vidisse Deum, nisi & eundem manibus cõtractaret. At Isaac ille patriarcha contrectabat Iacob filiũ suum, huicque benedicebat, cùm tamen interim putabat se contrectare primogenitum suum Esau. Scilicet: ideo non adest præsens Christi corpus sub speciebus panis & vini, quia tu illud oculis tuis carnalibus videre non vales. Ergo & sol huius mũdi non est maior quàm tuorũ oculorũ visus iudicare potest. Certè stulta stulti homis argumẽtatio fuerit, sic ratiocinari: Ego nõ video corpus Christi, nec sanguinẽ Christi, ergo non adsunt, ergo vanũ est quod Christus dixit. Sic potuisset & Thomas ille dialecticari: Si non videro fixuram clauorũ in manibus & pedibus Christi, & si nõ misero manũ meã in latus ei9, nõ credã Christũ resurrexisse. Ergo si Thomas non viderit Christũ, si nõ palpauerit Christũ, mẽtiti sunt Apostoli dicentes illum resurrexisse, mentitus est Christus, dicẽs: Post tres dies resurgã. O impiam curiositatem. Quæ eñ est impietas, plus credere humanis sensibus, quàm diuinis oraculis. Legimus in sacris veterum historiis, quòd olim Propheta viderit, quæ Prophetæ famu

Ioan. 6

Psal. 115

4. Re. 6.

famulus videre nō potuit, donec Propheta illud à Domino imperraret, vt etiam famulo pateret. Historia sic habet: Cū rex Syriæ pugnam instituisset cōtra Regē Israel, & intellexisset omnia sua consilia per Helisæum manifestari Regi Israel, iratus super prophetam, in mandatis dedit seruis suis, vt Helisæum caperent, captumq; illi adducerent puniendum. Qui audientes regis sui mandata, venerunt cum magno exercitu, & obsederunt & circundederunt Dothaim ciuitatulam, in qua tum morabatur Propheta. Consurgēs itaque minister Dei diluculo, egressus est, viditque exercitum in circuitu ciuitatis, & equos & currus (noctu enim appropinquauerant): Nunciauitque Helisæo dicēs: Heu, heu, heu Domine, quid faciemus? At ille respondit: Noli timere, plures enim nobiscum sunt q̄ cū illis. Cūq; orasset Helisæus ait, Domine aperi oculos pueri huius, vt videat: Et aperuit Dominus oculos pueri & vidit. Et ecce mons plenus equorum & currū igneorū in circuitu Helisæi. Sed hæc prolixius forsan quàm cōueniebat. In hoc aūt adduximus hāc historiam, vt probaremus non omnia omnibus esse manifesta, inque Dei manu esse ac potestate, quid cui apeariat: Vnde necesse est vt Dei verbis plus credamus, quàm vniuerso hominū generi. Ego certè probatissimis historiis testatū facere possem, aliquādo sub speciebus sacramenti, Christum ipsum in sua vera, hoc est humana specie, à piis aliquot visum: Verum qui Christi verbis nōn credit, nec humanis historiis vnq̄ fidē habebit. Audiamus itaque Christū, nō sicut fabri hominis filium, sed sicut Deum ac Dei viuētis viuum filium. Hic accipit panem, & benedicit, & frangit: benedictum ac fractum Apostolis porrigit dicēs, Accipite & manducate, Hoc enim est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Aperta sunt verba, fide dignus

4.Re.6.

est qui loquitur ipsa: Et quoniā scit qd sit in homine, quamque debilitari sint hominis sensus, apertissimè manifestar quid nobis det. Accipite, inquit, & manducate: Hoc est corpus meum: Hoc inquam quod vobis porrigo, hoc quod in manibus habeo, hoc quod manducabitis, est corpus meū. Nolite interrogare oculos vestros, non os & dentes vestros, non manus vestras: sed mihi credite. Non est quod videtur, sed est quod loquor, nimirū corpus meū: & hoc corpus quod pro vobis tradetur. Sæpissimè manducauit Dominus cum discipulis suis, sed nunquam legimus, quod ipsis exposuerit quid cibi manducarent. In hac autē cœna apertè & signanter dicit quid illis manducandum exhibeat, nimirum corpus suum, quod statim tradendum erat in mortem. Et addit: Hoc facite in meam cōmemorationem. Quid debent facere? Hoc quod Christus ipse iam fecit, & suos facere iussit. Et quid debent commemorare? Hoc nimirū quod semetipsum Christus tradidit pro nobis in mortem, quòd morte sua nos liberauerit ab æterna morte, & quod patri suo cœlesti nos recōciliauerit, & ex filiis iræ filios Dei effecerit. Et hactenus quidem hæc suffecerint pro simplicissima verborū Christi interpretatione. Quæstiones quæ super hoc negotio vltrò citroque habentur, nihil hic nos remorentur. Nobis, ni planè fallimur, negotium est cum Christianis, cum filiis Dei, cum commembris Christi: nō cum Iudæis, non cum Ethnicis, non cum Hæreticis, neque cum apostatis. Certè qui fidem Ecclesiæ catholicæ & orthodoxæ Ecclesiæ circa hoc sacramentum conuellere conantur, sic certi sunt super sua opinione, vt interim adhuc hæreant quid vel credere, vel docere, vel affirmare debeant. Tu si verbis Christi adhæseris, facilè illorum blasphemias contempseris.

*Similiter & calicem postquam cænauit,*

*nauit, dicens: Hic est calix, nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.*

Quod Lucas hic noster obscurè dicit, ab aliis Euangelistis clarius effertur, in hæc nimirum verba: Et accipiẽs calicem, gratias egit & dedit illis, dicẽs: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remißionẽ peccatorum. Hic quod supra diximus, repetitum volumus, nimirum vt captiuato intellectu tuo, in obsequiũ Christi, huius verbis credas plusquam omnibus creaturis: Credas, inquam, quòd Christus in calice suis Apostolis exhibuerit verum sui ipsius sanguinem, sub specie vini: nec alium sanguinem, nisi qui non ita multo post in cruce, pro remißione peccatorum nostrorum effusus est. Quòd autem hoc in loco vocatur sanguis noui testamenti, obseruandum est, quòd sanguis Iesu Christi domini nostri in cruce effusus, quasi arrabo & sigillum fuit noui fœderis, quod Christus nobiscum pepigit. Pepigerat olim Deus pactum cum filiis Israel, quòd hos ipsos esset introducturus in terram fluentem lacte & melle, modò in suis mandatis & iustificationibus ambularent: Sic enim legimus quòd Moyses de mõte à Domino venerit, & narrauerit plebi omnia verba Domini atque iudicia. Responditque populus: Omnia verba quæ locutus est Dominus, faciemus. Scripsit autem Moyses vniuersos sermones Domini; & manè consurgens ædificauit altare ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Israel. Misitque iuuenes de filiis Israel, & obtulerunt holocausta, immolaueruntque victimas pacificas Domino vitulos. Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis, & misit in crateras, partem autem residuam fudit super altare. Assumensque volumen fœderis, legit audiente populo: Qui dixerunt: Omnia quæ locutus est Dominus faciemus, & erimus obedientes: Ille verò sumptũ sanguinem respersit in populum: Et ait, Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his. Ad hunc ergo sanguinẽ, & ad hæc Moysis verba respexit Dominus, quum diceret: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis fundetur. Ac si vellet dicere: Veteri testamento, succedit nouum: & sicut hoc illo melius & preciosius est, ita & nouum honorificentius roborabitur & consignabitur quàm vetus. Vetus habebat sanguinem vitulorum, cui non erat possibile vt peccata aboleret. Nouum autem iam habebit meum sanguinem, & talem sanguinem, qui valet ad abolitionem omnium peccatorum. Tu iam obserua quid sibi verba testamenti velint: Iudæis non sufficiebat aspersos esse sanguine, vt probarentur Deo: sed necesse illis erat mãdatis Domini obtemperare, vnde inquiebant: Omnia verba quæ locutus est Dominus faciemus. Sic & nobis non suffecerit participare de corpore & sanguine Domini, nisi & nos obseruauerimus verba pacti siue noui testamenti, & mandatis Christi seruatoris nostri obtemperauerimus. Fœdus autẽ illud nouum vult, vt inter partes sit idem velle ac idem nolle, vt scilicet quæ ille amat & nos eadem amemus: & quæ ille odit, etiam nobis odiosa sint. Certè fuerunt Apostolorum tempore qui sibi peccatorum impunitatem pollicebantur, tantum ob id quòd sacramentorũ Ecclesiæ fuissent participes: atqui D. Paulus eos grauiter obiurgat, & ex veterum historiis ostendit, Deo non placere illos, qui post multa beneficia accepta, gentilium imitantur opera. Nolo, inquit Apostolus, vos ignorare quoniã patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes in nube sub Moyse baptizati sunt, & omnes eãdem escam manducauerunt, & omnes eundẽ potũ bibe-

Mat. 26 | Exo. 24

biberunt, sed non in omnibus illis beneplacitum fuit Deo, verùm prostrati sunt in deserto, &c. Locus manifestus est, & expositio non admodũ obscura, vnde ad alia progredimur. Neq; enim instituimus cum quoquã, hoc quidem in loco, contendere de sacramẽtis Domini & Ecclesiæ. Ad historiã itaq; dominicæ passionis progredimur. Post præmissa enim verba continenter inquit Christus.

*Veruntamen ecce manus tradẽtis me, mecum est in mensa: Et quidem filius hominis vadit, secundum quod definitum est: veruntamen væ homini illi per quem tradetur.*

In institutione venerabilissimi Sacramenti, affirmauerat Christus corpus suum, hoc est ipsum, tradendum in mortem, & sanguinem suum fundendum in remissionem peccatorum. Iam igitur aperit à quo tradendus sit, & qualis futurus sit finis, non tam traditoris, quàm tradendi. Dixi inquit vobis, ô charissimi discipuli, quod tradar pro vobis in mortem, & quod sanguis meus effundetur in remissionem peccatorum vestrorum. Quod tam certò fiet, vt etiã iã mecũ in mensa sit, cõuiuetur mecũ qui me traditurus est. Vobis non fit verisimile aliquem esse, vel inter sceleratissimos gentiles, qui ausit manus inijcere in filiũ hominis, cuius tot sunt beneficia quot facta: Et ecce iam participat de mensæ meæ ferculis qui tale nefas facere nõ dubitabit. Nec frustrabitur impius traditor voto suo: Filius enim hominis vadit sicut definitum est de eo. Hoc est, traditor in hoc totus est, vt me totũ perdat, & ad hoc facinus nephandissimũ habebit suos satellites: sed non fiet quod illi volũt, sed quod Pater meus cœlestis iam olim definiuit facere per filium suum. Pater non vult perire filium suum: sed vult per filij mortem sibi reconciliare mundum, & post hoc exaltare filium suũ, & dare ipsi nomẽ quod est super omne nomen, &c. Væ autem homini illi per quem tradetur. Qui enim me perdere conabitur, ipse peribit, & ipse cadet in foueam quam mihi parauit. Ex his rursum discimus Christi patientiam, & erga traditorem suum magnã charitatem. Videmus enim quòd Christus illum dignatur mensa sua, tacitisque verbis ad resipiscentiam adhortatur. Quo facto nos docere voluit, vt erga peccatores summa lenitate vtamur, vt qui ignoramus quando tandẽ ad cor redituri sint.

*Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis qui hoc facturus esset.*

De vera adeoque fraterna charitate scribit Apostolus, quod non cogitet malum: & qui verè bonus est, de nemine male suspicatur, ex se enim etiam metitur alios. Hinc est quòd Christi discipuli non existimant aliquem inter se esse, in quem traditionis crimen meritò cadere possit: adeoq;, inquam, ab omni mala suspicione erant liberi, vt etiam nõ putabant eo nomine notari Iudam, quando ipsi à Christo dicebatur: Quod facis fac citius: sed putabãt mentionem tũ fieri de parandis esculentis ad festum diem. Duo ergo bonos discipulos mouebant, primũ quia de Christi verbis dubitare non licebat: secũdum quia singuli (excepto Iuda) sibi bene conscij erant, nec aliquis de quoquam malè suspicari poterat vel debebat. Quis enim cogitaret quippiã mali de his, quos Christus ipse in consortium suum allegerat? Quis putasset Dominum in consortio tam sancto, suum retinere traditorẽ? Deinde quis auderet illum vanitatis arguere, qui se & veritatem & vitã professus fuerat? Atqui quoniam veritas mentiri non potest, certè in numero discipulorum, & in collegio Apostolorum, erat traditor domini sui, vtcunq; reliquos lateret Apostolos. Ex his itaq; discimus.

Primum

Primum quòd bonorum consortia amare debemus: secundò ne de quoq̃ malè suspicemur: tertiò vt verbis Domini fidē habeamus, siue assequamur illa siue minus.

*Facta est autem contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior.*

Non possumus ex consequentia vel circumstantia textus certò colligere, quid nam mouerit Christi discipulos ad hanc contentionē: neq; magnopere refert siue sciamus siue nesciamus. Certè ex historia Euangelica apparet, Christum inter discipulos suos dilectum aliquem habuisse, & alteris alteros prætulisse, & hoc propter causas nobis quidem occultas, ipsi verò sicut iustas ita & cognitas. Videmus enim in Euangelio, Dominum præ cæteris Petro & Ioanni & Iacobo fratribus se præbuisse omnino familiariorē quàm reliquis: vt in resuscitatione puellæ, in transfiguratione, & etiam alibi. Cæterùm occasionem huiusmodi contentionis & ambitionis fortè sumpserunt inde Apostoli, quòd iam totiens audierant à Christo mentionem fieri alicuius regni: quod quia temporale putabant, expectabāt etiam & ipsi in illo tanquam intimiores, nonnihil honoris. Quid mater filiorū Zebedæi alibi filiis suis à Christo petierit, obscurum non est: Neq; factum hoc discipulorū ideo conscriptum est, vt inde discamus pro primatu contendere: sed potius vt discamus & admoneamur, Christo nunquam in nobis placituram ambitionem, quam in suis amicis seuerè taxauit. Tritissima in Euangeliis & decantatissima est sentētia: Deus superbis resistit, humilibus autē dat gratiā. Et Paulus tam in Romanorum quàm Philippensium Epistola, nos commonefacit, ne quis quemq̃ præ se contemnere pergat. Honore, inquit, inuicem præuenientes, non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Et iterū: Nihil per contentionem vel inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes: non quæ sua sunt singuli cōsiderantes, sed quæ aliorum, &c. Sed audiamus Christū ipsum suos, & cum his nos ad humilitatem adhortantem.

Mat. 20. Mar. 10.

*Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur.*

Ex hac Domini obiurgatione apparet, quod Discipuli per cupiditatem & vanam gloriam cōtenderint ad primatum: & quilibet putauerit se dignū qui in regno Christi (quod tamē sicut diximus temporale somniabant) rerū gubernaculis præficeretur. Ad hoc ergo respondet Christus, Reges gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos benefici vocantur. Hoc est dicere: O mihi charissimi, satis intempestiuè contenditis pro primatu & pro functione magistratus. Supersunt enim adhuc plus satis qui regni habenas moderentur. Nec is iā rerū status est, vt penes Iudæos principatus sit. Sed reges gentium, hoc est, reges qui ex Gentilibus sunt, & à Iudaica religione & gente porro alieni, quique reliquis gētibus præfecti sunt, hi & super Iudæos principatum tenēt. Neque ideo abominandi, execrandi, vel contemnendi sunt, sed propter potestatem suam & dominationem, Benefici vocari debent, imo & sic vocari volunt. Igitur cum talis sit iam conditio temporum, vanum est vobis super primatu multis cōtendere. Præmissis autem addit Christus.

*Vos autem non sic: Sed qui maior est in vobis, fiat sicut iunior: & qui præcessor est, sicut ministrator.*

Vide quanta debeat esse differentia inter hominem Ethnicum, & inter Christi discipulum. Ille quanto maiori potestate & dignitate pollet, tanto

magis

magis fastu turgescit, & amat benefi-cus appellari, etiam si plus tyrannidis quàm beneficentiæ exerceat. Christi verò discipulus quãto altius euehitur, tãto submissius se gerere debet. Et qui omnibus prælatus est, agnoscere debet se omniũ esse seruũ. Hinc sanctissimi illi veteres Pontifices Rom. verè & ex animo vocabant semetipsos seruos seruorum Dei, & sese tales esse re ipsa declarabant. Quàm verò degenerarint aliquot à progenitorũ instituto, Christianismi nostri ruina pernitiosissima satis abundeque testatur. Porrò quod ad contextum adtinet: quoniam ambitio & superbia has inter discipulos turbas excitabat, ad humilitatem eos hortabatur, admonens illis non conuenire gẽtium mores. Vos, inquit, non sic. Hoc est: Non in hoc elegi vos vt constituam principes orbis, qui vel tyrannidem vel iura & leges exerceãt, sed ministros Ecclesiæ, qui orbem doceant Euangelium, & sancta vitæ cõuersatione, humilitate, sanctimonia patientiaque præferant omnibus vitæ exemplum.

*Nam quis maior est: qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat.*

Præmiserat Dominus exemplum gentium, quod fugere & execrare debent homines Christiani: iam verò ponit se in exemplum: quem imitari tenentur, quotquot illius gloriæ volunt ac cupiunt esse participes. Quod si inquit vobis durum videtur quod præcipio, me intuemini, Ego vobis à Domino datus sum magister, cuius verba & facta sectemini, ad me igitur respicite, non ad gentiles. Et quicquid à me videris fieri, hoc ipsum imitamini. Egò autem licet sim viuus viuentis Dei filius, per quem omnia condita sunt, dominus & magister uester, princeps vitæ victorque mortis: tamen non arrogò mihi vllam dignitatem: Neque loquor tantum de dignitate Principũ & Magistratus, quam fortè quidam possent putare me ideo declinare, ne propter illorum offensam periclitarer: sed de hoc loquor, quòd etiam inter vos magis ministri quàm Domini officium fecerim. Vos enim feci recumbere, ego autem vobis ministraui. Iam certum est, iuxta vulgi opinionem, illum maioris esse dignitatis qui recũbit, quàm qui ministrat. Ego autẽ, sicut videtis, in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Sic & alibi quum Zebedæi filij ambirẽt primas sedes in regno Christi, & reliqui discipuli super hac ambitione, ipsi ambitiosi indignarẽtur, ait illis: Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus, sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis. Quæ tamen sententia non absolutè intelligenda est. Seruiendum enim Christo tanquam vero Deo & saluatori totius mundi. Noluit autem sibi in hisce terris, tanquam regi terreno, ijs inseruiri ministeriis, quibus delectari solent huius seculi principes. Imò cùm aliquando populus Christo imperium offerret, & ipsum regem sibi creare vellet, fugit in desertum, hoc quod Ioannes suo Euangelio vt inseretur dignum iudicauit.

*Vos autem estis qui permãsistis mecũ in tentationibus meis.*

Tentationes hic vocat Dominus cõtradictiones, conspirationes, & machinationes aduersum se, Sacerdotum, Scribarum, & Pharisæorum: in quibus stetcrãt apostoli cum ipso. Ex corpore siquidem Euangeliorum patet, non solum Christum, sed & huius discipulos à Iudæis multa mala, multasque vexationes & molestias sustinuisse. Inuidebant enim primores Iudæorum tam sancto collegio, & omnibus viribus ac studiis conabantur illos disiungere: hinc aliquando Christum traducunt

apud

apud discipulos, aliquãdo etiam discipulos traducebant apud Christum: sed omnia frustra moliebantur, vt sermo Christi impleretur qui dixit: Pater quos mihi dedisti non perdidi ex eis quenquam, nisi filium perditionis. An non legimus: Magister quare faciunt discipuli tui in sabbato, quod non licet in sabbatis facere? Et quare discipuli tui transgrediuntur praecepta seniorum? Et iterum: Quare nos Ioannis discipuli, & pharisaei ieiunamus frequẽter, discipuli autem tui non ieiunant? Et si non periclitabãtur discipuli cum Christo, quid sibi volunt verba Apostoli Thomae dicentis: Eamus & nos in Iudaeam cum Christo, & moriamur cum eo. Sed his opinor nemo contradicit: Vnde rectè ait, ad Apostolos suos Christus: Vos estis qui permansistis mecum in tẽtationibus meis. Hoc est: Non vos humilitas, non paupertas, non labores vitae, non obtrectationes hominum, non pharisaeorũ insidiae, non potentium minae distraxerunt à meo contubernio, quum alij defecerint, alii non sint ausi profiteri sese meos discipulos. Neque enim carebat periculo Christũ profiteri. Iam enim conspirauerant Iudaei, vt si quis profiteretur se Christi discipulũ, extra Synagogam fieret. Io. ix. Praesens itaq; locus duorum nos admonet, vt scilicet agnoscamus Christi in terris conuersationem, delectationis nihil, amaritudinis autem multum habuisse: & illos tandem Christo placere, qui non dubitant eandem cum illo subire & periclitari aleam. Vnde etiam sequitur.

Mat. 9.

*Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum: vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel.*

Idẽ hoc in loco mihi videtur Christus discipulis dicere, quod alibi Paulus Corinthijs suis: Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote & immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino. Neq; ex his Domini verbis coniectandum est, quasi in regno Dei humano more Apostoli sint vel comesturi, vel in thronis sessuri: sed sub inuolucro sermonis subindicare voluit Christus, bonos Apostolos suo praemio nũq̃ esse fraudandos. Allusit autem ad mores regũ, qui quos habẽt amicissimos & fidelissimos, illos etiã adesse, volũt suis mẽsis & suis consiliis. Signanter enim dicit: Super mensam meam edatis & bibatis, quibus significauit illos omniũ fore proximiores & intimiores. Neq; tamen praetereundum est, quod ait: Ego dispono vobis regnum, sicut hoc ipsum mihi disposuit Pater. Bipharium enim hic locus interpretandus venit. Primum vt sit sensus: Sicut pater meus coelestis mei curam gerit, meque ad summum ac regium honorem euecturus est: ita & ego vestri curam in me recipiam, curaboque ne in aliquo deficiatis. Secundò sic intelligimus verba Christi Domini nostri, vt discipulis non alius nec diuersus sit futurus aditus ad Regnum caelorum, & ad vitam beatam, quàm fuerit Christo Domino nostro, ac seruatori. Oportebat autem illum multa pati, & ita intrare in gloriam suam, sicut Christus ipse in sequentibus testabitur. Et iuxta Pauli doctrinam oportet omnes praedestinatos conformes fieri imaginis filij Dei. Sed haec alias.

1. Co. 14

*Ait autem Dominus Simoni: Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te ne deficiat fides tua. Et tu aliquando cõuersus, confirma fratres tuos.*

Obseruandus est docendi modus quem Christus in vsu habet: videmus enim ferè vbique quomodo nusquam non vinum & oleum commisceat, &

quasi

quasi per vices, nunc dulce, nunc amarum, deinde rursum dulce, & post iterū amarū. Redarguerat Apostolos ꝑpter ambitionē: deinde magnifica eisdē pollicetur in regno patris cœlestis. Iā ne efferātur ex tā præclara ac magnifica pollicitatione, rursus eis frenum iniicit, tumentes cohibet prædictione malorū quæ futura erāt super eos: Et quoniā Simon Petrus cōfidētior erat cæteris, Christus ad ipsum præcipuè sermonē cōuertit, inquiens. Simō: Ecce Satanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticū: ego autem rogaui pro te ne deficiat fides tua. Sensus est: Ego vos duodecim elegi in Apostolos, vt vestro ministerio, Euangeliū regni Dei vniuerso depredicaretur hominū generi, vt vestro ministerio Satanæ regnū destrueretur, ac Ecclesia Dei ex viuis & preciosis lapidibus ædificaretur. Hæc igitur res cū vergeret in præiudiciū Satanæ humani generis hostis, summis viribus omniqꝫ conatu conatus est institutū meū remorari, & quos mihi in ministerium elegerā, eos in sua pertrahere castra. Et certè diabolus ille pessimus calumniator, nō delusus est sua spe penit⁹, Iudā enim ex collegio nostro ad se perduxit: Quod cū factū est, bonā spem cōcepit fore, vt tandē & vos reliquos in suam pertrahere possit nassā. Atqui ego pro te ô Petre rogaui, ne deficiat fides tua. Ille conabitur vos eò perducere, vt vos pœniteat meæ familiaritatis, vt pœniteat vos mihi tantū adhibuisse fidei: Suggeret vobis: En putatis vos eū viuū Dei viuētis esse filiū, quē videtis à proprio discipulo traditū, à Iudæis captū & tā crudeliter tractatū? Putatis Deū cōniuere posse, vt suus filius sic veniret in manus iniquorū? Putatis eū redemptorem totius Israelis, qui nec sibi ipsi auxilio esse potest? His & talibus machinamētis, adorietur vos Satan, quo possit ex fidelibus facere perfidos. Sed conat⁹ illius impostoris nō habebunt expectatū successum. Ego enim rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua. Meo bono permanebis, me protegēte, me pro te rogāte, nō deficies à fide, vnde nō est vt tuis viribus tuoue cōsilio tale qd adscribas. Quantū enim in te est porrò perires: ego aūt ne illud fieret pro te rogaui. Et tu aliquādo cōuersus cōfirma fratres tuos. Nā p te, dū tua fides nō deficit, cōfirmabunt fratres tui aduersus Satanæ insidias, ne ab illo velut triticū cribrētur, ad infidelitatē ptracti. Humanū quid ꝗ Simō patiere, nō perstabis porrò cōstans in fidei professione: sed tandē me adiutore, recipies animū, pœnitentiā ages, & pristinā fortitudinē recuperabis. Hoc si fiet, habe & tu deinceps patientiā, cū eis qui humanū quid admiserint: & quoniā malorū ignarus nō es, miseris succurrere disce. Ex hac Dñi ad Petrū oratione multa discim⁹, & primū quidē: Neminem suis viribus parē esse posse aduersus Satanæ malitiā, nisi Christi præsidio fulciatur. Discimus itē quāto odio prosequatur ille Satanas hoīm genus, & eos maximè homines, quos singulari quodā modo Christus ad se pducere conatur, quosqꝫ Christus ad ꝓpagandū suū Euangeliū præcipuè selegit. Discimus tertiò quòd Christus etiā electos suos subinde labi patiatur, vt suæ infirmitatis conscij ac memores, erga alios ad misericordiam sint faciliores. Iā quod Christus præcipuè Petro dixit: Ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua, à Doctoribus catholicis sic accipitur, vt Christus hic pollicitus fuerit, Fidē in Christum Ecclesiæ Romanæ, cui⁹ Pōtifex Petrus fuit, nūq̄ defecturā: & rectè quidē. Nulla eni vnq̄ Ecclesia pauciores hæreticos aluit, atqꝫ Ecclesia Romana. Teste enim Hieron. in cathedra Romanæ Ecclesiæ nullus vnq̄ hæresiarcha resedit. Sed hæc tractāt exactius catholici doctores ꝓpriis tractatibus. Iā quæ sequūtur videam⁹.

*Qui dixit ei, Domine tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire.*

Non poterat Petrus æquo animo ferre,

ferre, ſe eius inſimulari infirmitatis, vt totus eſſet à Chriſto defecturus, niſi huius pro illo obſtaret precatio. Vnde ex impotẽtia animi in has tragicas voces erumpit, ac ſi ſe penitius & propius noſſet, q̃ alius quiſpiam ipſum noſcere poſſet. Sed nõ poteſt fieri vt creator nõ cognoſcat creaturã ſuã: Ipſe cognouit figmentũ noſtrũ, canit de Deo noſtro Pſalmographus. Et alibi: Scrutãs corda & renes Deus. Sed diſcutiamus verba Petri, Domine inquit paratus ſum & in carcerem & in mortẽ tecum ire. Magnifica certè verba, ſed nõ prudẽtia: Domine inquit. Si ergo Dominus tuus eſt, ô Petre, cur illum mendacii arguis? Cur preces illius reiicis, ac ſi illarũ nõ egeas? Paratus ſum, inquit, Domine tecũ ire in carcerẽ & in mortẽ. Paratus quidẽ erat Petrus, & ſic ſecũ conſtituerat vt verba ſonant: ſed vt verbis adderet facta, in ſe nõ habebat. Paratus erat: tũ ſcilicet cũ extra omne periculũ eſſet: ſed ſicut audiemus, cũ tẽpus poſtularet vt virũ præſtaret, nõ expectauit donec ventũ eſſet ad carceres & ad mortẽ, ſed vnius mulieris voce, ſic cõcuſſus eſt, vt ſtatim abnegaret Dominũ. Sed de hoc in poſterioribus. Iã tu hoc exemplũ Petri ſic habe tibi, non vt imiteris, ſed vt fugias. Neq; enim decet hominẽ plus æquo eſſe cõfidentẽ. Dignũ quidẽ eſt, vt homo Chriſtianus paratus ſit duriſsima quæq; ſubire pro Chriſto: ſed decet eundẽ nõ in propriis viribus cõfidere, ſed in Deum qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate. Obſeruandum etiã quanta ſit Chriſti charitas erga Petrũ, quòd pro huius cõſtantia patrem cœleſtẽ peculiariter orauerit. Imo obſeruandũ quãtus ſit Chriſti amor erga omne genus humanũ, qui & adhuc non ceſſat pro nobis interpellare patrem, donec nos ad ſe receperit.

Pſal. 7. 102. — 1. Io. 12.

*Et ille dixit: Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges noſſe me.*

Quoniã, iuxta aliorũ Euangeliſtarũ relationẽ, Petrus perſeuerat in ſua cõfidentia, ſiue mentiatur Chriſtus, ſiue vera dicat: Chriſtus etiã ipſe nõ ceſſat prædicere pudendũ illius lapſum, nimirũ quod nõ ſolũ nõ ſit ſe comitaturus in carcerẽ & in mortẽ, ſed quod ſit negaturus ipſum, nec ſemel tantũ, ſed ter: nec per multũ tẽporis, ſed in breuiſsimo tẽpore, nimirũ anteq̃ gallus in nocte proxima ter eſſet vocẽ daturus. Magna hæc diſsimilitudo, Gallus cantat, Petrus negat. Neq; tamen ideo negabit Petrus Dñm, quia à Chriſto prædictũ eſt: ſed ideo prædixit Chriſtus, quia certò ſciebat futurũ vt Petrus negaret. Sed an ne potuit Chriſtus cohibere per gratiam Petrum, vt nõ negaret Dñm ſuũ? Poterat vtiq;. Cur ergo nõ cohibuit? Quid ad te? Quis es tu qui reſpõſas Deo? Sicut Dño placuit, ita factum eſt. Certè magis prodeſt nobis Petri caſus, quàm ſi ſtetiſſet. Huius etenim exẽplo diſcimus iã, ne quid temere de nobiſmetipſis præſumamus, ſed cogitemus quã vanæ & fluxæ ſint oẽs res noſtræ, ſimul atq; noſtris tantũ viribus relinquimur. Diſcimus itẽ paſſionẽ Ieſu Chriſti pro nobis, nõ fuiſſe luſum, vt quæ ſua crudelitate, etiã diſcipulo Dñi præcipuo, tantum incuſſit timorem, vt abnegaret Dominum. Sed hæc hactenus.

*Et dixit eis: Quãdo miſi vos ſine ſacculo, & pera & calciamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerũt: Nihil.*

Quãdiu Chriſtus in hoc mũdo viſibiliter & paſsibiliter cũ diſcipulis ſuis cõuerſatus eſt, oĩm illorũ curã in ſe receperat, illoſq; ab omnibus iniuriis defendit, ac in neceſſariis omnibus illis prouidit: Ipſe enim Chriſtus in hac procuratione oſtẽdit, quod ſicut ipſe diſcipulorũ ſuorũ curã gerat, atq; illis pſpiciat de neceſſariis: ita & pater cœleſtis omniũ eorum agit curam, qui ſpem ſuam in illo collocate nõ dubitant. Cùm autem

iam

iam instaret tempus, vt suos relinqueret, sua beneficia illis in memoriam reuocat, quò constantiores & firmiores postea sint in futuris aduersitatibus, ni mirum cogitantes quicquid tandē patiatur Christus, non illud pati ex necessitate, quasi aliter fieri non posset, sed potius ex diuina dispositione. Memoria enim diuinæ potentiæ facilè lenire potest exempla infirmitatis humanæ. Ait itaque Christus: Quando vos misi sine sacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? An ne passi estis intolerabilem famem? An frigore obriguistis? An vis aliqua vobis illata est? Anne aliquid, quod ad sustē tationē vitæ humanæ pertinet, vobis defuit? Quid ad hæc discipuli? Nihil, inquiunt, nobis defuit, bene prouisum fuit nobis in omnibus. Tu iam hic vide non solùm quàm diligentem Dñs suorū agat curam: sed etiam, quàm studiosi fuerint discipuli frugalitatis ac temperantiæ. Planè fatentur hic, sibi nihil vnquam defuisse, dum secuti fuerint Seruatorem. Atqui nō ignoram⁹ ex aliis Euangeliorum locis, quòd non semper habuerint Apostoli pontificales cænas, vel Sybariticas mensas, neq; eum diuite illo epulone fuerint induti purpura & bysso, vel epulati fuerint quotidie splendidè. Imò inueniemus illos interdū sub mediā lucē non habere quod edant, sicut Ioan.iiij. patet, inueniemus illos præ fame euellere spicas, & his in manu cōtritis famē curare. Ergò quod videmus subinde egere, Dei prouidentia in causa non est, sed luxus noster, qui modum nescit. Præmissis addit Dominus noster Christus,

*Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculū tollat: similiter & perā: & qui non habet, vēdat tunicam suam, & emat gladium. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me. Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea quæ sunt de me, finem habent.*

Ego salua omnium aliorū interpretatione, conabor passum hunc simpliciter, nec impiè tamen exponere. Quid sibi vult, ait aliquis, quòd Dñs in superioribus, discipulis suis dixit. Nihil tuleritis in via, neq; peram, neq; calciamenta, neq; virgam, &c. Iam verò dicit ad eosdem: Qui habet sacculum, tollat eum, & qui habet peram, tollat eam? Solutio facilis erit, si modo vos attenti eritis, & dictorum meorum æqui iudices. Cùm tempus esset Euangelii prædicandi, auocauit Dñs apostolos à suis consuetis laboribus & artificiis, quib⁹ sibi victum quærere solebant, & ipse eorum curam gessit, sicut diximus, donec illi suo incūberent officio. Vnde neque pera, neque pecuniis, neq; aliis rebus ad vitæ huius sustentationē necessariis opus habebant: nam quibus prædicabant, ab eis etiam alebantur. Instāte autem passionis tempore, iam non erat locus concioni euāgelicæ, & ideo illis permittebat, vt consuetis sē alerent laboribus, sicut ante vocationem fecerant. Quid enī prodesset apud simpliciores prædicare, eum esse Dei filium, verum Messiam, quem post biduū visuri essent pendentem in cruce inter medios latrones? Quod aūt discipuli ad consuetas operas redierint, ex euangelica patet historia, vbi illos sæpiusculè piscantes legimus. Et quæ in textu sequuntur, optimā ad prædicta consequentiā habēt. Addit enim Christus: Dico enim vobis, quoniā adhuc hoc quod scriptū est, oportet impleri in me. Quidnam illud? Quod olim de me futurū prædixit Esaias: Et cum iniquis deputatus est. Nō est tā rēpestiuū, vt eatis & prædicetis Euangelium regni Dei, vt omnē populū admoneatis ad mihi fidendū. Nō iam clamabit populus: Bñdictus q venit in noīe Dñi, sed: Tolle hunc, & crucifige eum. Non vocabunt me seruatorem, sed latronem. Non adorabunt me, sed blasphemebunt. Etenim ea quæ de me sunt,

finem habēt: Hoc est: Iam instat tempus, vt quicquid de me prædictum est à prophetis, perficiatur. Sed quid sibi vult quod Christus princeps pacis iubet emere gladium? Aut qualē gladiū putauit? An ne spiritualem gladiū intelligi voluit? Meo iudicio, hoc voluit Dominus quod verba sonant. An ne iniquū est vt paterfamilias gladium habeat, quo se suaq; omnia à latronū violentia defendat? An non decet virū bonū paratū esse pugnare pro patria? Imo an iniquū est si paterfamilias gladium habeat, cum iniquū non sit quòd discipulus Domini gladium gestet? Si enim iniquum esset, Dominus nequaquam tulisset in suis, quod in aliis reprehenderet. Quòd autē discipuli habuerint gladios, ex præsenti historia apertissimū est, sicut statim audiemus. Breuiter Dominus hac vice liberum fecit suis Apostolis, ciuili modo ac iure viuere, cum non esset tempestiuū Euangelico negotio incumbere. Valeant itaque pessimè Anabaptistæ illi, omnis seditionis præsentissimi authores, qui indignum putant Christiano homini gladium gestare. Hæc autem mihi non eò dicuntur, quasi probē viuiros illos sanguinolentos, quorū pedes, iuxta quod Sapiens conqueritur, ad malum currunt, & festinät effundere sanguinem. Sed volo vt Magistratui suus habeatur honos, vtque respublica & huius bonæ constitutiones sacrosanctæ habeantur. Vereor ne pessima illa fex Anabaptistarum in hoc sit, vt simul atque nobis persuaserint arma abijcere, illi cōfestim raptis nostris armis nos impetere animos induxerint. Sed hæc plus æquo produximus: Cætera igitur in arctum contrahemus.

*At illi dixerunt, Domine: Ecce, duo gladij hic. At ille dixit eis: Satis est.*

Quoniam Dominus dixerat iā instare tempus vt singuli sua curare cogerentur, implendamque scripturam quæ testatur Christū non melius habiturum atque latro quispiam, intellexerunt discipuli instare iam grande periculum, sicque concutiūtur terrore, vt neque sacculorum, neq; peræ, neq; tunicæ recordentur, sed tantùm gladij. Vnde inquiūt: Domine ecce duo gladij hic: Quasi vellent dicere: Vide, ô bone præceptor, quàm parum armati simus ad præsens periculum. Nostrū sunt duodecim, & solum duos gladios habemus, Quid his proficiemus? Quomodo nos defendemus? At Iesus qui ad sui defensionem nullo gladio habebat opus (nam iuxta scripturā aliās: Neque in gladio, neq; in hasta pugnat Dominus) sciens quòd discipuli verba ipsius non intellexissent commodè, & sciens quoniam illi ipsi, non gladio, sed fuga essent pugnaturi, aiebat: Satis est. Frustra enim fuisset longum hic apud discipulos instituere sermonem, super mysterio Dominicæ passionis, quum vix habebant aures ad audiendū vulgatissima: timor enim & trepidatio quam ex Domini verbis conceperant, illos portò reddebat ad omnē sermonē stupidos. Hoc in loco solent quidam grandem & anxiam disputationē instituere de potestate duplici, propter duos gladios quos Christus dicit sufficere. Sed quoniam hæc ad præsentē locum nullo modo pertinet, nolumus hic cum quoquā rixari. Vtinam tanta esset anxietas quibusdam, quàm dextrè vterētur sua potestate, sicut quàm amplam potestatem habeant. Ad maiora semper aspiramus, cum minora curare hactenus non didicerimus. Sed ad historiam.

*Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem Oliuarum. Secuti sunt autem illum & discipuli: Et cum peruenisset ad locum, dixit illis: Orate, ne intretis in tentationem.*

Quæ Lucas hic noster breuiter cōplectitur, alii Euangelistæ fusius prosequuntur. Cōsueuerat Dn̄s Iesus sub noctem

noctem ire in montem, & sic pernoctare in orationibus, quibus orationibus non suam, sed nostram promouebat salutem. Nam pia & ardens precatio, non habet locum in tumultu publico. Porrò Christus conscensurus montem, necesse habebat transire torrentem Cædrō: & ad montē erat hortus quidam, in quo acta sunt, quæ hic audiemus. Quod verò ait discipulos esse secutos, ex aliis Euāgelistis melius intelligimus. Neq; enim omnes eum secuti fuerunt vsque ad montem Oliuarum, sed solum Petrus & duo fratres Ioannes & Iacobus, reliqui enim apud villam Getsemani permanserunt, sicut hoc ipsum Dominus iusserat. In hortum itaq; cum ventū fuisset, iubet discipulos orare, & orandi necessitatem apertè exponit, videlicet ne intrarent in tentationem, hoc est, ne inciderent in laqueos Diaboli, quod fieret, si futura passione sic offenderetur, vt porrò corde & ore Dominum suū abnegarent. Neque enim fieri potest vt non seducamur, nisi gratiam Dei, piis precationibus nobis conciliauerimus. Discimus itaq; ex præsenti loco, vt tanq̄ boni ac probi discipuli, sequamur Christum Dominū nostrum, etiam ad mortem vsque. Discimus item Satanam tā piis conatibus nostris semper reluctari: eiusque casses, non nisi iugis precationibus nos posse effugere.

*Et ipse auulsus est ab eis quantum iactus est lapidis: & positis genibus orabat dicens: Pater si vis, transfer calicem hunc à me. Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat.*

Iusserat Dominus discipulos suos orare, quod ne per iocum dixisse videretur, & ipse se accingit ad orationem. Sed discutiamus singula. Oraturus Iesus discedit à discipulis suis ferè ad iactum lapidis. Quare discedit à discipulis? Ne scilicet ipsi viderent tantā turbationem Christi, ex qua potuissent plus æquo vel turbari vel scādalizari, maximè cum nondū intelligerent mysterium Dominicæ passionis. Secūdò, oraturus flectit genua, ipso facto declarans se nihil non seriò agere. Genuū autem flectio, submissionē animi designat. Quisquis enim elato animo ad precationem accedit, is nihil à Deo impetrabit. Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiā. Cæterùm Christus non solum genuū flectione, sed & verbis ipsis precatoriis humilem animū ostēdit, dum suæ humanæ voluntati, diuinam voluntatem in omnibus præponit. Pater, inquit, transfer calicē hunc à me. Veruntamē non mea voluntas, sed tua fiat. Animus humanus abhorrebat à tam crudeli passione: sed anima Christi malebat voluntatem Dei patris, quàm genium carnis sequi, &c. Et quare non cōmitteret omnia patri? Si pater verus est, hoc quod est, certè nunq̄ negliget filium. Certè sola paterni nominis recordatio, pœnatum potest esse mitigatio. Meliora sunt vulnera diligentis, inquit Sapiēs, quàm fraudulēta oscula odientis. Vnde tutius est vt nos nostraque omnia ductu Spiritus sancti committamus Deo, quàm vt affectibus carnis nostræ condescendamus. Hic à multis disputatur de pauore Christi: nos nihil hic mouebimus ex arduis quæstionibus, has relinquentes illis quibus est maius ocium, & acutius ingenium. Ego non miror in Christo dolorem & tristitiam, qui certus sum Christum, non solum humanam carnem, sed omnes hominis affectus suscepisse, vnico peccato excepto. Sicut igitur naturale est hominis abhorrere à morte, ita & in Christo homine naturale erat tristari ob futuram mortē. Doluit ergo Christus, tanquam verus homo, ad cōspectum mortis, & postulauit hunc amarissimū calicē à se trāsferri, si modò hoc ipsum Deo placeret.

Quòd si aliter videretur Dei voluntati, se libenter cessurum. Vnde alibi ait: Non descendi de cœlo vt faciam voluntatem meam, sed voluntatẽ eius qui misit me patris. Sic & in nobis, nõ potest fieri, quin carnis nostræ infirmitas sese prodat: sed necesse est, vt hac contempta, non voluntatẽ carnis, sed voluntatem Dei faciamus.

*Apparuit autem ei Angelus de cælo cõfortãs eum: Et factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.*

Non potest fieri vt Deus eos derelinquat, qui in ipso fiduciam suam collocant, & voluntatẽ eius in omnibus facere laborant. Neq; tamen ab orãdo cessandum, neque colloquiũ cum Deo statim rumpendum, etiam si nonnihil consolationis sentiamus: sed sicut orauimus pro impetrandis, ita pro impetratis postea gratias agamus. Nec putemus nos post tentationem semel victã perpetuo securos: solet enim satanas ad tẽpus quidẽ à tẽtatione cessare, sed hoc non ex charitate, sed ex astutia facit, nimirum vt dum nos putamus per omnia tutos, postea incautos nos, & quasi longe aliud sperantes opprimat. Sic & in hoc loco. Orat primũ Christus: deinde confortatur ab Angelo, tum rursus præcatur & prolixius, nimirum magis pro nostra salute, quàm pro se ipso. Tantusq; erat orandi ardor, tantaq; animi anxietas, vt sudaret etiam sanguinẽ. Tu igitur ex hac propassione, vt ita dicam, facilè æstimare poteris, qualis fuerit passio, cuius contemplatio solum, Christo seruatori nostro sanguineum sudorem extorsit. O fœlices Christianos, qui per veram compassionem, se illius sudoris sanguinei faciunt participes. Et oh nimium infœlices, qui hanc sanguinis effusionem, non adorant, sed blasphemant, & quod aliis saluti est, sibi ipsis vertunt in condemnationẽ, quod certe non facerent, si animaduerterent qua de causa Christus sic sudauerit. Christus enim, si doctioribus credimus, tã vehementẽ tristitiã & timorẽ adsumpsit, non solũ intuitu passionis instantis, sed etiam ex consideratione ruinæ, & ingratitudinis, destructionisq; Iudæorũ, propter quorum salutem specialiter fuerat missus: & quia videbat passionem suam, tam multis nõ profuturam, sed multo magis obfuturam, propter ipsorum ingratitudinẽ & impœnitentiam. Addunt alij & aliã, neque tamen impiam causam, quia scilicet omnium electorũ suorũ futuras tribulationes, quas pro ipso passuri erant, vsque in finem mundi, præuidit, &c. Quæ alii hoc in loco disputant, sudor ne ille sanguineus, miraculosus an naturalis fuerit, non excutiemus. Quod si quem delectaret noua vereribus conferre, certe bonam occasionem haberet. Quis enim ignorat omnem infœlicitatem nostram ortũ sumpsisse in horto? Et iam Christus salutẽ nostrã operatur in horto. Et quoniam Adam primus Dei se opponit voluntati, ab Angelo Paradiso eijcitur. Sed quoniam Iesus, Adam secundus, sese in omnibus volũtati patris cœlestis submittit, ab angelo confortatur. Sed hæc suffecerint.

Theop.

Hilari.

*Et cum surrexisset ab oratione, & venisset ad discipulos suos, inuenit eos dormiẽtes præ tristitia. Et ait illis: Quid dormitis? Surgite, orate ne intretis in tentationem.*

Quod Christus suos discipulos reliquerit, octo quidem ad villam Getsemani, tres verò præcipuos, quantus est iactus lapis à loco orationis, audiuimus. Audiuimus item quomodo & quid orauerit Christus: adde quod in superioribus adhortatus fuerat ad præcandum ne tentarentur, imo ne tentationi subiicerentur. At illi magnifica

gnifica quidem fuerant polliciti, sed imbecilliores fuerunt, quàm vt viros præstare possent. Erant enim tristitia grauati, vt qui audierant Dñm ipsum dicere: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Videmus ergo ex hac discipulorum somnolentia, quales simus, si quando ad tempus nos Christus reliquerit, nimirum toti carnei, & carnis desideriis plus æquo dediti. Adumbratum est hic etiã, olim dormituros pastores Ecclesiæ, vt impunè liceat lupis sæuire in gregem dominicum. Accedit itaq; Dominus ad Petrum, Iacobũ & Ioannem, & dicit eis: Quid dormitis? Quasi dicat: An non iussi vos vigilare, & orare, ne præualeret contra vos Satanas? An non dixi vobis, qualis iã instet tribulatio? An non videtis in quantis angustiis sim? Polliciti estis mihi multa magnifica, vos nimirum ituros in carcerem & in mortẽ. Quid ergo iam dormitis? Non potuistis vna hora vigilare mecum, licet vos adhortatus fuerim, tantum abest, vt mecum sitis perseueraturi in tentationibus meis. Quid dormitis? Nõ est ea rerum tranquillitas, vt liceat somno indulgere. Surgite itaq;, & orate, ne intretis in tentationem. Si enim dormieritis, non videbitis, qua patientia me traditurus sim in manus impiorum, neque videbitis, quàm crudeliter in me sæuituri sint impii, neque videbitis, quàm fideliter vobis contra impios sim patrocinaturus. Surgite itaq;, & orate, ne intretis in tentationem. Vos quæ vestra sunt agite, hoc est, piis precationibus vos vestraq; omnia Deo committite, ego curabo, ne orationes vestræ in vẽtum abeant.

*Adhuc eo loquente, ecce turba, & qui vocabatur Iudas vnus de duodecim antecedebat eos, & appropinquauit Iesu, vt oscularetur eum.*

Nouerat Dominus Iudæorum cohortem in foribus esse, ideoq; excitauit dormientes discipulos, vt omnium rerum, quæ contingebant, spectatores existerent. Dum igitur sic cum Apostolis loquitur, ecce turba adest. Non vnus, duo, vel tres adsunt, sed turba, vt scilicet etiam nolentem capere posset. Multi irruunt sæuissimi lupi, ad deuorandum miseram ouiculam. Non erat necesse vt turba veniret, cùm vnus volentem & non repugnantẽ capere potuisset. Imò & frustra venisset turba, si voluisset Christ9 repugnare, hoc quod euidenti exemplo demonstrauit, dum illos in terram vnico verbo prosterneret. Sed oblatus est, quia ipse voluit. Iam quid Iudas hic? aut quis nam Iudas ille? Iudas vnus de duodecim, ex numero Apostolorum, qui in cœna noluerat proditionis argui: ille, inquam, Iudas antecedebat turbam, & appropinquauit Iesu, vt osculatetur eum. O miseram appropinquationem, O parùm amicum osculum. Appropinquat corpore, elongatur & fugit corde: & verificatur in illo proditore, quod de reliquis impiis scriptura dicit: Populus hic labiis me honorat, cor autem illorum longè est à me. Gerit autem hic Iudas typum omnium eorum, qui sub prætextu religiõis & pietatis, nõ Christi, sed suum negotium agunt. Sic Iudæi, sic malè Christiani, sic autem præcipuè hæretici, qui Christum semper in ore habentes, Christũ & huius sponsam pedibus fœdissimè conculcare nõ dubitãt. De osculo Iudæ statim. Quare verò Iudæis Iudas præcucurrerit, ex aliis Euangelistis apertius commonstratur. Spoponderat enim latro crudelis, se traditurum Christum in man9 iniquorum: & dederat eis signum, dicens: Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Vnde in Luca nostro sequitur:

*Iesus autem dixit illi: Iuda, osculo filiũ hominis tradis?*

Accessit enim, iuxta alios Euangelistas, & osculatus est eum dicens: Aue

Rabbi.Precatur ei amicis verbis salutem,cui hostili animo quærit & inrentat necem. Vocat magistrum, cuius doctrinam procaciter contempsit. O maledictum maledicti traditoris osculū.Magdalena osculata est pedes Dñi, nec sine æstimabili fructu.Hic traditor os Domini osculatus est,nec aliquam virtutem sensit salutificam. Non quia saluator factus sit occisor: sed quia improbitas traditoris virtutem reiecit saluatoris.Aduertant hic qui Christi corpus sacramentaliter tangunt,& qui sacramentis in corpore delibuntur:quoniam si fidei & amoris desit integritas, cum Iuda sortientur similem portionem. Non enim ex tactu sacrorū corporeo quispiam sanctificatur,nisi mentis manus palpans accedat.Sed hæc alias.Iuda,inquit Christus, osculo filiū hominis tradis?Osculum amoris est signum,osculum reconciliationis est indicium:ergo sub velamine virtutis,latet venenum mortiferū. Sic plærunque internicioni dantur pii, vt qui ex sua propria innocentia, aliorum etiā metiuntur corda.Et malitia plerunque etiā fœtet in narib⁹ malitiosorū, sic vt sem per quærant sub prætextu & velamine virtutis, exercere malitiam suam. Nemo enim tam alienus est à communi sensu, quin intelligat virtutem esse digniorem malitia. Ergo Iudas pessimus mercator,non aperto marte,non professo odio,sed simulato amore aggreditur perdere Christum.Ergo Christi verba bene ponderanda sunt: Iuda, filium hominis osculo tradis? O Iuda, te in apostolū elegi,tibi virtutem & potestatem super omnem virtutem dedi, tibi mei & meorū curā cōmisi, procuratorē nostrorū omniū cōstitui.Etiam tradis filiū hominis,& hoc,osculo. Tu debebas persuadere hominibus peccatoribus,vt sese traderent mihi:& tu me illis tradis.Tu debebas illos adhortari, ne quid fictè agerent mecum:& tu sub imagine amicitiæ, me crucifigendum impiorum crudelitati obiicis.Iuda,osculo filium hominis tradis? sub osculo tuo latet Satanas, cuius suggestione tantum nephas agis. Sub filio hominis, Dei filius latet: vnde non solùm filium hominis, sed filium Dei tradis. Tu infirmitatis tuæ oblitus es:& ego iam volens potentiæ meæ renuncio. Sed hæc non cogitat Iudas,vt qui totus in hoc est,ne periclitetur de pecunia,quod vtique fieret,si non posset tradere Christū in potestatem Iudæorū, vnde oīa tentat,omnia simulat,nihilque intentatū reliquit,quæ ad promouendum negotiū facere possūt. Prohibeat Christus tales Iudas ab Ecclesia sua:& si qui sunt,det nobis Deus animos,vt patienter illos feramus, sicut ipse patienter tulit Iudam proditorē suum.

*Videntes autem hi qui circa ipsum erant,quod futurū erat,dixerunt ei: Domine,si percutimus in gladio? Et percussit vnus ex illis seruum principis sacerdotum,& amputauit auriculam eius dexteram.Respondens autem Iesus,ait: Sinite vsque huc.Et cum tetigisset auriculam eius,sanauit eum.*

Lucas noster omninò breuis est in describendo, quomodo captus fuerit Christ⁹,& quomodo Petrus à Christo obiurgatus fuerit.Igitur ex aliis euangelistarū locis petere licebit, quæ hoc in loco desiderantur: ego ab instituto meo nolim longius diuagari.In contextu porrò Lucæ duo nobis occurrūt consideranda,nimirū,quid discipuli,& qd Dn̄s in hoc cōflictu egerit.Discipuli cū vident tantū hostium exercitū,non immemores suæ pollicitationis,sciscitātur nū gladiis vti debeāt pro defensiōe Christi.Et Petr⁹ nō expectās Dn̄i responsum,eximit gladium,& Malcho, principis sacerdotū seruo,dexterā amputat auriculā.Quo facto certè declarauit,nihil hic per iocum factū esse,nec Christum & Iudæos collusisse:sed oīa tantam crudelitatis speciem habuisse,

vt discipuli putarint ad se pertinere, vt pro defensione Domini sui ad arma currerent. Et hæc de discipulis. In Iesu verò seruatore nostro videmus magnum patientiæ exemplum, qui tantum abest à vindicta, vt etiam sanare non dubitet, quos alii læserunt, re ipsa declarans, se doctrinæ suæ non solum esse doctorē, sed etiā exemplū. Docuit autem nos benefacere, malefactoribus nobis: & iam ipse bene facit ei, qui ipsi vt incommodaret aduenerat. Tangit enim auriculam Malchi, ipsam reponit, ac sanat. Declarauit autem Dominus hoc miraculo, aut potius hoc beneficio, omnem passionem suam in hoc ordinatam, non vt aliquem perderet, sed potius vt omnes sanaret: traderetque nobis, siue restitueret dexterā auriculam, hoc est, veram & iustam obedientiam. Sed hæc hactenus: neque enim animus est huic historiæ prolixius immorari.

*Dixit autem ad eos, qui venerant ad se, Principes sacerdotum et magistratus templi & seniores: Quasi ad latronē existis cum gladiis & fustibus? Cùm vobiscum quotidie fuerim in templo, nō extendistis manus in me: sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.*

Vide quot rabidi lupi aduolarint ad perdendum vnicam ouiculam. Adsunt principes sacerdotum, adsunt magistratus templi, adsunt & seniores, adest & reliqua cohors sicariorum, & iniquissimorum militum. Sacerdotum erat curare biblia, non opprimere innocentem. Magistratus templi debebat curare, quæ ad constructionem tēpli pertinebant, non perdere Dominū templi. Sicariorum erat defendere innocentes, non trucidare, &c. Sed quoniam omnibus obloquutus fuerat Iesus, ab omnibus quæritur trucidādus. Atqui frustra venissent omnes, si vnus voluisset repugnare Christ9: hoc quod in ipsius verbis apertissimè innuitur, quoniam scilicet illis exprobrat latrocinium, inquiens: Tāquam ad latronē existis cū gladiis & fustibus. &c. Quasi dicat: Inuaditis me ceu latronē, & publicæ pacis turbatorem: at si talis erā, si quid contra Deum aut rempublicā, aut cuiusquam salutem & incolumitatem peccaram, quare non me cœpistis in templo, in quo, causæ meæ nihil diffidens, neque mihi vel tantillum ex prauā conscientia metuens, palam atque legitimè docui? Hoc quoniam nunquā ausi estis aggredi, nunc verò intempestā noctē delegistis, satis apertè declaratis me esse innoxium, vestrā autem potestatem, non æquam esse potestatem, sed potestatem tenebrarū ac diabolicam. Ex his verbis quidem exprobrauit Dominus latronibus suā ipsorum improbitatē, suamque defendit innocentiam, qui lucem nunquam fugerit, sed omnia apertè & confidēter peregerit. Porrò conuenientius erat Christum occultè in horto, quàm apertè in templo capi: nā & peccatū Adæ, quod iam iam à Christo expiabatur, non in templo, nec apertè, sed in horto, & occultè perpetratum fuerat. Vnde etiam se abscōderat Adam, & peccatū, cuius à Domino accusabatur, in Euam deriuabat. Videmus igitur, quàm conuenienter Dominus curare velit antiquū peccatum nostrum.

*Comprehendētes autem Iesum, duxerunt ad domum principis sacerdotum.*

Princeps sacerdotum anni illius, sicut Ioannes testatur, erat Cayphas, ad huius itaque domum pertrahitur Christus verus summus pontifex, pōtifex sanctus, Paulo teste, impollutus, segregatus ab hominibus, & excelsior cælis factus. Bonus ergo, imò optimus pontifex ad pessimum perducitur, non vt hic illum seruet, sed vt perdat. Pontifex autem noster Christus nō venit vt aliquem perdat, sed vt omnes, quātum in se est, à pernicie conseruet. Cayphas non

non erat legitimus, nec ritè vocatus pontifex, & ideo non poterat facere verum veri pontificis officiū. At Christus à Deo, tanquā Aaron, vocatus, & ideo legitimo ritu pōtifex, non potuit non facere quæ veri pontificis sunt.

*Petrus verò sequebatur à longe. Accenso autem igne in medio atrii, & circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum: Quem cum vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, & eum fuisset intuita, dixit: Et hic cū illo erat. At ille negauit eum, dicens: Mulier nō noui illū.*

Quantam fiduciam præ se tulerit Petrus in cœna sancta, & quàm confidenter reliquos contempserit, in superioribus auditum est. Item quid illi futurum Dominus prædixerit, non potest nos latere. Iam itaque Lucas noster aggreditur nobis significare, quomodo sese habuerit bonus Petrus in tantis turbis & periculis. Dixerat quidem Petrus Domino: Animam meam pro te ponam. Et: Paratus sum tecum & in carcerem, & in mortē ire. Et pòst aliquod fortitudinis suæ specimen exhibuit, amputans scilicet Malcho auriculam. Sed deinde videns Dominum iam ligatum abduci, præ timore fugit. Iam tandem animum vtcunque recipiens, sequitur Iesum, sed tanquam pauidus, à longè: & hoc, vsque in atrium principis sacerdotum: neq; tamē audet cum Christo ingredi, sed turbæ ministrorum se immiscet, fortè vt minus noscatur, minusq; suspectus sit, atq; vt vel ex varia ministrorum relatione intelligat, quid consilii cœperint summi sacerdotes super Christo. Dum igitur miser Petrus sic anxiatur ac tremet, & haud dubiè ipso tristiori vultu indicabat æstus animi sui, videt ipsum ancilla quædā ostiaria, & eum penitius intuita dixit: Et hic cum illo erat. Videntur hæc verba significare, inter ministros, quibus Petrus adstabat, multum fuisse sermonem super Domino Iesu, & huius discipulis, nimirum, quomodo hactenus perambulauerit vniuersam Iudæam, & discipulos habuerit comites, quorum aliquot visi fuerint in horto cum illo, iam verò nullum comparere. Igitur in huiusmodi confabulatione, ancilla illa ostiaria ad ignis splendorem videt Petrum adstare, tanquam ab aulicis alienum & peregrinum, & penitius illū intuita & contemplata cùm esset, reliquis dicit: Et hic cum illo erat, nimirum cùm adhuc liber peragraret oppida Iudææ, &c. Iam siue ancilla hæc per cōtemptum, siue per compassionem verba huiusmodi dixerit, nescimus: sed hoc scimus, quòd verba illa ostiariæ Petro videbantur nequaquam dissimulanda, vnde & statim respondet: Mulier, nō noui illum. Vide quales sumus Christi confessores, simulatque nostræ imbecillitati relinquimur. Ancilla hæc vilis erat, nulli prorsus metuenda, nec asperis verbis Petrum interpellabat, sed placidè. Neq; tamen audet Petrus publicè fateri quod erat. Addit Diuus Lucas:

*Et post pusillum alius videns eum, dixit: Et tu de illis es. Petrus verò ait: O homo, non sum. Et interuallo facto quasi horæ vnius, alius quidam affirmabat, dicens: Verè & hic cum illo erat, nam & Galilæus est. Et ait Petrus: Homo, nescio quid dicas.*

Terna illa Petri & temeraria confidentia, trina etiam negatione curanda, imò & punienda erat, iuxta illud: Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur. Dixerat Petrus: Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquā scandalizabor. Iam porrò ad vilis ancillulæ vocem negat Christum, dicens: Mulier, non noui illum. Dixerat sub cœnam: Domine, paratus sum tecum & in carcerem, & in mortem ire. Iam audit à ministro quodam: Et tu de illis es: neque tamē audet agnoscere Dominum

minum suum. Dixerat ad Dominum: Animam meam pro te ponam. Hic autem ad seruum dicit: Homo, nescio quid dicas. Sed post Domini resurrectionem, secutus est alius ternarius numerus, qui illum rursum cõpensauit. Ter enim dixit Dñs Petro: Petre amas me, &c. & Petr⁹ ter professus est amorem suũ, quem in Christo constituerat. Certè intellexit hic magnus pollicitator Petrus, cuiusnam virium sit, profiteri Christum intrepidè coram mundo. Crucis em̃ formido carnem nostrã sic solet obruere, vt omnib⁹ virib⁹ destituatur, si Deus nõ fuerit auxiliatus. Verùm, quorsum, ais, pertinet, tã exactè lapsum siue peccatum Petri pingere? Audi, obsecro, & hanc Euangelistarum diligentiam non contemnes. Proponitur nobis à spiritu sancto (hic em̃ Euangelii dictator est) exemplum Petri, eius inquam Petri, qui ab initio leui impulsu vnius muliercula in maximum crimen prolapsus est, qui tamen ante horas aliquot mirabili & magno spiritu, nescio quas efflauerat victorias. Voluit autem nos admonere modestiæ ac humilitatis, ne quid præsumamus de viribus nostris, quando videmus, quàm procliue sit in discriminibus labi hominem vel animosissimũ. Præterea depingitur nobis peccatum Petri clarè, ne peccasse ignoraremus Petrum, inde verò cõciperemus spem, fore vt nobis quoque grauissima peccata nostra condonet Dominus, si modò, sicut Petrus, pœnitentiã egerimus. Nam de Petri pœnitentia continenter in Luca sequitur,

*Et continuò adhuc illo loquente, cantauit Gallus. Et conuersus Dominus, respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat: quia priusquàm gallus cantet, ter me negabit. Et egressus foras Petrus, fleuit amarè.*

Vide Augusti de cõsensu euãgel. li. 3. ca. 6

Hic proditur Christi veritas, & Petri vanitas, iuxta illud Scripturæ: Est autem Deus verax, homo autem mendax. Dixerat enim Dominus Petro: Amen dico tibi, priusquam gallus vocem dederit, ter me es abnegatur⁹. Sed quàm acerrimè Domini verbis reluctabatur Petrus, sicut auditum est in superioribus. Sed sinamus hæc, visuri quomodo gesserit pœnitentiã Petrus pro perpetrato non leui peccato. Audiens Petrus gallicinium, ad se demum reuersus, recordatur verborum Dei, ac signũ sibi datũ, licet videretur vilissimum, non contemnit. Sed vnde illi erat, quod iam tandem verborum Dñi recordatur? Audi Lucam: Conuersus Dominus respexit Petrum, vtiq; oculis misericordiæ. Vnde colligimus, tũ conuerti peccatores, cùm eos respicit diuina & gratuita miseratio. Et nisi respexisset Dominus Petrum, null⁹ erat futurus errandi finis. Quid autem primo omnium faciebat Petrus? Signum licet exile esset, gallicniũ videlicet sibi datum à Domino non fastidit: sed illius occasione, verborũ Christi recordatur, confitens se esse mendacẽ & peccatorem, Deum autem veracẽ: cui hactenus temeraria audacia obstrepuit. Hinc verò è loco excedit infami, prauum relinquens atq; deuitans consortium. Postremò, quia contrito erat spiritu, propter commissa peccata, dolebatq; ex animo, ideò fleuit amarè. Primum ergo omnium sit in pœnitentibus, signa & admonitiones sibi datas non aspernari, in primis autem verborum Dei recordari: quorum consideratione peccatum rectè agnoscant, vereq; confiteantur, & indubitanter credant, sibi diuina bonitate esse cõdonatum propter Christum. Præterea relinquant atq; deuitent porrò quæ ad peccandũ illexerant, aggregentur verò cũ piis & sanctis hominibus. Postremò de propitiato peccato non sint negligentiores, sed potius sint animo contrito & humili, verè dolentes quòd tam benignum offenderint patrem, & cæt.

Vide

Vide,obsecro,rursum verborum pulchram consequentiam. Dum Petrus falsa & impia loquitur, gallus cantat. Hoc est,dum homines securè peccant, verbi ministri ipsos sui officii admonent.At Petrus non curat gallicinium, nisi post Christi aspectū.Sic frustra admonentur homines per verbi ministros,nisi Deus in peccatoribus verbo suo virtutē indat efficaciorem. Atqui post galli cantum, & Christi respectū, tum recordatur Petrus verborū Dñi, praua relinquit consortia, & amarè sua deflet peccata. Sic & in aliis peccatoribus fit, simulatque verbum Dei secutus fuerit bonus spiritus Dei, non potest fieri, quin hominem ex animo pœniteat malè commissorum, fugiat prauorum hominum sodalitates, perpetuoq; doleat,quod tam benignū parentem, tam pessimè offenderit. Sed hæc hactenus de D.Petro. Iā quid interim cū Christo agatur, dispiciēdū est.

*Et viri qui tenebant illum,illudebant ei cadentes. Et velauerunt eum, & percutiebant faciem eius,& interrogabant eum,dicentes:Prophetiza, quis est, qui te percussit? Et alia multa blasphemantes dicebant in eum.*

Audi obsecro,frater charissime,audi quisquis tu amator Christi fueris,infandā hanc contumeliā, expēde contemptum exemplo carentē,& libidinē nebulonū nephariā. Multas quidem cōtumelias perpessi leguntur sancti Dei homines.sed malitia omnē vim suam in Christum exeruit. Neq; tamen est vt quisquā nostrū impiis illis nebulonibus irascatur:neq; tamen ob id amādi sunt:sibi ipsi quisque irascatur, se & peccata sua incuset atque dānet. Nam nostra peccata in culpa sunt,quod infandis his & abominabilibus contumeliis subiacet innocens & sanctissimus Dei filius. Voluit pater noster Adam Deo similis fieri, & idem ingenerauit nobis animum degenerem,superbiam & impiam perfidiam, quæ quidē perfidia omnia meretur coram Deo tormenta,omnes deniq; diabolorum.i.calumniatorum contumelias.At Dominus Iesus in sese ista omnia recipiens, sustinet vultum suum prorsus (horribile dictu) deturpari sputis, nimirum, vt animas nostras decoraret,hisq; liceret aliquādo in serenū Christi vultum, adeoq; in ipsam Dei faciē,vnde omnis gaudiorū scaturigo existit,intueri. Oculos suos sustinuit sibi obuelari, veluti furi ac latroni,& luce indignissimo homini,vt cœca nobis illuminaret corda, oculosq; mentis clausos aperiret ad videndam Dei iustitiā,bonitatem,gloriā, vitamq; æternā. Adiiciā & hoc,si odio dignos iudicas illos, qui sic illuserunt Dño,& blasphemauerunt ipsum: cur non irascaris & tibi, qui nunquam nō soles grauissimè Deum blasphemare? Disce item hoc in loco, Christi nimirum exemplo,patientiam.An ne vides quàm patienter omnia propter nos sustineat,quàm alienus sit ab omni vindictæ libidine? Sed hæc in tota dominicæ passionis historia cernere licebit. Sequitur:

*Et vt factus est dies,conuenerunt seniores plebis, et principes sacerdotum,et scribæ,& duxerūt illum in consiliū suū, dicentes:Si tu es Christus,dic nobis palā.*

Hactenus breuissimis perstrinxit Lucas,quæ à captiuitate Christi, cum ipso per totā noctē acta sunt,nimirum oīa ex militum libidine. Iā verò quæ adueniente die facta sint, adnotabit. Diei aūt nōnullam rationem habere oportet, cùm sub noctem plærunque peiora fieri soleant. Nox enim non habet tot testes, quot habet dies. Vnde Christus ait:Qui male agit,odit lucē: & non venit ad lucem,vt non arguantur opera eius. Ergo in peracta nocte, nullus ordo iuris seruatus est,sed quisque pro sua libidine Christo molestus fuit, ipsumque vexauit. Illucescente

ſcente verò die, incipiunt ſeniores populi, principes ſacerdotum, & ſcribæ, vtcunque velare malitiam ſuam, conueniuntque, tanquam omnia iuxta formulã legis acturi, cogunt concilium, & in medio ſtatuunt Ieſum, quærentes ab eo aliquid extorquere, cuius accuſatus & conuictus, poſtea videatur iure & meritò tollendus. Quærunt ergo ab eo dicentes: Si tu es Chriſtus, dic nobis. Erat hoc inſidioſum problema. Si negaſſet ſe filium Dei, continuò exclamaſſent: Cur igitur tibi ſumis quod non es, & dicis Deum patrem tuum eſſe? Si autem affirmaſſet, calumniaturi erant ipſum, tanquam blaſphemum, vt qui, cùm homo ſit, Deum ſe eſſe diceret. Sed quid ad hæc Chriſtus?

*Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi: ſi autem & interrogauero, non reſpondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autem erit filius hominis ſedens à dextris virtutis Dei.*

Reſponſionem hanc Chriſti veram eſſe, ex aliis Euangeliorum locis apertiſsimũ eſt. Sæpè enim dixit illis, quòd Chriſtus ſit, neque ſolùm dixit, ſed & efficacisſimis argumentis, & maximis ſignis probauit. Si non facio opera patris mei, inquit, nolite mihi credere: ſi autem facio opera quæ alius non fecit, & ſi mihi non vultis credere, vel operibus credite. Interrogauit etiam eos ſæpe, vt de baptiſmate Ioannis, de filio & domino Dauidis, & alibi: ſed neque voluerunt, neque potuerunt rectè reſpondere illi. Quod autem addit: Neque dimittetis, oſtendit ſe non latere quæ ſeipſum maneant. Deinde apertè fatetur, ſe filium Dei eſſe, dicens: Ex hoc autem erit filius hominis ſedens à dextris virtutis Dei. Quaſi dicat: Perueni quidem vinctus in manus veſtras, neque me liberum dimittetis, ſiue loquar, ſiue taceam, ſiue negem me filium Dei eſſe, ſiue affirmem: ſed me crucifigi curabitis, ſicque vobis metipſis videbimini veſtrum officium egregiè perfeciſſe, videborque vobis penitus periiſſe. Atqui res longè alium ſortieruè euentum. Neque enim ſubſcribet Deus ſententiæ veſtræ, vt ableget propter vos filium ſuum. Sed olim videbitis me, non in cruce, inter medios latrones pendere: ſed ſedere ad dexteram virtutis Dei, hoc eſt, æquali honore cum Deo patre meo participare. Sic ergo per humilitatem perueniтur in gloriam, hoc quod Diuus Paulus in Philippenſibus noſtris etiam teſtatur, & in Romanis, ad æquale nimirum nos prouocans certamen. Sed videamus diligentius Chriſti exemplum. Nunc quidem veluti pedibus impiorum conculcabatur: ſed idem breui ſeſſurus erat in gloria patris, impios habens veluti ſuppedaneum pedum ſuorum. Nunc per infirmitatem ſacerdotibus ludibrium erat, ſed idem per virtutem Dei mox in cælos erat transferendus, quo in dextera patris verus rex & ſacerdos adoraretur ab omnibus ſuper terram habitantibus. Nunc vinculis innexus, ceu facinoroſus, ſtabat in medio collegii ſacerdotalis, omnium expoſitus iniuriis atque contumeliis: idem tamen Iudex vniuerſorum ſtabit in medio angelorum ſuorum, veniens in nubibus cæli, ſupplicium ſumpturus de facinoroſis ſacerdotibus. Sed hæc hactenus.

Mat. 11
Mat. 12
Luc. 7

*Dixerunt ergo omnes: Tu es ergo filius Dei? Qui ait: Vos dicitis, Quia ego ſum. At illi dixerũt: Quid adhuc deſideramus teſtimonium? Ipſi enim audiuimus de ore eius.*

Dixerunt ergo oẽs. Quid eſt, Dixerunt omnes? Hoc eſt, nulla ratione modeſtiæ, iuris vel æqui habita, nullo ordine, ſed confuſaneè & importunè reſpondent, clamant, vociferantur: Tu ergo es filius Dei? Tu, magnam habet

hæc dictio emphasim, magnumq́ præ se fert contemptum. Tu, fabri filius, tu amicus publicanorum & meretricum, tu Samaritanus, tu dæmoniacus, tu legis Dei temerarius contemptor, et tu, inquam, filius Dei? Sedebis tu ad dexteram virtutis Dei? Videbimus te ne in nubibus? In patibulo cupimus te videre, non in nubibus, in medio latronum pendebis, non ad dexteram Dei sedebis. Tu ne es filius ille Dei? Hæc omnium vox est. Rectè ergo in Psalmis inquit: Circundederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me. Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens. Sed quid ad hæc Christus? Non conueniebat amplius veritatem tacere, ne videatur negare quod erat. Respondet ergo: Vos dicitis, Quia ego sum. Hoc est, Ego is sum, quem iam dicitis, nimirũ filius Dei, qui iam iam me dixi esse filium hominis. Ex his ergo colligimus, Christum pariter esse & filium Dei, & filium hominis, hoc quidem ex tempore, illud verò ab æterno. Qua de re alibi. Ad liberam itaq; Christi confessionem, confricta modestia, hoc est, maximis importunitate conclamant oẽs: Quid adhuc desideramus testimoniũ? Verum est, Post Christi testimonium nullo alio opus est nobis testimonio: nã dignus est, cui omnes adhibeamus fidem. Omnes enim viæ eius iustitia et veritas. Habet Christus multa suæ diuinitatis testimonia, habet patrem, habet spiritum sanctum, habet Moysen, Prophetas, Apostolos & Euangelistas, habet vniuersam Ecclesiam, vnde nobis alia testimonia nõ sunt necessaria, At Iudæis nullum sufficit testimoniũ, vt in Christũ crederent: & vnicum eis sufficit, vt Christũ perdãt. Quid adhuc desideramus testimonium, inquiunt: Ipsi enim audiuimus ex ore eius. Negare non potest, quia dicti conuinci potest. Quin ergo creditis ei? Aut cur nõ probatis ipsum malè dixisse? Non est alia sententia expectanda à talibus senatoribus. Christus illis suis sermonibus molestus est, et ideo tollendus est, siue hoc iure, siue iniuria fieri possit. Habet ergo hic anteambulonẽ, quotquot sub prætextu iuris, iniuria premuntur. Sed videamus quod sequitur in sequenti capite.

## CAPVT XXIII.

*ET surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. Cœperunt autem illum accusare, dicẽtes: Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christũ regẽ esse.*

Singula discutiemus. Primùm igitur, hic duo scripturæ loca verificãtur. De agno siquidem paschali dictum est à Domino per Moysen, immolabit eum vniuersa multitudo Israel. Sic & agnum nostrũ innocentissimũ omnis multitudo offert Pilato, vt occidatur ille, qui vt omnibus vitã daret, in hũc mundum venerat. Secundò à Christo dictum, imò prædictum fuerat, quòd simulatque condemnatus esset à prioribus Iudæorum ad mortem, statim tradendus esset gentibus, vt seipsum illuderent, flagellarent, atque crucifigerent: hoc quod iam fieri audim⁹, postquam enim sacerdotes in synodo sua condemnarant Christũ ob blasphemiã (quia scilicet profiteretur se filiũ Dei) reũ esse mortis, neq; tamẽ in illorũ potestate erat quenquã crucifigere (nã hac turpissima morte amabãt illũ perdere) surgẽs omnis multitudo ducit Iesum ad Pilatũ: nam hic erat præses Romanus, cui potestas gladii commissa fuerat à Romanis. Ad Pilatum igitur cùm ventũ esset, ne elaberetur Christus, incipiũt illum accusare in multis, & grauissimè, sed omnia & mendaciter, & per calumniam, sicut hoc ipsum ex præmissa superioris Euangelii historia

ſtoria patet. Sed audi accuſationem. In tribus innocentiſs. Dominũ Ieſum accuſant. Primum erat, quod inuenerant eum ſubuertentem gentem ſuam, hoc eſt, abducentē à vera religione. Secundum, quòd prohiberet tributa pendere Cæſari. Tertium, quòd diceret, ſe Chriſtum regem eſſe. Primum erat manifeſtè falſum, quia non ſubuertebat Iudæos, ſed conuertebat, abſtrahens nimirum illos ab impiis Phariſæorum traditionibus, & adducens ad obſeruationem ſanctiſſimarum legum Domini. Huius exemplũ habes apud Matt. cap. v. & xv. Adde, quod nõ ſubuertebat gentem Iudæorum, ſed hãc ipſam fideliſſimè curabat, infirmos eorum ſanabat, leproſos mundabat, claudos erigebat, cæcos illuminabat, mortuos ſuſcitabat, & ſi quos dæmonia vexabant, multa potentia liberabat: & tam doctrinæ, quàm virtutum beneficia, quæ nemo alius poterat, præſtabat. Hæccine erant ſubuertere gentem? Et illa Pilatus, multis (vt veriſimile eſt) mirabilia eius fideliter narrantibus, nõ neſciebat. Secundum etiam, quod & Pilatus audiſſe poterat, apertum erat mendacium. Nam, ſicut ſupra cap. xx. auditum eſt, Hieroſolymis præſente plebe, ſubdolè interrogatus Dominus, liceret ne tributum dare Cæſari, an non, oſtenſo ſibi nummiſmate cenſus, & interrogatis calumniatoribus, cuius eſſet imago nummi, & inſcriptio, & reſpondentibus qui numiſma exhibuerant, quòd eſſet Cæſaris, reſpondit: Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo, &c. Atqui reſponſum hoc non eſt prohibentis tributa dare Cæſari. Adhæc exactores tributorum, teſtes eſſe poterant, eum non prohibere, dare tributa Cæſari, cùm ex Matthæi xvij. cap. ſtaterem accepiſſent pro Domino Ieſu, & Petro. Quòd ſi prohibuiſſet Chriſtus tributa dare Cæſari, Dii boni, quàm triũm pharent iam Anabaptiſtæ, peſſima huius ſeculi lues. Quantum autem ad tertium, id non tam ipſe dicebat, quàm opera, quàm pater ipſe, quàm angeli, quàm Ioannes & prophetæ omnes. Proinde etiam ſi prædicarit Chriſtus ſe eſſe Meſsiam, non oportebat obiicere criminis loco, niſi declaraſſent, in eum non competere, quæ de Meſsia prophetæ prædixerant. At Iudæi omnem victoriæ ſpem poſuerant in concitatam multitudinem, quæ ſi non veritate, tamen reſtium numero, vt ipſi putabant, impium præſidem, ad exequendam ſententiam adigere poſſit. Verùm Pilatus, licet homo ethnicus, & à republica Iſraelis porrò alienus, tamen non voluit Chriſtum, inaudita cauſa, in gratiam Iudæorum condemnare, ſed prius inſtituit rem omnem penitius cognoſcere: hoc quod Lucas ſilentio præterire noluit. Sequitur enim:

*Pilatus autem interrogauit eum, dicens: Tu es rex Iudæorum? At ille reſpondens, ait: Tu dicis.*

Pilatus non in hoc conſtitus erat præſes Iudæorum, vt ipſis cultum diuinum præſcriberet, ſed tantùm, vt illos ſub Romanorum imperio obedientes retineret: vnde nihil mouebatur prima & ſecunda Iudæorum, ſuper Chriſto accuſatione, quas, haud dubiè, ſicut diximus, falſas & confictas eſſe nouerat, ſed vltimam, quæ regni noui mentionem habebat, ſibi diſcutiẽdam eſſe putabat. Videbatur enim hæc poſtrema accuſationis pars, cæſaris monarchiam labefactare, ad quam conſeruandam, & ad omnes ſeditiones cõpeſcendas, à Cæſare Tyberio miſſus erat in Iudæã Pontius Pilatus: qui præterea non ignorabat ſpem gentis Iudaicæ, expectantis magno animi deſiderio, venturum Meſsiã: igitur Pilatus hoc accuſationis caput ad ſe maximè pertinere putans, rogauit Ieſũ: Tune

ne es rex Iudæorum? Quasi dicat: Audio Iudæos expectate regem, & assertorem quẽdam, qui omnibus ipsorum oppressis hostibus, solus sit in orbe regnaturus. Audio nunc primorum tuæ gentis accusationes, & quod testificantur te maiestatem illam regiam vendicasse tibi: nunc ergo id abs te edoceri cupio, an fateatis verum esse, quod isti tibi intentant, & an tu ille rex atque assertor sis populi Iudaici, quem expectant. Ad hanc quæstionem respondit Dominus simpliciter: Tu dicis, modestè se regem esse confitens: interim verò apud alium Euangelistam, Pilato explicans, qualis rex sit, & quale regnum eius futurum: sed quoniam Lucas noster eius rei nullam facit mentionem, & nos illud intactum præteribimus. Gerit autem Pilatus typum eorum hoc in loco, qui diuina nihil curantes, toti in hoc sunt, vt temporalibus non destituantur.

*Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum, & ad turbas: Nihil inuenio causæ in hoc homine. At illi inualescebant, dicentes: Commouit populum docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsque huc.*

Audite hic, quotquot Christum amatis, Christi innocentiam. Nam Iudex accusatum exclamat innocentem esse, nihilque pœna dignum patrasse. Allusum est autem ad Gentium futuram fidem, quæ nusquam non patrocinantur Christi innocentiæ, aduersus Iudæorum calumnias. Quod enim tum fiebat apud paucos, hoc hodie in vniuerso fit mundo. Iudæi calumniantur Christum: nos autem qui ex Gentibus sumus, & credimus, & sicut credimus, loquimur confidenter, Christum agnum illum fuisse innocentem, sine macula. Subscribimus Pilato dicenti: Nihil inuenio causæ in hoc homine, nimirum pœna dignum; abominamur verò Iudæorum voces, quibus clamant, quod Christus commouerit, ad seditionem scilicet, vniuersam plebem, docendo per Galilæã vsque ad Hierosolymitanos. Incepit quidem docere populum in Galilææ regione, & doctrina eius per ipsum & huius apostolos, peruenit ad Hierosolymitanos: hoc verum est. Quod autem dicũt illum commouisse & excitasse seditionem vel in Galilæa, vel in Iudæa, impudentissimum mẽdacium est. Pacem enim, & fraternam charitatem prædicauit, non seditionem. Iussit inimicos diligere, tantũ est vt discordias & odia aluerit. Magistratui legitimo nũquam contradixit, imò interpellatus à duobus fratribus super diuidenda hæreditate, noluit falcem suam mittere in alienam messem, sed durè respondit: Quis me constituit iudicem inter vos? Sed hæc Christianis perspicua sunt, qui sycophantias Iudæorum nihil morantur. Adnotauit hoc loci Theophylactus, Iudæos non sine magno dolo mentionem fecisse Galilææ, sed in terrorem Pilati. Nam Galilæi semper seditiosi, rerumque nouatores fuere: qualis erat & Iudas Galilæus, cuius recordari faciunt Pilatum, quasi ita dicentes: Cogita, Præses, Iudam Galilæũ, qui multum negotii fecit Romanis, facta non parua seditione populi: talis & hic est, quem oportet è medio tollere. Quid igitur ad hæc Pilatus?

*Pilatus aũ audiens Galilæam, interrogauit si homo Galilæus esset. Et vt cognouit, quòd de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Hierosolymis erat his diebus. Herodes autem, viso Iesu, gauisus est valde. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri.*

Dignum

Dignum est, vt Iudex patulas habeat aures, diligentemque det operam, ne vnicum verbulum, siue illud Reus, siue Actor dixerit, elabi patiatur. Sic enim maiori securitate & certitudine super oblato negotio sententiam ferre poterit. Nam qui vnius partis verba tantùm considerat, & alterius negligit, re ipsa declarat, quàm longè sit à vero iudicio. Pilatus itaque, qui adhuc cogitabat non iuxta partes, sed iuxta causam iudicare, diligenter ad singulorum verba attendebat: audita itaque mentione Galilææ, continuò rogat, num Christus Galilæus sit: quod cùm ita rem sese habere intellexisset, intelligit etiã hoc negotium cõmodius pertractari posse ab eo, sub cuius imperio maxima pars rei gesta fuerat. Remittit itaque Iesum ad Herodem, qui tum Hierosolymis erat. Hic autem Herodes filius fuit eius tyranni, qui innocentes pueros occidi fecerat, malus scilicet pater non boni filii. Herodes itaque, non Ascalonita ille, sed Antipa, gauisus est, ob conspectum Iesum, non vt ex hoc animæ suæ quid vtile lucraretur: sed quia audierat de eo, quòd sapiens esset, & mira operaretur, habuit stultum desiderium, laborans curiositatis morbo etiam ipse, vt videret eum hominem, de quo tam multus & magnus erat sermo. Desiderabat enim signum quoddam videre à Iesu, non vt crederet, sed vt oculos oblectaret. Neque enim putabat Iesum prophetam quempiam esse sanctum (nam tales non curant impii idololatræ) sed magum, vel histrionem: tales enim non infimo loco habentur apud huius mundi principes. Vtinam nostra secula talibus exemplis non abundent. Vereor, imò videmus, maioris fieri histriones apud nostrates principes, quàm verbi Dei præcones. Si autem patremfamilias vocauerunt Beelzebub, quare domesticos ipsius digniori loco ponerent? Sed redimus ad historiam. Dauid in persona insani hominis, apud Achis in tuto esse potuit, forsan in persona sancti prophetæ non fuisset. Sequitur:

*Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat.*

Herodes, sicut rectè adnotauit Theophylactus, interrogabat Iesum sermonibus multis, & illudentis more tractabat, totumque subsannabat: ideò & Iesus nihil respondet. Quid enim respondendum illi, qui non interrogat vt discat? Quid item margaritæ mittendæ ante porcos? Certè Herodes, & eiusmodi Herodiani rarissimè de Christo, huiusque verbis loquuntur: & si horum recordantur, non nisi per lusum faciunt, panem cælestem vertentes sibi in præsentissimum venenum. Indigni itaque sunt, quibus eum de rebus diuinis aliquis sermo fiat. Obseruandum certè hoc loci est, quod Lucas scribit, Herodem multa interrogasse, & Iesum Christum nihil respondisse. Plærique enim multa interrogant, non vt discant, sed vt tentent, atque mentem de tam variis interrogati confundunt. Atqui vir sapiens nihil per importunitatem facit, neque inutiliter agit aut loquitur: tempus obseruat & locum, & cui, & à quo, & quid, & qua intentione aliquid vel dicere, vel facere inquiratur, primò considerat, non ignorans, de omni verbo ocioso reddendam esse rationem. Vndè non mirum est, quod Christus ad verba & interrogata Herodis nihil respondit: præsciebat enim, se inutiliter ab Herode interrogari, &c.

*Stabant autem principes sacerdotum, & scribæ, constanter accusantes eum. Spreuit autem illum Herodes*

*cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die: nam antea inimici erant ad inuicem.*

Vide obsecro inuidiam & malitiam principum sacerdotum & scribarum. A domo Pilati, vsq; ad domum Herodis Christum hostili animo, & occidendi libidine sequuntur, vt vel apud Herodem, quod vellent, nimirum capitalem sententiam super Christum, extorquere possent. Apud Herodem itaq; pertinaciter & proterue Christũ accusabant, haud dubiè de iisdem rebus, quibus illum apud Pilatum accusauerant, sed sicut prius apud Pilatũ, ita & nunc frustra apud Herodem instituta est accusatio. Neque enim Herodes illum sententia capitali condemnat, sed cum exercitu suo illi illudit, vestem albam Christo induit, ac ipsum tanquam morionem aliquem tractat. Lusus ille, haud dubiè, satis amarus fuit Christo. Illuserunt autem forte Christo, tãquam ei qui cum magna de se dici velit, tamẽ nihil magnificẽ præstare posset. Mundus enim gloriosos illos Thrasones sic irridere solitus est. Atqui Christus multa quidem poterat, eademq; magnifica & loqui & operari: sed quare noluerit quicquam facere, ex impulsu Herodis, auditum est. Cæterùm Herodes iterum remittit Christum ad Pilatum, & in hoc boni iudicis officium nequaquam faciens. Non enim est verorum iudicum illudere in iudicio constituto, sed aut dãnare criminis conuictum, aut absoluere innocentem. Vtrunq; negligit Herodes, innocẽtem enim irridet, & vinctum remittit ad alium iudicem. Sequitur in textu, Herodem & Pilatum rursus sibi inuicem reconciliatos, quod nulla expositione opus est. Prœlusum autem est, quòd mundi primores tandem conspiraturi essent aduersus Christum, & sanctam ipsius Ecclesiam. Et adhuc hodie videmus, inter hostes Ecclesiæ magnam esse concordiam, summumq; consensum: atqui inter Ecclesiasticos certè non bene sarta concordia, nec satis firma amicitia. Exẽpla notiora sunt, quàm velim. Et posset iam quis dicere, quod Petrus ex Psalmographo in actis: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Sed reuertamur ad contextum.

*Pilatus autem, conuocatis principibus sacerdotum, & magistratibus, & plebe, dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem, quasi auertentem populum: & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inuenio in homine isto, ex his in quibus eum accusatis. Sed neq; Herodes. nam remisi vos ad illum: & ecce nihil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam. Necesse autem habebat dimittere eis per diẽ festum vnum.*

Rursum hic vides Pilatum, licet Ethnicum, longè iustiorẽ fuisse Iudæorum præcipuis. Vides enim quanto studio, quanto labore, conetur Christum innocentem è manibus Iudæorum liberare. Cõuocat omnes tã summates quàm infimates, vt vel in tanta turba hominum inueniat, qui veritati & innocentiæ patrocinari velint. Obtulistis mihi hunc hominem. Hominem vocat, non latronem, non nequam, non seditiosum aliquem, non regem, sed humili vocabulo: Obtulistis mihi hominem hunc. Quid magni feceritis, etiamsi hominem misellum occideritis? Obtulistis mihi præsidi vestro hunc hominẽ, quasi auertentem populũ à legib9, scilicet tam diuinis, quàm humanis: &

& ego nihil quasi colludendo vel per iocum, vel occultè egi cum eo, sed coram omnibus ipsum interrogans, nullam causam inuenio in homine isto, cur scilicet merito & iure è medio tollatur. Et ne existimaretis me, forte in contemptum vestri, vel in gratiam huius nonnihil dissimulare, remisi eum ad Herodem, sicut vos ipsi testes esse potestis, qui secuti estis, & omnium rerũ oculati spectatores fuistis. Atqui Herodes sub cuius ditione natus & conuersatus est, & cui plus iuris in hunc hominẽ est quàm mihi, nihil dignum morte in ipso deprehendit, neque enim eius rei aliquod specimen exhibuit. Quid igitur faciam? Emendatum eum dimittã, vt si quid vel imprudens peccarit, tamen nõ videatur illud impunè fecisse. Hic verbis suis incipit exorbitare Pilatus, cum emendare se velle dicit innocentem. Si innocens est, quomodo emendabis? Si emendabis, quomodo innocentem toties proclamasti? Nam qui innocens est, nec leuissima quidem pœna puniri debet. Atqui Pilatus hac emendatione cupiebat mitigare Iudæorum odiũ aduersus Christum: quod tamen facere non debebat, sed continuo innocentem absoluere, nec permittere vt quisquam posthac Christo molestus esset. Vtcunque tamen sit, Pilatus longè melior vir est, quàm Iudæorũ sanctissimi. Hi enim totis viribus & fraudibus conantur innocentem interficere: ille verò omnem lapidem mouet, vt possit innocentem seruare. Hinc est quod Pilatus allegat veterem consuetudinem de dimittẽdo aliquo facinoroso, vt vel sic liberare posset Christum. Sequitur autem in textu.

*Exclamauit autem simul vniuersa turba dicens: Tolle hunc & dimitte nobis Barrabam: Qui propter seditionem quandam factam in ciuitate, & homicidium, missus erat in carcerem.*

Proh Deum atque hominum fidem, quàm iniqua est hæc collatio! Innocentissimum cum sceleratissimo, principem pacis cum authore seditionis conferre. Neque tamen putandus est Pilatus hoc fecisse in contumeliam Iesu, sed potius vt iniqua hac collatione, contentionem iniquam Iudæorum frangeret. Sic enim existimamus Pilatum Iudæos allocutum: Obtulistis mihi hic hominem, quasi auertentem populum & seditiosum: ego autem nihil comperio eius rei in ipso, nec apud Herodem alicuius criminis conuictus est: vnde nulla ratione capite plectẽdus est. Porrò ne vos videamini hominem innocentem malè accusasse: hunc verò in maximam vestri confusionem rursum absolutum, non impunè fecerit, quicquid tandem vobis molestiæ intulerit. Adde quoniam iuxta vestrám consuetudinem, optio vobis danda est liberandi ex vinctis quem volueritis, citra omnem vestri confusionem Iesus absolui potest. Habeo enim vinctum hominem seditiosum, cui nemo bonus bene velle potest, hunc ergo committã cum Iesu. Vos itaque optima ratione postulabitis vobis dimitti Iesum, & sineritis perire latronem. Sic enim iudicabimini in Iesum fuisse misericordes, in latronem verò iusti. Quòd si liberaueritis latronem, omne malum in vos redundabit, qui malueritis seruare hominem seditiosum, quàm hominẽ quẽ nullius malitiæ conuincere potestis. Quid porrò ad hæc Iudæi? Tolle inquiunt, hũc, & dimitte nobis Barrabã.

*Iterum autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere Iesum: At illi succlamabant, dicentes crucifige, crucifige eum. Ille autem tertiò dixit illis: Quid enim mali fecit? nullam causam mortis inuenio in eo, corripiam ergo illum & dimittam.*

Sperabat quidẽ Pilatus vulgi odia sic incensa feruere in Barrabam vt

quiduis potius darent concederentve homini tam nephario, quàm vitam. At omnis conatus Pilati in ventum abiit. Ipse quidem quærit elabēdi viam, illi in hoc toti sunt vt crucifigatur Christus, quem sic odiūt, vt ipsi etiam sceleratissimū latronē præferāt. Atqui non facilè explicarit quispiam, quàm doleat viro bono posthaberi latroni conscleratissimo, adeoque adobrui pulchro odio & execratione populari. Cæterū hæc omnia sustinuit propter nos misericors Dominus: humiliatus & extrema ignominia, contemptuque publico adobrutus atque contemptus est, quo nos exaltaremur, & reciperemur in æternā gloriam: reputatus est cum impiis, vt nos reputaremur inter filios dei. Sequitur.

*At illi instabant vocibus magnis postulantes, vt crucifigeretur: & inualescebant voces eorum. Et Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum. Dimisit autem illis eum qui propter homicidium & seditionem missus fuerat in carcerem quem petebant. Iesum verò tradidit voluntati eorum.*

Hanc improbitatem exprobrauit deinde Petrus Iudæis inquiens: Deus patrum nostrorum glorificauit filium suum Iesum, quem vos quidem tradidistis & negastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti: Vos autem sanctū & iustum negastis, & petiistis virū homicidam donari vobis: Authorē verò vitæ interfecistis, &c. Atqui huius infandi sceleris meritas vltori Deo depēdebant pœnas. Nam ab hinc ad excidium vsque vrbis per annos quadraginta continuos & amplius, continuis fatigati, attriti atque consciſsi, perditique sunt seditionibus, perfidissimi & iniustissimi homines, qui latronē, parricidam, sicarium & seditiosum, prætulerunt Messiæ suo Regi, pacifico, benigno, benefactori, & omnis fœlicitatis, omniumque cœlestium donorum largitori munificentissimo. Atque vtinam nec nobis quoque illustre hoc exemplum scientibus, plus probarentur placerentque nebulones scelestissimi, quàm Christus sanctissimus, & veritas Euangelii sacrosancta: Contextus apertus est, satis arguens quid sperandum sit, vbi vel paululum fuerit declinatum à tramite veræ iustitiæ. Ab initio debebat & Pilatus Christū absoluere: sed quoniam non fecit, sed quoniam in gratiam Iudæorum illum corripuit, postea eo impulsus est, vt innocentissimum Dominum iudicaret, non secundum iustitiam, sed secūdum Iudæorum voluntatem. Sicque duo maxima mala perpetrauit: innocentem enim crucifigi fecit, & nocentem libertate donauit: quod haud dubiè apud Deum iustum iudicem impune non fecerit. Salomon enim dicit: Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum. Malè igitur sibi constat Pilatus, cum paulò ante dixerit: Nullam causam mortis inuenio in eo: & dein adiudicat fieri petitionē Iudæorum, nimirum vt crucifigeretur Christus. Non satis erat vociferari, crucifige, crucifige, crucifige. Primùm conuincendus fuerat Christus maligni facinoris, dein condemnādus. Atqui Iudæi nullas alias causas proferunt, nullas rationes ostendunt, nulla testimonia statuunt, nulla signa probabilia indicant. Crucifigatur, illotum prora & puppis est. Pilatus itaque improbitate Iudæorum victus, iudicauit quod scimus.

Acto. 3.

Prou. 17.

*Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quendam Cyrenēsem venientem de villa, & imposuerunt illi crucem portare post Iesum.*

Negotium magnum & arduum, Lucas breuissimis cōplexus est. Neque enim voluit describere quanta crudelitate & atrocitate milites Christum eduxe-

eduxerint, sed nobis hoc ipsum in cordibus nostris cogitandum reliquit. Certe tanta in Christum vsi sunt tyrannide, sic eum ignominia & verberibus affecerunt, vt ipse solus non sufficeret crucem suam portare vsque ad locum caluariæ. Vnde dum in itinere Dominus graui crucis pondere oppressus, atque continua illa diuexatione exhaustus, subinde magis ac magis deficeret, neque iam videretur crucem ad locum vsque supplicii baiulare posse, adiungũt illi socium Simonem Cyrenensem, quem renitẽtem quidem strenuè, opprimunt, tandemque militari ferocia compellunt baiulare crucem Iesu. Sunt qui existiment Christum primum de Prætorio solum portasse crucem, vsque dum habuit obuiam Simonem: dein vero crucem Simoni impositam, & coactũ vt & ipse solus portaret ad locum vsque caluariæ, sed verisimilius est, quod Simon pone, id est à tergo, proximè insequens, & commune onus crucis sustinens, præcedẽtem iuuerit Dominum. Nec abhorret hoc factum à mystico eodemque pulcherrimo sensu. Primùm portat Christus crucem, deinde Simon. Christus enim primò pro nobis passus est, nobis relinquens exemplum vt sequamur vestigia eius. Et ideo in Euangelio dicit: Qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me. Quod porrò Christus & Simon ille vnam crucem baiulant, significat eam communionem quæ inter Christum est & huius Ecclesiam. Oportet enim nos compati illi, & ipse compatietur nobiscum: Vnde in actis, dum Saulus persequitur Christianos, à Christo audit, Saule Saule quid me persequeris? Neque illud vacat mysterio quod Christus non recusat ferre crucem, Simoni autem violentia quadam imponitur. Prælusum est enim hoc facto, quod in Ecclesia Christi quidam vltro se forent conjecturi in pericula pro Christi nomine: alii verò violentiam essent passuri à Christi hostibus: Qui & si ad crucem cogi videtur, tamen cum omnes tribulationes patienter sustinent, digni sunt qui à Domino coronam recipiant. Sic Apostolus vltro subit crucem Domini inquiens: Ego non solum alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu. Acto. xxi. Petro autem dictum est: Cùm esses iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas. Cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis, &c. Io. xxi.

*Sequebatur autem eum multa turba populi & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum: Conuersus autem ad illas Iesus, dixit: Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros: Quoniam ecce venient dies in quibus dicent, Beatæ steriles & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt.*

Dominus Iesus affectũ charitatis, pari affectu compensat: Compatiebantur enim bonæ mulieres Domino, qui tam miserè & præter meritum tractabatur ab sceleratissimis militibus: Compatitur itaque & Christus illis, vt qui non ignorabat quæ futura erant super Iudæorum populũ. Quæ vero super hunc futura erant, in superioribus non semel tantum auditũ est: primò quidem cum defleret Christus excidium Hierosolymorum, dein etiã cum excidii miseriam discipulis suis aperto sermone depingeret. Igitur nõ abominatur Christus mulierum planctum, sed prædicit pias mulieres olim habituras longè grauiores flendi & plangendi occasiones. Quod enim iam patitur Christus, eò tendit vt per eiusdem passiones ad regnum patris cœlestis redeat. Quæ autem futura sunt super Hierosolymitanos, nõ omnibus cessura

cessura sunt in salutem. Adde, Christus pro alienis peccatis patitur: illi verò pro propriis flagellabuntur. Christus sua passione & sibi & suis multa bona meretur: Iudæi verò suis illis calamitatibus vix pro culpa satisfaciunt, tantum abest, vt illis aliquid boni à Deo impetrare possint. Igitur qui hanc Domini comminationem rectius intelligere velit, excidii Hierosolymitani recordetur, & nulla erit difficultas. Quærunt hoc loci aliqui an nos oporteat ob Domini mortem, dum scilicet huius meminimus, lugere an ne gaudere? Nos paucis respondemus ipsius mortem esse deflendam, & tanquam preciosam etiam summo gaudio celebrandam. Primò quidem quoniam Christus caro & frater noster est, & nemo vnquam carnem suam odio habuit, naturale est, nec impium, illius passioni condolere, cuius nomine nimirum & anima illius conturbata fuit. Huic forsan non ineptè quadrat, quod in Psalmis inquit propheta in persona Christi: Sustinui qui simul mecum contristaretur & non fuit qui consolaretur, & non inueni. At maiorem deflendi causam habebimus, simul atque cogitauerimus quòd nos eadem peccata quotidie perpetramus, quæ illum adegerunt in crucem, & quòd nosmetipsos exortes facimus passionis illius, dum peccata relinquere non sustinemus. Porrò ad recordationem passionis Domini etiam gaudere debemus, quando scilicet perpendimus, quantum æmolumenti nobis ex illa prouenerit, qua de re Paulus noster in Corinthiis suis, & in ea quæ est ad Galathas epistola. Itaque, vt quidam non impiè scripsit, non damnandus est affectus illorum, qui tum Christo vt homini dira patienti, communi naturæ sensu condolescebant: nec Christus simpliciter repræhendit lachrymas muliercularum, sed admonet quid potius sit deflendum: atque harum occasione commonuit posteros, vt commemorantes Domini mortem, sua suorumque crimina deplorent potius, quàm illius mortem. His ergo quæstionem volumus explicatam.

*An memoria passionis Christi lugendū nobis sit an gaudēdum.*

*Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?*

Hoc ænigmate voluit Christus subindicare, quantas sint habituri Iudæi occasiones plorandi. Videtur enim mihi hic esse simplicissimus verborum Domini sensus. Qui nullam rationem habent bonæ arboris, certè longè minus curabunt putres, hoc est, qui innocentibus facessunt negotium, certè nocentes non ferent tranquillitate gaudentes. Iam ô bonæ mulieres, qui sunt isti qui mihi iam tantum concinnarunt & compararunt malorum? mihi, inquam, qui nemini malè, omnibus autem bene feci? Quis me ad crucem adiget? Vestri Pontifices, vestri Scribæ, vestri Pharisæi. Ergo olim, nimirum in excidio vrbis, illi ipsi, pro libidine sua, tantam exercebunt tyrannidem in vos, vt longè maiorem sitis habituri fletus causam, quàm nunc habetis. Et ita rem esse, successus temporis docuit. Nam bonæ mulieres longè plus & grauius vexatæ fuerunt ab ipsis conciuibus, quàm ab hostibus Romanis.

Duce-

*Ducebantur autem & alij duo nequã cum eo, vt interficerentur cum eo. Et postquam venerunt in locum qui vocatur Caluariæ, ibi crucifixerunt eum, & Latrones, vnum à dexteris, alterum à sinistris.*

Sic ergo impletũ est quod Christus ex propheta implendum fore prædixerat: Et cum iniquis reputatus est. Quare autem adiungunt Christo duos latrones? vt scilicet ex horum consortio esse & ille iudicetur, quasi scilicet in eodem facinore deprehensus, eandẽ sustineret pœnam. Hanc contumeliã notam habeant, qui perpetuo primos accubitus eligunt in conuiuiis, & primas cathedras in synagogis, quiq; circum se neque pares neque superiores æquo animo ferre possunt. Ecce Dominus noster Iesus Christus, inter medios latrones, & ducitur & crucifigitur, & tamen nos interim non pudet superbiæ nostræ, semper altiora huius mundi quærimus, non cogitantes superbos omnes tandem esse humiliandos: Sed hæc aliàs. Locus caluariæ, locus erat noxiis puniendis consecratus: ad hunc ergo etiam Christus ducitur, & in hoc crucifigitur, vt nihilo gloriosius habeat, atque reliqui latrones. Quomodo porrò illum crucifixerint, qua crudelitate, qua atrocitate, non scripserunt Euangelistæ, sed piis animis illud ipsum cogitandum reliquerunt. Facilè conicere possumus q̃ nihil pepercerint sanguinarij milites Christo, cum nouerint se & Iudæis & Græcis gratum facere posse, si illi in nullo parcerent: Lucas noster non describit quomodo eum nudauerint, corporis membra distenderint, clauos infixerint. Sed hæc per se aperta esse putauit: Atqui milites illi omnia ex malitia faciunt: Christus vero omnia in bonum nostrum vertit. Christus nudatur suis vestibus, vt nos æterna gloria vestire possit. Christus vestibus suis spoliatur, sed his ipsis peccata nostra tegit: Christus manus & brachia expãdit, vt nos omnes complecti possit. Christi manus affixæ sunt, vt ad se retrahere non possit. Sic & hactenus manus extentas habet, vt omnibus opituletur, vt omnes ad se trahat: verùm de his satis.

*Iesus autem dicebat: Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.*

Ex præhabitis disce abiicere fastum & superbiam: ex his quæ iam tractamus disce abiicere inuidiam, & remittere in te peccati noxam. Vides hic Christi exemplum. Non solum ex toto corde remittit culpam, sed & hostibus suis à patre exorat veniam. Nec aggrauat peccatum, sed eleuat & excusat, quasi quicquid hostes sui fecerunt, non per malitiam, sed per ignorantiam fecerint. Pater, dimitte inquit illis, quia nesciunt quid faciunt. Pater exaudi filium tuum, qui non rogat vt de homicidis supplicium sumas, sed vt illis patienter & benignè indulgeas. Quia nesciunt quid faciunt. Sciunt quia crucifigunt: ignorãt quem crucifigunt. Nesciebant quid facerent, quia præsidis mandato parentes, iustitiæ opera exequi arbitrabantur. Nesciebant quid facerent, cum fidem credulam adiuberent diffamationibus Iudæorum: & eis placere gestientes, animosius pœnis Christum afficiunt. Christus itaque sic orando intercedit pariter pro omnibus tam Iudæis quàm gentibus, qui procuratores suæ passionis fuerunt, & hoc ignoranter fecerunt. Si enim Dominum gloriæ cognouissent, nequaq̃ ipsum crucifixissent. Et Petrus ad Iudæos dicit: Vos authorem vitæ interfecistis, &c. Et nunc scio fratres, quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri. Certissimũ enim est, quod neque gentiles neque Iudæi, Christum exacte nouerunt Deum & hominem esse. Nam si hoc nouissent, nunquam

Act. 3

tam temerarii facti fuissent, vt Deo manus inijcerent. At Principes hoc nouerant quòd innocentem perderet, nullam aliam causam habentes nisi inuidiã, quæ sic illos excæcatos reddiderat, vt neque doctrinam neque miracula Christi, exactè iudicare ac intelligere possent. De his ergo apud Ioannem dicit: Si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo.

*Diuidentes verò vestimenta eius, miserunt sortem.*

Et hæc quidem milites fecerunt per contemptũ, ceu diuidentes spolia capti & deuicti regis: sed tamẽ interim impletur Scriptura, quæ illud ipsum futurum esse prædixerat in hæc verba: Diuiserunt inquit sibi vestimẽta mea; & super vestem meam miserunt sortẽ. Sic autem voluit Christus pro nobis contemni, vt nihil esset in illo, nihilque haberet, quod non ipsi ludibrio verteretur. Aurum quidem & argentum, ædes amplas, fundos, census, & villas non habebat vllas: nam propter nos, sicut Apostolus ait, paupẽr factus est: quòd ergo habebat, vilem vestem, nostri gratia beneuolè amisit, cernens coram cui cederet spolium, non bonis hominibus, non egenis, sed impurissimis nebulonibus. Hoc autem Christus pertulit patienter, partim vt perfectissimum & summũ eius erga nos amorem cerneremus, ac eum vicissim vera fide & amore sancto diligeremus: partim, vt patientiam disceremus, minusque doleremus, si nobis quoque veritatis causa, ac propter Christum, turpissimi quique nebulones omnem diripuerint substãtiam. Allegorias hoc loci sinamus.

Christi Exemplum.

*Et stabat populus spectans. Et deridebant eum Principes cum eis, dicentes: Alios saluos fecit, se saluum faciat, si hic est Christus Dei electus.*

Videmus hic quàm pertinaci odio fuerint Iudæorum primores aduersus Christum, vt quorum odio non videtur satis fieri, nisi etiam iam pendenti in cruce pergant insultare, illiusque beneficia & miracula bono saluatori exprobrare, id quod Matthæus multa diligentia copiosissimeq; describit. Et sanè non vulgariter dolet homini, si in summo discrimine, non modo nemo condoleat, sed omnes potius insultent. Alios seruauit, inquiunt, se ipsum non potest seruare: Iactasti diuinam potentiam, vsurpasti tibi æterni Dei honores, dixisti te esse benedictũ omnipotentis Dei filium. Si talis es, descende de cruce. Sed iam tandem apparet qualia fuerint illa tua magnifica beneficia collata cæcis, claudis, & oppressis varijs morborum generibus, conficta nimirum & mendacia. Si enim vera fuissent ac iusta, posses haud dubiè & te nunc seruare. Id cum non possis, apertissimè liquet, qualis sit tua potentia.

*Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei, dicentes: Si tu es Rex Iudæorum, saluũ te fac.*

Non mirum est quod impii milites Christo illudunt, cum nec à suis Pontificibus securus est, sicut iam diximus. Pontifices exprobrant quòd sibi attribuerit diuinos honores: Milites de Deo vel Messia nihil certi habentes, ne sint scilicet porrò asymboli, Christo exprobrãt quòd Regios affectarit honores. Hoc enim nomine audiuerant illum à Iudæis accusari. Si Rex es ille promissus Iudæis, vt hos à Romanorum iugo redimeres, age iam exere vires & potentiam tuam. Quod Lucas hic de aceto dicit, clarius apud alios Euangeliographos scriptum est, nimirũ quod Christus dixerit, sitio. Quidam verò accurrerit porrigens acetum spongia haustum, & hoc consueta, hoc est militari clementia.

Erat

*Erat autem & superscriptio scripta super eum literis Græcis, & Latinis & Hebraicis: Hic est rex Iudæorum.*

Ex Ioanne liquet Epigrapham sic se habuisse: Iesus Nazarenus rex Iudæorum. Fiebat autem hoc ex more Romano. Affigebatur enim facinoroso cuique suus titulus, qui & personã indicaret & crimen: Ob hoc autem dãnatus fuerat Christus, quòd videretur affectasse regnum. Porrò quomodo affectarit regnum, aut quale habeat regnũ, in superioribus auditum est, vt non sit necesse sæpe dicta sæpius repetere. Titulus ille apud Iudæos quidẽ & ethnicos contumeliosus videtur: at nobis qui vera fide Christum cognouimus, scimus quàm benè ille Christo conueniat, & ideo non potest nobis non esse preciosus. Agnoscimus in nomine Iesus, saluatorem nostrum: in Nazarenus, florem illum campi & lilium conuallium. In regis appellatione, promittimus nobis per Christum regnum cœlorum, vt qui verè sumus Iudæi, hoc est confessores, confitentes quòd Iesus ille Christus, qui olim in cruce pependerat, iam sit in gloria Dei patris. Cætera in Matthæo tractata sunt.

*Vnus autem de his qui pendebant latronibus, blasphemabat eum dicens. Si tu es Christus, saluum fac te ipsum & nos.*

Erat & hæc contumelia non postrema. Quis enim innocens ferat, vt ab homine nequissimo, latrone, damnato, extremæque fortunæ contemnatur? Tu porrò vide hic hominis (si modo tantus nebulo hominis appellatione dignus est) vide, inquam, & perpende hominis illius malitiam, vt sic diligentius & exactius possis æstimare Christi patientiam. Latro est ille, & iam affixus est cruci, nec vlla spes vitæ illi reliqua est, & nihilominus non dubitat blasphemare Christum, dicens: Si tu es Christus saluum fac te ipsum & nos: Quasi scilicet non sit Christus, si non statim nebuloni cuique morem gerat. Sic alibi accesserat Satanas ad Christum dicens: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant: mitte te deorsum. Scilicet non potest esse Christus filius Dei, si non obtemperauerit Satanæ, & huius satellitio. Potest quidem Dominus saluare, quemcunque voluerit: & nouit cui velle debeat. Seipsum autem non debebat in cruce saluare, sed ex sepulchro à mortuis reuocare. Sed audiemus continentet quem saluare velit.

*Respondens autem alter, increpabat eum dicens: Neque tu times Deum quod in eadem damnatione es? Et nos quidem iustè: nam digna factis recipimus. Hic verò nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum: Domine memento mei dum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.*

Nemo de quoquam desperare debet, quum hic videamus ex Latrone in cruce pendente, & iam moriente, tantam conuersionem, & huius conuersionis tam magnum premiũ. Hoc autem ideo positum est in Euangelij historia, non vt negligentius agas, sed ne postquam negligentius egeris porrò desperes. Sed videamus quid ille egerit in cruce, non iam latro, sed proprii sceleris accusator, & Christi innocentiæ præco & testis. Adhibe tu animum, ego singulas partes eius negotii excurram. Latro increpat socium, non vt illum contemneret, sed vt emendaret. Neque tu times Deum? Parum ne tibi videtur, quòd homines contempseris & offenderis, nisi & grãdius peccatum adiicias? Iam luis pœnam, nec aliqua tibi spes salutis superest, & hactenus non cessas à ma-

litia? Vterqite nos quod iam patimur, iustè patimur: nam digna factis recipimus. Audis confessionem peccati. Peccaui, inquit, & pro peccatis iam iustè plector. Hic verò, Christus scilicet, qui in medio nostri pendet, nihil mali gessit. Magnum hoc est testimonium innocentiæ Christi. Neque enim ait Latro, quòd Christus non meruerit crucem, sed quòd nihil omnino mali egerit. Deinde conuertit sermonem ad Christum inquiens: Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum. Magnam hic audimus in latrone fidem, & maiorem quàm Christus inuenerit apud suos Israelitas. Hi enim dum viderunt Christum maxima quæque mirabilia operari, vocauerunt dæmoniacum, Samaritanum, & eius generis aliis titulis illum honestarunt. Latro iam morientem videns, & omnem infirmitatem suam demonstrantem, Dominum vocat. Adde: Quem videt & audit ab omnibus irrideri & blasphemari, eius regni cupit fieri particeps. Igitur non est mirum, quòd tantam à Christo acceperit promissionem. Certè inuenimus in latrone illo virtutes illas omnes, quas Apostolus tanquam præcipuas in Christianis & postulat & commendat: nimirum fidem, spem & charitatem. Fidem namque habuit, qui regnaturum Christum credidit, quem secum morientem vidit. Spem habuit, qui regni eius aditum postulauit. Charitatem quoque habuit, qui collatronem suum ex animo arguit, & Christo tanquam innocenti condoluit. Ergo qui tantas virtutes latroni dedit, etiam possessionē paradysi promisit, hoc est regni cœlestis, adeoq; vitæ æternæ. Quæ hic à quibusdam mouentur quæstiones, cursum nostrum non impedient, vt qui sciamus Christi pollicitationes non posse vanas esse, esse itē adhuc multa in sacris literis, nō satis explicata, nec omnibus obuia. Nos ad sequentia properamus.

*Erat autem ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram, vsq; in horam nonam: Et obscuratus est sol, & velum templi scissum est medium.*

Vide August. de ciui. Dei li. 3. c. 15.

Lucas noster non enumerat omnia prodigia quæ sub mortem Christi facta sunt, sed pauca: Porrò sexta hora, quam hic Lucas ponit, incidit cū nostra duodecima meridiana: Nona verò hora cum nostra tertia pomeridiana. Ex his autem intelligimus, Christum Dominum viuum tribus horis in cruce, in tantis nimirum tormentis, pependisse. Tenebræ autem factæ, nobis designant obtenebrata & excæcata Iudæorum corda, quæ nec ad tot conspecta miracula, nec ad tantos cruciatus Christi ad fidem suscipiendam patuerunt. Sol mundi obscuratur, quando solis & mundi, imo & omniū creaturarum conditor patitur. Velum templi est scissum, quia omnium prophetarum scripta super venturo Messia iam aperta sunt: apertum est & nobis cælorum regnum, per Christi Domini nostri passionem. De qua re copiosissimè disseruit Paulus ad Hæbræos. ix. & x.

*Et clamans voce magna Iesus ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens expirauit.*

Sicut iam iam admonuimus Lucā nostrum, non omnia prodigia descripsisse, quæ sub mortem Christi facta sunt: ita & iam admonemus, nostrum Euangelistam non omnia verba Christi adscripsisse, quæ in cruce Christus locutus fuit: Sed verba ipsa à Luca nostro posita paucis explicabimus. Clamat Iesus voce magna, nimirum motus ex immenso dolore quem patiebatur, ex tam graui & diutino cruciatu. De hoc clamore loquitur Apostolus in Hebræis suis.

Qui

Heb.5. Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere à mortuis, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Sed quid clamauit? Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Non hæc loquitur quasi quid timeat animæ suæ, sed patri sursum reddit animam, quasi depositum quod ab illo ante acceperat. Vnde alibi ait: Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Prius quidem milites & Iudæi abnegarunt ipsum esse filium Dei, nec quicquam contradixit Christus: sed iam confitetur eum esse patrem suum, qui omne iudicium in animas nostras habet: Qua de re in Euangelio Christus loquitur: Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem occidere non possunt. &c. O fœlices quibus dabitur sub vitæ suæ finem dicere: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Vt hoc autem possint, primò conandum, vt sint filii Dei, dein ne animam suam alieno domino stultè commiserint. Pugnat autē hæc Christi oratio aduersus illos Hæresiarchas, qui dogmatizabant, Christum non habuisse animam humanam, sed huius vicem suppleuisse diuinitatem. Sed finamus hæc, ne aliquem ex simplicioribus offendamus.

*Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificauit Deum dicens: Verè hic homo iustus erat. Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua, reuertebantur.*

Centurio hic Romanus erat, à Præside Pilato missus, & Christo damnato additus, ne quid oriretur tumultus. Hic ergo visis tot signis, cœpit secum cogitare, non posse simplicem hominem, nedum aliquem latronem esse, sub cuius mortē tot prodigia & admiranda fiant: Testimonium igitur dat Christi innocentiæ inquiēs: Verè verè, hic homo iustus erat. quasi dicat: Quicquid aliis videatur nescio, ego persuasum habeo, si hic talis esset latro qualis accusatus est, certè tā stupenda miracula iam non cerneremus. Vocauerunt illum latronem, seditiosum, inuasorem alieni regni: ego quod sentio dicam: Hic homo iustus erat: & iniustè crucem sustinuit. Cæterum non solus Centurio animum aduertit ad miracula, sed & alii quidā huic miserrimo spectaculo adstantes, (plures enim attraxerat Iesu vel studium, vel odium) visis his quæ contigerant reuertebantur, percutientes pectora sua: partim præ dolore, quòd homo tam innocens ac beneficus tam indigna passus esset: Partim metu vindictæ diuinæ, quam sibi malè conscii ex ostentis conspectis suspicabantur imminere. Quē enim in vita viderāt humilem & aspernabilē, eum in morte viderunt potentē, adeo vt omnia rerū elementa cōcuteret. Tu aūt ô bone frater, animaduerte semper in gentibus plus inueniri bonæ mentis, quàm in Iudæis, qui sibi præ cæteris pietatis ac sanctimoniæ laudem vindicabant.

*Stabant autem noti eius omnes à longe: & mulieres quæ secutæ erant eum à Galilæa.*

Vide quàm omnia præpostero ordine fiant. Nam discipuli à Christo fugierunt, mulierculæ autem Christum ad crucem vsque sequuntur. Habuit ergo Dominus mortis suæ spectatores, non tantum ignotos & hostes, sed familiares suos ac amicos intimos, ne quid scilicet deesset passionis acerbitati. Solent enim illæ cōtumeliæ iniuriæque acutius pungere, quæ spectātibus nostris amicis nobis inferuntur.

Vnde aliquando solemus parentibus liberos, aut è conuerso, his illos offerre, vt ex horum conspectu, facilius & citius quod volumus, ab illis impetremus, &c. Sequitur.

*Et ecce vir nomine Ioseph qui erat decurio, vir bonus & iustus, hic non consenserat consilio & actibus eorum, ab Arimathaea ciuitate Iudaeae, qui expectabat & ipse regnum Dei.*

Iam depinget nobis Lucas noster sepulturam Christi Domini nostri, quando videlicet sepultus sit, quomodo & à quo. In hoc autem conueniunt omnes Euangelistae, quod Ioseph ab Arimathaea tenuerit primatum inter omnes Christi amicos. Ioseph porrò hic erat ante crucem Domini huius discipulus, sed occultus propter metum Iudaeorum: sic enim Ioannes de illo testatur. Hic ergo Ioseph fuit oriundus ab Arimathaea. Fuit decurio, siue vt Marcus ait, honestus senator. Habent ergo & senatores quem imitentur in inseruiendo Christo & huius discipulis. Fuit vir bonus & iustus. Talem enim esse senatorem decuit. Et hic non consenserat consilio & actibus Iudaeorum: & hoc boni senatoris est, non consentire in factum aut consilium vllum prauum, sed positis affectibus semper iudicare iustè. Addit Lucas Iosephum etiam expectasse regnum Dei, hoc est spem suam posuisse in Christum.

*Hic accessit ad Pilatū & petijt corpus Iesu: Et depositum inuoluit sindone, & posuit illum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat.*

In hoc viro bono relucet etiam virtus & gloria mortui Christi: Cùm Dominus adhuc viueret & signis siue miraculis atque doctrina illustris, necdum damnatus esset, metuit sibi Ioseph, & non audet liberè confiteri Dominum. Nunc cum videbatur contumeliis & iniuriis adobrutus, adde & extinctus, ab hostibus suis oppressus & superatus, cum denique ingens videbatur incurrere periculum, quisquis vllam habuisset suspensi corporis Iesu rationem, prodit hic Ioseph confidenter, audacter, & intrepidè, & adit Pilatum, postulans sibi donari corpus Domini iam damnati & crucifixi. Factus est autem Ioseph egregium fortitudinis & constantiae, adde & pietatis exemplum, dum spretis omnibus periculis, iusta persoluit debita innocentissimo Dei filio: sepelire enim mortuos, est opus pietatis & humanitatis insigne. Nemo ergo damnauerit moderatas sanctorum sepulturas: imo probat ipsas S. Scriptura, si legitimè & citra luxum & pompam corpora decenter sepeliamus. Porrò quod corpus Domini sepultum est in nouo sepulchro, non fortuito euentu factum est, sed ne quis alius qui in illud sepulchrum prius fuisset positus pro Christo resurrexisse videretur: Qua de re in Matthaeo non nihil diximus.

*Erat autem dies Parasceues, & Sabbatum illucescebat: Subsecutae ergo mulieres quae cum eo venerant de Galilaea, viderunt monumentum, & quemadmodum positum erat corpus eius. Et reuertentes parauerunt aromata & vnguěta: & sabbato quidem siluerunt secundum mandatum.*

Magna haec fuit pietas, magna & fortitudo sanctarum mulierum, quae sicut erga viuum Christum fuerunt officiosae, ita & in mortuum officiosae esse cupiunt, sic tamen, ne quid peccent in legem Moysis. Pietas suadebat ocius vngere corpus Domini: at Moysis lex prohibebat aliquid operis in sabbato facere. Bonae itaque mulieres, ne in aliquam partem peccarent, quantum datum est in die paras-

parasceues, accesserunt sepulchrum Domini, contemplantur, haud dubio profusis lachrymis & magno dolore, vbi nam Domini corpus positum sit, vt postea dum licebit illud possint vngere. Deinde reuertuntur, parant aromata & vnguenta, vt summo mane prima sabbati paratiores & expeditiores sint, ad vnctionem Dominici corporis. Et sabbato quidem, iuxta legis præscriptum, noluerunt quicquam operis facere. Vnde certè duo discimus, nimirum quàm constantes fuerint mulieres illæ in obseruatione legis: & quòd Christus illas à legis obseruatione nequaquam retraxerit: nondum enim tempus erat, vt lex illa Moysis publicè proscriberetur. Sed hæc alias. Nos iam ad caput vltimum Euangelii nostri accingimur, tanto ocius procedentes, quanto propius ad finem peruenimus. Det Dominus vt cum Christo seruatore nostro & piè commoriamur & consepeliamur: sic enim fiet, vt cum eodem alacres & resurgamus, & in cælos conscendamus. Quod faxit, qui pro salute nostra mortuus est, Iesus Christus. Amen.

## CAPVT XXIIII.

*VNa autem Sabbati, valde diluculo, venerunt ad monumentum, portantes quæ parauerant aromata, & inuenerunt lapidem reuolutum à monumento. Et ingressæ non inuenerunt corpus Iesu.*

Quæ hoc loci Lucas compendiosè & breuibus scribit, apud alios Euangelistas, clarius & copiosius descripta inuenimus. Prima Sabbati est dies nostra dominica, in cuius summo mane Christus resurrexerat. Nam in die Parasceues positus est Iesus in sepulchrum. Sabbato quieuit, in principio autem diei subsequentis, qui primus erat in hebdomada, resurrexit: sicut sæpe præmonuerat, dicens: Tertia die resurgam. Mulierum nomina quæ vncturæ Dominum accesserunt sepulchrum, sunt Maria Magdalenæ, Maria Iacobi, & Salome: Hæ ergo sanctæ mulieres veniunt ad monumentum, portantes quæ parauerant aromata: nimirum vt vngerent Domini corpus, quod sperabant se inuenturas in sepulchro. Nam porrò exciderant ipsis verba, quæ Christus toties de resurrectione sua dixerat. Cùm autem ingrediuntur speluncam: vident reuolutum lapidem, neq; tamen vident corpus Iesu. Quæris quis reuoluerit lapidem? audi Matthæum: Et ecce terræ motus factus est magnus. Angelus autem Domini descendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem ab ostio, sedebatque super eum. Igitur sicut Christus cum terræ motu expirauit, ita & cum terræ motu reuixit atque resurrexit. Nec est quòd putes Angelum ideo lapidem deuoluisse, quasi aliter egredi non potuerit Christus: hoc quod ter impii sacramentarij confingunt: Sed ideo reuoluit lapidem, vt primò mulieres, dein & Apostoli, viderent sepulchrum iam vacuum, & Christum verè corpore suo pristino, sed tamen immortali, resurrexisse. Deus enim Christum suum suscitauit à mortuis, solutis, vt Petrus ait, doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat eum teneri ab illo, &c. Et Diuus Chrysostomus existimat, ideo terræ motum factum resurgente Domino, vt milites & mulieres euigilarent: milites quidem, vt viderent Dominum miraculosè & potenter resurgere: mulieres verò vt viderent illum iam resurrexisse. Mirum autem est Sacramentarios non credere, Christum operto monumento potuisse aut voluisse resurgere: Sequuntur

Act. 2.

Sententia.

Beda. quum tamen nō possint negare ipsum, salua matris virginitate, in hunc mundum natum fuisse. Diuinitatis insigne est, ait quidam, clausam virginem reliquisse post partum, & de sepulchro clauso exiisse cum corpore. Certè sicut milites resurgentem eum non potuerunt capere, ita nec lapis eum tenere potuit. At forsitan impii illi Sacramētarii existimant lapidem monumenti, fortiorem fuisse Satana, morte, & inferno: Vt scilicet quem neque Satanas, neque mors, neque infernus retinere potuit, illum poruerit retinere lapis. Sed valeant impii cum impietate sua. O miserum Christum, si impiorum hominum non audet transgredi præscriptum.

*Et factum est, dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. Cùm timerent autem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis viuentem cum mortuis? Non est hic, sed surrexit, recordamini qualiter locutus est vobis, cū adhuc in Galilæa esset, dicens: Quia oportet filiū hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere.*

Nihil difficultatis hic locus habet: nec mirum est mulieres consternatas fuisse, ad tam admirandum spectaculum: Vident enim omnia aliter, atque ipsæ expectauerant. Dum enim sepulturæ cōmendaretur Dominus, ipsæ sanctæ matronæ aderant, videntes & circumlustrantes omnia, vt viderent, quo & quomodo locaretur corpus Domini. Et antequam relinquerent monumentum, videbant ori eius monumenti adiectum ingens saxum, quod vix à multis viris amoueri poterat. Additum erat signaculum (hoc enim Matthæus testatur) id curatum est à Pharisæis & scribis, ne quis clam suffurari posset corpus exanime, & vanum spargere rumorem eum resurrexisse, qui nusquam inueniretur. Additi sunt custodes ex cohorte Præsidis, qui & sepulchrum & mortuum custodirent. Hæc omnia cum essent decantatissima & omni populo nota, ignorare non poterant bonæ illæ matronæ. Vnde quod lapidem attinet, loquuntur adinuicem, iam proximæ monumento: Quis nobis reuoluet lapidem ab ostio monumenti? Atqui quum ad locum veniunt, inueniunt omnia immutata. Abierunt custodes, lapis deuolutus est, corpus Domini non conspicitur, quod quærūt in monumento non inuenitur. Hic ergo hærent illæ, ignorantes quid factum sit: admirantur quis lapidem aperuerit, quis corpus Domini sustulerit, quoue in loco repositum sit. Breuiter omnia potius suspicantur, quàm Dominum resurrexisse. At illarum pietas merebatur, de omni negotio apertius doceri: Quis porrò doceret illas, cum hoc nemo hominum intelligeret, nemo rem certò nosset, nisi fortè milites illi custodes: qui cur non euulgauerint Christi resurrectionem, ex Matthæi Euangelio satis constat. Adsunt itaque Angeli, resurrectionis Dominicæ testes, qui & ipsi omni ornatu suo lætitiam quandam præ se ferebant, nimirum induti vestibus candidis, ita vt vestes illorum essent candidæ sicut nix, facies autem tam claræ atque clarus est Sol. Ad horum inopinatum conspectum expauescunt mulieres (hoc quod naturale est) sic vt statim vultus declinarent in terram, nec auderent suspicere. Confestim itaque cōsolationem accipiunt ab Angelis dicētibus, sicut Euāgelistæ testātur, Nolite expauescere. Scio quia quæritis Iesum Nazarenū crucifixū. Quid verò quæritis viuentē cū mortuis? Nō est hic: Venite, videte locū vbi positus fuerat: Ecce locus vbi posuerūt eum: Surrexit, sicut dixit. Quid quæritis,

ritis,inquiunt, viuêtem cum mortuis? Hoc est,Quid quæritis ô mulieres eũ, qui viuit, in sepulchris mortuorum? Hic quidem conditus erat, cùm esset mortuus. Nunc quoniam reuixit,non est in sepulchro,vbi quiescunt mortui, sed resurrexit,& viuus inter viuos obambulat. Cæterùm quo facilius acquiescerent mulieres angelorum attestationi,in memoriam ipsis reuocant verba Christi, quæ ad ipsas ante crucis passionem,& adhuc in Galilæa obambulans dixerat,de futuris rebus. Recordamini, inquiunt, qualiter locutus est vobis,cũ adhuc in Galilæa esset: Quia oportet filium hominis in manus peccatorum tradi,& crucifigi,& tertia die resurgere. Mortuum esse creditis, quia vidistis. Dum autem illa prædiceret, non credebatis futurum, & nihilominus iam experti estis, quàm nihil finxerit Christus eorum quæ de cruce dixerat. Iam non tacuit, quòd tertia die à resurrectione sua esset resurrecturus. hoc iam factum esse, nos attestamur. Quòd si nobis non vultis credere, vel Christi verbis credite, qui sicut vnum prædixit,ita & alterum non tacuit. Et sicut vnum impletum esse iam certò nostis,de altero nobis credite, qui eius rei testes ad vos missi sumus.

*Et recordatæ sunt verborum eius. Et regressæ à monumento, nũciauerunt hæc omnia illis vndecim,et cæteris omnibus. Erat autem Maria Magdalene,et Ioanna,& Maria Iacobi,& cæteræ quæ cum eis erant,quæ dicebant ad Apostolos hæc. Et visa sunt ante illos,sicut deliramenta verba ista,& non crediderunt illis.*

Quàm verum dixit Paulus, Sapientiam huius mundi à Deo pro stultitia reputari; & quæ contemptibilia sunt huius mundi,à Deo esse electa. Ecce enim,quales habeamus Christi reuiuiscentis testes. Non habemus viros aliquos apud hunc mundum magni nominis:non habemus apostolos,qui nobis primi annunciant tam sanctũ euangelium, scilicet quòd Christus Dominus noster à mortuis resurrexerit. Sed mulieribus hoc honoris defertur: vt tantæ rei primæ sint testes. Nec immeritò. Ipsæ sunt quæ Christum nunquam reliquerunt,tam in prosperis,quàm aduersis. Secutæ fuerant ipsum à Galilæa, comitatæ sunt ipsum in mortem vsque,nec sepeliendo abfuerũt: dignæ ergo factæ sunt,quæ post dolores tantos,& post tam graues compassiones, ante omnes alios consolarentur,atqui maior consolatio illis contingere non potuit,atque illa fuit de rediuiuo Christo. Addamus & hoc: Sicut muliebris sexus mortis nostræ primitias nobis obtulit: ita & idem sexus, nobis vitæ nostræ primæ testes fuerunt. Cæterum ne quis de tantis testibus aliquid dubitaret, quasi de stultè & facilè credulis, addit Lucas noster, illas ad memoriam reuocasse verba Domini,quæ olim ab illo acceperant, & sic facilius persuasas esse. Est quidem sexus ille muliebris natura credulus,sed non minus curiosus. Vnde angelis quidem crediderunt, sed prius perscrutatæ sunt omnia, quæ circa sepulchrum contigerant. Deinde ergo reuersæ sunt ad vndecim Domini apostolos,& omnia quæ audierant & viderant annunciauerunt eis. Porrò apostoli mulieribus non credebant, sed tanquam stultè credulas contemnebant: Quem contemptum sicut in Apostolis nõ probamus: ita & fidei nostræ magnam esse probationem non temerè affirmamus. Si eñ statim credidissent, illorum stultitiæ, aut nimio in Christũ amori, ab impiis adscribi potuisset. Iam verò constat Apostolos non credidisse de hac re quicquam,nisi postquam euidentissimis argumentis compererunt Christum verè resurrexisse: hoc quod sequentia manifestum facient. Addam & hoc: Non præter rationem sinuntur Apostoli in tantam incredulitatem labi: sed vt ex

semetipsis etiam alios metientes, cùm Iudæis & Gentibus, difficile credentibus, discant patientiam habere: semper cogitãtes, quàm grauatim ipsimet huius rei fidẽ admiserint, etiã si antea multa de illis rebus à Dño audiuerãt.

*Petrus autem surgens, cucurrit ad monumentum: & procumbens vidit linteamina sola posita, & abiit, secum mirans quod factum fuerat.*

Apud Marcũ legimus, angelos mandare mulieribus, vt quod ipsæ vidissẽt & audissent, omnibus discipulis adnũciarent, præcipuè verò D. Petro. Et in Euangelio Ioannis scriptum est, Mariam Magdalenam venisse ad Petrum & Ioannem, & dixisse: Tulerunt Dominum meum de monumento, & nescimus vbi posuerunt eum. His ergo nunciis admonitus surgit, adq; monumentum currit, & procumbens vidit linteamina sola posita, & abiit, secum mirans quod factum fuerat. Forsan putabat (sic enim Theophylactus admonuit) Christi corpus furto sublatum, & mirabatur, qui fieret, quòd relicta essent linteamina, tam pretioso vnguento inuncta, quæ omnia ad cõseruationem corporis à Nicodemo addita fuerant. Hic ergo etiam in ipso Petro videmus, quàm simus cæci ad intelligenda Dei mysteria, simulatq; omnia ex nostra ratione metiri voluerimus. Neq; enim recordatur hic Petrus verborum Domini, nec veniunt ipsi in mentem prophetarum oracula: sed cũ semetipso ratiocinatur, quidnam factum fuerit cum corpore, an corpus mortuum reuiuiscere possit, &c. Si D. Petrus meminisset, Christi corpus iam vestitum immortalitate, linteamina illa non curasset. Sed pergamus.

*Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spacio stadiorum sexaginta ab Hierusalem, nomine Emaus.*

Sunt qui existimant, alterum horũ discipulorum fuisse Lucam ipsum: alii verò, vt D. Ambrosius, dicunt Ammaonem quendam fuisse: de altero cõstat Cleopham fuisse. Atqui nihil refert, siue sciamus, siue nesciamus quisnam alter eorum fuerit. Qui putant Lucam ipsum fuisse, inde forsan coniecturam sumpserunt, quòd alterum nominauerit, & alterius nomen silẽtio præterierit. Sic enim subinde solet Diuus Ioannes Euangelista suum reticere nomen, atque de se, quasi de alieno sermonem instituere. Porrò quod oppidum illud Emauntem adtinet, constat vetus fuisse oppidum, cui Romani, post deuictam, nomen mutarunt, à victoria scilicet Nicopolim appellantes. Plin. lib. v. Emauntem inter Iudææ toparchias censet, &c.

*Et ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus quæ acciderant. Et factum est dum fabularentur, & secum quærerent, & ipse Iesus appropinquans ibat cũ illis. Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent.*

Quoniã historia hæc facilis est, solum ea adnotabimus, quæ ad mores nostros in melius reformandos aliquo modo facere possunt. Igitur quòd Dñs Iesus hic ambulat cum duobus illis discipulis, quamuis ipsum non noscant, declarat ipsum Dñm nostrũ sepiuscule nobiscum esse, nobiscũ loqui, etiãsi maximè ignoramus. Quotiescunq; enim alicuius boni admonemur, vel in cordibus nostris, vel à fratribus nostris, toties à Domino ipso admonemur. Et si cogitaremus perpetuò oẽs bonos cogitatus ex Deo esse, cautiores certè essemus in rebus gerendis. Loquitur etiam nobis Dominus, quando pro peccatis nostris aliqua tribulatione corripimur. Atqui nos sic correpti non recordamur Dei punientis nostra delicta, sed omne incommodum

nunc

nunc fato, nunc aeti, nunc nescio quibus aliis rebus adscribimus. Hoc itaque quotiescunque fit, tum ambulat nobiscũ Dominus, nos autem ipsum non agnoscimus. Iam quod oculi carnei, corpus gloriosum apertè non vident: mirum non est: Qui enim oculos hominis creauit, in hoc creauit, non vt perpetua, sed vt caduca videant. Ergo ille tenet oculos, ne ipsum agnoscant, qui oculos homini dedit. Et hic idem habet potestatem, vt oculis nostris vel addat lumen, vel demat. Vnde fit, vt paulò post alii discipuli cognoscant Dominum, quem duo isti non vident. Adde quod Christus non cognoscitur humanis rationibus, sed sola fide, & ex scripturis sanctis. Scrutamini, inquit Christus Iudæis, scripturas, in quibus vos putatis habere vitã. Illæ enim de me testificantur.

*Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad inuicem, ambulantes, et estis tristes? Et respondens vnus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Hierusalem, & non cognouisti quæ facta sunt in illa, his diebus? Quibus ille dixit: Quæ?*

Quòd duo discipuli contristantur in hac peregrinatione, & ideo contristantur, quòd incerti sunt de Christo, & huius voluntate, admonent veros Christianos perpetuò contristari, absente Christo, nec aliud quicquam in hac miseriarum valle petere, nisi dissolui, & esse cum Christo. Et profectò, qui semel gustarunt, quàm suauis sit Dominus, huius consolationem præponunt omnibus huius mundi voluptatibus. Audiamus super hac re Psalmographum: Vnam petii à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ. Et iterum: Et nunc quæ est expectatio mea, nonne Dominus? & substantia mea apud te est? Et rursum: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, &c. Sic & discipuli illi non aliam ob rem tristantur, nisi quòd vereantur se nunquam visuros Dominum, in quem tamen oẽm spẽ suam collocauerant, sicut paulò post audiemus. Iam & alia ex præsenti loco colligere licebit. Et primum quidem hic videmus, quales sermones deceant hoĩes Christianos, nimirum non de rebus vanis, & carnalibus, sed de Christo & huius beneficiis in nos collatis. Ait enim D. Paulus: Corrũpunt bonos mores colloquia praua. Et iterum: Omnis sermo malus de ore vestro non procedat, sed siquis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus. Et Diuus Petrus ait: Omnis sermo malus de ore vestro non procedat. Sed quales nostri sermones sint, quales confabulationes, quid attinet dicere? Si seria tractamus, fratrum nostrorũ proscindimus famam: si iocos, impuros recitamus actus. Sed quid Iesus ille Syrach? Beatus vir, inquit, qui non est lapsus verbo ex ore suo. Et D. Iacobus: Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir: põtẽs est enim freno circumducere totum corpus, &c. Rectè ergo discipuli illi duo faciunt, quòd non de rebus friuolis, sed de rebus ad salutem facientibus confabulantur. Porrò dum sic sermones miscent de Christo, Christus sui promissi memor, cõtinuò illis adest, sicut ante mortem suam dixerat: Vbi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, ego ero in medio eorum. Nec est dubium, quin & vbique sit in medio eorum, qui ex animo de illo sermones instituunt. Sic autem non est dubium, quin & Satanas iis se adiungat, qui de rebus regnũ ipsius promouentibus verba instituũt. Sed quid loquitur Christus discipulis? Qui sunt hi sermones, inquit, quos confertis ad inuicem ambulantes, & estis tristes? Non interrogat quasi ignorans, sed vt simulatque hi ipsi errores suos ipsorum pro-

proferant,ipse meliora docendi occasionem habeat. Tu hic notabis eũdem Christum in extremo iudicio,nos de nostris sermonibus interrogaturum, & cautior post hac eris.De omni enim verbo otioso quod loquuti fuerint homines,rationem reddere cogentur homines. Quid porrò ad interrogata Domini respondent discipuli? Tu solus peregrinus es,inquiunt, in Hierusalem,& ignoras quæ facta sunt in illa his diebus? Hoc habet proprium humanus affectus, vt quod cuiq; valdè cordi est,putet nemini ignotum esse,& nemini non esse curæ. Et plærunque ex nostris affectibus etiã aliorum affectus iudicare solem⁹. Sic ægroti subinde mirantur sanioribus cibos videri dulces,qui sibi ipsis videtur amari,&c. Sed audiamus bonos discipulos suæ tristitiæ causam aperire.

Mat.12.

*De Iesu Nazareno* (inquiunt loquimur) *qui fuit propheta, potens in opere & sermone coram Deo, & omni populo.*

Videmus hic,quàm modicum fidei adhuc fuerit in duobus istis discipulis. Loquuntur de Christo, tanquam de propheta aliquo,non tanquam de filio Dei,prophetarumq; Domino. Sed super hoc bono fundamento non fuerit difficile longè maiora superædificare. Iesum vocant,quia hoc nomen à circuncisione sua habuit. Sicut enim nos solemus pueris in baptismi collatione indere nomina,ita & illi nomina imponebant pueris suis in circuncisione. Vnde mirum est, quòd Anabaptistæ non abnegant nomina sua cum abnegatione baptismi. Cæterùm quare Saluator noster id nominis habuerit, & quis illius appellationis autor,in superioribus auditum est.Iam de Nazareno,non est vt multa verba faciamus, cùm satis constet,Christum id cognominis accepisse ex eo, quòd Nazareth educatus fuerit.Et apud Matthæũ legimus de Iesu, quòd veniens habitauerit in ciuitate quæ vocatur Nazareth, vt adimpleretur quod dictum est per prophetas,quoniam Nazareus vocabitur. Restat nunc, vt inquiramus cur illum prophetam vocauerint. In scripturis sanctis propheta vocatur,tã ille qui futura prædicit,hoc est,de his fatur quæ procul sunt, quàm ille qui scripturas interpretatur. De postremo hoc,quod iam tractamus Euangelium testimonium præbebit,quando Dominus interpretatur scripturas. De primo constat etiam,quòd Christus multa futura prædixerit, imò etiam multa,occulta aliis, manifestauerit. Vnde Samaritis illa dicebat: Domine, vt video, Propheta es tu. Apud Lucam legimus,populum de Christo dicere: Propheta magnus surrexit in nobis,& Deus visitauit plebem suam. Et apud Ioannem,post celebre illud miraculum de paucis panibus in multos ad satietatem vsque distributis, legimus. Hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum.Addit Euangelista, illos dixisse, quòd Iesus fuerit vir Propheta, potens in opere & sermone, & hoc coram Deo & hominibus. Quæ hic addunt rursus testimonia,sunt magna quidem,sed non sufficientia.Neq; enim solùm fuit potens coram Deo, sed fuit Deus ipse.Omnipotens nomẽ eius,ait Moyses.Quàm potens porrò fuerit Christus,percurre totum Euangeliorum corpus, expende miracula ipsius singula,& non erit quod reliquũ quæras.Quòd fuerit potens in sermone,testãtur populi apud Euangelistas. Admirabantur enim turbæ super doctrina eius.Erat enim docens eos, sicut potestatẽ habens,& non sicut Scribæ eorum,& Pharisæi. Sic etiam apud Marcũ legimus:Quidnã est hoc?quænã doctrina hæc noua? Quod additur: Coram Deo & omni populo, arguit Christum nihil per hypocrisim, nihil per simulationem egisse. Sequitur:

Mat.4

Luc.7

Mat.7

Mar.1

Et

*Et quomodo tradiderunt eum summi sacerdotes, & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum: nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel. Et nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie, quod hæc facta sunt.*

Videmus hic rursum in discipulis modicam fidē: & videmus, quàm simpliciter omnia fateantur. Primùm omnem culpam crucifixionis, nō in Gentium principes, sed in Iudæorum principes & pontifices deriuant, vt qui omnium primi condemnauerunt Christū reū esse mortis, suoq; ipsorū præiudicio coegerunt Pilatum, vt crucifigeret Christum: hoc quod historia dominicæ passionis abundè testatur. Secundo, aperiunt qualem & quantam spem de Christo conceperant, & quòd iam porrò de ipso desperent. Sperabamus, inquiunt, quòd ipse esset redempturus Israel. Non dicunt: Speramus, sed sperabamus. Quomodo sperabant Christum redempturum Israel? Sicut mirum, vt tāquam rex alius quispiam potentissimus, armato milite, sub iugum mitteret omnes gentiles, totoq; terrarum orbe imperitaret omnibus populis, non spiritualiter, sed carnaliter, sicut Augustus, Tyberius, & alii. Neque enim aliud somniabant regnū, quàm mundanum: atqui Christus Pilato professus est in hæc verba: Regnū meum, inquit, non est de hoc mundo. Si enim regnum meum de hoc mundo esset, ministri mei vtiq; decertarent de me, vt non traderer Iudæis. Tertiò adiiciunt causam, quare de Christo omnem spem posuerint, nimirum, quòd iam tertia dies sit, ex quo non comparuerit Christus. Verùm Christus pollicitus fuerat, se tertia die resurrecturū, sed nō pollicit⁹ fuerat, se manifestaturū statim oībus suis discipulis, & hoc in Iudæa: sed ait: Postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam, ibi me videbitis. Sed non poterant duo illi discipuli melius sentire de Christo, cuius mortem semper præ oculis habebant: verba autem & promissiones illius in corde suo non habebant.

*Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius, venerunt dicentes, se etiam visionē angelorū vidisse, qui dicūt eū viuere.*

Et hæc tanquam argumenta cur minus sperare debeant, adducunt, cùm tamen hæc omnia debebant vacillantes ipsorum mentes in fide confirmare. Si enim mulieres illorum erant, hoc est, mulieres Christianæ, plus fidei merebantur, & dignæ erant, quæ vanitatis vel mendacii non arguerentur. Nam si vanæ, mendaces, & nō bonæ spei mulieres fuissent, nequaquam Dominum secutæ fuissent. Secundò, si corpus Domini non inuenerunt, bonū indicium erat Christum ipsum resurrexisse. Nā corpus tale in tribus diebus non sic corrumpi potuit, vt non inueniretur, & non erat credibile quenquam sustulisse illud, maximè tanta cura & custodia munitum. Tertiò, sufficiebat vel vnicum angelorum testimonium, quo testantur ipsum viuere. Sed forsan ideo exterriti sunt, quod putarunt se nunquam posthac visuros Christum. Verùm longè alia pollicitus fuerat Dñs.

*Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, & ita inuenerunt, sicut mulieres dixerūt, ipsum verò nō inuenerūt.*

Petrus & Ioannes duo illi sunt qui abierunt ad monumentum, & Petrus quidem primum introiens in monumentum, vidit linteamina posita, & sudarium quod fuit super caput eius. Mulieres ergo nihil finxerant, nec erāt verba illarum deliramenta, vel aniles fabulæ. Cæterùm hæc nō tam arguūt infidelitatem discipulorum, quàm confirmant fidem Christianorum.

Et

*Et ipse dixit ad eos: O stulti & tardi corde ad credendum, in omnibus quæ loquuti sunt prophetæ.*

Hactenus satis auscultauit Christus, & tempus postulat, vt & ipse loquatur. Aperuerunt illi vulnera, detexerunt morbum, iam accingit se Christus ad medicandum. Principio itaque illos seuerè arguit, deinde fideliter instruit. Stultos vocat & tardicordes, nō quòd ipsi non crediderint, sed quod prophetarum dictis fidem non adhibuerint. Non quod ipse aliter doceat, & aliter prophetæ, sed quod ipse alia non dixerat, quàm prophetæ prædixerāt. Nihil hic difficultatis est, nisi quis moueretur Christi obiurgatiuncula, in qua discipulos stultos vocat, cùm tamen nobis dixerit: Quicunque dixerit fratri suo, fatue, reus est gehennæ ignis. Sed facilis est solutio. Si fratrem tuum per inuidiam vocaueris virum bonum, non effugisti peccatum. Quia Dominus non verba, sed animū tuum pensitat. Igitur si fratrē tuum fatuum vocaueris, & hoc neque per contumeliam, neque per contemptum, sed vt tua obiurgatione illum meliorem reddas, nihil peccasti. Sic Paulus Galatas suos stultos vocat & insensatos, non odioso, sed paterno animo.

*Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? Et incipiens à Moyse, & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant.*

Optimus hic docendi modus est, primum omne negotium paucis iisdemque perspicuis verbis proponere, dein omnia & singula autoritate scripturæ probare. Status itaque causæ est, quòd oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Quare autem oportuit? Quia sic complacuit Deo, per stultitiam crucis saluos facere credentes. Quare ita, hoc est, per passionē & mortem, intrare in gloriam suam? Quia peccatum aliter emendari vel deleri non potuit, & quia homo per voluptatem & appetentiam fœlicioris vitæ ceciderat & perierat. Cæteras causas secretis Dei consiliis committimus. Iam quod Christus interpretatus est, quæ de se erant in scripturis, nobis qui Christiani sumus, nō potest occultum esse. Audiuimus enim Christum loquentem: Scrutamini scripturas, illæ enim testimonium perhibent de me. Et: Si Moysi crederetis, etiam mihi vtique crederetis. Quæ autem sunt illa in Moyse & prophetis de Christo prædicta? Certè magnam partem eorum nobis aperuerunt Euangelistæ & Apostoli, in suis concionibus & epistolis. Et Christus ipse aliquot scripturarum loca, de semetipso interpretatus est. Sic apostolorum pii & catholici successores multa postea declararunt ex scripturis prophetarum de Christo. Hoc quod etiam Ecclesia adhuc vbique facit. Qui eius rei gustum capere voluerit, legat Diuum Athanasium de incarnatione verbi: & D. Chrysostomum in Homilia, Quòd Christus sit Deus. Nos enim breuiores esse studemus. Sequitur:

*Et appropinquauerunt castello, quo ibant, & ipse se finxit longius ire. Et coegerunt illū dicentes: Mane nobiscum, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Et intrauit cum illis.*

Sunt qui hoc loco defendunt Christum Dominum, quòd finxerit se facturum, quod tamen facere nolebat, & meritò defenditur Christus, qui nihil finxit, vt quenquam deciperet, sed vt nos omnes sua fictione alicuius boni admoneret. Sed rogas, qua re finxerit vel simulauerit se longius iturum? Vt doceret scilicet, quantum ex ipsius prædicatione profecerint duo discipuli. Nisi enim hæc fecisset Dominus,

minus, nos iam ignoraremus quantũ placuerit sermo ille domini duobus illis peregrinis. Sic autem placuit, vt etiam cocgerint ipsum ad seipsos diuertere, dicentes: Mane nobiscum, quoniã aduesperascit, & iam inclinata est dies. Sic ergo discimus quisnam sit verus profectus euangelicæ prædicationis, nimirum vt erumpat in opera charitatis. Quid enim iuuabit perpetuò auditorem esse verbi Dei, & nunquam vel rarò ea, quorum admonitus es, opere perficere? Beati qui audiunt verbũ Dei, & custodiunt illud, ait Christus. Et D. Paulus: Non auditores, sed factores legis iustificabuntur.

*Et factum est dum recumberet cum eis, accepit panẽ, & benedixit ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum: & ipse euanuit ex oculis eorum.*

Sunt inter huius seculi homines, nõ contemnendæ eruditionis homines, & viri apprimè clari, qui docent & affirmant dominum in hac cœna discipulis porrexisse sub speciebus panis, verũ corpus suum, sicut idipsum verum corpus tradidit in cœna, ante passionem suam, nouissima. Et eius sententiæ fuerunt apud veteres, inter reliquos, diuus Augustinus Latinus, & Theophylactus Græcus author. Ille enim vocat Sacramentum panis, & addit, postquam participarint de veritate corporis Christi, ipsorum discipulorum oculos fuisse apertos, hoc est, Deum ac dominum suum agnouisse. Theophylactus verò vocat sanctum panem, & addit: si hunc sumpserimus, tum tandem nos verè agnoscere Christum. Quis enim non agnosceret Christum qualis & quantus sit, quum vera fide hoc sanctissimum contemplatur Sacramentum? In hoc enim argumentum præbet, non solùm quantum possit, sed etiam quantum velit nobis benefacere. Sed de hoc alias. Quod ibi dicitur oculos discipulorum adapertos, non ita dictum est, quasi cæcis & clausis oculis ambulauerint ab Hierusalem vsque Emauntem, sed quòd in fractione panis agnouerunt, quod prius nec videre, nec agnoscere potuerunt. Vnde postquàm dixisset Lucas, Aperti sunt oculi eorum: statim quasi per interpretationem addidit, & cognouerunt eum. Sic alibi de protoplastis nostris dictum est: Aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt se nudos esse: quum tamen antea cæci non fuerint. Quòd verò Christus ab oculis discipulorum euanuerit, nemo miretur. Neque enim possunt oculi carnei & corruptibiles, videre corpus quod est ab omni corruptione alienissimum: eo nolente videri, qui ad incorruptionem resurrexit. Tu hic, obsecro, attendere velis diligentissimè contra Sacramentariorum errorem. Vide obsecro, quale corpus habuerit Christus? Dum cum discipulis ambulat, non cognoscitur Christus, & tamen carnem & ossa habet. In fractione panis agnoscitur Christus, & porrigitur Christi corpus, neque tamen ea in forma in qua sedebat. Deinde agnoscitur Christus, euanescit Christus, & tamen vbique idem Christus, idémque corpus, siue agnoscatur à discipulis domini, siue agnoscatur minimè. Quid igitur hic aliud dicemus, nisi quod propheta Dauid: Magna opera domini, exquisita in omnes voluntates eius! Cæterùm contentionem de communione corporis & sanguinis domini, silentio hic prætereundam esse putamus. Certè, mea sententia, non tantum refert, vtris sub speciebus corpus Domini sumas, quantum refert, quàm dignè sumas. Ego priscos Ecclesiæ patres, qui sub vtraque specie communicârunt, nullius impietatis accusare possum nec debeo. Et qui iam

An necessariũ sit Eucharistię sacramẽtum sub vtraque specie sumere.

altera,& ab Ecclesia oblata specie contenti sunt, probo, vt quos maximè. Illos verò qui contra Ecclesiæ catholicæ veterem motem, pro vtraque specie ad sanguinem vsque digladiantur, nec probare, nec piè propugnare possum. Sequitur in contextu:

*Et dixerunt ad inuicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas?*

Hier.23. Apud Hieremiam legimus: Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petras? Et Diuus Paulus in Hebræis: Viuus est, inquit, sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis. Et in Prouerbiis scriptum est: Omnis sermo Dei ignitus, &c. Adiiciam & illud regii prophetæ: Ignitum, inquit, eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud. An ne hæc sunt magnifica verbi Dei testimonia? Deus ignis consumens est, & verba illius ignea sunt, sic vt exurere possint omnia humani cordis praua desideria, si modò homo illa in cor suum admiserit. Verba autem Dei tum tandem ignea sunt, quando Dominus ipse per spiritum suum nobis loquitur, & aperit scripturarum reconditos sensus. Ipse enim habet clauem Dauid, qui apetit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. Rectè ergo dicunt illi duo peregrini: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum ipse loquetetur in via, & aperiret nobis scripturas? Ex hac enim Domini confabulatione magis ac magis accendebantur amore in Christum, & spes illorum fulciebatur, neque satiari poterant tam dulci colloquio: & tamen ignorabant, vnde vis illa scripturæ sacræ prodiret. Sic & tu quotiescunque verbo Dei ades, & nihil mutationis in corde tuo sentis, toties scito te non audire verba Dei, sed hominis, qualiscunque tandem sit minister ille verbi. E contra, quotiescunque senseris pios aliquos motus sese in te exerere, certò scias Christum, & huius spiritum tibi loqui, qualiscunque tandem is sit, qui concionatur. Cæterùm de auditione verbi Dei, in aliis locis sæpe diximus: & satis constat, quales homines spiritus ille sanctus afflatu suo dignetur: nimirum humiles, & trementes sermones eius.

Heb.4

Prou.30.

Apo.3

*Et surgentes eadem hora, regressi sunt in Hierusalem: & inuenerunt vndecim congregatos, & eos qui cum illis erant, dicentes: Quòd surrexit Dominus, & apparuit Simoni. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis.*

In loco nihil difficultatis est, sed apertissima est historia, docens quantum profecerint duo discipuli ex Domini agnitione. Sic enim gaudio profusi sunt ex conspectu Iesu, vt omnium negotiorum suorum obliti, è vestigio, relicta Emaunte, redierint Hierosolymam, suæ lætitiæ alios Domini discipulos facturi participes. Quando verò apparuerit Dominus Petro, non liquet ex Euangelistis: nisi ad mare Tyberiadis, vbi certè non soli Petro apparuit. Videtur autem hic noster Lucas significare, quòd Christus soli Petro apparuerit, & hoc, statim à resurrectione, nimirum dum illi duo proficiscerentur Emauntem. Et Diuus Paulus in Corinthiis suis testatur, Dominum apparuisse Petro: & alias addit apparitiones, quæ in Euangelistis non inueniuntur.

Et

Et Diuus Ioannes testatur ingenuè, non omnia opera Domini esse scripta in libro ipsius Euangelico: quæ autem scripta sunt, nobis sufficere ad fidem nobis faciendum, quòd Iesus sit Christus filius Dei, & vt hæc credentes vitam habeamus æternam in nomine ipsius. Cætera, sicut diximus, aperta sunt.

*Dum autem hæc loquuntur, stetit Iesus in medio eorum, & dixit: Pax vobis: ego sum, nolite timere. Conturbati verò & conterriti existimabant se spiritum videre.*

Iterum Dominus promissi sui memor est, & adiungit se illis, quos in nomine ipsius nouit esse congregatos. Sic autem se adiungit, vt ex voce & habitu facilè cognosci potuerit: & habet tamen idem corpus, quod duo peregrini in via cognoscere non potuerunt. Memor fuit etiam Dominus præcepti sui, quod in hæc verba præceperat. In quamcunque domum intraueritis, primum dicite: Pax huic domui, &c. Ergo dum Apostoli fabulātur & colloquuntur. Quæ? non de rebus friuolis, impiis, vel impuris, sed de Christo, & huius gloriosa resurrectione, stetit Iesus in medio eorum, hoc est, Aduenientem non viderunt, sed præsentem vident. Et dixit: Pax vobis, Ego sum, nolite timere. Pauca sunt hæc verba, sed multarum rerum nos admonent. Primum, quòd Iesus de ipso loquentibus libenter adest. Secundò, quòd ipso præsente, nihil est quod amplius timeamus. Tertiò, quòd Christus in medio discipulorum suorum est, non in medio hæreticorum. Quartò, quòd Christus solo medio delectatur, omnia verò extrema odit. Est modus in rebus, ait ille, sunt certi denique fines, Quos vltra citraque nequit consistere rectum. Et alius: Ne quid nimis. Quintò, videmus, Deum nihil nobis sæpius & ardentius imprecari, atque pacem, quam vtinam Ecclesiæ suæ date dignetur, sicut imprecāri non grauatur. Pudeat nos, inquit Chrysostomus, pacis munus deserere, quam nobis hinc discedens Christus reliquit. Imò ad nos in carnem nostram veniens, primum omnium nobis pacem annunciari fecit. Sic enim sonabant angelorum voces: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Quia nimirum, vt pulchrè post Chrysostomum admonuit Beda, tota redemptoris nostri in carne dispensatio, mundi est reconciliatio. Ad hoc quippe incarnatus, ad hoc passus, ad hoc resuscitatus est à mortuis, vt nos, qui peccādo Dei irā incidimus, ipse recōciliando ad Dei pacē reduceret. Vnde rectè & à propheta pater futuri seculi, & princeps pacis nominatur. Et Apostolus de eo scribens, his qui ex Gentibus crediderant, ait: Et veniens euangelizauit pacem his qui propè, & vobis qui longè fuistis, quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad Deum, &c. Cæterùm boni discipuli viso Christo, conturbantur, & terrore concutiuntur, timentes phantasma esse quod apparebat. Videbant enim speciem & vultum Christi, sed quoniam non certò persuasum habebant ipsum verè cum corpore & anima resurrexisse, timebāt ne ipsis illuderet malus quispiam dæmon, aut spiritus Christi (quod veri similius est) ipsis appareret. Nam & tum temporis persuasum erat hominibus, animas defunctorum subinde viuentibus apparere, & terrefacere, &c. Admirabantur etiam Discipuli, quomodo verum & palpabile corpus, per clausas ianuas ingredi potuerit. Cæterùm non passus est Christus animos suorum amicorum longius hæsitare, ac timere. Vnde sequitur:

Ambr.

*Et dixit eis: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum. Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes.*

Quid turbati estis, inquit, cùm deberetis potius gaudere, & mihi, & vobis congratulari, quòd ego iam à morte liber factus sum, & vos vestrum receperitis dominũ. Quare item tam variæ & vanæ cogitationes ascendunt in corda vestra? Cur non potius succurrunt vobis pollicitationes meæ, vobis ante passionem meam à me factæ? Videte manus meas, & pedes meos, quos scilicet clauibus trãsfixos nostis, & in quibus vulnerum vestigia adhuc hærent. Videte, inquam, quia ego ipse sum. Quòd si nec oculis vestris fiditis, vel manibus vestris me tangite & palpate, vt intelligatis me carnem & ossa, hoc est, verum corpus habere. Corpus, inquam, illud quod in cruce pependit, clauibus transfossum fuit, licet iam impassibile sit. Nec putetis me spiritum esse, quales subinde post mortem aliquorum hominũ ambulare ferunt, plærunque autem sunt immundi spiritus, etsi Dei miraculo quandoque hominum conspectibus appareant defunctorum spiritus: quoniã illi neque carnem, neque ossa habent, quæ omnia tamen me habere videtis. Vide quot argumentis probet, se verè resurrexisse. Primum ad cogitationes illorum respondet, hoc quod sæpissimè ante passionem suam fecerat. Secundò, manus & pedes ostendit. Tertiò, totum corpus suum palpandum exhibet, sic vt ex voce eius, ex cognitione eius, ex omni statura corporis agnosci potuerit. Sed quare tam multis argumentis probauit, se verè vero corpore suo resurrexisse? Ad hoc piè respondet Beda: Quatenus discipuli gloriam resurrectionis prædicaturi, modum quoque nobis resuscitati corporis, qualis esset sperandus, absque omni ambiguitate monstrare valerent. Vnde cum magna fiducia beatus Ioannes Apostolus, auditores suos, ad sequenda fidei & veritatis quam didicit arcana prouocans, dicit: Quod fuit ab initio, quod audiuimus, & vidimus oculis nostris, quod prospeximus, & manus nostræ cõtrectauerunt de verbo vitæ. His idem venerabilis pater Beda, post D. Ambrosium subiicit quatuor causas, cur Christus cicatrices vulnerum in manibus retinuerit, quum tamen absq; omni incommodo resuscitaturus sit corpora nostra. Sed nos quoniam per omnia breues esse cupimus, vel locum indicasse, sufficere arbitramur.

*Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis: & cùm manducasset coram eis, sumens reliquias, dedit eis.*

Ardua res, & penè impossibilis visa est discipulis, Christi resurrectio, vnde ipse qui iam verè resurrexerat, omnem mouet lapidem, dummodo dubitationem cordibus illorum eximat. Boni discipuli vident Dñm, audiunt Dñm, manibus contrectant Dominum, & mirantur fœlicem successum, & rursum hæsitant, timentes, ne quis scorpius sub hoc lapide lateat. Alio itaque argumento probat Christus, se verè viuere, verumq; corpus habere. Rogat an ne quid edulii habeant. Quod cùm illi quod audiuimus obtulissent, accipit, comedit, & vt illi videant ipsum verè comedisse, porrigit eis reliquias.

Sic

Sic ante passionem suam, cùm filiam Archisynagogi suscitasset à mortuis, iussit illi dare cibum, quo certò probaretur illam viuere. Cæterùm quum audimus hoc in loco Christũ verè comedisse, cauenda est nobis stulta hæresis Cherintianorum, ne quis videlicet stultè impius; & impiè stultus æstimet, vel mediatoris Dei & Domini nostri corpus axcitatum à mortuis, sustentaculo eguisse ciborum, vel nostra post resurrectionem corpora in vita & conuersatione spirituali, escis reficienda carnalibus. Sed simpliciter & piè fatendum est, resuscitatum à morte, & immortale iam factum corpus Dominicum, nullam quidem necessitatem, attamen facultatem habuisse vescendi. Manducauit itaque Christus non ex necessitate, sed ex potestate. Sequitur.

*Et dixit ad eos: Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege, Moysi, & prophetis, & psalmis de me.*

Hoc est, O charissimi mei discipuli, nolite mirari ea quæ iam à me fiunt. Nihil enim fit, aut factum est, vel per me, vel mecum ab aliis, quod me, antequam fieret, latuerit: vos eius rei testes esse poteritis, vt qui non ignoratis, quòd illa omnia vobis prædixerim, traditionem, illusionem, flagellationem, crucem, mortem, & resurrectionem: ergo quod futurum prædixi, iam eternitis adimpletum esse. Neque ego solus illa præsciui, sed & Moyses, & prophetarum reliquorum chorus, & Dauidis psalmi de me cecinerunt. & quod de me futurum erat, prophetico more prædixerunt. Hac de re in præmissis nonnihil dixisse nos scis, vt non sit necesse sæpe dicta sæpius repetere. Ergo ad sequentia progredimur.

*Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas, & dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die: & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma.*

Quòd solus Dominus sit, qui per spiritum suum, merito passionis Christi, nobis aperit scripturas, in superioribus auditum est. Quid autem scripturæ de Christo præcipuè habeant, iam aperit: nimirum quatuor, passionem eius, resurrectionem à morte, & prædicationem pœnitentiæ in nomine eius, & quòd hæc prædicatio initium sumere debeat à Hierosolymis. De duobus primis, non necesse est, vt multa verba faciamus. De prædicatione pœnitentiæ necessariò dicendum erit. Et si enim Christus pro omnium peccatis satisfecerit, tamen illa satisfactio nemini proderit, cui illa per fidem & sacramenta non applicata fuerint. Hinc in prima illa sua cõcione D. Petrus dicit, ad eos qui rogabant ex eo, quid faciẽdum ipsis, vt salutẽ consequerẽtur: Pœnitẽtiã, inquit, agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in noĩe Iesu Christi, in remissionẽ peccatorũ vestrorum. Verba hæc D. Petri probè consideranda sunt, qm̃ tria hic ponit, quæ ab eo fieri debent, qui amabit Christianismum. Primò ponit Pœnitentiam, deinde Baptismum, postremò, Remissionem peccatorum. Et consentit quidem Petrus cum narratione Euangelistarum, Matthæus enim mandatum Christi ad discipulos sic expressit: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filii, & spiritus sancti, docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis. Marcus verò sic: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium, omni crea-

De necessitate pœnitẽtiæ

Act. 2.

Mat. 28

Mar. 16.

turæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Lucas noster pœnitentiæ & remissionis peccatorum meminit. Postremò D. Ioannes, quod quidem ad hoc negotium attinet, describit quomodo Christus insufflarit in Apostolos, dicens: Accipite spiritũ sanctum, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta erunt. Iam si singula Euãgelistarum dicta contrahas, hoc efficitur. Primum, iuxta Matthæum, docendæ sunt omnes gentes, quia non solis Iudæis, sed & Gentibus salus & saluator prædicandus est. Vnde subscribit illi Marcus, inquiens: Prædicate Euangelium omni creaturæ. Et describit Lucas ordinem. Incipientibus, scribẽs, ab Hierosolyma. Sed huius rationem post dabimus. Quid autem prædicandum est? Marcus inquit: Euangelium. Et Lucas addit: Pœnitentiam in nomine Christi. Sed rem apertius eloquemur. Prædicandũ est, quid & qualis sit homo, ex carnis & sanguinis natiuitate sua, nimirum nihil aliud in conspectu Dei, quàm abominatio, massa peccati, filius iræ, & mancipium diaboli. Prædicandum deinde, Quòd tales maneat pœna & exitium æternum, nisi peccatum illud digna satisfactione expietur. Prædicandum tertiò, nullam satisfactionem dignam esse pro expiatione, nisi mortem Christi. Huius verò mortis & satisfactionis neminem fore participem, nisi cui illa per fidem & sacramenta applicata fuerint. Et fidei, & sacramentorum meminit Marcus, dicens: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Iam itaque qui talem audit concionem, intra se non immeritò dolet, ob commissa peccata: timet enim exitium. Deinde consolationem ex promisso concipit saluatore. Quoniam verò homo non videt quid ille celet in corde, ad sacramentum baptismi accedit, inque ipso, sese totum, quantus quantus est, Christo addicit, paratus renunciare omnibus huius mundi vanitatibus, & soli seruire Christo.

*Ioan. 20*

*Quid prædicandũ.*

Cùm igitur sic baptizatur, sicut corpus externè lauatur, ita & anima internè mundatur, spiritu sancto sic mirabiliter operante per aquam, & sanctificante hominis animam. Sic itaque per fidem & baptismum, homo consequitur remissionem peccatorum, inseritur Christo, huiusque fit membrum, & hæres constitutus regni cœlorũ. Postquam verò baptizatus est homo, & à Christo libertate donatus, tum non licebit homini redire ad pristinas voluptates: sed cogitur, nisi perdere voluerit suam hæreditatem, Christo per omnia inseruire, hoc est, mandata illius & diligenter, & fideliter perficere. Et hoc est, quòd Christus apud Matthæum dicit: Docentes eos omnia seruare, quæcunque præcepi vobis. Sed iam tandẽ propius Lucas noster inspiciendus est. Oportebat, inquit Lucas, in nomine Christi prædicari pœnitentiam. Quare in nomine Christi? Quia hic solus est, qui & pœnitentiam, & pœnitentibus veniam promeruit. Nec solùm prædicandum est, vt homines pœnitentiam agant de malè factis suis: sed etiã, quòd verè pœnitentes consecuturi sint per Christum remissionem peccatorum. Quod autem ab Hierosolymis incipienda sit illa prædicatio Euãgelii, multas quidem & prægnantes habet causas: nos verò paucas pro loco adducemus. Est autem prima & præcipua causa, vt ex Iudæorum credulitate, etiam Gentiles animarentur, ad amplexandum fidem Christianam. Si enim in Christum credere non dubitarunt illi, à quibus in crucem suspensus est: quare non crederent in eum Gentiles, qui tantum nephas contra Christum non perpetrarunt? Et si Iudæi homicidæ, post tot flagitia, simulatque resipuerunt, tantæ gratiæ facti sunt participes: qui non

possent

possent gentiles etiam bonam spem concipere, fore vt & ipsi, quantumuis hactenus impii, salutem consequerentur æternam? Habuit item hunc honorem Christus populo Iudaico, vt ostenderet, testatumque faceret, nullum peccatum Idololatria abominabilius esse apud Deum. Sed hæc hactenus.

*Vos autem estis testes horum.*

Possent discipuli dicere. Quis ô bone Iesu, ad hoc idoneus est, vt Iudæis vel gentibus persuadere possit, quæcunque tecum acta sunt, non humano, sed diuino facta fuisse consilio? Et si Iudæi sacrarum literarum zelatores te non æquis animis audierũt, sed potius in crucem adegerunt: difficilè est creditu gentiles, qui nihil authoritatis deferunt bibliis sacris, crediturosté vel patris vel tui ipsius voluntate tãta mala perpessum. Item quis persuadebit populo, maximè Iudæis, omnium hominum iudicio sanctissimis, vt de se suaque iustitia desperantes, omnẽ spem in te ponere animos inducant? Et apud gentiles sunt, qui sibi videtur maximè iusti. Addam quis persuadebit Iudæis & gentilibus eandem ad regnum cæleste patere viam. Ad has igitur tacitas discipulorum obiectiones respondet Christus: Vos estis testes horum. hoc est, Vestrum erit hæc & huius generis reliqua vniuerso persuadere populo: Vos enim in hoc elegi, vt eatis & fructum afferatis. Sequitur.

*Et ego mittam promissum patris mei in vos: vos autem sedete in ciuitate, quo ad induamini ex alto.*

Hoc addit Christus, ne turbarentur discipuli intra se, & cogitarẽt: Quomodo testificabimur, qui priuati homines ac idiotæ sumus, contraque gentes mittimur, atque cõtra Iudæos, qui etiam te occiderunt? Respondit ergo Christus: Ne turbemini, sed confidite, quoniam non vestris viribus, sed spiritus sancti auxilio, negotium vobis commissum egregiè expedietis. Ego enim quod Pater pollicitus est, vobis mittam: Quod nam illud promissum patris? Quod apud Ioelem legimus, & à D. Petro in Actis enarratur. Effundã, inquiens, spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ. Adde, quoniam pater & filius vnum sunt: quæcunque pollicetur filius, pollicetur & pater, & econuerso. Iam sæpissimè in Euangelio legimus, quod Christus Apostolis suis pollicitus fuerit, spiritum sanctũ paracletum illum, & spiritum veritatis. Nisi enim ille nos idoneos fecerit testes Iesu Christi, omnis conatus noster frustraneus erit. Huc pertinet quod Paulus de Euangelii prædicatione, & huius excellentia disserens, addit: Et ad hæc quis idoneus? Et iterum: Fiduciã autem talem habemus per Christum ad Deum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti. Et Christus alibi ad Apostolos dicit: Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Addit itaque Christus: Sedete itaque in ciuitate, nimirum Hierusalem, donec induamini ex alto, hoc est, donec vos cælestis pater talibus armis induerit, sicque munierit, vt per omnia tuti ac fortes sitis aduersus omnes hostes Christi, & huius sponsæ Ecclesiæ.

Ioel. 2
2.Cor.2
2.Cor.3

*Eduxit autem eos foras in Bethaniã & eleuatis manibus suis, benedixit eis: Et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum.*

Quod Lucas noster hoc in loco breuibus describit, in Apostolorum historia latius prosequitur, quod tamẽ ad prolixitatem vitandam, huc transferre noluit. Et alii duo Euangelistæ referunt nõ nulla alia, quæ hic à nostro

Luca obmissa sunt, nulla tamen Ecclesiæ fraude: quoniam quæ hic noster non habet, ex aliis discere licebit. Porrò quod hic scribit Lucas, discipulos à Christo in Bethaniam eductos, intellige factum esse quadragesimo tandem die, à Dominicæ resurrectionis die: Quomodo verò vel quibus verbis benedixerit, neque scimus, neq; ab Euangelistis adnotatum est. Et alibi sæpe legimus Christum benedixisse, & orasse etiam, neque tamen legimus quibus verbis vel hoc vel illud fecerit. Et apud patres veteris testamenti solenne fuit, vt recedentes hinc, manentibus in loco benedicerent, hoc est, optima quæque optarent. Sequitur.

*Et ipsi adorãtes regressi sunt in Hierusalem cũ gaudio magno. Et erant semper in templo, laudantes & benedicentes Deum. Amen.*

Et hæc facta sunt à die ascensionis vsque ad diem Pentecostes, in quo acceperunt Spiritum sanctum, & hoc visibili specie, sicut acta Apostolica testantur. Igitur cum vidissent Apostoli Christũ iam mirabiliter ad cælos eleuatum, adorant eum, vt qui iam verbis & factis satis probasset se verum Dei viuentis esse filium. Et regrediuntur Hierosolymam. Nam cum illis conuescens, sicut alia scriptura habet, præcepit ipsis, ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem patris, &c. Regrediuntur autem cum gaudio magno, tum propter gloriam Christi, tum etiam propter præciosum illud promissum. Quod verò sequitur Apostolos semper fuisse in templo, declarat quòd iam fortiores facti fuerint discipuli, nec amplius Iudæorum proceres formidauerint. Et erant quidem in templo, laudantes & benedicentes Deum, non autem prædicantes, quia nondũ prædicandi tempus aduenerat, & maiori miraculo Apostoli ad prædicandum emittendi fuerant, hoc quod Lucas in secundo suo volumine satis testatur. Ex hoc igitur contextu licebit nobis præter cætera & hoc colligere, quòd nos propter Domini ascensionem meritò & maximè gaudere debemus, certò persuasum habentes illuc esse congregandas aquilas, vbi iam est corpus, siue membra suo adiungenda esse capiti. Secundò hic disce quid nam in templo agendum sit, nimirum quod ad laudẽ Dei facere potest, &c. Cæterùm quoniam spiritus sancti ductu ad calcem huius nostræ enarrationis peruenimus, primum omnium Deo omnium bonorum largitori immensas agimus gratias, eum ipsum ex animo deprecantes, vt peccatori mihi misericorditer condonet temeritatem meam, qui mihi tantorum conscius peccatorum, non abhorrui laudem ipsius in os meum sumere, & meliores me, ipse peior, grauius corripere. Rogo item eundem Deum optimum maximum, vt bona sua in his meis laboribus conseruet, mala emendet: detq; pro sua bonitate, vt bonus pastor suis ouibus bene profuerim. Fidelis seruus & prudens familiam suam probè curauerim, vt post huius vitæ perbreuem periodum, ad Christum caput nostrum subuehar, ibi expectaturus oues Christi seruatoris nostri, cui laus & gloria in æuum. Amen.

*FINIS.*

# ERRATA.

Pagina 6.b.uersu 40.qui plus.11.a.23. posſint. Non poſſumus.18. b.17. locum. Ibidem 28. inde occaſionem ſumit vt proſit proximo. 30.b.17.locum.34.a.9.quidam.ibidem b.31.dele,in.38.a.38. poſtulantes.44.a.43.Heluidius.51.b.9.itinere.55.a.14.egreſsi.63.a.3. conſumptum.64.a. 4. lauat. 78.a.9.Qui.89.b.23.fugere.90.a.5.poſſet.ibidem. b.41.reprehenſione.91.b.20.quid eſſet.99.a.9. expectaui.101.b.15.diuerſas. Ibidem 12.hoc.103.a.6.nomen.ibidē.16.colere.107.b.39. quod.109. b.38.Quin.110.a.25.vobis.ibidem b.37.Simulac.111.a.16.vt.113.a.42.feceſsitis.117.b.32.interuallo diſiunctus eſt.120.b.11.maiorem.130.a.2.Cleopham.139.a.25.pinguiori.141.b.7.facris.155.a.6.vocabitur.161.a.4.fuerunt.162.a.38.omnibuſque. Ibide b.12. magnitudine. 164.b.9. qui. ibidem.25. quod.173.a. vl.ne non.177.b.45.theotocos. 187.a.38.acceſsiſſe.188.a.44.ſcientiā.189.b.38.hoſpitum.191.b.5.quo.206.b.37.fidæ. 212.b.penult. quod omnes.225.b.40.retinebatur.229.b.26.voci. 233.a.20.omni.234.a.45.perbo.ibidem.b.17.& Eccleſiam.237.a.vl. intraret.250.b.19. nobis.251. a.11.vis.253.b.43.hi.255.a.12.emundatione.271.b.12.pſeudoprophetis.274.b.7.iuſtitiæ. ibidē 26. vt nec.293.b.8.At ſi.312.b.5.erat memoria.313.a.26.Requieſcite.314.b.5.deficiat.316.b.22.in vllo. ibidem.33.perpetiēdum.318.a.vl.proni.320.b.15.Elia.332.a.39.percipere.363.b.38.obfirmauit.425. b.29.Nimirum.428.a.35. ciuis.447.b.42.Hinc.458.a.16.cunis.507.a.1.repurgare.538.b.26.præceptum.552.a.29.dele,vt.554.b.42.lapidis.164.b.37.autem.